This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

2976 e. 51

Q. HORATIUS FLACCUS.

RECENSUIT

ATQUE INTERPRETATUS EST

IO. GASPAR ORELLIUS.

EDITIONEM MINOREM SEXTAM

POST

IO. GEORGIUM BAITERUM

CURAVIT

GUILELMUS HIRSCHFELDER.

VOLUMINIS POSTERIORIS

FASCICULUS PRIOR.

SATIRARUM LIBRI II.

BODL: LIBR.
FOREIGN
PROGRESS

BEROLINI

SUMPTUS FECIT S. CALVARY EIUSQUE SOCIUS.

MDCCCLXXXIII.

Q. HORATIUS FLACCUS.

RECENSUIT

ATQUE INTERPRETATUS EST

IO. GASPAR ORELLIUS.

EDITIONEM MINOREM SEXTAM

POST

IO. GEORGIUM BAITERUM

CURAVIT

GUILELMUS HIRSCHFELDER.

VOLUMINIS POSTERIORIS

FASCICULUS PRIOR

SATIRARUM LIBRI I. II.

BEROLINI

SUMPTUS FECIT S. CALVARY EIUSQUE SOCIUS.

MDCCCLXXXIII.

BODLEIAN LIBRARY
14 FEB 35
OXFORD.

Q. HORATII FLACCI

SATIRARUM

LIBER PRIMUS.

SATIRA I.

Qui fit, Maecenas, ut nemo, quam sibi sortem

I. Festive reprehendit poëta ridiculam illam *μεμψιμοιρίαν* et inconstantiam, qua plerique aequales eius laborabant, coniunctam semper cum acri in eos invidia, quibus ex illorum opinione melior sors obtigerat. Huius autem morbi, sane vel maximi vitae beatae impedimenti, praecipuam causam hanc esse dicit, quod insigni quadam stultitia abrepti permulti totam per vitam nihil aliud agant, nisi ut quocumque modo pecuniam corradant, conquisitis tamen numquam fruantur, illud nimirum causati, se placidae senectutis quieti tum, cum tempus sit, prospicere.

Propter transitus aliquos abruptiores ac minus fortasse quam alibi callida iunctura occultatos (cfr. vv. 13, 23, 108) et propter totius sermonis exitum (v. 120), qualis aequo iure cuilibet huius generis scriptiunculae assui poterat, nonnulli non recte hanc satiram inter prima Lucilium et imitandi et superandi experimenta ab Horatio facta referendam esse censuerunt. Rectius alii ceteris primi libri satiris compositis ante quam edituru erat hunc librum Horatius, anno fere 719 vel 720 hanc satiram scriptam esse arbitrantur.

1—3. Similes sunt huic exordio loci Maximi Tyrii Diss. 21, 1 et Himerii Ecl. 20 p. 272 W., quorum primum comparationis causa exscribimus. (Erat autem locorum communium et exemplorum quaedam quasi *παράδοσις* per philosophorum ac rhetorum scholas propagata, ex qua omnes pariter hauriebant, ut easdem sententias, fabulas, historias modo novis coloribus ornatas atque expolitas, modo pingui Minerva repetitas in scriptis suis alicubi velut certa quadam lege hac de re lata collocarent. In hac autem *παραδόσει* Horatius regnabat. Maximus: *Χαλεπὸν εὑρεῖν ἀκριβῆ βίον, ὥσπερ καὶ ἄνδρα, ἀλλὰ παντὶ ἀνακέκραται ἔνδειά τις πρὸς τὸ ἄκρως καλόν, καὶ πλεονεκτεῖ ἕτερος ἑτέρου, ὅτῳ ἂν ἐλάττω τὰ ἐνδέοντα ᾖ. Καὶ ἴδοις ἂν τὸν μὲν γεωργικὸν μακαρίζοντα τοὺς ἀστικοὺς ὡς συν-*

Seu ratio dederit seu fors obiecerit, illa
Contentus vivat, laudet diversa sequentis?
'O fortunati mercatores!' gravis annis

Sat. I. 2. *fors* cod. plerique *sors* B, Lipsiensis. *illa* codices plerique; *ulla* Sψ paucique alii. — 4. *annis* codices omnes, *armis* Bouhierius probb. F. A. Wolfio, Reisigio, Linkero, L. Müller, aliis.

όντας βίῳ χαρίεντι καὶ ἀνθηρῷ· τοὺς δὲ ἀπὸ τῶν ἐκκλησιῶν καὶ τῶν δικαστηρίων, καὶ τοὺς πάνυ ἐν αὐτοῖς εὐδοκίμους, ὀδυρομένους τὰ αὐτῶν καὶ εὐχομένους ἐπὶ σκαπάνῃ βιῶναι καὶ γηδίῳ σμικρῷ. Ἀκούσῃ δὲ τοῦ μὲν στρατιωτικοῦ τὸν εἰρηνικὸν εὐδαιμονίζοντος, τοῦ δὲ ἐν εἰρήνῃ τὸν στρατιωτικὸν τεθηπότος. Καὶ εἴ τις θεῶν ὥσπερ ἐν δράματι ὑποκριτὰς ἀποδύσας ἕκαστον τοῦ παρόντος βίου καὶ σχήματος μεταμφιέσει τὰ τοῦ πλησίον, αὖθις αὖ οἱ αὐτοὶ ἐκεῖνοι ποθήσουσι μὲν τὰ πρότερα, ὀδυροῦνται δὲ τὰ παρόντα. Οὕτω δυσάρεστόν τι ἐστὶν ὁ ἄνθρωπος κομιδῇ καὶ φιλαίτιον καὶ δεινῶς δύσκολον καὶ οὐδὲν τῶν (*τὰ* Dübn.) *αὐτοῦ ἀσπάζεται.* — *quam-sortem-ratio dederit*] „vitae genus, quod certum consilium constanter secuti inde ab aetate adulta delegimus." — *ratio-fors*] saepe inter se opponuntur, ut Cic. Att. 14, 13, 2: *Sed haec fors viderit, ea quae talibus in rebus plus quam ratio potest.* *fors* fere idem est quod Fortuna. Cf. ad Od. 1, 28, 31; nonnumquam caecitatem fortunae declarat, ut Cic. leg. 2, 28 *Fors in quo (nomine) incerti casus significantur magis* (*quam Fortuna.*) — *obiecerit*] In hoc quoque v. caeci casus notio clarius inest quam in v. *offerre*, quo in pedestri oratione uti solent (Cic. ad Att. 2, 22, 1: *quod fors obtulerit, id acturus videtur.*), itemque Horatius ipse Sat. 1, 6, 54: *Nulla mihi te fors obtulit.* — *illa*] „eadem illa, qua semel utitur." — *laudet*] *μακαρίζει.* Ceterum ex praecedente *nemo* subintelligendum est *quisque*, ut Cic. de Or. 3, 52: *Nemo extulit eum verbis, qui ita dixisset, ut qui adessent intelligerent, quid diceret, sed contempsit eum, qui minus id facere potuisset.* — *diversa*] „prorsus opposita et contraria suis studiis."

4. 5. *gravis annis*] Sophocl. Oed. Tyr. 17: *οἱ δὲ σὺν γήρᾳ βαρεῖς Ἱερῆς.* Theocr. 24, 100: *πολλοῖσι βαρύς περ ἐὼν ἐνιαυτοῖς.* Verg. Aen. 9, 246: *Hic annis gravis atque animi maturus Aletes.* Intellige militem, cui vel ratio vel fors hoc vitae genus obtulerit. Is stipendiorum initio ex praeda vel ex agris assignandis divitias se paraturum aliquando sperarat; at post complura stipendia, cum iam aetate provectior necdum dives factus est, propter id ipsum, quod pristinae eius vires continuis illis laboribus, quibus vacare debebant milites Romani, aliquanto imminutae sunt, omni maioris quaestus spei renuntiandum esse videt, ideoque invidet mercatori, qui eodem vel minore etiam tempore locuples evasit. Significat poëta non *annos vitae*, sed *annos militiae, stipendia.* Multis placuit coniectura *armis*, facilis illa quidem et admodum speciosa, cum etiam apud Ovid. Her. 1, 105. Met. 8, 313 atque alibi vv. *annis* et *armis* confundantur. Et sane luculentum pergravis oneris militibus Romanis impositi exemplum praebet Liv. Epit. 57. Non tamen satis perspexerunt, codicum lectione significari id, quod hic vel maxime requiritur, militis condicionem post

Miles ait multo iam fractus membra labore. 5
Contra mercator navem iactantibus austris:
'Militia est potior: quid enim? concurritur: horae
Momento cita mors venit aut victoria laeta.'
Agricolam laudat iuris legumque peritus,
Sub galli cantum consultor ubi ostia pulsat. 10

6. *navem* codicum maior pars, ut plerumque est apud Ciceronem: *navim* Bpr. γ paucique alii. — 8. *Momento cita* codices paene omnes, *Momento aut cita* cum quattuor codicibus suis Lambinus, prob. Bentl., Meineke.

certum stipendiorum numerum magna cum molestia permanentem, cum iam spe sese locupletandi destitutus est: Bouhierii vero coniectura notionem molestiae interdum desinentis, veluti, cum extra agmen in castris vel in praesidio alicubi est; praeterea cum haud perpetui temporis onere prorsus pugnare v. *armis* monstrat v. *iam*, quod aut omittendum aut cum v. *simul* permutandum erat; *iam* enim manifesto non defatigationem requiete facile levandam, sed debilitatas in perpetuum vires significat. — *fractus*] ut Verg. Aen. 2, 13: *fracti bello.*

6-8. *mercator*] ἔμπορος, qui ipse merces emit, velut in Asia vel Aegypto Romamque apportat, fere idem quod *negotiator*, diversus a *propola*. Cf. Od. 1, 1, 16. — *austris*] Seneca Ep. 14: *Cum peteres Siciliam, traiecisti fretum. Temerarius gubernator contempsit Austri minas: ille est enim, qui Siculum pelagus exasperet et in vertices cogat.* — *Quid enim?*] i. e. nihil contra dici potest, contrarium enim absurdum est. Est ex sermone quotidiano, ut τί γάρ; πῶς γὰρ οὔ; apud Ciceronem fere idem significat quod *neque enim* et semper sequitur altera interrogatio. Lael. 30: *quid enim? Africanus indigens mei? minime hercule!* De fin. 2, 72: *Quid enim? fortemne possumus dicere eundem illum Torquatum?* Ibid. §. 93: *Quid enim? summus dolor plures dies manere non potest?* Sic h. l. dicere licebat: *Quid enim? (quidni?) Nonne concurritur* cet.? — *horae Momento*] Epist. 2, 2, 172: *puncto-mobilis horae.* Liv. 5, 7: *horae momento simul aggerem ac vineas -- incendium hausit.* — *cita*]. „Nequaquam lege *Momento aut cita;* animus enim nautae abiectus in his est considerandus, cui iam paene desperata salute ista tranquillitas ambigendi non convenit.“ REISIG Commentat. Oed. Col. p. 246. Cfr. Hand Tursell. I. p. 536. Eadem vi posita est partic. v. 72 et v. 101. Liv. 21, 43: *hic vincendum aut moriendum, milites, est, ubi primum hosti occurristis.* Demosth. Lept. §. 83: ὑπὲρ οὗν ἐκεῖνος (Χαβρίας) ᾤετο δεῖν ἀποθνήσκειν ἢ νικᾶν.

9-12. *iuris legumque peritus*] Non *legibus* tantum *ius* continetur, sed etiam senatus consultis, edictis magistratuum, responsis prudentium. — *consultor*] qui, litem adversus quempiam agens, iureconsultum, virum aliquem primarium civitatis, in atrio domus suae in solio sedentem, primo mane adit, ut sibi de iure respondeat actionumque formulas praescribat. In gallicinii tempore ridicula hyperbole inest, ut in illis Cic. pro Muren. 22: *Vigilas tu* (Sulpici) *de nocte, ut tuis consultoribus re-*

Ille, datis vadibus qui rure extractus in urbem est,
Solos felicis viventis clamat in urbe.
Cetera de genere hoc — adeo sunt multa — loquacem
Delassare valent Fabium. Ne te morer, audi
Quo rem deducam. Si quis deus 'En ego' dicat, 15
'Iam faciam quod voltis: eris tu, qui modo miles,
Mercator; tu, consultus modo, rusticus: hinc vos,
Vos hinc mutatis discedite partibus. Eia!

17. 18. *hinc — hinc — discedite* cod. omnes, *huc vos, vos huc — decedite* Usener.

spondeas; ille (L. Murena), *ut eo, quo intendit, mature cum exercitu perveniat. Te gallorum, illum bucinarum cantus exsuscitat.* — *vadibus*] Vas in re iudiciali proprie appellatus est is, *qui pro altero vadimonium promittebat* (Varro L. L. 6, 74), id est, qui apud praetorem spondebat reum in iudicium sisti. Rusticanus igitur Romanus, invitus ille quidem, sed ne vadimonio deserto litem amittat, in Urbem se conferre coactus qui in urbe habitant alta voce vel ideo felices praedicat, quod praeter multa alia vitae gaudia longe commodius negotiis forensibus operam navare possint, ipse cum propterea tantum temporis perdat. — *clamat*] „fortiter ac praefracte contendit;" ut Sat. 2, 3, 130: *Insanum te omnes pueri clamentque puellae.* Alii non prorsus necessario hoc pro ἀγροικίας signo habent, ut est sane μεγάλῃ τῇ φωνῇ λαλεῖν apud Theophr. Char. 4, 1. Plaut. Most. 6. *Quid tibi, malum, hic ante aedis clamitatiost? An ruri censes te esse?--Abi rus.*

13—19. *Cetera de genere hoc*] Transitus est Lucretianus 4, 590: *Cetera de genere hoc monstra ac portenta loquontur.* 5, 37. In prosa or. *quae sunt huius generis.* Cic. Tusc. 4, 16: *et si quae sunt de genere eodem.* — *valent*] cum infinit., cf. ad Od. 2, 5, 1. *Fabium*] „Fuit Fabius (Maximus PORPH.) eques Romanus Narbonensis, qui aliquot libros pertinentes ad Stoicam philosophiam conscripsit. Hic autem Fabius Pompeianas partes secutus cum Horatio de disciplinis saepe contendit." ACRON. Idem fortasse rursus deridetur Sat. 1, 2, 134. — *Si quis deus*] Cfr. Aviani fab. 22, Maximi Tyrii locum ad v. 1 allatum et ipsius Horatii Sat. 2, 7, 22: *Laudas Fortunam et mores antiquae plebis, et idem, Si quis ad illa deus subito te agat, usque recuses.* Ceterum apodosis sequitur v. 19 *nolint.* — *En ego*] Noli haec iungere cum v. *faciam*, sed est, ut Varro R. R. 1, 56: *en quin adsum.* Sallust. Orat. Cottae 4: *Adsum en C. Cotta consul.* — *Iam*] „illico, statim." Hand Turs. III. p. 115. — *consultus*] absolute pro „iuris consultus", ut Ep. 2, 2, 87. 159. — *hinc vos* cet.] „et partes vestras et mutato genere vitae etiam locos in hac mundi veluti scena mutate." — *Eia*] h. l. est impatienter increpantis. Cessare videt, quos statim discessuros existimaverat, ideoque evocat moratos additque *Quid statis?* Hand Turs. II. p. 364. *Stare* autem pro „cessare, morari", ut Silius 1, 341: *iam capto stamus in hoste?* — *Nolint*] Cfr. lo-

Quid statis?' — nolint. Atqui licet esse beatis.
Quid causae est, merito quin illis Iuppiter ambas 20
Iratus buccas inflet neque se fore posthac
Tam facilem dicat, votis ut praebeat aurem?
Praeterea, ne sic ut qui iocularia ridens
Percurram, — quamquam ridentem dicere verum
Quid vetat? ut pueris olim dant crustula blandi 25
Doctores, elementa velint ut discere prima:
Sed tamen amoto quaeramus seria ludo —

19. *Nolint* codices plerique in his Blandinii, *nolent* B cum paucis aliis. — 23. *Praetereo*, ut volebat Bouhierius, duo codd. Vindob. *Praeterea, ne* cod. plerique. *Praeterea nec* Leidensis, Gothanus m. pr., ex Parisinis *φψλ*.

cum simillimum ad v. 15 allatum: *Si quis ad illa deus subito te agat, usque recuses*, unde hic firmatur lectio *nolint*. Reiciendum utique et *nolent* et *nolunt*. — *licet esse beatis*] Arrian. Epict. 3, 25, 3: *ἔξεστι μὲν εὐτυχεστάτῳ, ἔξεστι δὲ κακοδαιμονεστάτῳ εἶναι.*

20-24. *Quid causae* cet.] „Quidni propter hanc stoliditatem cum inconstantia coniunctam merito iratus Iuppiter illis buccas inflet?" Alibi *τὰς γνάθους φυσᾶν* fastum denotat; Demosth. *παραπρεσβ.* §. 314: *διὰ τῆς ἀγορᾶς πορεύεται θοιμάτιον καθεὶς ἄχρι τῶν σφυρῶν ἴσα βαίνων Πυθοκλεῖ, τὰς γνάθους φυσῶν.* H. l. iracundiae signum est, ut Eurip. Iphig. Aul. 125: *μέγα φυσῶν θυμὸν ἐπαρεῖ.* Ibid. 381: *τί δεινὰ φυσᾷς;* Sic Plautus Bacch. 601 *sufflatum* vocat irae plenum militem, et iungenda artissime esse *illis inflet* monstrat id. Casin. 3, 3, 19: *hic-- Nescio quid se sufflavit uxori suae*, item iratus. — *Praeterea*] est rursus modus Lucretianus continuandae orationi inserviens. In omnibus his quotidianum sermonem egregie imitatur, hoc dicens: „Sed, etsi pergere in eodem argumento iuvat, iam serio loquar, ne cetera quoque ridens percurram (iocabundus leviter pertractem), *ut qui iocularia* percurrit, id est, ut solent aretalogi coram volgi circulis in plateis nugas suas proferre vel etiam in Atellanis macci et buccones."

25-27. *olim dant*] „solent dare", frequenti usu v. *olim* in exemplis et similitudinibus. Od. 4, 4, 5. Ep. 1, 10, 42: *ut calceus olim* cet. Sic etiam *quondam* usurpatur in comparationibus. Ovid. Metam. 8, 191: *Sic rustica quondam Fistula disparibus paulatim surgit avenis.* Cfr. quae ad Od. 2, 10, 17 adnotavimus. — *Doctores*] „*γραμματισταί*, qui *prima* litterarum *elementa* (*στοιχεῖα καὶ γράμματα*) pueros docent, *crustula*, (*μελιτώματα, mellita dulciola* Apuleio Met. 4, 27) interdum iis dant, ut libentius discant." Hieronymus Epist. ad Gaudentium de Pacatulae infantulae educatione: *Interim* (Pacatula) *modo litterarum elementa cognoscat, iungat syllabas, discat nomina, verba consociet, atque ut voce tinnula ista meditetur, proponantur ei crustula, mulsa praemia, et quicquid gustu suave est, quod vernat in floribus, quod rutilat in gemmis, quod blanditur in pupis, acceptura festinet.* — *Sed*] Hac particula, ut solent, *παρέν-*

Ille gravem duro terram qui vertit aratro,
Perfidus hic caupo, miles nautaeque per omne
Audaces mare qui currunt, hac mente laborem 30
Sese ferre, senes ut in otia tuta recedant,
Aiunt, cum sibi sint congesta cibaria: sicut

29. *Perfidus hic caupo* codices paene omnes, *campo* codices quidam Feae. Conf. commentarium.

θεσιν claudens transitum facit ad praecipuum suum consilium, quod hoc est: „Quodsi ridiculae dumtaxat sunt vanae illae querimoniae militum, nautarum cet., qui tamen condicionem suam, de qua tantopere lamentantur, cum alia permutare numquam animum inducunt, longe maior etiam in hominibus istis perversitas haec cernitur, quod simul βαναύσους hos, dum sibi ceterisque persuadere conantur, nihil aliud sibi propositum esse, nisi ut senes facti honesto otio perfrui possint, reapse tamen insatiabilis lucri cupiditas transversos agit et usque ad ipsam mortem excruciat."

28. *Ille* cet. Pergit Horatius ad eos qui non solum suae condicionis molestias queruntur, sed qui non contenti eis quae possident maiores in dies expetunt divitias. — *vertit* hoc verbo poëtae utuntur non solum de aratro (Verg. Aen. 7, 539), sed etiam de rastris. Aen. 7, 725: *vertunt felicia Baccho Massica qui rastris.* — *Perfidus hic caupo*] i. e. κάπηλος; *hic*, in quo nonnulli sine causa haeserunt, opponitur v. *ille* vers. praeced. et est dictum quasi δεικτικῶς, „cuiusmodi quotidie vides;" Sat. 1, 5, 4: *cauponibus atque malignis.* Novam personam inducit, dedita opera h. l. omittens iureconsultum, ut qui disciplinam suam non quaestus, sed honoris atque civium utilitatis causa exerceat; supra autem ille propter hoc tantum notabatur, quod ipse quoque non minus atque hominum volgus interdum de vitae suae molesta condicione parum sapienter lamentetur; neque vero hinc recedit iureconsultus solum, sed etiam litigator rusticanus, et quidem propter similem rationem. Quidam cauponem vafrum iureconsultum ipsum interpretatur, videlicet *ius cauponantem*, quasi vero sic simpliciter cauponem pro iureconsulto dicere possis, vel vespillonem pro medico. Ut iure consultus v. 10 commemoratus redeat neque alius quidam h. l. inducatur, alii alia excogitaverunt: *Providus hic cautor, miles* Schrader; *Perfidus hic cautor, miles* Porson; *Causidicus vafer hic, miles* Markland; *Pernoctans campo miles* Schmid; *Pervicus hic campo miles* Obbarius; *Marcidus hic causis* Senger; *Perditas hic causis* L. Müller. — *nautae*] rursus ἔμποροι, (v. 6), non navicularii. Cfr. Od. 2, 13, 14: *navita-Poenus.* — *currunt*] Od. 1, 28, 35: *licebit--curras*, item de nauta. — *in otia tuta recedant*] Seneca de brev. vitae 4: *Audies plerosque dicentes: „A quinquagesimo in otium recedam; sexagesimus annus ab officio me dimittet."*

32-35. *cibaria*] res quam maxime ad victum necessariae, quo ipso vocabulo extenuare solent id, quod re vera quaerunt, id est, divitias. Seneca Controv. 2, 14: *Naviga, milita, peregrinare, quaere adolescens, utere senex.* — *nam exemplo est*] „perquam libenter enim hoc sapientis bestiolae exemplo utuntur." Proverb. 6, 6: *Vade*

Parvola — nam exemplo est — magni formica laboris
Ore trahit quodcumque potest atque addit acervo,
Quem struit, haud ignara ac non incauta futuri. 35
Quae, simul inversum contristat Aquarius annum,
Non usquam prorepit et illis utitur ante
Quaesitis sapiens, cum te neque fervidus aestus
Demoveat lucro, neque hiems, ignis, mare, ferrum,
Nil obstet tibi, dum ne sit te ditior alter. 40
Quid iuvat immensum te argenti pondus et auri

33. *Parvola* habent Blandin. aliique boni cod. — 38. *sapiens* omnes Cruquiani, in his Bland. antiquissimus, Graevianus, Vossianus, Lambini et Torrentii aliquot, Leidensis, *φφλπ*; ceteri *patiens* (vel *paciens*), quod recepit Holder.

ad formicam, o piger, et considera vias eius et disce sapientiam, quae cum non habeat ducem nec praeceptorem nec principem, parat in aestate cibum sibi et congregat in messe, quod comedat. — *magni formica laboris*] in prosa or. „formica, animal magni laboris, laboriosissimum.“ Ceterum de genetivo qui vocatur qualitatis conf. ad Od. 1, 36, 13.

36—40. *Quae*] id est, „at ea.“ Cfr. *Quod* v. 43. „Scin tamen, quod discrimen sit inter te et exemplum illud tuum?“ — *inversum--annum*] Theocr. 13, 26: *τετραμμένω εἴαρος ἤδη*, et Homeri *περιπλομένων, περιτελλομένων ἐνιαυτῶν*. De bruma loquitur, ex qua velut novus circulus sive cursus anni semper vertentis (Macrob. Sat. 1, 14.) exordium capit. Formicae quidem sese abdunt iam ante pluviosae hiemis initium; pro qualicumque vero hiemali signo Aquarium ponit, quamquam proprie, ut ait Porphyrio, „maxime sole in Aquario constituto tempestates horrendae et frigora ingentia solent esse. Sol autem transit in Aquarium XVII. kal. Februarias. (16. die Ianuar.)“ — *contristat*] ut Verg. Ge. 3, 278: *unde nigerrimus Auster Nascitur et pluvio contristat frigore caelum.* — *sapiens*] „prudens, ideo, quod nec prodigit quaesita neque necessario victu se defraudat.“ *Ἴδρις* est formica Hesiodo O. et D. 778: *ὅτε τ' ἴδρις σωρὸν ἀμᾶται.* Cfr. etiam Plaut. Trucul. 868: *Cogitato, mus pusillus quam sit sapiens bestia.* Maior codicum pars habet *patiens* i. e. parca, paucis vel vilibus cibis contenta, non patienter exspectans, donec denuo prorepere possit; sed praestat optimi cod. lectio. — *neque f. aestus--neque hiems*] Anonymus ap. Sext. Empir. 11, 122: *Κέρδαιν' ἑταῖρε καὶ θέρους καὶ χειμῶνος.* — *ignis, mare, ferrum*] Est tamquam proverbium, ut Sat. 1, 4, 29. Ep. 1, 1, 46. Od. 3, 24, 36. Ovid. Met. 8, 76: *ire per ignes, Per gladios ausim.* Eurip. Phoen. 521: *Πρὸς ταῦτ' ἴτω μὲν πῦρ, ἴτω δὲ φάσγανα.* — *alter*] ut Graeci *ὁ πλησίον*, „quicumque tibi proximus est et quocum te comparas.“

41. 42. *Quid iuvat* cet.] „At illa sapiens, ut est, suo tempore utitur ante quaesitis, cum tu non, ut aeque sapienter partis fruaris, quaestui operam des, sed tantummodo, ut plus habeas quam ceteri omnes. Verum, quaeso, quid te iuvat cet.“ — *Eurtim defossa*]

Furtim defossa timidum deponere terra?
Quod si comminuas, vilem redigatur ad assem.
At ni id fit, quid habet pulchri constructus acervus?
Milia frumenti tua triverit area centum, 45
Non tuus hoc capiet venter plus ac meus; ut si
Reticulum panis venalis inter onusto
Forte vehas umero, nihilo plus accipias quam
Qui nil portarit. Vel dic, quid referat intra
Naturae finis viventi, iugera centum an 50
Mille aret? At suave est ex magno tollere acervo.

46. *ac* Leidensis, Graevianus, Vossianus, Dessauiensis BR*φψλπ*; *quam* O*γ* Lipsiensis, Turicensis, Oberlinianus, Monacensis 14685, Gothanus.

„in altitudinem clam effossa, excavata.“ Verg. Ge. 3, 376: *Ipsi in defossis specubus secura sub alta Otia agunt terra.* Adv. *furtim* autem significat: „caventem, ne quis forte superveniens te, dum defodis, conspiciat“; plane ut sagae illae Sat. 1, 8, 42: *Utque lupi barbam -- Abdiderint furtim terris*, eadem cautione utentes.

43-48. *Quod si* cet.] „At si id auri pondus, inquit avarus, expendendo minuam, paulatim usque ad assem consumetur adeoque egenus atque inops fiam.“ Respondet poëta: „Verum nisi in necessarios usus quod opus est erogas, quid cet.“ — *Milia centum*] modiûm. — *triverit*] Verg. Ge. 1, 298: *Et medio tostas aestu terit area fruges.* Proprie fruges teruntur in area bobus vel equis ad tribulam trahamve iunctis. — Ceterum male olim tales enuntiationes, in quibus Graeci utuntur indicativo (Demosth. Olynth. 3, 18: *καὶ νῦν οὐ λέγει τις τὰ βέλτιστα· ἀνασταὰς ἄλλος εἰπάτω κτλ.*), pro interrogationibus habebant. Fritzsche ad Aristoph. Thesm. p. 49 hunc ipsum locum afferens: „Clarius hanc rem, quam Graeci, Latini docebunt scriptores; hi enim simplicem ponunt coniunctivum, opinionis indicem, non veritatis.“ — *hoc -- plus*] idem fere atque, „eo plus.“ — *ac meus*] i. e. *quam meus;* ut Epod. 12, 14 *minus ac me*; Sat. 1, 5, 5 *altius ac nos.* 6, 130. 10, 34. 59. 2, 3, 241. 270. Epod. 15, 5 *artius atque.* Sat. 1, 2, 22 *peius atque.* 2, 7, 96 *minus atque.* Conf. Dahl de partic. VT pg. 36. — *Reticulum panis*] Iuven. 12, 60. inter itineris instrumenta: *cum reticulis et pane et ventre lagenae.* Agmen *venalium* (servorum) tibi finge erum rus euntem vel iter facientem sequens; inter hos alii variis utensilibus onusti sunt, unus etiam in reticulo, quibus Itali pro saccis etiamnunc utuntur, panem portat, ne male coctus vel lapidosus alicubi emendus sit, cum interim symphoniaci, anagnostae, scribae, dispensatores, pincernae nihil umeris gestant, eadem tamen sub edendi tempora accipiunt diaria ac miser ille baiulus.

49—53. *referat -- viventi*] Cum triplex sit solita huius verbi constructio: *refert* absolute; *hoc refert*; *hoc mea, tua refert*; velut Sallust. Iug. 111: *faciendum aliquid, quod illorum magis quam sua rettulisse videretur;* singulari

Dum ex parvo nobis tantundem haurire relinquas,
Cur tua plus laudes cumeris granaria nostris?
Ut tibi si sit opus liquidi non amplius urna
Vel cyatho, et dicas: 'Magno de flumine mallem 55
Quam ex hoc fonticulo tantundem sumere.' Eo fit,
Plenior ut si quos delectet copia iusto,
Cum ripa simul avolsos ferat Aufidus acer.
At qui tantuli eget, quanto est opus, is neque limo
Turbatam haurit aquam neque vitam amittit in undis. 60
At bona pars hominum decepta cupidine falso
'Nil satis est', inquit, 'quia tanti quantum habeas sis.'

55. *mallem* B (*malle*) ObScdγ Goth., Lips., Dessauiensis, *malim* Graevianus, Vossianus, Leidensis R pr.m. φψλ prob. Bentl. — 59. *tantuli* ORγπ Oberlinianus, Dessauiensis, Monacensis E Graevianus, Vossianus, Lipsiensis, *tantulo eget* Leidensis, bcdpφψ¹uv, *tanto leget* B— *quantost* B *quantum est* cum paucis Lambini Bentl. — 61. *At* cod. Leidensis et Parisini 7973, 8213. *Ut* ceteri.

exemplo Plautus Truc. 394: *quoi rei te adsimulare retulit?* cum dativo rei; singulari item Horatius h. l. cum dativo personae. Itaque idem fere est quod *nihil ei differt.* — *Intra naturae fines vivere* est ex sententia Epicuri μηδενὸς τῶν ἀναγκαίων ἐνδεεῖς καθεστάναι (Diog. Laërt. 10, 20) et illud: τὸ μὲν φυσικὸν πᾶν εὐπόριστόν ἐστιν. (Ibid. 130). — *haurire relinquas*] „concedas, ut hauriamus." — *cumeris*] „*Cumeram* dicimus vas ingens vimineum, in quo frumenta conduntur, sicut ipse alibi (Ep. 1, 7, 30). Sive *cumerae* dicuntur vasa fictilia similia doliis, ubi frumentum suum reponebant agricolae. Tertio *cumerae* dicuntur vasa minora, quae capiunt quinque sive sex modios, quae lingua Sabinorum *trimodia* dicuntur." ACRON.

54-59. *liquidi*] „aquae", ut Ovid. Met. 5, 453: *loquentem Cum liquido mixta perfundit diva polenta,* et Graeci νᾶμα atque ὑγρόν. — *urna*, dimidia pars amphorae, XL. pondo; *cyathus*, duodecima pars sextarii. — *de flumine*] Nota praepositionum oppositionem: *de* summo flumine facile, quam *ex* imo fonticulo aegre. — *mallem*] Sic recte cod. plerique et probavit Hand ad Wopkens p. 269: „non falsum est quod damnat Heindorfius *mallem.* Nam *dicas* et *mallem* non cohaerent constructione, et *mallem* significat: „Si fieri potest seu posset" (quo certe non affirmatur, id fieri non posse), „optarem potius" cet. — Sequente veluti apologo Aesopio in γνώμην tamen cum imagine contracto significat summa pericula iis instare, qui immoderatis cupiditatibus se dediderint. — Aufidum *violentem* (Od. 3, 30, 10), *longe sonantem* (Od. 4, 9, 2), patrium flumen, libenter commemorat. — *neque vitam amittit in undis*] ut fit, si e flumine aquam haurias; sine imagine: „molestiis illis ac sollicitudinibus caret, quae nimias opes comitari solent, neque periculis cum subita fortunae mutatione coniunctis expositus est."

61-64. *bona pars*] Lucret. 5,

Quid facias illi? Iubeas miserum esse, libenter
Quatenus id facit; ut quidam memoratur Athenis
Sordidus ac dives populi contemnere voces 65
Sic solitus: 'Populus me sibilat; at mihi plaudo
Ipse domi, simul ac nummos contemplor in arca.'
Tantalus a labris sitiens fugientia captat

63. *miseram* Marcilii et Bentleii coni. *esse libenter*, *Quatenus* Bentleius.

1025 *bona magnaque pars.* Ars poët. 297. — *falso*] V. *cupido* apud Horatium semper masc. v. ad Od. 2, 16, 15. — *tanti quantum habeas*] Haec verba referunt antiquam illam γνώμην in Eryxia p. 396 C: ἂν μέν τι ἔχῃς, ἄξιός του εἶ, ἐὰν δὲ μή, οὐδενός. Plut. περὶ φιλοπλουτίας c. 7. p. 526 C: Κέρδαινε καὶ φείδου καὶ τοσούτου νόμιζε σεαυτὸν ἄξιον, ὅσον ἂν ἔχῃς. Lucil. frgm. 10 Lchm. [II. 15 L. M.] *aurum atque ambitio specimen virtutis utrique est, quantum habeas, tanti ipse sies tantique habeare.* Seneca Ep. 115 ex Tragico Graeco: *Ubique tanti quisque, quantum habuit, fuit.* — *Quid facias illi*] non *bonae parti*, sed „homini eiusmodi, qui loquens inducitur." *Τί χρήσει τούτῳ*; Cic. p. Caec. 31: *Quid huic tu homini facias?* Contra p. Sest. 29: *Quid hoc homine facias?* Recte igitur *miserum.* — Male olim adv. *libenter* iungebant cum verbis *miserum esse*; rectius trahitur ad sequentia: „quandoquidem eum delectat miserum esse." — *quatenus* non est h. l. „quamdiu, donec", ut volt ACRON, sed ex prima significatione „usque ad quem finem et loci et temporis" (Cic. Phil. 14, 14: *quatenus* istos fasces *haberem?*) accipit notionem causalem = *quoniam.* Cf. Od. 3, 24, 30. Sat. 1, 3, 76. — *id facit*] „miser est." Haec v. *facere* significatio generalis est ut apud Munatium Plancum (Cic. ad Fam. 10, 18, 2): *Cautius illud erat consilium exspectare me ad Isaram, dum Brutus traiceret exercitum, et cum collega consentiente, sicut milites faciunt, hostibus obviam ire*; ubi verba *sicut milites faciunt*, significant: „sicut etiam milites consentiunt."

64-67. *quidam - Athenis*] Mire Atheniensem hunc Romanum fuisse volunt nobilem, quem Horatius propter nescio quem timorem apertius describere ausus non sit. Immo exemplum istud sordidae indolentiae (ἀναισθησίας), in qua ipsa, praesertim cum populi contemptu iuncta, inest miseria, videtur ex iis fuisse, quae in scholis philosophorum memorari solerent. Et sic saepe *οἱ ἠθικοί.* Plut. de Cupid. divit. 5: *Βυζάντιόν τινα λέγουσι κτλ.* Ep. 2, 2, 128: *Fuit haud ignobilis Argis* cet.

68-72. *Tantalus*] Versus heroicus, fortasse ex poëta aliquo desumptus vel leviter immutatus. Cf. Ovid. Met. 10, 41: *nec Tantalus undam captavit refugam.* — Am. 2, 2, 43: *et poma fugacia captat Tantalus.* Pergere parabat *corrector* Horatius: „Huic Tantalo tu prorsus similis es." Sed avari risu interpellatur, quasi dicentis: „A, probe novi, quo rem deducturus sis, ut fabula illa a sapientiae magistris iam sescenties decantata me reprehendas; verum *occidit miseros crambe repetita* auditores." Cui poëta: „Re vera illud volui, quoniam aptior imago tuae perversitatis reperiri vix poterat; ve-

Flumina. Quid rides? mutato nomine de te
Fabula narratur: congestis undique saccis 70
Indormis inhians, et tamquam parcere sacris
Cogeris aut pictis tamquam gaudere tabellis.
Nescis quo valeat nummus, quem praebeat usum?
Panis ematur, olus, vini sextarius, adde
Quis humana sibi doleat natura negatis. 75
An vigilare metu exanimem, noctisque diesque
Formidare malos fures, incendia, servos,
Ne te compilent fugientes, hoc iuvat? Horum

rum missis fabulis iamdudum tritis ac prope anilibus Latine tecum loquar." Imago autem philosophis erat Tantalus hominis *μοχθοῦντος ἐπὶ χρησταῖς ἐλπίσι καὶ παραδοκίᾳ κέρδους τινός, εἶτα ἐκπίπτοντος αὐτῶν, ὅτε πρὸς τοῖς ἐλπιζομένοις γένηται καὶ πρὸ χειρῶν ἔχει τὸ ἀγαθόν.* Eustath. ad Hom. Od. λ 580. — *mutato nomine*] „alia est persona, res eadem." — *congestis undique*] „quos omni quaestus genere parasti." — *Indormis*] prorsus ut Verg. Georg. 2, 507: *Condit opes alius defossoque incubat auro;* remota imagine hoc dicit: „Semper anxie die noctuque arcam tuam custodis." Lucilius Sat. Lib. 6, 23. L. M. (v. 204 ed. Lchm.) *Bulgam et quidquid habet nummorum, secum habet ipse; Cum bulga cenat, dormit, lavit: omnis in unast Spes homini bulga: bulga haec devincta lacertost.* — *inhians*] „tamquam ore aperto captans, cupide appetens." — *sacris*] „quae ne contingere quidem nedum in usum quotidianum quidquam inde demere licet." Sat. 2, 3, 109: *Qui nummos aurumque recondit, nescius uti Compositis metuensque velut contingere sacrum.* — *pictis - - tabellis*] „quae nullum alium nisi visus sensum delectant." Cf. Ep. 1, 2, 52. 2, 1, 97. Tibull. 1, 3, 28.

73-79. *quo valeat*] „ad quid tibi parandum." *Quid valeat* minus apte significaret: „quanti aestimetur in commercio quotidiano." — *sextarius*] quantum viro temperanti in diem sufficit. — *Quis humana* cet.] „vestes, balneum, usus mulieris." SCHOL. Menander Mein. Fr. Com. IV. p. 156: *Τἀργύριον εἶναι, μειράκιόν, σοι φαίνεται Οὐ τῶν ἀναγκαίων καθ' ἡμέραν μόνον Τιμὴν παρασχεῖν δυνατόν, ἄρτων, ἀλφίτων, Ὄξους, ἐλαίου, μείζονος δ' ἄλλου τινός.* — *malos fures*] Wolfius comparavit *κακούργους κλῶπας* Herod. 1, 41. Sic Sat. 1, 6, 68: *mala lustra.* 2, 1, 56: *mala - - cicuta.* 2, 3, 135: *malis - - Furiis.* Est igitur „molestos ac detestabiles." *servos*] Arrian. Epict. 3, 26, 12: *περὶ τῶν δουλαρίων τρέμε, μὴ κλέψῃ, μὴ φύγῃ, μὴ ἀποθάνῃ.* — *compilent*] *Compilare aliquem* etiam in prosa or. Cic. de Or. 2, 268: *malui compilari quam venire.* Q. Cic. de pet. cons. 2, 8: *caupones omnes compilare.* — *fugientes*] duplex igitur damnum, et quod quae possunt secum auferunt et quod aufugiunt ipsi. — *pauperrimus - bonorum*] Eadem constructione Sat. 2, 3, 142: *Pauper - - argenti.* *Εἰρωνείαν* esse recte quidem, sed putide, significavit scriptor codicis B, pro *bonorum* exarans *malorum.* Illud sic explicandum est: „harum sollicitudinum ac molestiarum ex illis,

Semper ego optarim pauperrimus esse bonorum.
At si condoluit temptatum frigore corpus, 80
Aut alius casus lecto te adflixit, habes qui
Adsideat, fomenta paret, medicum roget, ut te
Suscitet ac gnatis reddat carisque propinquis?
Non uxor salvum te volt, non filius; omnes
Vicini oderunt, noti, pueri atque puellae. 85
Miraris, cum tu argento post omnia ponas,
Si nemo praestet quem non merearis amorem?
An si cognatos, nullo natura labore
Quos tibi dat, retinere velis servareque amicos,

79. *optarim* Leidensis, Graevianus, Vossianus, Lipsiensis, Dessauiensis Rφψλπu, *optarem* BbScpOEγ Gothanus pr. m., Oberlinianus. — 81. *adflixit* Cruquii codices, in his Blandinius antiquissimus, ceterique paene omnes; recep. Lambinus, Krüger, Dillenburger, Schütz, Holder (improbante O. Keller); *adfixit* Spy paucique alii Parisini, recep. Bentl., Orelli, Haupt, Vahlen, Eckstein. — 83. *ac reddat gnatis* codices plerique *ac gnatis* (vel *natis*) *reddat* tres Blandinii, Vossianus, Graevianus, Lipsiensis, Gothanus. — 88. *An—frenis?* codicum maior pars, etiam duo Blandinii; Bentl., Haupt ed. 1, Holder. *At—frenis* Leidensis, Vossianus, Graevianus, Gothanus, bcdφψλuv Meineke, Haupt ed. 2. 3. Vahlen, Orelli, Krüger. *Ac si* γ recepit Heindorf.

quae vos bona vocatis, semper orientium."

80-83. *condoluit*] „tactum est dolore," a v. *condolescere*, non *condolere*, quo verbo script. ecclesiastici utuntur. — *temptatum frigore*] „febri correptum," ut saepe v. *temptare* de morborum accessionibus. Sat. 2, 3, 163: *Negabit, quod latus aut renes morbo temptentur acuto.* Epist. 1, 6, 28: *si latus aut renes morbo temptantur acuto, Quaere fugam morbi.* Od. 1, 16, 23: *me quoque pectoris temptavit fervor.* — *adflixit*] quasi vi adhibita te imposuit; iocans rem auget, ut saepius in satiris: Ovid. Metam. 12, 139: *Cygnum vi multa vertit terraeque afflixit Achilles;* Cic. fam. 9, 11, 1: *eo casu quo sum gravissime adflictus;* Tac. hist. 1, 41: *imaginem solo adflixit;* id. ann. IV. 45: *saxo caput adflixit.* — *Adsideat*] Celsus 3, 4: *Unum illud est, quod semper, quod ubique servandum est, ut aegri vires subinde assidens medicus inspiciat.* — *Suscitet*] „efficiat, ut rursus e lectulo surgere possis," id est, „bonam valetudinem tibi restituat."

84-91. *Non uxor* cet.] „Immo nemo tui curam gerit." Similis locus est apud Dion. Chrys. Or. 17, p. 464. R. Cic. in Vatin. 39: *si te vicini, si affines, si tribules-oderunt,--si cognati respuunt* cet. id. Phil. 13, 45: *Omnes te di homines, summi medii infimi, cives peregrini, viri mulieres, liberi servi oderunt.* — *pueri atque puellae*] ex proverbii formula, ut Sat. 2, 3, 130. — *post omnia ponas*] Similiter dividitur *antepanere* a Cicerone de Offic. 3, 71: *malitia--mala bonis ponit ante.* — *nullo labore*] „nullo tuo sumptu, nulla adhibita largitione." — *servareque amicos*] Sat. 1, 3, 54: *Haec res et*

Infelix operam perdas, ut si quis asellum 90
In campo doceat parentem currere frenis?
Denique sit finis quaerendi, cumque habeas plus,
Pauperiem metuas minus et finire laborem
Incipias parto quod avebas, ne facias quod
Ummidius quidam. Non longa est fabula: dives 95
Ut metiretur nummos, ita sordidus, ut se

91. *In campo* plerique codices, in his Blandinii omnes; *In campum* Leidensis, Graevianus, Vossianus, Lipsiensis, Gothanus φψλ. — 95. *Ummidius* vel *Umidius* cod. plerique, etiam Charisii codex Bobiensis apud H. Keil II 14 (pg. 228); *Numidius* pauci, etiam *Diomedis* (pg. 394, 14 Keil) cod. — *quidam* cod., *qui tam* Bentl. coniecit.

iungit, iunctos et servat amicos. — *Infelix*] Ut μέλεος est interdum, „qui aliquid facit infeliciter," sic hoc loco non est *malus* ac prope *sceleratus*, nec vocativus, sed: „adeo ut ipse dolenter sentias, quam adversa fortuna utaris omnique careas successu in rationibus, quae tibi cum propinquis tuis intercedunt." Exempla huius significationis („stultus, perversus, et propterea ad finem suum non perveniens") adde ter apud Sophoclem ἄνολβος. Antig. 1026, 1265. Aiax 1156. — *asellum*] "an te putas ita operam perdere, si cognatos, quos tibi sine labore tuo natura tribuit, retinere volueris sive amicos servare, ut si qui velit asinum frenis regere, ut equi fungatur officio, et hoc videlicet de asino proverbium aut proverbialiter." Porphyr. *In Campo*] Martio, ut Od. 1, 8, 4. 9, 18. 3, 1, 11. saepe apud Ciceronem: in Cat. 1, 11. 2, 1. 4, 2 leg. agr. 2, 100. Muren. 44, pro Plancio 15.

92-94. *Denique*] „atque haec summa est praeceptorum meorum;" — *finis quaerendi*] Lucil. fragm. incert. 6 (ed. M., 1020a, 6 Lchm.): *Virtus, quaerendae finem re scire modumque.* — *cumque habeas plus*] „et quoniam plus habes quam eo tempore, quo egestatis metu opes quaerere incipiebas." — *ne facias*] i. e. „ne idem experiaris; ne idem tibi eveniat, quod Ummidio." Alii explicant: „ne inter perpetuum metum et cruciatum vivas, ut Ummidius ille, quem tamen vel maximae sollicitudines tutum non praestiterunt a miserrimo exitio.

95-100. *Ummidius*] Homo huius hominis, hospes L. Marcii Philippi, memoratur a Varrone R. R. 3, 3, 9 et alii Ummidii reperiuntur in Inscriptionibus. Mire acumen nescio quod quaesiverunt quidam in corrupto illo v. *Nummidius*, quasi vero significanter ita a *nummis* dicta esset persona aliqua ficta. — *Non longa est fabula*] His vv. occupat ac retinet avarum, ne forte propter longae narrationis taedium aufugiat. — *dives, 'Ut* cet.] „Is igitur, cum tam dives esset, ut metiretur nummos, ita tamen sordidus" cet. — *metiretur nummos*] Locutio proverbialis de maximis divitiis. Xenoph. Hellen. 3, 2, 27: *οἱ περὶ Ξενίαν τὸν λεγόμενον μεδίμνῳ ἀπομετρήσασθαι τὸ παρὰ τοῦ πατρὸς ἀργύριον.* Petron. Sat. 37: *Fortunata appellatur* (uxor Trimalchionis), *quae nummos modio metitur.* — *servo*] „quam servulos suos vestiebat" (tunica igitur pulla contentus erat); eadem constr. atque Ep. 2, 1, 197: *Spectaret populum ludis attentius ipsis*, id

Non umquam servo melius vestiret, ad usque
Supremum tempus, ne se penuria victus
Opprimeret, metuebat. At hunc liberta securi
Divisit medium, fortissima Tyndaridarum. 100
Quid mi igitur suades? 'Ut vivam Naevius aut sic
Ut Nomentanus?' Pergis pugnantia secum
Frontibus adversis componere. Non ego, avarum
Cum veto te fieri, vappam iubeo ac nebulonem.

101. *Naevius* codices paene omnes, in his etiam Blandinii; Haupt ed. 2. 3. Vahlen, Holder (O. Keller in Epileg. defendit). *Maenius* cum paucis codicibus Glareanus proposuit eumque secuti sunt ed. Bentl., (etsi in commentario scribit: melius itaque cum ceteris leges *Naevius*), Meineke, Haupt 1., Krüger (etiam ed. X a. 1882), Orelli. *aut sic* cod. plerique, *an sic* B Gothanus, *ac sic* Leidensis, Fr. A. Wolf.

est, „quam ludos;" non, ut alii interpretati sunt: „quam servus se vestit." — *ad usque*] Hac transpositione sive compositione primus, ut videtur, Catullus usus est: 4, 24 *hunc ad usque limpidum lacum*; post hunc Vergilius (Aen. 11, 262) et Horatius (vide Sat. 1, 5, 96), eosque secuti sunt scriptores. Cf. Neue Formenl. II² 701. — *securi Divisit medium*] ut Verg. Aen. 9, 750: *Et mediam ferro gemina inter tempora frontem Dividit.* — *fortissima Tyndaridarum*] „quae, altera Clytaemnestra (Iuven. 6, 657: *Mane Clytaemnestram nullus non vicus habebit.*), patronum eundemque virum suum, ob foedas patroni sordes in eum exasperata, atrocissime occidit; Nomen *Tyndaridarum*, quo proprie Tyndarei filii designantur, Castor et Pollux, omnes Tyndarei liberos, etiam filias complectitur, ut Helenam, Clytaemnestram, quae proprie *Tyndarides* vocantur. Anthol. Planud. 76: *Οἱ τρεῖς Τυνδαρίδαι, Κάστωρ, Ἑλένη, Πολυδεύκης.* Theocr. 18, 5: *Ἀνίκα Τυνδαριδᾶν κατεκλάξατο τὰν ἀγαπατὰν Μναστεύσας Ἑλένᾳν ὁ νεώτερος Ἀτρέος υἱός.* De diverso superlativi et genitivi genere conf. Hom. Il. X 139: *κίρκος-, ἐλαφρότατος πετεηνῶν.* Catull. 4, 1: *Phaselus ille--navium celerrimus.* Simillimus autem nostri locus est Sueton. Ner. 33: *Locusta venenariorum inclita.*

101—104. „ut vivit Naevius." Sic Epod. 1, 34: *Discinctus aut perdam* (ut) *nepos. Naevius* quis fuerit non magis constat, quam quem dicat v. 102 *Nomentanum*; recte igitur Bentleius: 'non Naevius pro *avaro* et Nomentanus pro *nepote* hic proponitur, ut sententia sit, utrum horum imitari me malis, sed uterque prodigus erat et nebulo, — sensus est: *video te nolle ut Ummidii more vivam*; *suadesne igitur ut in morem nepotis, Naevii aut Nomentani?*' — *Frontibus adversis*] Junge cum v. *componere*, non cum vv, *pugnantia secum.* „Non desinis contraria ita componere, ut e regione sibi opposita sint?" ut Graeci, *ἐκ διαμέτρου ἡμῖν οἱ βίοι (ἀντίθετοι).* Lucian, Catapl. 14. — *componere*] velut gladiatorum par. Sat. 1, 7, 20. — *Cum veto te fieri*] Contrahit haec: „Non cum avarum ego veto te fieri, propterea fieri te iubeo vappam." — *vappam - ac nebulonem*] Sat. 1, 2, 12: *Fufidius*

Est inter Tanaïn quiddam socerumque Viselli: 105
Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos ultra citraque nequit consistere rectum.
Illuc unde abii redeo, qui nemo, ut avarus,
Se probet ac potius laudet diversa sequentis,
Quodque aliena capella gerat distentius uber, 110
Tabescat, neque se maiori pauperiorum
Turbae comparet, hunc atque hunc superare laboret.
Sic festinanti semper locupletior obstat,
Ut, cum carceribus missos rapit ungula currus,

108. *redeo, qui nemo ut avarus* Bland. antiquissimus (Praeterea in Cruquii codice Carr. *qui* supra *ac* proximi versus positum est). Haupt, Vahlen, L. Müller. *nemon ut* BORESbcdγuv *ne non ut* Leidensis, Graevianus, Vossianus, Lipsiensis, Dessauiensis, Gothanus, Oberlinianus φψλπ, *nemo ut* unus Blandinus ed. Kirchner, Orelli, Holder et O. Keller. *nunc nemo ut* Ritschl, *cur nemo ut* Nipperdey.

vappae famam timet ac nebulonis. Plin. H. N. 14, 20, 25: *Vitium musto quibusdam in locis iterum sponte fervere, qua calamitate deperit sapor vappaeque accipit nomen, probrosum etiam hominum, cum degeneravit animus.*

105-107. *Tanaïn*] „Tanais spado fuit, ut quidam aiunt, Maecenatis libertus, ut nonnulli, L. Munatii Planci, Visellii socer autem herniosus.“ PORPHYR. — *Est modus* cet.] Lucan. 2, 380: *haec duri immota Catonis Secta fuit, servare modum finemque tenere.* — *denique*] Significat se hac sententia toti disputationi iam finem imponere. — *rectum*] Scriptor ad Herenn. 3, 3: *Rectum est, quod cum virtute et officio fit.*

108. 109. *Illuc*] Imitatur morem philosophorum, qui in ἐπιδείξεων moralium epilogis post digressiones variaque exempla earum caput repetere solebant. — *qui nemo, ut avarus, se probet*] ita scripsimus cum optimo cod., *qui* ut primo versu sed orat. indirecta; *ut* = utpote cf. ep. 1, 7, 41 *non est aptus equis Ithace locus, ut neque planis porrectus spatiis neque multae prodigus herbae* et saepe in prosa oratione, graece ὡς-ὥν. Sententia igitur est: 'iam eo redeo, unde digressus sum cum quaesivi, quomodo fiat ut homines *quippe qui avari sint*, diversa sequentes laudent. Ut supra v. 3 ex v. *nemo* sumendum est *unus quisque.*

110-116. *aliena capella g. distentius uber*] Proverbium, quo etiam Ovidius usus est (A. A. 1, 349 sq.), cum ait: *Fertilior seges est alienis semper in agris, Vicinumque pecus grandius uber habet. hunc atque hunc*] „ac primo superato, rursus sequentem.“ — *Sic festinanti* cet.] „Ei, qui sic ad divitias ampliores contendit, semper alius etiam locupletior in oculos incurrit atque molestus est.“ — *Ut, cum carceribus* cet.] Versus utique heroicus Kirchnero et Frankio videtur festiva parodia Vergiliani illius Ge. 1, 512: *Ut cum carceribus sese effudere quadrigae.* — *missos - - currus*] Ennius Ann. 88, V.: *veluti consul, cum mittere signum Volt omnes avidi spectant ad carceris oras, Quam mox emittat pictis*

Instat equis auriga suos vincentibus, illum 115
Praeteritum temnens extremos inter euntem.
Inde fit, ut raro, qui se vixisse beatum
Dicat et exacto contentus tempore vita
Cedat uti conviva satur, reperire queamus. —
Iam satis est. Ne me Crispini scrinia lippi 120
Compilasse putes, verbum non amplius addam.

SATIRA II.

Ambubaiarum collegia, pharmacopolae,

120. *lippum* e coniectura Bentleius.

faucibus currus. — *illum Praeteritum*] „aurigam," ut interpretatur Vossius, non „equum." Recte enim Funkhaenel: „Plurali numero usus esset poëta, si equos significasset; atque ipsa comparatio postulat, ut certantem aurigam intelligamus." — *temnens*] Haud raro hoc simplici verbo utuntur poëtae. Verg. Aen. 1, 542: *Si genus humanum et mortalia temnitis arma.* 6, 620: *Discite iustitiam moniti et non temnere divos.* In prosa oratione legitur apud Tacit. Hist. 3, 47.

117-121. *Inde fit* cet.] „Maxime propter insanum hoc ceteros divitiis superandi studium fit, ut tam raro inveniamus, qui reapse se beatum existimet." — *uti conviva satur*] Aristoteles apud Maxim. et Anton. p. 878: *Ἐκ τοῦ βίου κράτιστόν ἐστιν ἐξελθεῖν ὡς συμποσίου, μήτε διψῶντα, μήτε μεθύοντα.* Anonym. apud Stob. Gessneri Ed. Tigur. 1559. p. 19: *Ὥσπερ ἐκ συμποσίου ἀπαλλάττομαι οὐδὲν δυσχεραίνων, οὕτω καὶ ἐκ τοῦ βίου, ὅταν ἡ ὥρα ᾖ.* Lucret. 3, 938: *Cur non, ut plenus vitae conviva, recedis Aequo animoque capis securam, stulte, quietem?* — *Crispini*] 'Plotius Crispinus philosophiae studiosus fuit; idem et carmina scripsit, sed tam garrule, ut aretalogus diceretur.' Porphyrio. *Ineptum* vocat Sat. 1, 3, 138. Cfr. Sat. 1, 4, 14. 2, 7, 45. — *lippi*] cum ipse quoque Horatius interdum ex oculis laboraret (Sat. 1, 5, 30. 49), festiva in semet ipsum ironia usus videtur.

II. Satirae huius cardo vertitur in v. 24: *Dum vitant stulti vitia in contraria currunt*; cuius sententiae varia exempla cum proposuerit vv. 1-27, iam, ut eandem confirmet atque clarius illustret, transit ad deridendos matronarum moechos, amatores libertinarum domi suae degentium ac suo corpore quaestum suo pro lubitu facientium, adventores denique meretricum volgarium et a lenonibus interdum vel nutritarum (Iuven. 6, 320: *lenonum ancillas*), vel tantum sub noctem ad quaesticulum faciendum in cellis ab illis conductis exceptarum (Iuven. 6, 127: *lenone suas iam dimittente puellas*), atque ad triplicis huius generis scortatorum parem, etsi diversam stultitiam traducendam, ita tamen, ut iuvenes maximopere ab adulteriis cum matronis committendis dehortetur. Quo quidem in argumento non sine lasciva quadam petulantia liberius exspatiatur; quod etsi negari nequit, tamen ab iis, qui

Mendici, mimae, balatrones, hoc genus omne
Maestum ac sollicitum est cantoris morte Tigelli:
Quippe benignus erat. Contra hic, ne prodigus esse
Dicatur metuens, inopi dare nolit amico, 5
Frigus quo duramque famem propellere possit.
Hunc si perconteris, avi cur atque parentis
Praeclaram ingrata stringat malus ingluvie rem,

Sat. II. 6. *propellere* BEOSbcdγ Lipsiensis, Oberlinianus, Gothanus, Bentl. cum edit. plerisque *depellere* Rλπφψuv, Graevianus, Vossianus, Leidensis, Harleianus, Dessauiensis.

Plauti, Lucilii, Catulli similes iocos meminerint, reprehendi non debet. Quo tempore haec satira scripta sit, exploratum non est, nisi quod ante amicitiam cum Maecenate iunctam videtur composita esse.

1. *Ambubaiarum*] „Ambubaias nonnulli putant tibicines Syra lingua dici.“ Porphyr. Cum *scortis* consociantur apud Sueton. Ner. 27. Iuvenal. 3, 62 sq.: *iam pridem Syrus in Tiberim defluxit Orontes Et linguam et mores et cum tibicine chordas Obliquas nec non gentilia tympana secum Vexit et ad circum iussas prostare puellas.* Conf. Friedländer Sittengesch. III[5] pg. 304 sq. — *collegia*] iocose, quasi harum muliercularum greges, quibus praeerant lenones, essent ex iis collegiis s. sodaliciis *QVIBVS*, ut est in titulis nonnullis, (4075 Or.) *EX S. C. COIRE LICEBAT.* — *pharmacopolae*] circulatorum genus, de quo Cato apud Gell. 1, 15, 9: *itaque* (M. Caelium) *auditis, non auscultatis, tamquam pharmacopolam; nam eius verba audiuntur, verum se nemo committit ei, si aeger est.* — *Mendici*] Videntur harioli, Isiaci, Galli (Cybelae sacerdotes, *μητραγύρται*), fortasse etiam Iudaei. Iuven. 6, 543; *Arcanam Iudaea tremens mendicat in aurem Interpres legum Solymarum* cet. — *mimae*] „mulierculae gesticulariae in mimis et saltatriculae,“ ut est ap. Gell. 1, 5, 3. — *balatrones*] „Balatrones et blateas bullas luti ex itineribus, aut quod de calceamentorum soleis eraditur, appellabant.“ FESTUS. — *sollicitum*] propter quaesticulum imminutum. — *Tigelli*] „M. Tigellius Hermogenes musicae artis scientia praeditus C. Caesari dictatori fuit familiaris, postea Cleopatrae, quia dulciter canebat et iocabatur urbane. Augusto quoque ita placuit, ut inter familiares domesticos haberetur.“ Porphyr. De eodem Cic. ep. ad fam. 7, 24, 2; ad Att. 13, 49 sq. Alius Tigellius hoc aetate inferior commemoratur Sat. 1, 3, 129. 4, 72. — *benignus*] *ἀκυρολογία*. Non enim benignus erat, sed prodigus. Verum hoc dicit ex illorum persuasione, quibus propter dona in eos collata benignus videbatur.

6-12. *propellere*] in pr. orat. frequentius *depellere*, quod gloss. a nonnullis vero substitutum est, iam apud Schol. Iuv. 14, 273. *Frigus* et *famem propulsare* dixerunt Cic. de Fin. 4, 69. Tac. Ann. 14, 24. — *ingrata*] non „taetra, foeda,“ sed quae numquam satiatur, numquam acceptis contenta est.“ Lucret. 3, 1003: *Deinde animi ingratam naturam pascere semper, Atque explere bonis rebus satiareque numquam* cet. — *stringat*] „avide devoret adeoque consumat.“ „Sumpta metaphora a ramis, quos strin-

Omnia conductis coëmens obsonia nummis:
Sordidus atque animi quod parvi nolit haberi, 10
Respondet. Laudatur ab his, culpatur ab illis.
Fufidius vappae famam timet ac nebulonis,
Dives agris, dives positis in fenore nummis:
Quinas hic capiti mercedes exsecat, atque
Quanto perditior quisque est, tanto acrius urget; 15
Nomina sectatur modo sumpta veste virili
Sub patribus duris tironum. 'Maxime' quis non,
'Iuppiter!' exclamat, simul atque audivit? 'At in se
Pro quaestu sumptum facit hic.' Vix credere possis,

12. *Fufidius* vel *Fusidius* cod. plerique. *Futidius* Blandin. antiquissimus, B, Gothanus. — 13. *Dives—nummis* hunc versum ut glossema sequenti versui ex arte poet. v. 421 adscriptum Sanadonus Lachmann, Meineke, Haupt, L. Müller, Lehrs alii eiciendum censuerunt; ut genuinum servaverunt Heindorf, Orelli, Eckstein, Vahlen. — 18. *exclamat* cod. plerique, *exclamet* Graevianus, Vossianus, S. — *in se* cod. paene omnes *ipse* π Lips.

gimus, quando illos nudamus foliis." COMM. CRUQ. Est igitur h. l. idem ac *destringere*. — *malus*] pravus et nequam, ἄσωτος. — *ingluvie*] pr. *προηγορεὼν (Kropf)* avium. — *conductis*] Proprie de operibus publicis et privatis dicitur, raro de pecunia fenori sumpta, ut hic et Iuven. 11, 46. — *ab his*] aeque prodigis. — *Fufidius*] fenerator ignotus, nisi vero est Fufidius, eques Romanus ornatissimus et negotiator apud Cic. in Pis. 86. — *voppae--ac nebulonis*] Cfr. Sat. 1, 1, 104.

14-22. *Quinas--mercedes*] usuram solitam, id est, singulis mensibus centesimam (12 *Procent*) quintuplicatam (60 *Procent*). Iuvenal. 9, 6: *Crepereius Pollio, qui triplicem usuram* (36 *Procent*) *praestare paratus Circuit et fatuos non invenit.* Cfr. Cic. Verr. 3, 165: *pensitaritne tibi* (pecunia publica) *binas centesimas* (24 *Procent*)? — *capiti*] sorti, summae in fenore positae. — *exsecat*] „extorquet, extundit, exprimit; — *tanto acrius urget*] „Tanto gravioribus usuris onerat unum quemque, quanto intellexerit eum negligentius res suas agere et luxuriosius vivere;" ut, si quando sors tota aut ex parte perdenda sit, magnas saltem centesimas per tempus ad omne damnum resarciendum sufficiens inde percipiat. — *nomina*] vox propria de syngraphis, quae tabulis inscribuntur. — *sectatur*] „studiose venatur, quaerit adolescentes circiter XVI. annorum, quibus patres parci et severi non satis pecuniae ad sumptus faciendos praebent, hisque illicito modo et suo cum periculo pecuniam fenori dat vel in mortem parentum vel donec lege Laetoria, quae vetabat minorem annis XXV. stipulari, soluti essent." Tabulas conficere et syngraphas cum quoquam facere is, qui in patris potestate erat, non poterat. Cic. pro Cael. 17. — *tironum*] Toga pura *(veste virili)* sumpta pueri a patre in forum deducebantur tirones. Suet. Ner. 7: (Nero) *deductus in forum*

Quam sibi non sit amicus, ita ut pater ille, Terenti 20
Fabula quem miserum gnato vixisse fugato
Inducit, non se peius cruciaverit atque hic.
Si quis nunc quaerat 'Quo res haec pertinet?', illuc:
Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt.
Maltinus tunicis demissis ambulat; est qui 25
Inguen ad obscenum subductis usque facetus;
Pastillos Rufillus olet, Gargonius hircum.

25. *Maltinus* Βφψλυν Leidensis, Gothanus; *Malthinus* Graevianus Vossianus, Dessauiensis RSπ. *Malchinus* Oγ Lipsiensis, Oberlinianus.

tiro populo congiarium, militi donativum proposuit. — *Pro quaestu*] „ratione quaestus habita," — *sibi non sit amicus*] „ut qui perpetuo genium suum defraudet." — *pater ille, Terenti* cet.] Menedemus in Terentii *Ἑαυτὸν τιμωρουμένῳ*, cuius ob severitatem Clinia filius in Asiam militatum profectus erat.

23-26. *Quo r. h. pertinet?*] „His omnibus in medium prolatis quid tandem tibi vis?" — *Maltinus*] Sic cum codd. scribendum videtur, ut *Maltinus* est Manlii cos. cognomen apud Iustinum 38, 3 et in Trogi Prologo 38., a *malta*, quod voc. per iocum pro homine molli atque effeminato usurpabant. Lucil. 627 Lchm., 27, 38 L. M. *Insanum vocant, quem maltam ac feminam dici vident.* Hic Maltinus aliunde notus non est. Nam quod Porphyrion affert: „sub Maltini nomine quidam Maecenatem suspicantur significari," egregie refutavit Madvig Opusc. I. pag. 64 seq.: „Sane scurrilis et ab Horatii Maecenatisque coniunctione alienissima esset talis sub ficto nomine Maecenatis irrisio." Atque ut concedamus hanc satiram eo tempore scriptam esse, quo ignotus etiamtum Maecenati ac fortasse propter studia partium ab eo aversus erat, sane, totum cum librum ederet, hunc versum, si Maecenatem offendere poterat, mutasset aut oblitterasset. — *tunicis demissis*] Plaut. Poen. 5, 5, 24: *Sane genus hoc muliebrosum est tunicis demissiciis.* „*Demissiciae tunicae* sunt, quibus homines molles ad crura a frigore defendenda utebantur contra veterem Romanorum morem." MADVIG. Hinc in luxuriae signis haec coniungit Seneca Controv. 2, 14: *quod unguento coma madet, tuum est; quod laxior usque in pedes tunica demittitur, tuum est.* Differunt proprie *tunicae solutae,* quibus *Maecenas distinctus in urbe semper incessit* (Seneca Ep. 114), etsi utrumque saepe coniunctum erat. — *ambulat*] superbo incessu, ut Epod. 4, 5. — *subductis*] Quintil. 11, 3, 138: *Cui lati clavi ius non erit, ita cingatur, ut tunicae prioribus oris infra genua paulum, posterioribus ad medios poplites usque perveniant. Nam infra mulierum est, supra centurionum.* — *facetus*] „hoc ipso indecoro habitu putans se eleganter esse vestitum." *Facetus et elegans* haud raro componuntur.

27. Hunc versum repetiit Horatius Sat. 1, 4, 92. — *Pastillos*] Martial. 1, 87, 1: *Ne gravis hesterno fragres, Fescennia, vino, Pastillos Cosmi luxuriosa voras.* Seneca Ep. 86: *Descripturus infamem et nimiis notabilem deliciis Horatius Flaccus quid ait? Pastillos Rufillus olet.* — *Rufillus-Gargonius*] Homines fuerunt non infimae plebis, quoniam poëta

Nil medium est. Sunt qui nolint tetigisse nisi illas,
Quarum subsuta talos tegat instita veste:
Contra alius nullam nisi olenti in fornice stantem. 30
Quidam notus homo cum exiret fornice, 'Macte
Virtute esto,' inquit sententia dia Catonis.
'Nam simul ac venas inflavit taetra libido,
Huc iuvenes aequum est descendere, non alienas
Permolere uxores.' 'Nolim laudarier,' inquit, 35
'Sic me,' mirator cunni Cupiennius albi.

33. *taetra* cod. et ed. paene omnes. *tecta* B, defendit ac recepit L. Müller, prob. G. Krüger.

propter istam eorum irrisionem in aliorum reprehensionem atque invidiam incucurrit. (Sat. 1, 4, 91 sqq.) — *hircum*] foedum alarum odorem.

28-36. *Nil medium est*] „Nemo τὸ μέσον inter duo vitia servat." — *tetigisse*] A. P. 455: *Vesanum tetigisse timent fugiuntque poëtam.* — *subsuta*] Non videtur hypallage, sed proprie locutus est; nam extremus stolae margo subsuitur institae. — *instita*] fasciola fimbriata in ima stola matronarum, cum libertinae *tunica* uterentur. Ovid. A. A. 1, 31: *Este procul vittae tenues, insigne pudoris, quaeque tegis medios, institа longa, pedes.* „Quia matronae stola utuntur ad imos usque pedes demissa, cuius imam partem ambit *institа subsuta*, id est, coniuncta." „Instita autem dicitur περιπόδιον, quod stolae subsuebatur, qua matronae utebantur; erat enim tenuissima fasciola, quae praetextae" (potius tunicae superiori) „adiciebatur." ACRON. — *olenti in fornice stantem*] „prostantem adventoresque exspectantem in *calido lupanari.* (Iuven. 6, 121.) Vibius Rufus Sen. Contr. 1, 2: *Redoles adhuc fuliginem fornicis.* Iuven. 11, 170: *nudum olido stans Fornice mancipium.* In vv. *fornice stantem* littera *e* non producitur ante duas consonas *st*, nec magis v. 71. Sat. 1, 3, 44. Sat. 1, 5, 35; numquam enim Horatius positione inter duo vocabula utitur: de qua re vide L. Müller de re metrica Lat. pg. 319. — *Quidam notus*] „honesto loco ortus, non ignobilis." Lepida est Acronis narratiuncula: „Catone transeunte quidam exiit de fornice; quem cum fugeret, laudavit et revocavit. Postea cum frequentius eum exeuntem de eodem lupanari vidisset, dixisse fertur: *Adolescens, ego te laudavi, tamquam huc interdum venires, non tamquam hic habitares.*" — *sententia dia Catonis*] formula Luciliana: *Valeri sententia dia.* — *venas*] ut Pers. 6, 72: *morosa - - vena.* — *descendere*] Fornices isti erant cellae cameratae, in terram depressae. — *Permolere*] V. comicum de coitu, ut μύλλειν Theocr. 4, 58. Romanorum de tota hac re opinionem his verbis complexus est Plautus Curcul. v. 35: *Nemo ire quemquam publica prohibet via, Dum ne per fundum saeptum facias semitam, Dum ted abstineas nupta vidua virgine, Iuventute et pueris liberis; ama quod lubet.* — *laudarier*] Hac infinitivi forma antiqua utitur etiam infra v. 78. Sat. 2, 8, 67. Ep. 2, 1, 94. 2, 2, 148. — *cunni albi*] stola candida vestiebantur matronae, meretrices pulla. — *Cupiennius*] „C.

Audire est operae pretium, procedere recte
Qui moechis non voltis, ut omni parte laborent
Utque illis multo corrupta dolore voluptas,
Atque haec rara cadat dura inter saepe pericla. 40
Hic se praecipitem tecto dedit; ille flagellis
Ad mortem caesus; fugiens hic decidit acrem
Praedonum in turbam; dedit hic pro corpore nummos;
Hunc perminxerunt calones; quin etiam illud
Accidit, ut quidam testis caudamque salacem 45
Demeteret ferro. 'Iure,' omnes; Galba negabat.
Tutior at quanto merx est in classe secunda,
Libertinarum dico, Sallustius in quas

38. *moechis* codices plerique, *moechos* φ ψcorr., Leidensis, Bentl., Orelli, Haupt, Vahlen, L. Müller. — 45. *cuidam demeteret ferrum* Lambinus ex vetustis cod., Cruquius ex cod. vestigiis prob. Haupt, Vahlen; ceteri codices *quidam demeteret ferro*, *cuidam demeterent ferro* ex coniect. Barth, Bentley, Reisig. — 48. *in qua* ex cod. Regio Bentleius *in quas* cet.

Cupiennius Libo Cumanus, Augusti familiaritate clarus, corporis sui diligentissimus, fuit sectator matronarum concubitus." PORPH.

37—46. *Audire* cet.] „Urbane abutitur Ennianis (Ann. 454 V.) versibus: *Audire est operae pretium, procedere recte Qui rem Romanam Latiumque augescere voltis.*" PORPH. — *Atque haec rara, cadat*] „contingat, et ea quidem rara." — *ille flagellis*] „Hoc de C. Sallustio videtur dici, qui deprehensus ab Annio Milone in adulterio Faustae, Sullae Felicis filiae, uxoris eius, flagellis caesus est." PORPHYR. — *Praedonum*] „nocturnorum per Urbem grassatorum." — *pro corpore*] „ne testes ei abscinderentur, poenam pecunia redemit." PORPH. Cf. Sat. 2, 2, 65 sq. — *perminxerunt*] „stupraverunt." PORPH. Contumeliae causa eum stuprare iussi sunt ab adulterae marito." — *Calones* h. l., qui Ep. 1, 14, 14 *mediastini*, servi viliores. — *quidam -- Demeteret ferro*] supple, quod per se intelligitur, „adultero." — *Iure*] Est formula iudicialis: *iure caesum videri.* Sic h. l. „iure ac merito eum castratum esse omnes aiebant." — *Galba negabat*] Servium Galbam iuris consultum vocat Porphyrio. Alii pro eo habent, cuius est epistola apud Cic. ad Fam. 10, 30.

47-54. *in classe secunda*] Festive institutum illud Ser. Tullii, ex quo populus Romanus in quinque classes descriptus erat, ad libertinas transfert. — *Sallustius*] Probabiliter est nepos sororis Sallustii historici ab hoc adoptatus, ad quem aliquot annis post scripsit Od. 2, 2. De eo confer Tacit. Ann. 1, 6. 3, 30. Fuit post Maecenatis mortem particeps secretorum Augusti. Is h. l. adolescens, ut erant plerique, quos per priores satiras vellicat, insanisse in libertinas, magnam pecuniam in eas insum-

Non minus insanit, quam qui moechatur. At hic si,
Qua res, qua ratio suaderet quaque modeste 50
Munifico esse licet, vellet bonus atque benignus
Esse, daret quantum satis esset, nec sibi damno
Dedecorique foret. Verum hoc se amplectitur uno,
Hoc amat et laudat: 'Matronam nullam ego tango.'
Ut quondam Marsaeus, amator Originis ille, 55
Qui patrium mimae donat fundumque laremque,
'Nil fuerit mi, inquit, cum uxoribus umquam alienis.'
Verum est cum mimis, est cum meretricibus, unde
Fama malum gravius quam res trahit. An tibi abunde
Personam satis est, non illud, quidquid ubique 60
Officit, evitare? Bonam deperdere famam,
Rem patris oblimare, malum est ubicumque. Quid inter

51. *Munificum* Leidensis, Graevianus, Vossianus φψλπ m. pr. duo Cruquii, *munifico* plerique, in his Bland. antiquissimus.

psisse, dicitur. — *At hic*] „At hic ipse Sallustius, si vellet pro re sua familiari et ut iubet ratio munificus esse in amicos inopes, meritum honorem sibi pareret, quin eodem tempore etiam libertinis, quibuscum consuevit, quantum sufficit dare posset, non tamen donis eas onerans; verum mira stultitia abreptus, qua prorsus ridiculum se reddit, veluti virtute sua gloriatur, quod matronam nullam corrumpat" cet. — *hoc se amplectitur uno*] „hoc solo sibi blanditur." ACR. — *Hoc amat*] Est potius ablativus „propter hoc se amat, φίλαυτός ἐστι, propter hoc se laudat;" quam accusativus. Sic Sat. 2, 7, 31: *ita te felicem dicis amasque* (te.)

55-63. *Marsaeus*] homo ignotus. — *Originis*] „Romae fuerunt (eodem tempore, circiter a. u. c. 710) tres meretrices nobilissimae, Origo, Lycoris et Arbuscula." COMM. CRUQ. Lycoridem Vergilii, vero nomine Cytheridem, Antonii et Cornelii Galli amicam fuisse dicit Servius ad Ecl. 10, 2. — *donat*] H. l. in propositione relativa praesens pro perfecto, ut alibi in narrationibus directis. Vide omnino ad Sat. 1, 6, 13. Madvigii disputationem. Etenim alii pro praeteriti syncopa male habent. — *Nil fuerit mi* cet.] Manifesto Marsaei sunt verba, non Sallustii, qui sic idem bis diceret. — *Verum est* cet.] „At", respondet Horatius, „res tibi est cum mimis et meretricibus, e quarum amore graviora etiam famae quam rei familiaris damna oriuntur." — *trahit*] „sibi contrahit." — *Personam*] „conditionem ac statum alicuius", h. l. matronae. — *ubique*] „in quacunque persona peccas." — *oblimare*] Ut illuvies pingue pratum *limo* obducit atque sterile reddit, sic patrimonium a prodigo consumitur. — *Quid inter Est*] ad culpam. „Negat interesse quidquam, utrum quis in matrona an in ancilla an etiam in adultera delinquat, secutus opinionem Stoicorum, qui omnia peccata paria esse dicunt."

Est in matrona, ancilla peccesne togata?
Villius in Fausta Sullae gener, hoc miser uno
Nomine deceptus, poenas dedit usque superque 65
Quam satis est, pugnis caesus ferroque petitus,
Exclusus fore, cum Longarenus foret intus.
Huic si mutonis verbis mala tanta videnti
Diceret haec animus: 'Quid vis tibi? numquid ego a te
Magno prognatum deposco consule cunnum 70
Velatumque stola, mea cum conferbuit ira?'
Quid responderet? 'Magno patre nata puella est.'
At quanto meliora monet pugnantiaque istis
Dives opis natura suae, tu si modo recte

63. *peccesve* Bland. antiquissimus ceterique paene omnes; ed. Fritzsche, Holder (improb. O. Kellero); *peccesne* ex cod. perpaucis Bentleius, Haupt, Vahlen cum plerisque. — 68. *videnti* codices paene omnes; *videntis* perpauci deteriores, Orelli.

PORPH. — *ancilla--togata*] Ita iunge, ut duae dumtaxat sint personae, non tres, ut cum Scholiastis volt Bentleius. Etenim per totam satiram de *ancillis* proprie dictis nusquam loquitur. Sic autem contemptim vocat libertinas, quae tunica et toga pro matronarum stola et palla vestiebantur. — *peccesne*] „bonam famam perdendo, rem familiarem oblimando.“ v. Od. 1, 27, 17. Construe: nil interest in matrona pecces ancillane togata. De collocatione particulae *ne* confer ad Od. I 30, 6. *ancillae togatae* sunt libertinae. Codicum optimorum lectionem propter constantem omnium scriptorum usum h. l. spernendam esse censuimus.

64-79. Iam nimia in rebus venereis cupiditate in universum vituperata pergit ad moechos acerbissime castigandos et a matronis sectandis deterrendos. — *Villius*] fortasse Sex. Villius (Annalis), Milonis familiaris. (Cic. ad Fam. 2, 6, 1) — *in Fausta Sullae gener*] Ut hic *Villius in Fausta S. gener*, sic Tac. Ann. 3, 24: *D. Silanus in nepti Augusti adulter.* — *hoc m. uno Nomine deceptus*] „illectus ad stuprandam Faustam, ut gloriari posset sibi rem esse cum dictatoris filia.“ — *usque*] „usque eo quod satis esset.“ — *Exclusus fore*] ἀποκεκλεισμένος τῶν πυλῶν. Aristoph. Lys. 423. — *Longarenus*] alius moechus Faustae, quem illa tunc Villio praeferebat. Huic autem excluso Longarenus per grassatores nocturnas insidias tetenderat. — *mutonis*] προσωποποιΐα admodum ridicula, qua peni ipsi oculi, quibus viderit mala illa, cum Villius pugnis caederetur ferroque peteretur, et verba tribuuntur. „Sapientior est pars libidinosa domino suo.“ GESN. — *Diceret haec animus*] „Si animus cum eo muttonis causam sic ageret.“ — *Quid vis tibi?*] Formula est reprehensionis cum admiratione coniunctae. Cic. de Orat. 2, 269 et Propert. 1, 53: *Quid tibi vis, insane?* — *stola*] Vid. ad v. 63. — *ira*] „furor libidinis, tentigo, prurigo.“ — *puella*] de adolescentula nupta, ut saepe. Vid. Od. 3, 14, 10. — *istis*] „nugis, quas tu profers.“ — *opis*] non „auxilii“,

Dispensare velis ac non fugienda petendis 75
Immiscere. Tuo vitio rerumne labores,
Nil referre putas? Quare, ne paeniteat te,
Desine matronas sectarier, unde laboris
Plus haurire mali est quam ex re decerpere fructus.
Nec magis huic inter niveos viridisque lapillos — 80
Sit licet hoc, Cerinthe, tuum — tenerum est femur aut crus
Rectius, atque etiam melius persaepe togatae est.
Adde huc, quod mercem sine fucis gestat, aperte
Quod venale habet ostendit, neque, si quid honesti est,
Iactat habetque palam, quaerit quo turpia celet. 85

78. *matronas sectarier* Graevianus, Vossianus, Lipsiensis, Dessauiensis ERv *sectari matronas* BOγφψλu Leidensis, Oberlinianus, Gothanus. — 81. *Sit—tuum* codices plerique, in his Blandinii, *Sit licet hoc Cerinthe, tuo* Parisini 7973, 8213; rec. ex cod. nonnullis Bentley, prob. Meinekio. — 82. *togatae est* Blandinii prob. Bentleio *togatae* ceteri. — 84. *nec* B Gothanus, ceteri *neque.*

sed antique pro *opum*. Plaut. Capt. Prol. 15: *Vos qui potestis ope vostra censerier.* — *Dispensare*] quemadmodum in divite domo omnes res recte atque ordine a dispensatore administrantur. — *Tuo vitio rerumne* cet.] „Utrum propria tua culpa labores, an propter externam aliquam necessitatem, cui obniti non potes; illud autem longe peius magisque reprehendendum.“

80. 81. In notra lectione primum absolute ponuntur vv. *inter niveos viridisque lapillos*, prorsus ut apud Liv. 9, 17: *quem--inter purpuram atque aurum, oneratum fortunae apparatibus suae,--incruentus devicit;* iunguntur autem v. *Sit licet hoc, Cerinthe, tuum;* quod qui defenderunt varie interpretati sunt. Lambinus: „Licet ames matronas unionibus et gemmis collucentes;“ vel accuratius: „licet haec tua stultitia sit, ut ames divites matronas.“ Torrentius: „Hoc tibi permissum sit, hoc peculiare, ut inter gemmarum atque unionum fulgores cum matronis delicias facias.“ Videlicet ut Cerinthus homo vanus fuerit, qui splendido ornatu lapillisque pretiosis capi se pateretur. In qua explicatione nunc acquiescimus. Cerinthus autem Horatii idem fuisse atque ille, cuius amores celebravit Tibullus Lib. 2, 2 et Lib. 4, 2 sqq., non potest. Nam Horatianum floruisse circiter a. u. c. 715 necesse est, Tibulli Cerinthum a. u. c. 730, quibus XV. annis flos aetatis utique illi transierat.

84. 85. „Nec facit ut feminae nobiles, quae, si quid pulchri habent, hoc ostentant, anxie contra artes circumspiciunt, quibus naevos membrorumque deformitatem occultent.“ Particula enim *nec* cum ad vv. *Iactat habetque* pertinet, tum ad v. *quaerit.* „Coniunctio autem utriusque sententiae“ ut Handii verbis utamur Turs. l. p. 350 „ea est, qua duae res causae vel rationis nexu ita cohaerentes, ut in eo explicando adhiberi possit vel *quum* vel *si* [vel *dum*], aequo loco et ἐκ πα-

Regibus hic mos est: ubi equos mercantur, opertos
Inspiciunt, ne, si facies, ut saepe, decora
Molli fulta pede est, emptorem inducat hiantem,
Quod pulchrae clunes, breve quod caput, ardua cervix.
Hoc illi recte: ne corporis optima Lyncei 90
Contemplere oculis, Hypsaea caecior illa,
Quae mala sunt, spectes. 'O crus! o bracchia!' Verum
Depugis, nasuta, brevi latere ac pede longo est.
Matronae praeter faciem nil cernere possis,
Cetera, ni Catia est, demissa veste tegentis. 95
Si interdicta petes, vallo circumdata — nam te
Hoc facit insanum —, multae tibi tum officient res,

86. *Regibus* cod. omnes, *Thraecibus* A. Kiefsling, improbant Holder et O. Kellero (cfr. Epileg. pg. 440). — 88. *ducat* contra libros Bentleius, coll. Pers. 5, 176. — 90. *tu corporis*--*Contemplare*--*spectas* Bentl. coni., nisi quod B et Gothanus exhibent *Contemplare*. — *Lyncei* codex Bland. antiquissimus, Graevianus, Vossianus BRγ, *Lynceis* vel *Linceis* ceteri. — 97. *officient* cod. plerique in his Bland. antiquissimus *officiunt* Leidensis, Dessauiensis Sdbcφψλuv.

ραλλήλου componuntur." — *mercem sine fucis*] „corpus vanale sine lenocinio et externis ornamentis." — *honesti*] „pulchri", ut Verg. Ge. 2, 392: *Et quocunque deus circum caput egit honestum.*

86-95. *Regibus*] pro „divitibus." — *facies*] „universa corporis forma." — *molli fulta pede*] Intellige crura imbecilla et vitiosas ungulas. Sic Xenoph. de re eq. 1, 3 commendat in equis παχεῖς ὄνυχας, reprehendit λεπτούς. — *inducat*] „decipiat, fallat." — *hiantem*] „cupidum." GLOSS. — *Clunes*] feminino genere ut apud Celsum 7, 29, Plin. h. n. 8, 8, 26. 29, 6, 141; usitatius est genus masculinum. Cf. Neue Formenl. I ² 673. — *ardua*] Verg. Ge. 3, 79 de equo: *Illi ardua cervix Argutumque caput, — obesaque terga, Luxuriatque toris animosum pectus.* — *ne corporis* cet.] „Sic noli tu acriter contemplari atque admirari, quae pulchra sunt in muliere, caecutire in iis, quibus deformis est." — *Lyncei*] ut *Achillei, Oilei.* Pind. Nem. 10, 62: κείνου γὰρ ἐπιχθονίων πάντων γένετ' ὀξύτατον Ὄμμα. Cfr. Ep. 1, 1, 28. — *Hypsaea-illa*] „Platia (Plautia) Hypsaea vitiosos oculos habuisse dicitur, quam hic amare in transitu percussit." PORPH. — *caecior*--*spectes*] „omnino non spectes." Vid. ad Od. 3, 7, 21: *surdior*--*audit.* — *O crus*] matronae pulcherrimum! Philodemus in Anth. Pal. I. p. 120: Ὦ ποδός, ὦ κνήμης, ὦ τῶν ἀπόλωλα δικαίως Μηρῶν. — *Depugis*] (*lendenlos.* Voss.) ἅπαξ λεγόμενον. Simonides Amorg. 7, 76: Ἄπυγος, αὐτόκωλος· ἃ τάλας ἀνήρ, Ὅστις κακὸν τοιοῦτον ἀγκαλίζεται. — *nasuta*] ut *auritus*, „grandi naso." — *Catia*] „quae ob pulchritudinem crurum pudore neglecto alta veste utebatur. -- Haec autem adeo vilis fuit, ut in aede Veneris theatri Pompeiani adulterium cum Valerio Siculo colono, tribuno plebis, obducto velo commiserit." PORPH.

Custodes, lectica, ciniflones, parasitae,
Ad talos stola demissa et circumdata palla,
Plurima, quae invideant pure apparere tibi rem. 100
Altera, nil obstat: Cois tibi paene videre est
Ut nudam, ne crure malo, ne sit pede turpi;
Metiri possis oculo latus. An tibi mavis
Insidias fieri pretiumque avellier ante
Quam mercem ostendi? Leporem venator ut alta 105
In nive sectetur, positum sic tangere nolit,
Cantat et apponit: 'Meus est amor huic similis; nam

100. *Plurima, quae* codices et editores fere omnes, *Plurimaque* L. Müller.

98-100. *Custodes*] „spadones eam stipantes." — *lectica*] qua aulaeo operta per Urbis plateas gestatur. — *ciniflones*] „Ciniflones et cinerarii in eadem significatione apud veteres dicebantur ab officio calamistrorum in cinere calefaciendorum, quibus matronae capillos crispabant." PORHYR. Alii habent pro ancillis, ut Iuv. 6, 495: *Altera* (ancilla) -- *pectitque comas et volvit in orbem.* Sed voc. forma mascul. refert genus. — *parasitae*] clientae aliaeque feminae tenuiore loco ortae, quae cum matrona nobili versari solent et ab ea crebro invitantur. Egregie has describit Hieronymus ad Eustochium suam 22, 29 haec scribens: *Eas virgines et viduas, quae otiosae et curiosae domos circumeunt matronarum, quae rubore frontis attrito parasitos vincunt mimorum, quasi quasdam pestes abice.* — *palla*] *Stolae*, ut notum est, *palla* superiaciebatur, h. l. *circumdabatur.* — *Plurima*] „complura alia quoque"; est veluti ἀναφορὰ vv. *multae res.* — *rem*] „totius corporis formam."

101-110. *Altera* cet.] „Quod ad alteram (libertinam) attinet, nihil tibi obstat, quominus singula eius membra oculis examines; nam per vestem Coam (bombycinam sive sericam) pellucidam, qua induta est, paene ut nuda conspicitur, unde videre tibi licet, habeatne forsitan varum valgumve crus cet." — *Cois* cet.] Seneca de Benef. 7, 9: *Video sericas vestes, si vestes vocandae sunt, in quibus nihil est, quo defendi aut corpus aut denique pudor possit; quibus sumptis mulier parum liquido nudam se non esse iurabit. Hae ingenti summa ab ignotis etiam ad commercium gentibus arcessuntur, ut matronae nostrae ne adulteris quidem plus sui in cubiculo quam in publico ostendant.* — *Leporem* cet.] Expressit epigramma Callimachi 31 quod tum, ut videtur, pro scolio cantari solebat: Ὠγρευτής, Ἐπίκυδες, ἐν οὔρεσι πάντα λαγωὸν Διϊᾷ καὶ πάσης ἴχνια δορκαλίδος, Στίβῃ καὶ νιφετῷ κεχρημένος· ἦν δέ τις εἴπῃ, „Τῇ τόδε βέβληται θηρίον", οὐκ ἔλαβεν, Χὐμὸς ἔρως τοιόσδε· τὰ μὲν φεύγοντα διώκειν Οἶδε, τὰ δ' ἐν μέσσῳ κείμενα παρπέταται. — *positum sic*] „cum sagitta fixus, humi stratus iacet" „ipse eum non tangit, sed a servo aliquo tolli iubet." Iunge autem: „Cantat (matronarum sectator), citat cantilenam popularem, in qua est, quomodo venator sectetur leporem; cui imagini *apponit* (Od. 2, 5, 15), adiungit: *Meus est amor*

Transvolat in medio posita et fugientia captat.' —
Hiscine versiculis speras tibi posse dolores
Atque aestus curasque gravis e pectore tolli? 110
Nonne, cupidinibus statuat natura modum quem,
Quid latura; sibi quid sit dolitura negatum,
Quaerere plus prodest et inane abscindere soldo?
Num, tibi cum faucis urit sitis, aurea quaeris
Pocula? num esuriens fastidis omnia praeter 115
Pavonem rhombumque? Tument tibi cum inguina, num, si
Ancilla aut verna est praesto puer, impetus in quem
Continuo fiat, malis tentigine rumpi?
Non ego: namque parabilem amo venerem facilemque.
Illam 'Post paulo, sed pluris, si exierit vir' 120
Gallis, hanc Philodemus ait sibi, quae neque magno

110. *tolli* „omnium veterrimus Blandinius" ac Bernensis antiquissimus probantibus Bentleio, Hauptio, Vahleno, L. Müller; ceteri codices *pelli* rec. Orelli, Holder.

cet." Verg. Ecl. 6, 31: *Namque canebat, uti - - fuissent* cet. — *tolli*] Hanc lectionem optimorum codd. servavi; alii *pelli*, ut Od. 1, 7, 31: *nunc vino pellite curas*; ac sane *pectore pelli* allitteratio est Latinis auribus gratissima.

111-119. *Nonne* cet.] „Nonne satius est quaerere, quem finem cupiditatibus natura statuerit, quid toleraree possit, si denegetur, quid denegatum sustinere non possit? PORPHYR. — *inane abscindere soldo*] „inutilia ac vana ab utilibus et necessariis recidere ac separare." PORPHYR.; proprie „id, quod omni caret vero pretio, a solida sorte ab haud exigua pecuniae summa, scite distinguere, hanc praeferre, illud spernere atque abicere." — *soldo*] ut Sat. 2, 5, 65; item *caldior* pro *calidior* Sat. 1, 3, 53. — Totius loci sententia haec est: „Solitae illae nugae, quibus velut cantiunculis se oblectare ac decipere conantur amatores, re vera ad rectam beatamque vitam nihil iuvant; satius est profecto animi cupiditates ipsas tollere *Socraticis* illis *chartis*, quae modum, quem ipsa statuit natura, nobis monstrant et verum distinguere a falso docent. Ut autem natura ipsa eo ducimur, ut, cum sitis famesque nos cruciet, paratu facillimis quibusque contenti simus, ita etiam in rebus venereis versandum est; cur enim, cum ancilla vel puerulus praesto est, salaci prurigine diu nos cruciaremus?" — *Pavonem rhombumque*] cibos pretio magis etiam quam sapore insignes, quorum cupidos deridet Sat. 2, 2, 23 sqq. 48 sqq.

120-122. *Illam, Post paulo*] „illam, quae dicere solet, paulo post faciam tibi mei copiam, semperque hoc deludit amatorem." — *„Sed pluris*] „me vendere soleo; sed plus mihi numerari volo." — *Gallis*] „Illam castratis Cybelae sacerdotibus relinquendam esse censet, qui tam lentas ambages facile ac patienter ferre queant; sibi contra facilem optat in aliquo epigrammate Philodemus Gada-

Stet pretio neque cunctetur, cum est iussa venire.
Candida rectaque sit; munda hactenus, ut neque longa
Nec magis alba velit, quam dat natura, videri.
Haec ubi supposuit dextro corpus mihi laevum, 125
Ilia et Egeria est: do nomen quodlibet illi,
Nec vereor, ne, dum futuo, vir rure recurrat,
Ianua frangatur, latret canis, undique magno
Pulsa domus strepitu resonet, vepallida lecto
Desiliat mulier, miseram se conscia clamet, 130
Cruribus haec metuat, doti deprensa, egomet mi.
Discincta tunica fugiendum est ac pede nudo,

129. *vaepallida* vel *vepallida* cod. plerique *vel pallida* Lipsiensis, Bern. d, Parisini pauci *tuę pallida* BR *ne pallida* ex duobus cod. Bentl. *vae! pallida* Fea e cod. *resonet via, pallida* Th. Bergk coni.

renus, Epicureus;" cuius exstant epigrammata et libri de musica, de rhetorica aliique Herculani reperti. De eo Cicero, eius aequalis, in Pison. 70 dixit: *Poëma facit ita festivum, ita concinnum, ita elegans, nihil ut fieri possit argutius.* — *Hanc* Philodemus eam dixit, quam sibi praesentem esse finxerat: „*hanc*, quae nunc ipsum oculis meis obversatur, de qua nunc cogito." Cum vi quadam v. 125 pronomen repetitur: *Haec* cet. — *Stet*] „constet." Liv. 34, 50: *centum talentis eam rem Achaeis stetisse.*

123-129. *Candida*] Haec Horatio ipsi, non iam Philodemo esse tribuenda manifestum est. *Candida* autem, ut statim *alba*, imprimis de grato ac splendido faciei colore, nec pallido nec nimis rubro. — *recta*] Catull. 86, 1: *Quintia formosa est multis: mihi candida, longa, Recta est.* — *munda*] Plaut. Men. 354: *Mundities inlecebra animost ea amantum.* — *Ilia et Egeria est*] „nobilissimis quibusque feminis a me aequiparatur." — *vir rure recurrat*] Propert. 2, 23, 13: *Contra reiecto quae libera vadit amictu, Custodum et nullo saepta timore, placet - - Differet haec numquam - -, Nec dicet: Timeo; propera iam surgere. quaeso: Infelix, hodie vir mihi rure venit.* — *Ianua frangatur* cet.] Sic apud Apul. Metam. 9, 20 maritus adultero superveniens *suae domus ianuam iam pulsat, iam clamat, iam saxo fores verberat.* — *vepallida*] „valde, misere pallida," ἅπαξ λεγόμενον, ut *vegrandis* Persii 1, 97.

130-134. *conscia*] „ancilla, quae conscia sit dominae in hoc adulterii facinore. PORPH. Sic absolute hoc adiectivo utitur etiam Ovidius A. A. 3, 621: *Conscia* (serva) *cum possit scriptas portare tabellas* (herae), — *Cruribus*] Crudeli hac poena interdum afficiebantur servi infideles. Suet. Aug. 67: *Thallo a manu - - crura fregit.* Tib. 14: *Fertur - - utrique - - crura fregisse.* Sunt qui hoc accidisse etiam Epicteto narrent. — *doli deprensa*] metuat mulier, i. e. „ne propter adulterium manifestum parte dotis multetur." — *discincta*] quia propter festinationem et animi perturbationem cingi non poterat. — *nummi*] Cfr. v. 43. — *puga*] „ne ea poena afficiar, quam significat

Ne nummi pereant aut puga aut denique fama.
Deprendi miserum est: Fabio vel iudice vincam.

SATIRA III.

Omnibus hoc vitium est cantoribus, inter amicos
Ut numquam inducant animum cantare rogati,
Iniussi numquam desistant. Sardus habebat
Ille Tigellius hoc. Caesar, qui cogere posset,
Si peteret per amicitiam patris atque suam, non 5
Quicquam proficeret; si collibuisset, ab ovo

Catull. 15, 17: *A tum te miserum malique fati, Quem attractis pedibus patente porta Percurrent raphanique mugilesque,* potius quam: „ne mutiler.“ — *Fabio vel iudice*] „Si vel ex Fabio, ridiculo illo Stoico (Sat. 1, 1, 14), quaeram, approbabit is sententiam meam, utpote qui ipse aliquando in adulterio deprensus eiusmodi poenas luerit.“

III. Hac satira praecipue communis illa hominum perversitas exagitatur, qua nostra mala aut plane ignoramus aut summa indulgentia fovemus, in aliorum contra, et persaepe amicorum imprimis, vitia sedulo inquirimus eaque acerbissima severitate reprehendimus. Cuius pravitatis cum excusatio saltem aliqua depromi possit ex Stoicorum sententia, „omnia peccata aequalia esse“, (v. 76) hanc impugnat, contraria Epicureorum doctrina opposita. (vv. 98-112.) Ab illo παραδόξῳ ad aliud eiusdem disciplinae de perfecto sapiente deridendum transit, et quidem sine ulla in certas quasdam personas virulentia, quam supra damnaverat, ita ut alacri et festiva clausula sermo finiatur. — Franke F. H. p. 89 hanc satiram *proxime* post II. nec ita multo post primam cum Maecenate congressionem exaratam esse putat. --„Iam cum Horatius aut a. 715 exeunte aut initio sequentis Maecenatem primum convenerit, probabile fit, Satiram III. illo circiter tempore, h. e. hieme ann. 715 et 716 compositam esse.“

1—8. Festive miris Tigellii (de quo Sat. 1, 2, 3) moribus atque inconstantia illa, qua semper in diversa aberrare solebat, ita descriptis, tamquam si de hoc uno vitio disserere vellet, παρὰ προσδοκίαν alium inducit v. 19 interrogantem: *Quid tu? Nullane habes vitia?* — *Sardus*] Inest εἰρωνεία quaedam in hac patriae eius mentione. Proverbium erat: *Sardi venales; alter altero nequior.* — *habebat*] ut Cic. Phil. 2, 78: *Habebat hoc omnino Caesar.* — *Si peteret - - proficeret*] „Si quando illo nolente petebat, nihil umquam proficiebat.“ Coniunctivis tempora locaque infinita, quibus illud fiebat, significantur. — *collibuisset*] Nec *collibet* neque *collibescit* est apud scriptores Latinos: sed *collibuit* apud Terentium, *collibitum est* apud Plautum et Ciceronem; cf. Neue lat. Formenl. II ² 626 sq. — *ab ovo Usque ad mala*] Ovum initium cenae erat, hoc enim in gustatione statim a balneis offerebatur; poma vero cum

Usque ad mala citaret, 'Io Bacchae!' modo summa
Voce, modo hac, resonat quae chordis quattuor ima.
Nil aequale homini fuit illi; saepe velut qui
Currebat fugiens hostem, persaepe velut qui 10
Iunonis sacra ferret; habebat saepe ducentos,
Saepe decem servos; modo reges atque tetrarchas,
Omnia magna loquens, modo: 'Sit mihi mensa tripes et

Sat. III. 7. *iteraret* Bentleius coni. *Bacchae* BR Dessauiensis γ *Bacche* ceteri, etiam Blandinii omnes.

bellariis in secundis mensis erant. — *citaret*] „clara voce cantaret," ut Cic. de Orat. 1, 251 *paeanem citare;* pr. „sonos ciere, movere." — *Io Bacchae*] non tam initium certi cuiusdam cantici, quod ille cantitare solitus sit, quam qualiscumque cantilena convivalis, quarum genus Graeci vocabant *ἰοβάκχους*. Pollux 4, 7, 53: *παροίνια, ἰόβακχοι*. Quod codicum maior pars habet Bacche propter metrum ferri non potest; sed ne Bacchae quidem ad hunc locum aptae sunt; itaque videtur scribendum esse: *Baccheu,* ut Hor. habet *Bassareu* Od. 1, 18, 11, *Pentheu* Epist. 1, 16, 73, Peleu A. P. 104. Catull. 64, 27 [alia aliorum exempla collegit Neue in lat. Formenl. I² 294]. Conferatur Graecorum *Βακχεῦ* apud Soph. Ant. 1121, Eurip. Bacch. 143. Ion. 221. — *modo summa*] „Tigellius modo utebatur ea voce, quae summâ chordâ tetrachordi" (quo sonos modulabantur, ut fit in nostro *violino*) „*τῇ ὑπάτῃ* resonat, id est, gravissima, *τῇ βαρυτάτῃ*, modo ea, quae imâ chordâ, *τῇ νήτῃ*, eademque acutissima, *τῇ ὀξυτάτῃ*, resonat." GESNER. — *modo hac*] Pronomen *hac* rem magis oculis quasi appropinquat quam *ea*, a quo pronomine prope enclitico quantum potest abstinet etiam hoc satirarum genus. — *resonat - - chordis*] „e chordis prodit, per chordas sonat," ablat. causalis vel instrumentalis.

9-19. *Nil*] „Nihil erat aequabile in illo homine, in nulla re sibi constabat." Synesius Narr. Aeg. p. 8. Krab. de Typhone: *οὐδ' αὐτὸς ἦν αὐτῷ παραπλήσιος, ἀλλὰ παντοδαπόν τι κακόν.* — *velut qui*] *βραχυλογία* pro: „Saepe currebat, velut qui fugiens hostem curreret, saepe lente incedebat, velut qui Iunonis sacra ferret." — *Iunonis sacra*] Loquitur de *κανηφόροις*, „quae manibus sublatis sacra quaedam reposita in capitibus ferebant." (Cic. Verr. 4, 53.) H. l. sunt Iunonis, cum alibi memorentur canephoroe Minervae, Cereris (*Attica virgo Cum sacris Cereris*, Sat. 2, 8, 14), Bacchi, Dianae. — *Saepe decem*] minimum fere servorum numerum. Octo habebat Horatius in familia sua rustica, Sat. 2, 7, 118; tribus ei cena ministrabatur, Sat. 1, 6, 116. (Sordes obiciebantur Tillio, quem praetorem quinque tantum sequebantur pueri, Sat. 1, 6, 107.) — *tetrarchas*] nomen principum praecipue Gallograeciae et Iudaeae. — *loquens*] „in ore habens, intimam cum principibus familiaritatem, nil nisi magnas res iactans." Cic. ad Att. 9, 2a, 3: *nihil nisi classes loquens et exercitus.* — *mensa tripes*] „delphica simplex, qualis decet hominem paucis contentum et plerumque solum sine convivis cenantem." Delphicis opponuntur monopodia marmorea aut citrea cum pede uno eburneo vel

Concha salis puri et toga, quae defendere frigus
Quamvis crassa queat.' Deciens centena dedisses 15
Huic parco paucis contento, quinque diebus
Nil erat in loculis. Noctis vigilabat ad ipsum
Mane, diem totum stertebat; nil fuit umquam
Sic impar sibi. Nunc aliquis dicat mihi: 'Quid tu?
Nullane habes vitia?' Immo alia et fortasse minora. 20
Maenius absentem Novium cum carperet, 'Heus tu,'
Quidam ait, 'ignoras te? an ut ignotum dare nobis

20. *et fortasse* omnes codices, in his Blandinii *haud fortasse* ex vetere coniectura, quam Fea in uno codice se invenisse dicebat, editiones nonnullae.

aereo. — *Concha salis puri*] Opponitur salinum argenteum. „Pauperiores in marina concha salem tritum habere solent, quo cum pane vescantur." PORPH. Cfr. Sat. 2, 2, 17: *cum sale panis Latrantem stomachum bene leniet.* Hoc tantum volt, ut sit candidus, *sine faecibus*, defaecatus. — *crassa*] *pinguem togam* similiter dixit Sueton. Octav. 82, *pingues tunicas* Martial. 14, 143, *pingues lacernas* Iuven. 9, 28. — *Deciens centena*] milia sestertium. Est quasi proverbium pro grandi pecuniae summa. — *quinque diebus*] paucis; ut nos dicimus octo. — *Sic impar sibi*] Seneca Ep. 120: *qualem hunc describit Horatius, numquam eundem, ne similem quidem sibi; adeo in diversa aberrat.*

20-24. *Immo*] h. l. est eius, qui miratur alterum de re quae certa sit quaerere. — *et fortasse minora*] „Primus, opinor, Aldus Manutius sincerum vas incrustare voluit et reposuit *haud minora;* quem deinceps plerique omnes nimium patienter secuti sunt. Quid enim? an credibile est hoc fassum esse Horatium? sua vitia non minora esse illis, quae in Tigellio tam acerbe notaverat! - - Immo vero sibi *mediocria* tantum vitia esse alibi gloriatur, non Tigellianis similia, Sat. 1, 4, 130. 6, 65. - - Summa urbanitas est in v. *fortasse;* quasi non pugnaturus foret, si quis vel aequalia esse diceret." BENTL. Exiguam vel potius nullam auctoritatem a Codd. (velut uno Cod. Feae a sec. manu) habet altera lectio *haud fortasse minora*, in qua et languet *fortasse* et omnino Horatius reus fit falsae cuiusdam modestiae. Hand Turs. III. p. 35: „Qui *haud* praeferunt, non animadvertisse videntur, *haud* non recte poni in eo, quem obtinet, loco, neque umquam coniungi posse cum v. *fortasse.* Cum *haud* scribitur, deesse aliquid videtur. Nihil deest, nec quidquam improbari potest in hac quidem sententia: Quae ego me habere concedam, alius sunt potius generis, et, ut opinor, etiam minora. *Immo alia* enim significat: immo habeo vitia, sed alia." — *Maenius*] Sat. 1, 1, 101. — *Novium*] hominem ignotum. Novium feneratorem tangit Sat. 1, 6, 121. — Sententiae sic cohaerent cum praecedd.: „Atque hoc pro certo affirmare possum me tam stultum et improbum non esse, quam Maenium illum novimus, ut carpam absentes amicos, mihi ignoscam cet." — *ignoras te*] „nescis, quibus vitiis tu labores, quam reprehen-

Verba putas?' 'Egomet mi ignosco,' Maenius inquit.
Stultus et improbus hic amor est dignusque notari.
Cum tua pervideas oculis mala lippus inunctis, 25
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum,
Quam aut aquila aut serpens Epidaurius? At tibi contra
Evenit, inquirant vitia ut tua rursus et illi.
Iracundior est paulo, minus aptus acutis
Naribus horum hominum; rideri possit eo, quod 30

25. *pervideas* cod. paene omnes, *Cum tua tu videas* malebat Bentleius, edidit *Cum tua praevideas* e cod. regiae soc. Rutgersii coni. firmante. — *male* Bentl. e Cruquii aliquot codd.

sionem mereare?" — *dare Verba*] i. e. decipere, quia qui rem exspectat et nihil praeter verba invenit deceptus est. Donatus ad Terent. Eun. prol. 24. Conf. Terent. Andr. 211. 504. Phorm. 713; saepius apud Plautum, velut Aul. 62. — *ignosco*] Nota lusum poëtae in verbis cognatis *ignoras*, *ignotum*, *ignosco* brevissimo intervallo se excipientibus. — *improbus*] „nimius, modum longe excedens, ideoque perversus." Vid. ad Od. 3, 24, 62.

25-28. *pervideas*] *Pervidere* sane significat, ut ait Bentleius, „acute et perspicue et penitus rem videre;" sed, ut ipse significat, quomodo ille, quocum loquitur poëta, sua vitia *pervidet?* Nimirum lippus et propterea oculis collyrio inunctis; id quod huc redit: „parum pervidet." „Non minus ironice locutus est quam si quis diceret: Tu, qui tam fortiter plumbeo gladio hostes tuos invadis." STEPHANUS. Cfr. Od. 3, 7, 21: *scopulis surdior Icari Voces audit.* Sat. 1, 2, 91: *Hypsaea caecior--spectes.* Verbum *praevidere* pro *praetervidere* auctoritate caret. — *aquila*] Hom. Il. *P* 674: *αἰετὸς, ὅν ῥά τε φασιν Ὀξύτατον δέρκεσθαι ὑπουρανίων πετεηνῶν.* — *serpens Epidaurius*] Pausan. 2, 28: *Δράκοντες--καὶ ἕτερον γένος ἐς τὸ ξανθότερον ῥέπον τῆς χρόας ἱεροὶ μὲν τοῦ Ἀσκληπιοῦ νομίζονται καὶ εἰσὶν ἀνθρώποις ἥμεροι, τρέφει δὲ μόνη σφᾶς ἡ τῶν Ἐπιδαυρίων γῆ.* Ovid. Metam. 15, 670: *In serpente deus* (Aesculapius) - - *oculos circumtulit igne micantes.* Ad sententiam cfr. Menand. p. 302. Mein.: *Τί τἀλλότριον, ἄνθρωπε βασκανώτατε, Κακὸν ὀξυδερκεῖς, τὸ δ' ἴδιον παραβλέπεις;* — *contra*] „e contrario, vicissim."

29. 30. *Iracundior* cet.] Etsi universe et generatim de iis vitiis loqui videtur, quae in quovis homine alios offendere possint, sed eiusdem virtutibus ex hominum honestorum et a malignitate alienorum iudicio compensari debeant, tamen, ut fit, velut lineamenta quaedam suorum morum immiscuisse videtur, secum reputans, propter quae ipsum interdum *μυκτηρισταὶ* reprehenderint. Ita se irritabilem esse fatetur Sat. 2, 3, 323. Ep. 1, 20, 25: *Irasci celerem, tamen ut placabilis essem;* de rustica sua tonsura et cetero cultu neglecto Ep. 1, 1, 94; rursus de ingenio, quo negligentia ista compensetur, Od. 2, 18, 9. Od. 3, 30 ac saepius. — *acutis Naribus horum hominum*] nunc viventium, qui levissima quaeque vitia in aliis facillime odorantur, derident, vituperant; talibus homo simplex

Rusticius tonso toga defluit et male laxus
In pede calceus haeret: at est bonus, ut melior vir
Non alius quisquam, at tibi amicus, at ingenium ingens
Inculto latet hoc sub corpore. Denique te ipsum
Concute, num qua tibi vitiorum inseverit olim 35
Natura aut etiam consuetudo mala; namque
Neglectis urenda filix innascitur agris.
Illuc praevertamur, amatorem quod amicae
Turpia decipiunt caecum vitia, aut etiam ipsa haec
Delectant, veluti Balbinum polypus Hagnae. 40
Vellem in amicitia sic erraremus, et isti
Errori nomen virtus posuisset honestum.

ac negligentior parum convenit et persaepe reprehensionis ansam praebet. Sic enim *minus aptus* explicandum est, ut Cic. Brut. 223: *aptior etiam Palicanus auribus imperitorum*, id est, magis hic placebat.

31-37. *Rusticius*] iunge cum v. *tonso* dumtaxat. — *defluit*] „parum apte composita est.“ — *male laxus*] *male* vim adiectivi *laxus* auget, ut infra v. 45 *male parvus*, cf. ad Od. 1, 9, 24. Ad sententiam conf. Theophr. Char. 4: *ὁ δὲ ἄγροικος τοιοῦτός τις, οἷος - - μείζω τοῦ ποδὸς τὰ ὑποδήματα φορεῖν*, Ovid. A. A. 1, 516: *Nec vagus in laxa pes tibi pelle natet.* — *at-at-at*] te repetitur, ut vitia supra commemorata refutentur: *iracundior-bonus, minus aptus-tibi amicus, male laxus-ingens ingenium tibi*] „quocum nunc ipsum colloquor,“ non, „Maecenati.“ — *Inculto*] de amictu neglecto. (v. 31) — *te ipsum*] hunc, quem alloquitur, aliis omnibus opponit, ante quos primum semet ipsum examinare debeat. — *Concute*] imagine desumpta ab eo, qui furem concutit. In prosa or. frequentius *excutere* pro „diligenter explorare.“ Arrian. Epict. 3, 14, 3: *περίβλεψαι, ἐνσείσθητι, ἵνα γνῷς τίς εἶ.* — *urenda filix*] „quae aliter quam igne exstirpari nequit.“ Verg. Ge. 2, 189: *Et filicem curvis invisam pascit aratris.* Illud proverbii speciem habet.

38—42. *Illuc praevertamur*] „Si volumus ex aequo bonoque de amicis iudicare, ante omnia ad illud exemplum nos convertamus, quomodo de amicarum naevis amatores, de liberorum vitiis parentes iudicare solent.“ Ad usum v. *praevertor* cfr. Plaut. Capt. 460: *ei rei primum praeverti volo.* Cist. 5, 1, 8: *praevorti hoc certumst rebus aliis omnibus.* — *decipiunt*] „fallunt, latent.“ — *Delectant*] Lucret. 4, 1155: *Multimodis igitur pravas turpisque videmus Esse in deliciis.* — *polypus* Cfr. Epod. 12, 5. Eadem quantitate iam Lucil. 29, 14 (L. M.) v. 1042 Lch. in fine versus: *polypus ipsa.* „Primam syllabam Latini poëtae constanter producunt, Aeolicam illi formam, quae *πώλυπος* est, sequentes.“ Meineke Fragm. Com. I. p. 256. — *Hagnae*] ab *ἁγνός*, nomen libertinae. *Agnes, Agnetis* Prudent. Perist. 14. — *virtus*] „sensus eius, quod aequum bonumque est.“ — *posuisset*] Sic Cic. Tusc. 3, 10: *qui haec rebus nomina posuerunt;* sic *τιθέναι ὀνόματα.*

Ac pater ut gnati, sic nos debemus, amici
Si quod sit vitium, non fastidire: strabonem
Appellat *paetum* pater, et *pullum*, male parvus 45
Si cui filius est, ut abortivus fuit olim
Sisyphus; hunc *varum* distortis cruribus, illum
Balbutit *scaurum* pravis fultum male talis.
Parcius hic vivit: *frugi* dicatur. Ineptus
Et iactantior hic paulo est: *concinnus* amicis 50
Postulat ut videatur. At est truculentior atque
Plus aequo liber: *simplex fortis*que habeatur.
Caldior est: *acris* inter numeretur. Opinor,
Haec res et iungit, iunctos et servat amicos.

43. *Ac pater* Bγ Lipsiensis, Monacensis, Oberlinianus, Gothanus; ceteri *At* vel *Ut*.

43-48. *ut gnati*] Intell. „si quod sit vitium, non fastidit." — *fastidire*: *strabonem*] De vocali *e* ante litteras *st* non producta vid. ad Sat. 1, 2, 30. — „*Strabo* detortis qui est oculis dicitur, *paetus* leniter declinatis. PORPHYR. Cic. de N. D. 1, 80: *Redeo ad deos. Ecquos, si non tam strabones, at paetulos esse arbitramur?* Ovid. A. A. 2, 659: *Si paeta est* (puella), *Veneri similis* (vocetur). — Similium autem ὑποκορισμάτων (Lucret. 4, 1157 sqq. Ovid. A. A. 2, 657 sqq.) veluti fundus est apud Plat. de Rep. 5 p. 474. D. — *pullum*] „Antiqui puerum, quem quis amabat, *pullum* eius dicebant." FESTUS. Hoc quoque nomen, sicut *Paetus*, *Varus*, *Scaurus*, erat proprium, etsi rarum. *L. Iunius Pullus* cos. fuit a. u. 505. — *abortivus*] quasi propter abortum a matre factus nanus evasisset. — *Sisyphus*] „M. Antonii triumviri pumilio fuisse dicitur intra bipedalem staturam ingenio tamen vivax. PORPHYR. — *varum*] introrsum retortis pedibus, *simulant qui cornua lunae*, Martial. 2, 35. Inde verbum factum est ap. Cic. Verr. 4, 86: *Sopatrum - divaricari ac deligari iubet.* — *Balbutit*] cuiusmodi pronuntiatio teneri aliquid habet in talibus ὑποκορίσμασιν. — *scaurum*] „*Scauri* dicuntur, qui talos habent exstantes. Alii dicunt *scauros* esse, qui habent talos inversos. ACRON.

49-54. *frugi*] „qui suis rationibus consulit." Novius 61 Rib.: *instat mercaturam; spero rem faciet: frugi est homo.* Laber. 18 (Rib.): *homo frugi es: quod tibi relictum est, retines miserimunium.* — *Ineptus*] „negotiosus ardelio, qui nobis operam suam iactat." Cic. de Or. 2, 17: *qui aut, tempus quid postulet, non videt aut plura loquitur aut se ostentat aut eorum, quibuscum est, vel dignitatis vel commodi rationem non habet aut denique in aliquo genere aut inconcinnus aut multus est, is ineptus dicitur.* — *concinnus*] „lepidus atque facetus." — *amicis* -- *videatur*] Cfr. v. 43. 54. 69. — Noli construere, „concinnus videatur, sicut volt concinnus videri."

At nos virtutes ipsas invertimus atque 55
Sincerum cupimus vas incrustare. Probus quis
Nobiscum vivit, multum demissus homo: illi
Tardo cognomen, *pingui* damus. Hic fugit omnis
Insidias nullique malo latus obdit apertum
Cum genus hoc inter vitae versemur, ubi acris 60

56-58. *probus quis Nobiscum vivit? multum est demissus homo. illi Tardo, cognomen pinguis damus* Lamb., *probus quis Nobiscum vivit, multum demissus homo ille. Tardo cognomen pingui damus* Cruq. cum cod. Bland. vetustissimo, *probus quis Nobiscum vivit, multum demissus homo ille: Tardo ac cognomen pingui damus* Bentl. et particula *ac* in *et* mutata Haupt Obss. critt. p. 35, *Probus quis nobiscum vivit, multum demissus homo; illi Tardo cognomen pingui et damus* auctore Heindorfio Doering. (Cf. Vahlen in Hermae vol. XVII pg. 222.) — 60. *versemur* Bentl. ex veterrimo Blandin. ceteri *versetur.*

55-58. *virtutes ipsas invertimus*] Liv. 22, 12: (M. Minucius Q. Fabium) *pro cunctatore segnem, pro cauto timidum, affingens vicina virtutibus vitia, compellabat.* Vid. ad v. 61. — *Sincerum c. vas incrustare*] „Adeo perversi sumus, ut etiam purum vas corrupto aliquo liquore eiusque faecibus obducere cupiamus.“ Sic explico propter Lucil. 3, 28 L. M., 488 Lch.: *nam mel regionibus illis Incrustatu' calix, rutai caulis habetur.* — *Probus quis - - damus*] Duplicem habemus horum verborum interpretationem; alii enim cum probitate etiam tarditatem virtutibus, demissionem cum pinguitudine vitiis adnumerant; alii Bentleio duce probitatem et demissionem; ut sunt, pro virtutibus, tarditatem et pinguitudinem pro vitiis habent. — *multum*] „valde“, ut *multum facilis* Od. 1, 25, 5; Sat. 2, 3, 147: *multum celer.* Sat. 2, 5, 92: *multum similis.* Ep. 1, 10, 3: *Multum dissimiles. multum miseri* Ovid. Metam. 4, 155. — *demissus*] „modestus, pudens.“ Cic. de Orat. 2, 182: *eaque omnia, quae proborum, demissorum, non acrium, non pertinacium, non litigiosorum, non acerborum sunt, valde benevolentiam conciliant.* pro Murena 87: *sit apud vos modestiae locus, sit demissis hominibus perfugium, sit auxilium pudori.* — *Tardo-pingui*] V. *pinguis*, in quo maior reprehensio inest, quam in v. *tardus*, per gradationem quandam videtur additum, ut asyndeton nihil offensionis habeat. Conf. v. 84: *Paulum deliquit amicus, quod nisi concedas, habeare insuavis, acerbus: Odisti et fugis* cet. Conferantur cum toto hoc loco quae Livius de M. Minucio Rufo, Fabii Cunctatoris magistro equitum loco ad v. 55 laudato narrat l. 22, 12, 12: *vicina virtutibus vitia compellabat premendoque superiorem — sese extollebat.*

59-66. *nullique malo* cet.] „nulli maligno insidiatori velut in batuendo praebet latus nudum, ubi feriatur“ („nulli dat sese irridendum idque agit, ne lingua malevola laceretur.“ COMM. CRUQ.), „propterea quod optime novit se vivere inter homines maxime invidos et semper promptos ad alios criminandos.“ Cave *malo* cum aliis ducas a v. *malum.* — *versemur*] „cum

Invidia atque vigent ubi crimina: pro bene sano
Ac non incauto *fictum astutum*que vocamus.
Simplicior quis et est, qualem me saepe libenter
Obtulerim tibi, Maecenas, ut forte legentem
Aut tacitum impellat quovis sermone: *molestus,* 65
Communi sensu plane caret, inquimus. Eheu,
Quam temere in nosmet legem sancimus iniquam!
Nam vitiis nemo sine nascitur; optimus ille est,
Qui minimis urgetur. Amicus dulcis, ut aequum est,

65. *impellat*] omnes cod., in his Blandinii, *impediat* Bentleius coni.

apud nos (in hoc vitae genere) vigeant invidia atque crimina, ideo eum fictum vocamus." — *pro-- vocamus*] Liv. 22, 39: *sine, timidum pro cauto, tardum pro considerato, imbellem pro perito belli vocent.* Vid. ad v. 55. — *bene*] „valde." Hand Turs. II. p. 3. — *fictum*] „falsum." Plin. Ep. 8, 18, 3: *alii* (Domitium Tullum] *fictum, ingratum, immemorem loquuntur.*— *Simplicior quis* cet.] „Si simplicior quis est et talis, qualem cet." Est autem, „qui sine magna circumspectione et accurata consideratione sincere ac libere sensus suos aperit, quo fit, ut interdum quamvis invitus iis, quibuscum colloquitur, incautus videatur molestusque sit." — *libenter*] ἡδέως, ἀσμένως, animo sic ultro iubente. Explica: „quemadmodum haudquaquam poenituerit me tibi fortasse saepe iam obtulisse; nam eo ipso, etiamsi fieri potest, ut tibi molestus fuerim, pervidere poteras simplicem atque ingenuum meum animum." Ex hoc autem v. *saepe* patet verum non esse, quod quidam contendunt, „Horatium eo, quo haec scripserit, tempore, semel tantum convenisse Maecenatem et commode quidem admissum, sed nondum receptum fuisse in eius convictum et familiaritatem." — *impellat*] Nihil iuvat hic comparare formulas *impellere sensus* (Lucret. 1, 303), *impellere aures* (Verg. Ge. 4, 349. Pers. 2, 21), sed magis huc quadrare videtur Cic. pro Planc. 17: *si quando, ut fit, iactor in turba, non illum accuso, qui est in summa Sacra via, cum ego ad Fabium fornicem impellor, sed eum, qui in me ipsum incurrit atque incidit.* Est igitur: „necopinato velut incurrere et incidere in aliquem atque ita deflectere eum a lectione aut a tacita meditatione, cui vacare volt." Frequentius dicitur „interpellare." — *quovis sermone*] „primo quoque sermone, qui importuno in buccam venit." — Or. *molestus* iunxit cum praecedentibus: „adeoque molestus fiat." Rectius alii ab hac voce directam orationem incipiunt: *sermone*: „*Molestus* (est), *communi* cet., ut haec sententia sit: „Si quis paulo simplicior est, ut, cum quid habeat, quod amici interesse putet audire, laetus accurrat cum eoque etiam minus commodo tempore illud communicet, molestum hunc dicimus vitaeque communis plane ignarum." — *Communi sensu*] h. l. „eius quod decet; qualis quidem sensus omnium hominum esse debet." Seneca de Benef. 1, 12: *Sit in beneficio sensus communis: tempus locum personas observet, quia momentis quaedam grata et ingrata sunt.* A Graecis mutuati esse videntur Latini. Philodemus

Cum mea compenset vitiis bona, pluribus hisce, 70
Si modo plura mihi bona sunt, inclinet, amari
Si volet: hac lege in trutina ponetur eadem.
Qui, ne tuberibus propriis offendat amicum,
Postulat, ignoscet verrucis illius; aequum est
Peccatis veniam poscentem reddere rursus. 75
Denique, quatenus excidi penitus vitium irae,
Cetera item nequeunt stultis haerentia, cur non
Ponderibus modulisque suis ratio utitur, ac res
Ut quaeque est, ita suppliciis delicta coërcet?
Si quis eum servum, patinam qui tollere iussus 80
Semesos piscis tepidumque ligurrierit ius,
In cruce suffigat, Labeone insanior inter

81. *tepidumque* codices paene omnes, *trepidumque* pauci. — 82. *Labieno* malebat Bentleius.

περὶ ποιημάτων p. 17, 19 Dübn.: *τὴν δὲ διάνοιαν -- παρεκβεβηκυῖαν τὸν κοινὸν νοῦν.*

70-72. *Cum mea* cet.] Construe cum Porphyrione: „*Cum vitiis* (meis) *mea bona compenset.*“ *Cum* igitur est praepositio, non coniunctio, ut aliis placet construentibus: *Amicus dulcis cum, ut aequum est, compenset mea bona vitiis;* qua quidem in ratione vv. *ut aequum est* suo loco collocata non sunt. De praepositione autem a suo nomine remota vid. v. 68: *vitiis nemo sine nascitur.* Sat. 1, 10, 91: *Discipularum inter iubeo plorare cathedras.* — *pluribus hisce*] non est ablativus absolutus, ut visum est Acroni, sed dativus iungendus cum verbo *inclinet.* — *amari si volet*] Magis concinne etiam propter versuum conformationem haec superioribus adnectuntur quam sequentibus, qua ratione etiam sententia obscuratur. — *hac lege* cet.] „hac condicione, si aequum de me iudicium faciat, ego idem de illo faciam.“

76—83. „Quoniam quidem nos omnes, quos Stoici praeter illum suum sapientem perfectum, stultos (*ἄφρονας, ἠλιθίους, φαύλους* Stob. Ecl. Phys. 2, 7) vocare solent, a vitiis prorsus liberare nos non possumus, quidni veram rationem et aequitatem in diiudicandis ac puniendis aliorum erroribus delictisque sequimur?“ — *quatenus*] Vid. ad Sat. 1, 1, 64. — *suppliciis*] „poenis, et quidem, si opus est, severioribus.“ — *tepidumque*] „atque ob id neque ab hero nec a convivis iam gustandum, sed servis relinquendum.“ — *ligurrierit*] Sic scribendum, ut infra Sat. 2, 4, 79; Terent. Eun. 936; de sententia cf. Iuven. 9, 5: *Nos colaphum incutimus lambenti crustula servo.* — *Labeone*] Marcus Antistius Labeo praetorius iuris etiam peritus memor libertatis, in qua natus erat, multa contumaciter adversus Caesarem dixisse et fecisse dicitur. PORPHYR. Confer. Tac. annal. 3, 75. De eo disseruit Alfr. Pernice I pg. 11, sq. Nec tamen hunc Horatius h. l. castigavisse nobis videtur; nam primum is natus est a. fere u. c. 704 = 50 a. Chr., itaque

Sanos dicatur. Quanto hoc furiosius atque
Maius peccatum est: Paulum deliquit amicus
Quod nisi concedas, habeare insuavis: acerbus 85
Odisti et fugis, ut Rusonem debitor aeris,
Qui nisi, cum tristes misero venere Kalendae,
Mercedem aut nummos unde unde extricat, amaras
Porrecto iugulo historias captivus ut audit.
Comminxit lectum potus mensave catillum 90
Euandri manibus tritum deiecit: ob hanc rem

83. *Quanto hoc furiosius* cod. plerique, in his etiam Bland. antiquissimus, 'etsi tribus subscriptis punctis ostendit *hoc* vulgatum abundare;' *quanto furiosius* perpauci. — 85. *Quoi nisi* malebat Bentleius. — *habeare insuavis: acerbus Odisti* Bentleio auctore distinxerunt Haupt, Holder, Vahlen alii, *habeare insuavis, acerbus: Odisti* Orelli. — 91. *tritum*] cod. plerique, *tortum* cod. Regius et a manu secunda codex alter Magdalenensis, Bentleio probante; *sculptum* cod. Coll. Trin. „et aetatis et notae sequioris."

etiamsi haec satira primis non esset adnumeranda, tamen multo minor esset aetate, quam quem Horatius insectaretur. Deinde Labeonis iure consulti frater proelio Philippensi interfuit (Plut. Brut. 51, Appian b. c. 4, 135); huius rei Horatium haud immemorem fuisse existimandum est. Bentleii *Labienus* est rhetor ille, qui Augusti tempore propter dicacitatem *Rabienus* vocabatur. Seneca Controv. 5. Praef. — *inter sanos*] „apud sanos, a sanis."

83-89. „Quodsi insane tractare possumus vel servos, in quos, cum nostri sint, quidlibet prope licet, quanto maior est insania, si propter res nullius momenti capitali odio persequimur amicos!" — *hoc*] „quod statim dicam." Est nominativus, non ablativus. — *Rusonem*] „Octavius Ruso acerbus fenerator fuisse traditur, idem scriptor historiarum, ad quas audiendas significat solitum fuisse cogere debitores suos, quibus scilicet talia audire poena gravissima erat. PORPHYR. — *Kalendae*] Cfr. Epod. 2, 69 sq. — *Mercedem aut nummos*] „usuras aut sortem." — *unde unde*] pro „undecumque" meliore aetate apud poëtas dumtaxat reperitur, *ubiubi* etiam apud Ciceronem. — *Porrecto iugulo*] quasi captivi, quibus caput truncaturus est victor. — *historias*] Hoc significat, Rusonem pessimum rerum scriptorem suae aetatis fuisse. (Qui *historias* explicarunt vel „fabellas" vel „convicia", non meminerant lepidae narratiunculae apud Senecam Ep. 95: *Recitator Historiam ingentem attulit, minutissime scriptam, artissime plicatam, et magna parte perlecta „Desinam", inquit, „si voltis." Acclamatur: „Recita, recita" ab his, qui illum obmutescere illico cupiunt.)* — *audit*] Hunc recitandi morem induxerat Asinius Pollio. *Recitatorem acerbum* Horatius describit A. P. 475 sqq.

90-95. *catillum*] Varro L. L. 5, 120: *Vasa in mensa escaria: ubi pultem aut iurulenti quid ponebant, a capiendo* catinum *nominarunt, nisi quod Siculi dicunt κάτινον, ubi assa ponebant.* — *Euandri*] „quo cum quotidie usus sit iam

Aut positum ante mea quia pullum in parte catini
Sustulit esuriens, minus hoc iucundus amicus
Sit mihi? Quid faciam, si furtum fecerit, aut si
Prodiderit commissa fide sponsumve negarit? 95
Quis paria esse fere placuit peccata, laborant,
Cum ventum ad verum est; sensus moresque repugnant

92. *pullum in parte* codices; Usener (mus. rhen. 24 pg. 345) *in* delebat, *parte* aptum esse dicens ex v. *sustulit.*

priscus ille rex Euander, stupendae antiquitatis et propterea maximi pretii tibi videtur." Ipsâ tam festivâ hyperbolâ ridet absurdum antiquitatis studium prorsus ut Sat. 2, 3, 20: *Olim nam quaerere amabam, Quo vafer ille pedes lavisset Sisyphus aere.* Et Martialis 8, 6, 7: *Hoc cratere ferox commisit proelia Rhoecus Cum Lapithis: pugna debile cernis opus. Hi duo longaevo censentur Nestore fundi: Pollice de Pylio trita columba nitet.* Iocum haud agnoscentes Scholiastae: „Qui de personis Horatianis scripserunt aiunt Euandrum hunc caelatorum et plasten statuarum quaerente M. Antonio ab Athenis Alexandriam se transtulisse, inde inter captivos Romam perductum multa opera mirabilia fecisse." Qui hanc explicationem praeferunt, arbitrantur esse eundem, de quo Plinius H. N. 36, 5, 32: *Timothei manu Diana Romae est in Palatio, Apollinis delubro, cui signo caput reposuit Axianius Euander.* Sed recte Spohn: „Qui Euandrum statuarium intelligunt, non recordantur eum a. u. c. 725. demum Alexandria Romam deductum esse. Sic concidit etiam interpretatio v. *tritum* „tornatum, caelatum, sculptum", de qua signif. cfr. Wagner ad Verg. Ge. 2, 444: *Hinc radios trivere rotis.* Optimus interpres est Martialis 1, 1: *Pollice de Pylio trita columba nitet.* — *ante*] adverbialiter, ut Tibull. 1, 1, 13: *Et quodcunque mihi pomum novus educat annus, Libatum agricolae ponitur ante deo.* Id. 2, 5, 98: *coronatus stabit et ante calix.* — *mea in parte,* „in parte ad me conversa, ex qua me altilem illam tollere par erat." Philo de profugis p. 237. Pf.: Ὁ πρὸ τοῦ στόματος τὰς ἀπλήστους διοίξας ἐπιθυμίας ἀκόσμως ἐμφορήσεται καὶ τὰ οὐ πλησίον ἐπισπάσεται κτλ. — *fide*] antiquior forma dativi pro *fidei.* Vid. ad Od. 3, 7, 4.

96-98. *Quis paria* cet.] Stoicos irridet ideo, quia haec eorum doctrina omnia peccata esse paria (accuratius quidem apud Stob. Ecl. Ph. 2, 7 p. 218: ἴσα πάντα εἶναι τὰ ἁμαρτήματα, οὐκ ἔτι δ' ὅμοια· διάφορα γὰρ κατὰ ποιότητα γίγνεσθαι.) eorum sectatores severiores in diiudicandis aliorum delictis reddere solebat. — *fere*] pertinet ad *paria*; σχεδόν, σχεδόν. Ad sententiam conf. Cic. de Finn. 4, 55: *recte facta omnia aequalia, omnia peccata paria* (esse); *quae cum magnifice primo dici viderentur, considerata minus probabantur; sensus enim cuiusque et natura rerum atque ipsa veritas clamabat quodammodo, non posse adduci, ut inter eas res, quas Zeno exaequaret, nihil interesset.* — *laborant*] „ἀποροῦσι, non sine quadam molestia sentiunt, quam contraria sit ipsorum sententia vero." — *verum*] τὴν οὐσίαν τῶν

Atque ipsa utilitas, iusti prope mater et aequi.
Cum prorepserunt primis animalia terris,
Mutum et turpe pecus, glandem atque cubilia propter 100
Unguibus et pugnis, dein fustibus, atque ita porro
Pugnabant armis, quae post fabricaverat usus,
Donec verba, quibus voces sensusque notarent,
Nominaque invenere; dehinc absistere bello,
Oppida coeperunt munire et ponere leges, 105

πραγμάτων. — *sensus*] „communis hominum.“ — *iusti prope mater*] „quae quasi mater, id est, fons atque origo iusti recte dici potest.“ Diogenes Laërt. 10, 150 ex Epicuri *Κυρίαις δόξαις* haec affert: *Τὸ τῆς φύσεως δίκαιόν ἐστι σύμβολον τοῦ συμφέροντος, εἰς τὸ μὴ βλάπτειν ἀλλήλους μηδὲ βλάπτεσθαι. --- Οὐκ ἦν τι καθ' ἑαυτὸ δικαιοσύνη, ἀλλ' ἢ ἐν ταῖς μετ' ἀλλήλων συστροφαῖς καθ' ὁπηλίκους δή ποτε ἔδει τόπους συνθήκην τινὰ ποιεῖσθαι ὑπὲρ τοῦ μὴ βλάπτειν ἢ βλάπτεσθαι.* De adverbio *prope* conf. Ep. 1, 6, 1. — *mater*] Rutil. Lupus 2, 6: *Crudelitatis mater est avaritia et pater furor.*

99-106. *Cum prorepserunt* cet.] Loci similes de primo hominum statu sunt Critiae Bach. p. 56, Moschionis apud Stob. E. Ph. I. p. 240. H. Lucret. 5, 783 sqq. Vitruv. 2, 1. Critias: *Ἦν χρόνος ὅτ' ἦν ἄτακτος ἀνθρώπων βίος Καὶ θηριώδης, ἰσχύος δ' ὑπηρέτης, Ὅτ' οὐδὲν ἄθλον οὔτε τοῖς ἐσθλοῖσιν ἦν, Οὔτ' αὖ κόλασμα τοῖς κακοῖς ἐγίγνετο· Κἄπειτά μοι δοκοῦσιν ἄνθρωποι νόμους Θέσθαι κολαστὰς ἀνομίης, ἵν' ἡ δίκη Κρατῇ τύραννος, τὴν θ' ὕβριν δούλην ἔχῃ· Ἐζημιοῦτο δ' εἴ τις ἐξαμαρτάνοι κτλ.* Cfr. etiam Luciani Amores 33. — *primis-terris*] *„nova tellure“* Lucret. l. l. Iuven. 6, 11: *aliter tunc orbe novo caeloque recenti Vivebant homines.* — *animalia*] de hominibus imprimis loquitur. — *Mutum*] „sine lingua articulatim distincta et ad res notandas apta.“ Sic *mutae bestiae* Cic. de Finibus 1, 71. — *pecus*] „brutorum instar ratione carentes.“ — *glandem*] Verg. Ge. 1, 8: *vestro* (Liberi et Cereris) *si munere tellus Chaoniam pingui glandem mutavit arista.* Vitruv. l. l.: *Homines veteri more ut ferae in silvis et speluncis et nemoribus nascebantur ciboque agresti vescendo vitam exigebant.* — *fabricaverat*] de hac forma cf. Neue lat. Formenl. II ² 285. — *usus*] „indigentia.“ SCHOL. — *verba--Nominaque*] Inverso ordine Graeci *ὀνόματα καὶ ῥήματα*, omnes, orationis partes his complexi. — *voces*] sonos illos homini naturales nondum certam aliquam notionem exprimentes, quibus tamen ante linguam, quae proprie dicitur, inventam ad animi perturbationes atque affectus (*sensus*) qualicunque modo significandos utebantur; postea inconditos primum hos sonos articulatim distincteque compositos verbis notabant, id est, certis verbis certam significationem attribuerunt, qua in sermone quotidiano sibi constanter et convenienter uterentur. *Voces sensusque* est igitur *βραχυλογία* pro: „voces singulis sensibus respondentes“. id est „voces singulos hominum sensus indicantes potius quam clare etiamtunc enuntiantes.“ Vitruv. 2, 1: *In* (primo) *hominum congressu cum profundebantur aliter e spiritu voces, quotidiana consuetudine vocabula, ut obtigerant, constitue-*

Ne quis fur esset, neu latro, neu quis adulter.
Nam fuit ante Helenam cunnus taeterrima belli
Causa, sed ignotis perierunt mortibus illi,
Quos venerem incertam rapientes more ferarum
Viribus editior caedebat, ut in grege taurus. 110
Iura inventa metu iniusti fateare necesse est,
Tempora si fastosque velis evolvere mundi.
Nec natura potest iusto secernere iniquum,
Dividit ut bona diversis, fugienda petendis;
Nec vincet ratio hoc, tantundem ut peccet idemque 115
Qui teneros caulis alieni fregerit horti,
Et qui nocturnus sacra divum legerit. Adsit

107. *taeterrima* cod. omnes, *deterrima* L. Müller prob. Eckstein, G. Krüger.

runt; deinde significando res saepius in usu, ex eventu fari fortuito coeperunt et ita sermones inter se procreaverunt.

107-110. *Nam fuit* cet.] „Raptus mulieris fuit belli causa foedissima atque indigna vel ante tempora Troiana.“ Od. 4, 9, 13: *Non sola comptos arsit adulteri crinis - - Helene Lacaena.* — *cunnus*] plebeium et mimicum vocabulum pro muliere.“ — *taeterrima*] h. l. et supra sat. 1, 2, 33 mutavit L. Müller, *taeter* alienum ab Horatii usu iudicans. — *ignotis*] quia nullus poëta eorum fortia facta celebravit. — *v. incertam rapientes*] „venere sine connubio stabili libidinose utentes.“ — *editior*] „eminentior.“ Videtur dictum sine exemplo pro „superiore.“

111-119. *Iura inventa metu* cet.] Contra Stoici *τὸ δίκαιόν φασι φύσει εἶναι καὶ μὴ θέσει.* Stob. Ecl. Phys. 2, 7 p. 184. H. Ex doctrina vero Sophistarum Epicurique nihil iustum aut iniustum est natura, sed legibus ac moribus; contra naturale est discrimen inter bona et mala, et suopte instinctu homo ducitur ad illa appetenda, haec fugienda. — *Tempora* cet.] „Si historiae ope a praesenti tempore velis redire ad primam iuris originem eamque explicare.“ — *Nec natura* cet.] „Non ita per naturam, quid iustum quid iniustum sit intelligere quis potest, ut intelligit, quid utile et quid inutile sit aut quo malum a bono distet.“ PORPHYR. — *Dividit ut bona diversis*] „quemadmodum bona discriminat a malis, utilia a noxiis.“ — *Nec vincet ratio hoc*] *οὐδὲ αἱρήσει ὁ λόγος.* „Numquam Stoicorum ratio hoc evincet, firmiter nobis persuadebit, verum esse istud praeceptum.“ Sic in prosa or. *vincere causam, litem.* — *tantundem ut peccet* cet.] Hic quoque Epicuri sequitur doctrinam *ἁμαρτήματα ἄνισα εἶναι*, Diog. Laërt. 10, 120. Comparant Plut. Sol. 17 de legibus Draconis: *μία ὀλίγου δεῖν ἅπασιν ὥριστο τοῖς ἁμαρτάνουσι ζημία θάνατος, ὥστε καὶ τοὺς ἀργίας ἁλόντας ἀποθνήσκειν καὶ τοὺς λάχανα κλέψαντας ἢ ὀπώραν ὁμοίως κολάζεσθαι τοῖς ἱεροσύλοις καὶ ἀνδροφόνοις.* — *caulis*] brassicam. „*Frangere flores* non memini legisse.“ BENTL. Recte tamen dicitur de *caulibus*, ut de calamis et cannis. — *sacra - legerit*] dictum ut *sacrilegus*. Lucilius 28,

Regula, peccatis quae poenas irroget aequas,
Ne scutica dignum horribili sectere flagello.
Nam ut ferula caedas meritum maiora subire 120
Verbera, non vereor, cum dicas esse paris res
Furta latrociniis et magnis parva mineris
Falce recisurum simili te, si tibi regnum
Permittant homines. Si dives, qui sapiens est,
Et sutor bonus et solus formosus et est rex: 125
Cur optas quod habes? 'Non nosti, quid pater,' inquit,

58 L. M. 1035 Lchm.: *Omnia viscatis manibus leget, omnia sumet.* — *scutica* a σκῦτος, corium, et *ferula*, quibus puniebantur pueri (vid. ad Ep. 2, 1, 70), a Martiale 10, 62, 10 dicuntur *sceptra paedagogorum*. Etiam servi *scutica*, *habena*, *loris* propter leviora delicta, ob graviora *flagello* cum aculeis ferreis caedebantur. — *sectere*] *Sectari* h. l. „insequi, urgere", διώκειν.

120-125. *Nam*, *ut-caedas--non vereor*] Σολοικοφανὲς hoc (quod manifesto significat: „Certus sum, te pro tua severitate nequaquam caesurum ferula dumtaxat eum, qui graviore poena dignus sit; immo eum hac ipsa semper afficies, flagello strenue usurus.") optime, ni fallor, explanari potest ex vv. D. Bruti ad Cic. Ep. ad Fam. 11, 10: *haec quemadmodum explicari possint aut, a te cum explicantur, ne impediantur, timeo.* Ut enim hic primum scribere volebat: *quemadmodum explicari possint, non video*, interpositis autem aliis scripsit *timeo*, ita Horatius pro his: „*ut ferula caedas, id vero neutiquam veri simile est*", vel: „*ut caedas, id ne facias, non vereor*", vel: „*non vereor fore, ut caedas*", vel, quod omnium simplicissimum est, cum Reisigio Lat. Sprachw. p. 569: *illud, ut caedas, non vereor* (varie enim Horatii sententia exprimi potest) paulo licentius scripsit: „*ut caedas, non vereor.*" (Conf. Liv. 28, 22: *nihil minus quam* (illud) *ut egredi moenibus auderent timeri poterat.*) Cum autem praecedant vv. *ut caedas*, longe minus in iis lector offendit, quam si ita subsequerentur: *vereor*, *ut* (pro *ne*) *caedas*. — *magnis*] iunge cum v. *simili*: „et parva mineris simili te falce recisurum (exterminaturum) atque magna." — *Falce recisurum*] ut dumetum, non ut segetem. Cic. Tusc. 5, 65: *Immissi cum falcibus multi purgarunt et aperuerunt locum* (dumis obsitum). — *regnum*] Arripit hoc voc., ut derideat Stoicos, quemadmodum fecit v. 133 et Ep. 1, 1, 106 sq. Cic. Acad. 2, 136: *Illi* (Xenocrates et Aristoteles) *umquam dicerent* (ut vos) *sapientes solos reges? solos divites? solos formosos? omnia, quae ubique essent, sapientes esse?* — *Si dives* cet.] „Quid opus est illa condicione, *si tibi regnum* cet., cum ex ista tua doctrina, μόνον εἶναι τὸν σοφὸν βασιλέα καὶ βασιλικόν, τῶν δὲ φαύλων μηδένα (Stob. Ecl. Phys. 2, 7 p. 222), hoc ipsum regnum iamiam habeas?" Porphyr.: „Hoc ad illud refertur, quod de affectione Stoici existimant perfectae sapientiae virum omnia habere, in quo sensu et *Lucilius* (1173 Lchm., incert. 134 sq. L. M.) versatus sic ait *Nondum etiam qui haec omnia habebit, formosus dives liber rex solu' vocetur?*

126-129. *pater*] Etsi Stoa proprie

'Chrysippus dicat: Sapiens crepidas sibi numquam
Nec soleas fecit, sutor tamen est sapiens'. Qui?
'Ut, quamvis tacet Hermogenes, cantor tamen atque
Optimus est modulator; ut Alfenus vafer, omni 130
Abiecto instrumento artis clausaque taberna,
Sutor erat, sapiens operis sic optimus omnis
Est opifex solus, sic rex'. Vellunt tibi barbam
Lascivi pueri; quos tu nisi fuste coërces,
Urgeris turba circum te stante miserque 135
Rumperis et latras, magnorum maxime regum.

128. *Qui?* unus codex Blandinius, B, Parisini uv, ed. plerique; ceteri codices *Quo?* — 130. *Alfenus* libri paene omnes. *Alfenius* cod. Paris. 8213, Orellius. — 132. *Sutor* codices ad unum omnes, nisi quod codex antiquissimus Blandin. 'erasis characteribus' *tonsor*, prob. Bentleio, Hauptio, Vahleno aliis.

a Zenone condita erat, tamen dicebant: *εἰ μὴ ἦν Χρύσιππος, οὐκ ἂν ἦν Στοά*. Diog. Laërt. 7, 183. — *crepidas*] Graecorum. Persius 1, 127. — *Hermogenes*] Tigellius Hermogenes tunc vivens, diversus utique a Tigellio Sardo. — *cantor*] ex usu Horatiano cum hoc quoque vocab. iunge v. *optimus*.

130-132. *Alfenus*] „Urbane Alfenum Varum Cremonensem deridet, qui abiecta sutrina, quam in municipio suo exercuerat, Romam petit magistroque usus Sulpicio iuris consulto ad tantum pervenit, ut et consulatum gereret et publico funere efferretur." PORPHYR. Vera autem scriptura est *Alfenus*, ut in fastis consul. ad a. 755 edidit Jos. Klein, etsi altera etiam nominis forma *Alfenius* videtur in usu fuisse; conf. *Vipstanus*, et *Vipstanius*, *Pupienus* et *Pupienius*. — *vafer*] aptum ICti *ἐπίθετον*, ut Sat. 2, 2, 131 *vafri iuris*] — *instrumento artis*] „scalpris et formis." Sat. 2, 3, 106. — *Sutor erat*] *Sutorium* (ut *censorium* cet.) talem hominem vocat. Cic. ad Att. 6, 1, 15. Lectio *Tonsor* unius codicis Bland., sed correcti (nam hoc potius significare videntur Cruquii verba *erasis characteribus* quam, quod Bentleius opinabatur; „a prima manu"), cupidius arrepta est a Bentleio contendente multo concinnius esse, si oratio per varia discurrat opificia; quod contra esse demonstravit Weichert Lectt. Venus. II. p. 29. — *sapiens* cet.] Conf. Ep. 1. 1, 106: *sapiens uno minor est Iove, dives, Liber, honoratus, pulcher, rex denique regum.*

133—136. *Vellunt*] Sic Dio Chr. Or. 72 p. 382 R.: *ἐπειδὰν δέ τινα ἴδωσιν ἀχίτωνα ἐν ἱματίῳ κομῶντα τὴν κεφαλὴν καὶ τὰ γένεια, - - ἐφίστανται καὶ ἐρεθίζουσι καὶ ἤτοι κατεγέλασαν ἢ ἐλοιδόρησαν ἢ ἐνίοτε ἕλκουσιν ἐπιλαβόμενοι.* — *barbam*] cum abolla insigne huiusmodi Stoicorum semicynicorum. — *Lascivi*] „quorum petulantiam provocat ridicula tua declamatio et gesticulatio." — *fuste*] quem semper manibus gerebant. „Hinc Stoici et Cynici *bactroperitae* dici soliti, quia praeter baculum et peram nihil haberent." Hieronym. in

Ne longum faciam: dum tu quadrante lavatum
Rex ibis neque te quisquam stipator ineptum
Praeter Crispinum sectabitur, et mihi dulces
Ignoscent, si quid peccaro stultus, amici, 140
Inque vicem illorum patiar delicta libenter,
Privatusque magis vivam te rege beatus.

SATIRA IV.

Eupolis atque Cratinus Aristophanesque poëtae

140. *peccaro* cod. plerique, *peccabo* pauci.

Matth. 11, 10. — *Rumperis*] clamitans. Cic. ad Fam. 7, 1, 4: *dirupi me paene in iudicio Galli.*

137-142. „Dum tu, Stoice, propter ipsam morositatem in iudicando ab omnibus praeter unum illum Crispinum, hominem perridiculum, derelictus manes, ego naturae humanae morem gerens fruor sorte longe feliciore; etenim complures amicos habeo in me aeque indulgentes et comes atque ego in illos sum.“ (Vv. *neque te* cet. iungo cum protasi *dum* cet.; in apodosi autem sibi respondent *et - que - que.* Alii protasin claudunt verbo *ibis*, ut sibi respondeant *neque - et* cet.) — *quadrante lavatum*] In balneis publicis homines tenuiores *quadrantem* pendebant balneatori. Similiter Iuven. 6, 447: *quadrante lavari*, — *stipator*] „velut satelles et assecla.“ — *ineptum*] Wieland comparat francogallicum *vieux radoteur.* — *Crispinum*] Cfr. Sat. 1, 120. — *peccaro*] Lectionem *peccavero* primus reiecit Bentleius; „neque enim“, inquit, „*o* finale in verbis temere invenies correptum apud eius aevi scriptores; et adhuc durius est, ubi sequens vocabulum a duabus mutis consonantibus inchoatur.“ — *stultus*] non „imprudens“, sed „non sapiens, non Stoicus.“

IV. Centum circiter ante Horatium annis Lucilius veteri illi Ennii satirae formam prorsus novam dederat, cum suae aetatis vitam moresque salse describeret. Neque ullum impedimentum diviti venae et salibus eius offecit, florente populari rei publicae statu et summa loquendi scribendique libertate concessa. Etsi igitur antiquae comoediae Atticae auctores aemulatus nemini ne principibus quidem in civitate viris parcebat, tamen neque apud cives suos invidiam sibi conflavit, nec nobilium amicorum gratiam perdidit. (Cfr. Sat. 2, 1, 62.) Post Lucilium nemo in hoc genere cum laude elaboravit, frustra id experto P. Terentio Varrone Atacino (Sat. 1, 10, 46), donec Horatius exstitit novus satiricae poësis auctor. Sed sublata erat una cum vetere re publica felicissima illa dicendi, iocandi, deridendi libertas; simul morum perditorum pestis et omnis generis vitia, iam prius illata per bella civilia, ita tunc omnem civitatem inquinaverant, ut perquam pauci reperirentur ab hac saeculi labe immunes quique hanc satirarum candidam libertatem non reformidarent. Neque minus iam tota poësis Latinae ratio erat immutata, utpote in qua patrius color et vernacula antiquitatis Romanae indoles ita evanuisset, ut omnis

Atque alii, quorum comoedia prisca virorum est,
Si quis erat dignus describi, quod malus ac fur,
Quod moechus foret aut sicarius aut alioqui
Famosus, multa cum libertate notabant. 5
Hinc omnis pendet Lucilius, hosce secutus

Sat. IV. 3. *ac*] codices paene omnes, *aut* pauci deteriores.

laus ex artificiosa Graecorum imitatione peteretur. Non igitur mirum est ab aliis ea aetate nativam Horatianae satirae simplicitatem et gratam sermonis negligentiam prae illa magis artificiosa carminum pangendorum ratione fastiditam esse, ab aliis poëtam ut acerbum, lividum, malitiosum esse vituperatum. Iam contra hos sinistros rumores et prava iudicia ut se defenderet, hanc satiram conscripsit.

1-5. *Eupolis* cet.] Quintil. 10, 1, 65: *Antiqua comoedia--facundissimae libertatis,--insectandis vitiis praecipua.--Plures eius auctores: Aristophanes tamen et Eupolis Cratinusque praecipui.* Quanti Horatius fecerit Eupolin, colliges ex Sat. 2, 3, 12, ubi iungitur cum Platone, Menandro, Archilocho. — *prisca*] Critici Alexandrini, ut notum est, distinxerant comoediam antiquam (ἀρχαίαν), quae desiit in Aristophane, mediam, novam, cuius praecipui auctores Menander, Diphilus, Philemo, Alexis cet. — *Atque alii*] veluti Pherecrates, Plato, fortasse etiam Epicharmus, itidem in canonem criticum recepti ab Alexandrinis. — *quorum c. p. virorum est*] Sat. 1, 10, 16: *Illi, scripta quibus comoedia prisca viris est*] — *describi*] V. *describere* pr. significat „accurate alicuius formam aut mores exprimere.“ (Plaut. Asin. 402: *Non potuit pictor rectius describere eius formam*), unde *descriptio*, χαρακτήρ, sensu rhetorico, Cic. Top. 83. Rutil. Lup. 2, 7: *Χαρακτηρισμός. Quemadmodum pictor coloribus figuras describit, sic orator hoc schemate aut vitia aut virtutes eorum, de quibus loquitur, deformat.* Conf. Ep. 2, 1, 152: *lex-lata, malo quae nollet carmine quemquam Describi.* — *malus*] Aristoph. Plut. 30: ἱερόσυλοι, ῥήτορες Καὶ συκοφάνται καὶ πονηροί. Cic. Phil. 14, 7: *Testamenta, credo, subiciunt aut eiciunt vicinos aut adolescentulos circumscribunt; his enim vitiis affectos et talibus malos et audaces appellare consuetudo solet.* Est igitur homo fraudulentus *ac* (et propterea quidem), si occasio oblata sit, *fur.* — *alioqui Famosus*] veluti falsarius, ῥίψασπις, vafer sophista, malus poëta, homo turbidus ac factiosus, ut Cleon et Hyperbolus.

6-13. *Hinc* cet.] Io. Laurentius Lydus de magistr. R. R. 1, 41: Ῥίνθων ἐξαμέτροις ἔγραψε πρῶτος κωμῳδίαν· ἐξ οὗ πρῶτος λαβὼν τὰς ἀφορμὰς Λουκίλιος ὁ Ῥωμαῖος ἡρωϊκοῖς ἔπεσιν ἐκωμῴδησε. Μεθ' ὃν καὶ τοὺς μετ' αὐτόν, οὓς καλοῦσι Ῥωμαῖοι σατυρικούς, οἱ νεώτεροι τὸν Κρατίνου καὶ Εὐπόλιδος χαρακτῆρα ζηλώσαντες, τοῖς μὲν Ῥινθωνος μέτροις, τοῖς δὲ τῶν μνημονευθέντων διασυρμοῖς χρησάμενοι, τὴν σατυρικὴν ἐκράτυναν κωμῳδίαν. Libertatem imprimis auctorum priscae comoediae aemulatus est Lucilius. Trebonius apud Ciceron. ad Fam. 12, 16, 3: *Qui magis hoc Lucilio licuerit assumere libertatis quam nobis? cum, etiamsi odio pari fuerit in eos, quos laesit, tamen certe non magis* (quam ego) *dignos habuerit, in quos tanta libertate verborum incurreret.* — *pen-*

Mutatis tantum pedibus numerisque, facetus,
Emunctae naris, durus componere versus.
Nam fuit hoc vitiosus: in hora saepe ducentos,
Ut magnum, versus dictabat stans pede in uno. 10
Cum flueret lutulentus, erat quod tollere velles;
Garrulus atque piger scribendi ferre laborem,
Scribendi recte: nam ut multum, nil moror. Ecce,
Crispinus minimo me provocat: 'Accipe, si vis,

14. *minimo*] *mimo* (quod coniecerat N. Heinsius) superscr. *ni* S, *nummo* Bentleius coni.

det] quatenus genere ceteroqui diverso imitatus est comoediam antiquam in eo certe, quod homines etiamtunc viventes et honoribus usos nominatim descripsit atque ridendos proposuit. — *numerisque*] ῥυθμοῖς. Praeter hexametrum tamen etiam usus est interdum versibus iambicis et trochaicis, qua de re breviter disseruit L. Müller in Lucil. reliq. pg. XI sq. — *facetus*] *Perurbanum* vocat Cicero et *vernaculam festivitatem* ei tribuit ad Fam. 9, 15, 2. — *Emunctae naris*] „qui facile odoraretur et acute animadverteret aequalium suorum vitia.“ Opponitur homo *naris obesae*. Epod. 12, 3. — *durus componere versus*] Sat. 1. 10, 1: *Nempe incomposito dixi pede currere versus Lucili.* v. 56: *Quid vetat et nosmet Lucili scripta legentis Quaerere, num illius, num rerum dura negarit Versiculos natura magis factos et euntes mollius* cet. Adi. *durus* refertur ad numeros impolitos et scabros versus. — *Ut magnum*] „quasi vero haec nimia facilitas laude digna esset.“ — *dictabat*] puero a manu, ut solebant antiqui. — *stans pede in uno*] „maxima cum facilitate et tamquam ludibundus;“ imago sumpta vel a pueris sic inter se ludentibus vel a circulatoribus, qui popello monstrant, quamdiu sic se sustinere possint. — *Cum flueret lutulentus* cet.] „Propterea quod multa diceret negligenter atque inordinate, pro lubitu Graecis etiam verbis et nimis plebeis usus, adeo ut ipse doctissimos inter aequales iudices habere nollet (Plin. H. N. Praef. §. 7), erant sane haud pauca, quae ipsius causa deleta velles, ipse autem lima usus non est.“ Sic explicandus item locus Sat. 1, 10, 50 et Quintil. 10, 1, 94: *Ego-ab Horatio dissentio, qui Lucilium fluere lutulentum et esse aliquid, quod tollere possis, putat.* Cfr. ad vv. *fluere lutulentum* Sat. 1, 7, 28. Eadem significatione, qua h. l. *tollere*, Sat. 1, 10, 69 dicitur *recidere*. De toto loco v. Wolfii Anal. I. p. 185. Contra putant Scholiastae, *tollere* esse „conservare“, vel „excerpere velut in χρηστομάθειαν“, ut dicitur fecisse Iulius Florus Horatii, vel denique „extollere laudibus“, quam sententiam Quichérat (mélanges de philol. pg. 171 sq.) defendit. Ceterum eadem imagine usus iam erat Callimachus de inimico Apollonio Rhodio Hymn. in Apoll. 108: *Ἀσσυρίου ποταμοῖο μέγας ῥόος· ἀλλὰ τὰ πολλὰ Λύματα γῆς καὶ πολλὸν ἐφ' ὕδατι συρφετὸν ἕλκει.* — *piger-ferre*] Nota constructio Graeca, *νωθρὸς φέρειν*. Od. 4, 14, 22: *impiger-vexare.* — *laborem*] et meditationis et limae.

14-20. *Crispinus*] Vid. Sat. 1, 1, 120. — *minimo*] „*Minimo provo-*

Accipiam tabulas; detur nobis locus, hora, 15
Custodes; videamus uter plus scribere possit.'
Di bene fecerunt, inopis me quodque pusilli
Finxerunt animi, raro et perpauca loquentis.
At tu conclusas hircinis follibus auras,
Usque laborantis, dum ferrum molliat ignis 20
Ut mavis, imitare. Beatus Fannius ultro
Delatis capsis et imagine, cum mea nemo

15. *Accipiam* Rγφψλuv Dessauiensis, Leidensis, Vossianus, ex Cruquianis plerique (in his Blandinius antiquissimus) *Accipe iam* EO Leidensis, Oberlinianus, Gothanus. — 18. *loquentem* Lamb. coni. eoque auctore Bentleius. — 20. *emolliat* Bentleius coniectura.

care dicuntur ii, qui in sponsione plus ipsi promittunt, quam exigunt ab adversario." SCHOL. Crispinus igitur victoriae certus, si sponsione vincatur, longe plus nummorum se Horatio daturum promittit, quam ab ipso exacturus sit, si inferior evadat. Asse, inquit, vel quinario vel denario tunc contentus ero." Ceterum Bentleii coni. *nummo* speciosam esse numquam equidum negabo, cum referat sermonem formularum *nummo addicere* (Sat. 2, 5, 109) cet. — *Accipiam*] Cum constituendus sit futuri certaminis et locus et hora, longe convenientius est, ut dicat: „ego vicissim accipiam pugillares", quam ut impatienter, quasi nunc ipsum fieri deberet, repetat *Accipe iam;* et obstat tam calidae repetitioni urbanum illud *si vis.* — *Custodes*] „ne afferantur alieni versus." — *inopis me quodque pusilli*] coll. *quod me inopis pusillique* cet., ut infra v. 115. Conf. ad Od. 1, 30, 6. — *perpauca loquentis*] „taciturni, non garruli." SCHOL. Animus autem auctor est sermonis vel parci vel copiosi. Aristoph. Acharn. 485: *ἄγε νῦν, ὦ τάλαινα καρδία, Ἀπελθ' ἐκεῖσε, κἄτα τὴν κεφαλὴν ἐκεῖ Παράσχες, εἰποῦσ' ἅττ' ἂν αὐτῇ σοὶ δοκῇ.* — *conclusas* cet.] Verbosum ac turgidum genus scribendi significat, ipso versus sono follis sibilum crepitumque imitatus. — *follibus*] Iuven. 7, 111: *Tunc immensa cavi spirant mendacia folles.*

21-24. *Beatus*] „stulte sibi ipse placens atque immortalitatem animo quasi praecipiens." — *Fannius*] Horatii obtrectator notus praeterea ut *παράσιτος* Tigellii Hermogenis ex Sat. 1, 10, 80. Volgo explicant, Fannium mira vanitate inflatum libros suos et imaginem ultro detulisse in bibliothecam ab Asinio Pollione, ut ait Plinius H. N. 7, 30, *publicatam* a. u. c. 716, in qua tunc, cum conderetur, *M. Terentii Varronis unius viventis posita imago erat.* Sed cum per totum locum ne ullum quidem verbum sit, quod ad bibliothecam publicam referri possit, cum aliis cogitandum est de librariorum tabernis. Friedländer (Sittengesch. III[5] 207) consuesse demonstrat scriptores imagines suas libris addere; itaque sententia est: tanti Fannius carmina sua aestimat (ob eamque rem *beatus* est), ut *ultro* additis *capsis et imaginibus* librariis vendenda permittat ac *deferat.* Hanc vim inesse in v. *deferre* docent lexica. — *mea--timentis*] Eadem constructio satis frequens et apud

Scripta legat volgo recitare timentis ob hanc rem,
Quod sunt quos genus hoc minime iuvat, utpote pluris
Culpari dignos. Quemvis media elige turba: 25
Aut ob avaritiam aut misera ambitione laborat.
Hic nuptarum insanit amoribus, hic puerorum;
Hunc capit argenti splendor, stupet Albius aere;
Hic mutat mercis surgente a sole ad eum, quo
Vespertina tepet regio; quin per mala praeceps 30
Fertur, uti pulvis collectus turbine, ne quid
Summa deperdat metuens aut ampliet ut rem.

25. *elige* Dessauiensis, Lipsiensis, Monacensis, Argentoratensis, Gothanus, OSγb, unus Blandinius (fort. antiquissimus) *erue* Rφψlu Vossianus, Leidensis *eripe* tres Blandinii cum paucis aliis; Orelli. — 26. *misera* plerique cod., *miser* Rφψl Vossianus, Lipsiensis.

Graecos et apud Latinos. [Plat.] Epinomis p. 989 E.: *κατὰ δύναμιν τὴν ἐμὴν τοῦ λέγοντος*. Ovid. Her. 5, 43: *nostros vidisti flentis ocellos.* — *recitare*] V. *timere* cum infinitivo eadem vi qua *vereri* perrarum est apud scriptores superiores (vid. Draeger syntax. II ² pg. 341) apud Horatium praeter hunc locum Od. 1, 8, 8. 3, 24, 56. Epist. 1, 5, 2. 7, 4. 19, 27. A. P. 170. 197. 455. — *utpote pluris C. dignos*] per attractionem ad proxime praecedentia pro: „quippe cum plures culpari digni sint."

25. 26. *elige*] Sic cum optimis cod. scribendum. *Arripe* Bentleii per se rectum est (Cic. de Or. 1, 34, 159: *quemcumque patrem familias arripuissetis ex aliquo circulo, eadem vobis percontantibus respondisset.*); aegre tamen desideramus praepos. *ex* vel *de.* — *ob avaritiam*] Haec vera est lectio, cui nonnulli substituerunt Douzae coni. *ab avaritia.* Sed saepe variata constructione duas notionum relationes simul praebere solent antiqui. Sic Sallust. Iug. 22: *ob easdem artis a Micipsa, non penuria liberorum, in regnum adoptatum esse.* Liv. 38, 39: *non tam ob recentia ulla merita quam originum memoria.* Tacit. Hist. 2, 50: *non noxa neque ob metum.* — *misera*] Est velut stabile *ἐπίθετον*. Cic. de Off. 1, 87: *Miserrima est omnino ambitio honorumque contentio.* Ipse Horatius Sat. 1, 6, 129: *Vita solutorum misera ambitione gravique.*

28-37. *argenti*] facti, caelati. — *stupet-aere*] „insano studio quaerit vasa Corinthiaca." Eadem constr. Verg. Ge. 2, 508: *Hic stupet attonitus Rostris.* Sat. 2, 7, 95: *Pausiaca torpes, insane, tabella.* — *Albius*] homo ignotus; de Tibullo poeta non cogitandum, quod is cum haec satira scripta est pueritia vix egressus erat. — *Hic mutat mercis* cet.] Loquitur de mercatore, qui lucri cupidus ab Oriente ad Occidentem omnia maria pernavigat. Cfr. Ep. 1, 1, 45: *Impiger extremos curris mercator ad Indos.* — *quo Vespertina tepet regio*] Epico sermone Occidentem *παραφράζει*. Solis enim vespertini tepor (Ep. 1, 20, 19: *Cum tibi sol tepidus pluris admoverit auris.*) transfertur ad vespertinam regionem. — *collectus turbine*] Od. 1, 1, 4: *pulverem collegisse.* — *ampliet ut rem*] Non est *ut* finale, sed iunge cum v. *metuens.* — *versus*]

Omnes hi metuunt versus, odere poëtas.
'Faenum habet in cornu; longe fuge: dummodo risum
Excutiat sibi, non hic cuiquam parcet amico, 35
Et quodcumque semel chartis illeverit, omnis
Gestiet a furno redeuntis scire lacuque
Et pueros et anus.' Agedum, pauca accipe contra.
Primum ego me illorum, dederim quibus esse poëtis,
Excerpam numero: neque enim concludere versum 40
Dixeris esse satis; neque, si qui scribat uti nos
Sermoni propiora, putes hunc esse poëtam.
Ingenium cui sit, cui mens divinior atque os
Magna sonaturum, des nominis huius honorem.

33. *poëtam* Bentleius coni. — 35. *tibi* Rutgersius. — 39. *poëtis* R et Acron ad Sat. 1, 6, 25. N. Heinsius, Bentl., Meineke, Haupt, Vahlen; *poëtas* codices paene omnes. — 41. *si qui* cod. plerique; *si quis* Scdpuφ Gothanus.

„huius nostri generis;" „qualibus satira utitur." — *odere poëtas*] *ἀσύνδετον* ita supple: „metuunt versus atque propterea odere poëtas." — *Faenum* cet.] „Quando feriunt boves, eorum in cornibus ligatur faenum." ACRO. Plut. in Crasso c. 7: *Σικίννιος πρὸς τὸν εἰπόντα, τί δὴ μόνον οὐ σπαράττει τὸν Κράσσον, χόρτον ἔχειν φησὶν ἐπὶ τοῦ κέρατος.* — *Excutiat sibi*] dativus commodi: „dummodo dictis suis mordacibus lectores vehementer ridere cogat;" id quod homini malitioso valde blanditur; sed propter hoc ipsum ab omnibus fugiendus est. Alii minus recte explicant: „dummodo semet ipsum ad ridendum cogat." — *illeverit*] contemptim de neglegentia in scribendo. — *a furno - - lacuque*] a pistrino et aquae receptaculis, quae DCC in Urbe fecit M. Agrippa. Plin. H. N. 36, 15. Gaudet igitur plausu hominum infimae sortis.

39-48. *Primum*] Non sequitur *deinde;* exempla huius consuetudinis in oratione incitatiore non rara. — *poëtis*] Propter constructionis ignorationem codices pro dativo occupavit accusativus. — *Excerpam*] pro „excipiam, eximam", etiam in prosa oratione. Cic. de Or. 2, 47: *Non enim, si est facilius, eo de numero quoque est excerpendum.* — *concludere*] Sat. 1, 10, 59: *pedibus quid claudere senis.* — *Sermoni*] quotidiano. — *os Magna sonaturum*] de sententiarum sublimitate atque verborum illis respondentium scito delectu. Verg. Ge. 3, 294: *Nunc, veneranda Pales, magno nunc ore sonandum!* Ovid. ex Ponto 4, 16, 5: *Marsus magnique Rabirius oris.* — *quidam*] Grammatici Alexandrini. — *comoedia necne poëma Esset*] Cic. Orat. 67: *Video visum esse nonnullis Platonis et Democriti locutionem, etsi absit a versu, tamen quod incitatius feratur et clarissimis verborum luminibus utatur, potius poëma putandam quam comicorum poëtarum, apud quos, nisi quod versiculi sunt, nihil est aliud quotidiani dissimile sermonis.* Construendum est: *co-*

Idcirco quidam, comoedia necne poëma 45
Esset quaesivere, quod acer spiritus ac vis
Nec verbis nec rebus inest, nisi quod pede certo
Differt sermoni, sermo merus. 'At pater ardens
Saevit, quod meretrice nepos insanus amica
Filius uxorem grandi cum dote recuset, 50
Ebrius et — magnum quod dedecus — ambulet ante
Noctem cum facibus.' Numquid Pomponius istis
Audiret leviora, pater si viveret? Ergo
Non satis est puris versum perscribere verbis,
Quem si dissolvas, quivis stomachetur eodem 55
Quo personatus pacto pater. His, ego quae nunc,
Olim quae scripsit Lucilius, eripias si
Tempora certa modosque et, quod prius ordine verbum est,
Posterius facias, praeponens ultima primis,
Non, ut si solvas „Postquam Discordia taetra 60
Belli ferratos postis portasque refregit",

moedia poëma esset necne. Cfr. v. 63: *alias iustum sit necne poëma--quaeram.* Sic Cic. pro Mur. 25: *posset agi lege necne pauci quondam sciebant,* aequali in utramque partem dubitatione. — *nisi quod* cet.] „Comoedia sermo merus est, nisi quod metro ab hoc differt." — *merus*] „cui nihil ornatus poëtici admixtum est."

48-62. *At* cet.] Fingit sibi adversarium, quem refutat v. 52. — *ardens*] ira, ut Verg. Aen. 2, 41: *Laocoon ardens.* — *Saevit*] „magna cum ira reprehendit." Plaut. Epid. 656: *sed memento, si quid saevibunt senes, Suppetias mihi cum sorore ferre.* — *nepos*] ἄσωτος, ἀσελγής, „dissolutus." Vid. ad Epod. 1, 34. — *ante Noctem*] „comissatur iam per crepusculum." — *Pomponius*] adolescens luxuriosus, alioquin ignotus, quem sic ἐν παροδῷ acriter vellicat. „Patres", inquit, „quotidie ita filiis suis prodigis succensent eosque increpant; neque igitur propter talia dumtaxat comoedia pro poëmate haberi potest." — *puris*] „simplicibus et inaffectatis, sine figuris et magno sono." Cfr. Bentl. ad A. P. 99. Quintil. 8, 3, 14: *purus sermo et dissimilis curae.* — *personatus*] in scena, comicus. — *Tempora-modosque*] „pedes et pedum seriem rhythmicam cum caesuris legitimis." Cfr. v. 7: *pedibus numerisque mutatis.* — *Postquam* cet.] Versus Ennii testibus Porphyr. et Servio ad Aen. 7, 622. (Ann. v. 270 V.) — *Belli f. postis portasque*] Imago desumpta a Iano aperto. Verg. Aen. 1, 294: *Claudentur Belli portae.* Aen. 6, 279: *mortiferumque adverso in limine Bellum.* Aen. 7, 622: *Belli ferratos rumpit Saturnia postis.* — *etiam disiecti*] Haec arcte iungenda: „vel soluti." Sententia est: „Non in meis versibus solutis invenias membra poëtae quamvis disiecti, ut invenies in versibus his Ennianis verba et imagines poëticas, licet sic transponas: *„Postquam*

Invenias etiam disiecti membra poëtae.
Hactenus haec: alias iustum sit necne poëma,
Nunc illud tantum quaeram, meritone tibi sit
Suspectum genus hoc scribendi. Sulcius acer 65
Ambulat et Caprius, rauci male cumque libellis,
Magnus uterque timor latronibus: at bene si quis
Et vivat puris manibus, contemnat utrumque.
Ut sis tu similis Caeli Birrique latronum,
Non ego sim Capri neque Sulci: cur metuas me? 70
Nulla taberna meos habeat neque pila libellos,
Quis manus insudet volgi Hermogenisque Tigelli:
Nec recito cuiquam nisi amicis, idque coactus,

69. *Ut* cod. plerique, *Et* pauci, *Aut* Vahlen. — 70. *sim* cod. paene omnes, *sum* cod. quidam Torrentii, Porphyrio, Orelli. — 73. *recito* cod. paene omnes, — *recitem* cum codd. Lambini Bentleius. — *quicquam* e cod. Magdal. idem.

taetra discordia refregit ferratos postis portasque Belli."

63-70. *alias* cet.] „Alio tempore disquiram, utrum satira pro vero poëmate haberi debeat necne." Dilata autem hac quaestione, quam explicare in animo sane numquam habuit, callide quaerit transitum ad rei caput. — *Sulcius - - et Caprius*] „Hi acerrimi delatores et causidici fuisse traduntur, et ideo *rauci*, quod in contentione iudiciorum clament. PORPHYR. *male rauci* i. e. valde r.; cf. ad Od. 1, 9, 24. — *libellis*] accusatoriis. Menand. Mein. p. 115: *ἕλκει δὲ γραμματίδιον Ἑκεῖ σε δίθυρον.* — Huiuscemodi rabulam Cic. de Or. 1, 184 dicit *erectum et celsum, alacri et prompto ore ac voltu huc atque illuc intuentem, vagari cum magna caterva toto foro.* — *contemnat*] „minime metuat." — *Caeli Birrique*] „Caelius et Birrius fuerunt adolescentes perditi." ACRON. Propter egestatem, ut Catilinarii illi primi (Sall. Cat. 14), hi quoque interdum latrocinia commisisse videntur, etsi loco non ignobili orti.

71-73. *habeat*] Optativus; est res, quam ipse iam non impedire potest, semel editis Satiris, non tamen profecto eo consilio, ut iis *insudent*, sordibus suis eas veluti contaminent, homines *βάναυσοι* atque idiotae, similes Hermogenis Tigellii: contra ex sua voluntate pendet, utrum recitet necne et cui recitet. — *pila*] Ante tabernas in porticibus collocatas librarii habebant *pilas*, columnas porticus sustinentes, quibus pilis indices librorum, quos in tabernis vendebant, affixi erant. A. P. 373 Martial. 1, 117, 10: *Contra Caesaris est forum taberna, Scriptis postibus hinc et inde totis, Omnes ut cito perlegas poëtas.* — *Hermogenisque Tigelli*] cf. ad Sat. 1, 2, 3; significat hunc modulatorem in rebus ad poësin spectantibus aeque imperitum esse ac volgus. — *Nec recito cuiquam*] Ad v. *recito* facile cogitatione suppletur ex v. 71 *meos libellos.*

Non ubivis coramve quibuslibet. In medio qui
Scripta foro recitent, sunt multi quique lavantes: 75
Suave locus voci resonat conclusus: Inanis
Hoc iuvat, haud illud quaerentis, num sine sensu,
Tempore num faciant alieno. 'Laedere gaudes'
Inquit, 'et hoc studio pravus facis.' Unde petitum
Hoc in me iacis? Est auctor quis denique eorum, 80
Vixi cum quibus? Absentem qui rodit amicum,
Qui non defendit alio culpante, solutos
Qui captat risus hominum famamque dicacis,
Fingere qui non visa potest, commissa tacere
Qui nequit: hic niger est, hunc tu, Romane, caveto. 85
Saepe tribus lectis videas cenare quaternos,

79. *Inquit* Argent., Monacensis, Lipsiensis, Oγ, *inquis* Rλφψuv Vossianus, Dessauiensis alii.

74-80. *In medio* cet.] „Probe novi esse, qui vel in medio foro, id est dempta hyperbola, coram maxima auditorum corona carmina recitent.“ — *lavantes*] „in balneis, quia in loco fornicato suaviter resonat recitantis vox.“ Martial. 3, 44, 12 ad recitatorem: *In thermas fugio: sonas ad aurem.* Videlicet circum labrum in balneis erat schola, quam vocabant, ubi amicis carmina ista audituris locus erat. Vitruv. 5, 10: *Scholas autem labrorum ita fieri oportet spatiosas, ut, cum priores occupaverint loca, circumspectantes reliqui recte stare possint.* — *sensu*] cummuni. Sat. 1, 3, 66. — *Inquit*] adversarius aliquis, *ὁ τυχών*. Haec formula a librariis plerumque immutata est in *inquis*. — *hoc studio pravus facis*] „cum pravus sis, id est, propter malitiam, dedita opera atque assidue hoc facere soles eoque gaudes.“ Ut Cic. pro S. Roscio 91: *ut omnes intelligant me non studio accusare, sed officio defendere.* — *Hoc in me iacis*] ut crebro dicitur *probra in aliquem iacere.* — *Est auctor quis*] non, ut Acron, „quis est auctor?“ sed: „estne auctor aliquis eorum cet.?“

82-89. *defendit*] de producta ultima syllaba confer ad Od. 1, 13, 6. — *solutos Qui captat risus*] *γελωτοποιός*, qui hominum cachinnos movere studet. — *hic niger est*] hic est improbis moribus et perfido ingenio.“ Alexis in Meinekii fr. Com. III. p. 433: *Δυ' ἐστί, Ναυσίνικε, παρασίτων γένη· Ἓν μὲν τὸ κοινὸν καὶ κεκωμῳδημένον, Οἱ μέλανες ἡμεῖς.* Cicero pro Caec. 27: *Sex. Clodius, cui nomen est Phormio, nec minus niger nec minus confidens, quam ille Terentianus est Phormio.* — *Romane*] „vir probe, ut decet esse Romanum.“ — *tribus lectis*] „Duodecim in triclinio; nam inde triclinium dictum, a tribus lectis.“ ACRON. Lectus imus, medius, summus. Vide ad Sat. 2, 8, 20. — *quaternos*] Summus hic numerus erat apud homines elegantiores. Hinc Cic. in Pis. 67 sic in eum invehitur: *Graeci stipati, quini in lectulis, saepe plures; ipse solus*

E quibus unus amet quavis adspergere cunctos
Praeter eum, qui praebet aquam; post hunc quoque potus,
Condita cum verax aperit praecordia Liber.
Hic tibi comis et urbanus liberque videtur, 90
Infesto nigris: ego, si risi, quod ineptus
Pastillos Rufillus olet, Gargonius hircum,
Lividus et mordax videor tibi? Mentio si qua
De Capitolini furtis iniecta Petilli
Te coram fuerit, defendas, ut tuus est mos: 95
'Me Capitolinus convictore usus amicoque

87. *unus* codices plerique, *imus* Leidensis, Vossianus, Dessauiensis *ψλ* — *amet* cod. Bland. ut videtur antiquissimus prob. Bentleio, Hauptio, L. Müller, Vahlen. *avet* ceteri.

cet. — *unus*] „si non plures, unus saltem scurra, quem dives mensae adhibere solet, ut habeat, cuius iocis se convivasque delectet.“ Speciosa est lectio *imus*, ut Sat. 2, 8, 40: *imi Convivae lecti.* Ep. 1, 18, 10: *imi Derisor lecti.* Verum, ut recte dicatur *imus imi lecti conviva* (Petron 38: *Vides illum, qui in imo imus recumbit?*) *ἄκυρον* tamen videtur unum inter tres trium lectorum imos simpliciter *imum* dici. — *amet*] non *avet*, requiritur a totius clausulae constructione; nec subsistit homo mordax in sola cupiditate alios carpendi, quod unum inest in v. *avere.* Verissime Bentleius: „Quid tum, si *avet* aspergere? Modo reapse non aspergat, nihil est, *cur comis et urbanus liberque videatur.* Quanto maius et significantius, quod in vetere Blandinio exstat, *amet aspergere?* id est, *soleat*, pro quo illud *avet* languidum plane et debile est.“ — *quavis*] non *quavis aqua*, ut volt Fea, sed est: „quavis ratione, modo festive, modo petulanter ac rustice.“ — *adspergere*] „salsis dictis carpere et vellicare.“ Cic. ad Fam. 6, 6, 9: *Ex eodem fonte se hausturum intelligit laudes suas, e quo sit leviter adspersus.* Tacit. Hist. 1, 48: *servili-probro respersus est.* Sic Gr. *πλύνειν* pro *λοιδορεῖν.* — *qui praebet aquam*] festiva extenuatione pro convivatore, quasi vero nihil aliud is praeberet nisi aquam partim ad pedes lavandos (Plaut. Pers. 792: *Fer aquam pedibus. Praeben puere?*), partim et frigidam et calidam ad bibendum. Od. 3, 19, 6. Sat. 2, 2, 68: *nec sit ut simplex Naevius unctam Convivis praebebit aquam.* — *verax--Liber*] Theocr. 29, 1: *Οἶνος, ὦ φίλε παῖ, λέγεται καὶ ἀλάθεα.*

90—104. *liber*] *παῤῥησιαστής.* Conf. v. 132. — *Infesto nigris*] „qui dicis te odisse malitiosos atque improbos.“ — *Pastillos*] Versus repetitus ex Sat. 1, 2, 27 ante hanc edita. — *Capitolini--Petilli*] Gentis Petilliae cognomen *Capitolinus* apparet etiam ex nonnullis inscriptionibus. 'Petillius Capitolinus cum Capitoli curam ageret, coronae subreptae de Capitolio causam dixit absolutusque a Caesare est.' PORPHYR. Cfr. Sat. 1, 10, 26: *cum Dura tibi peragenda rei sit causa Petilli.* — *defendas*] non „per me defendas licet“, sed „defendes, credo.“ — *amicoque*] Versus hypermeter, ut Sat. 1, 6, 102. —

A puero est causaque mea permulta rogatus
Fecit, et incolumis laetor quod vivit in urbe;
Sed tamen admiror, quo pacto iudicium illud
Fugerit.' Hic nigrae sucus lolliginis, haec est 100
Aerugo mera. Quod vitium procul afore chartis,
Atque animo prius, ut si quid promittere de me
Possum aliud vere, promitto. Liberius si
Dixero quid, si forte iocosius, hoc mihi iuris
Cum venia dabis. Insuevit pater optimus hoc me, 105
Ut fugerem exemplis vitiorum quaeque notando.
Cum me hortaretur, parce, frugaliter atque
Viverem uti contentus eo, quod mi ipse parasset:
'Nonne vides, Albi ut male vivat filius utque
Baius inops? Magnum documentum, ne patriam rem 110

110. *Baius* Blandinii, in his antiquissimus, Argentoratensis, Monacensis Ovγ. *Barus* Vossianus, Leidensis, Gothanus φψλRbcd. *Barrus* Su, Orelli.

admiror] i. e. non intellego, non capio. Sic apud Graecos θαυμάζω πῶς Xenoph. Memor. 1, 1, 1. — *sucus*] in prosa or. virus, sine imagine, malignitas ac livor. — *lolliginis*] „Lolligo genus piscis maritimi sucum atramento similem habens." ACRON. Plut. de sera n. v. pg. 565 C.: κακόνοια δ' ἐνοῦσα (τῇ ψυχῇ) μετὰ φθόνου τουτὶ τὸ ἰῶδες καὶ ὕπουλον, ὥσπερ αἱ σηπίαι τὸ μέλαν, ἀφίησιν. — *Aerugo*] Sic Martial. 10, 33, 5: *viridi tinctos aerugine versus*, id est, maledicos. — *ut si quid*] Constructione contracta ex 1) „ut aliud quid vere promittere de me possum;" 2) „si quid aliud--promittere possum."

105-108. *insuevit*] i. e. adsuefecit. Plerumque *suescere, assuescere, insuescere* intransitiva sunt; *suescere aliquem aliqua re* (*disciplina et imperiis*) postea Tacitus dixit annal. 2, 52. Verba sic ordinanda sunt: *„Si quid--dixero, hoc pater me assuevit, notando exemplis quaeque vitiorum, ut fugerem;"* ut sententia haec sit: „Si quid forte in satiris liberius aut iocosius de hoc atque illo homine aut vitio dixero, id mihi ignosces, propterea quod in eam consuetudinem adductus sum optimi patris institutione, quippe qui exemplis vitiorum quaeque notare soleret, ut caverem." Pronomen *hoc* referendum ad antegressa, ut Sat. 1, 6, 68: *Si neque avaritiam neque sordis - - Obiciet vere quisquam mihi, - - si et vivo carus amicis: Causa fuit pater his. — exemplis - - notando*] quoniam ratione non poterat. Vid. v. 115 sqq. — *mi ipse parasset*] Nam cum manumitteretur, non poterat habere nisi peculium; agellum et domum et quae in filium Romae educandum insumpsit, omnia ipse acquisierat ex coactoris munere.

109-123. *Albi*] V. supra v. 28. „Mira urbanitate, dum quasi ostendit, quomodo se pater suis monitis monere solitus esset, interea multos percutit." ACR. — *Barrus*]

Perdere quis velit.' A turpi meretricis amore
Cum deterreret: 'Scetani dissimilis sis.'
Ne sequerer moechas, concessa cum venere uti
Possem: 'Deprensi non bella est fama Treboni'
Aiebat. 'Sapiens, vitatu quidque petitu 115
Sit melius, causas reddet tibi: mi satis est, si
Traditum ab antiquis morem servare tuamque,
Dum custodis eges, vitam famamque tueri
Incolumem possum; simul ac duraverit aetas
Membra animumque tuum, nabis sine cortice.' Sic me 120
Formabat puerum dictis, et sive iubebat,
Ut facerem quid: 'Habes auctorem, quo facias hoc,'
Unum ex iudicibus selectis obiciebat;
Sive vetabat: 'An hoc inhonestum et inutile factu
Necne sit addubites, flagret rumore malo cum 125
Hic atque ille?' Avidos vicinum funus ut aegros

112. *Scetani* cod. plerique, *Sectani* vel *Setani* pauci deteriores. — 124. *factu* Vossianus, Leidensis, Dessauiensis, *ψλ* paucique alii; ceteri, in his Blandinii, *factum*.

homo ignotus. Cfr. Sat. 1, 7, 8. — *inops*] sit. — *concessa-venere*] meretricibus honestioribus ex more iuventutis Romanae. Opponitur huic veneri v. 111. *turpis amor meretricis*, propter luxuriem ac rapacitatem famosae. — *Treboni*] alioquin ignoti. — *vitatu quidque petitu*] de colloc. part. *que* v. ad Od. 1, 30, 6. — *duraverit*] „corroboraverit, confirmaverit." Verg. Ge. 3, 257: *umeros ad volnera durat.* — *sine cortice*] Plaut. Aulul. 591: *Quasi pueri, qui nare discunt, scirpea induitur ratis, Qui laborent minus, facilius ut nent et moveant manus.* — *iudicibus selectis*] A praetore urbano ex lege Aurelia a. u. c. 684 eo tempore, quo adolescens erat Horatius, ad quaestiones perpetuas ex senatoribus, equitibus, tribunis aerariis iudices seligebantur. Cic. pro Cluent. 121: *Praetores urbani-iurati debent optimum quemque in selectos iudices referre.*

124-143. *An hoc* cet.] Construe: *An addubites* (an possis vel aliquantulum dubitare), utrum *hoc inhonestum sit necne?* non: *Addubites, an* (pro *utrum*) *hoc inhonestum sit necne?* Hand Turs. I. p. 310: „Haec Heindorfius non intellexit" (explicans: Utrum hoc inhonestum sit, necne?). „Sunt enim ista verba e sermone praeceptoris desumpta nexaque aliis iis, quae omittuntur, *An* est id quod *aut* extra interrogationem; conferatur etiam Draeger synt. I ² 349 sq. — *inutile factu*] id est, „noxium, damnosum", ut aliquotiens apud Quintilianum. Cfr. Spalding ad 5, 10, 82. Atque prorsus sic Graeci usurpant vv. *ἀχρεῖον, ἄχρηστον.* — *flagret rumore*] ut apud Ciceronem est *infamia, invidia flagrare*, i. e. *vexari.* — *Avidos*] „intemperantes." SCHOL.

Exanimat mortisque metu sibi parcere cogit,
Sic teneros animos aliena opprobria saepe
Absterrent vitiis. Ex hoc ego sanus ab illis,
Perniciem quaecumque ferunt, mediocribus et quis 130
Ignoscas vitiis teneor. Fortassis et istinc
Largiter abstulerit longa aetas, liber amicus,
Consilium proprium; neque enim, cum lectulus aut me
Porticus excepit, desum mihi. 'Rectius hoc est!
Hoc faciens vivam melius! Sic dulcis amicis 135
Occurram! Hoc quidam non belle; numquid ego illi
Imprudens olim faciam simile?'... Haec ego mecum
Compressis agito labris; ubi quid datur oti,
Illudo chartis. Hoc est mediocribus illis
Ex vitiis unum; cui si concedere nolis, 140
Multa poëtarum veniet manus, auxilio quae
Sit mihi; nam multo plures sumus ac veluti te
Iudaei cogemus in hanc concedere turbam.

140. *noles* Bentleius coniectura. — 141. *veniet* Sangallenis et Parisinus 8216, *veniat* ceteri. Ut nos L. Müller, Haupt, Vahlen.

— *Ex hoc*] „hinc", ἐκ τούτου, „hac educatione." — *liber amicus*] παῤῥησιαστής, „qui mea vitia cum libertate corrigat." — *lectulus*] lucubratorius. — *Porticus*] „in qua solus deambulare soleo." — *desum mihi*] „non negligo quod officii mei est; immo elaboro in memet ipso emendando." — *Imprudens*] „insciens", λανθάνων ἐμαυτόν. — *Illudo*] „quasi ludens conicio in chartas." — *cui si concedere nolis*] „quodsi forte huic vitio ignoscere nolis (quod tamen te facturum spero), pro certo veniet cet." Sic ubi acceperimus, apparet necessarium non esse, ut scribamus cum codicum maiore parte est *nolis--veniat*, aut cum Bentleio *noles--veniet*. Futurum *noles* praefracte negantis; *nolis* dicitur de eo, qui probabiliter id concessurus est; hoc ergo urbanius. — *manus*] Festive fingit magnum Romae esse poëtarum quasi sodalicium et coniurationem, quae vel numero suo superare obtrectatores possit; qua de Satirae clausula veros amicos, Varium, Vergilium, Aristium, ceteros ex animi sententia risuros esse probe sciebat. Simul enim sugillare videtur studium versificandi, quo tunc quam plurimi etiam invita Minerva ferebantur. — *veluti te Iudaei* cet.] Multi tum, ex quo Pompeius Hierosolyma ceperat, Iudaei in Urbe erant; confer Cic. pro Flacco 28, 66: *Scis quanta sit manus* (Iudaeorum Romae), *quanta concordia, quantum valeat in contionibus.* Friedländer Sittengeschichte III [5] 575. Sententia est: „Quemadmodum Iudaei multos ad suam superstitionem pertrahere proselytosque vel cogendo facere solent." — *cogemus*] Festiva comminatio, ut similes ioci apud Platonem Phileb. p. 16 A. Phaedr. p. 236. C. Polit. I. p. 327.

SATIRA V.

Egressum magna me excepit Aricia Roma
Hospitio modico; rhetor comes Heliodorus,
Graecorum longe doctissimus; inde Forum Appi,
Differtum nautis, cauponibus atque malignis.

Sat. V. 1. *excepit* Vossianus, Leidensis, Dessauiensis, tres Blandinii, Argentoratensis Sφψlcuv, *excipit* R *accepit* unus Blandinius cum Gothano, Lipsiensis, Monacensis, Oγ cum paucis aliis. — 3. *longe* Argentoratensis, Monacensis ORγ; *linguae* tres Blandinii, Vossianus, Lipsiensis, Leidensis φψluv.

C. — *in hanc concedere turbam*] „te nobis aggregare eademque nobiscum sentire in iudicio praesertim de satiris faciendo."

V. De totius satirae summa v. excursum.

1-4 *Aricia*] oppidum Latii pone montem Albanum XVI. M. P. a Roma distans, nunc *Ariccia*. notum propter Dianam Nemorensem et fontem Egeriae. Fuit ad viam Appiam, qua Horatius iter fecit certe usque ad Beneventum. Cfr. ad v. 71. Aricia autem prima erat mansio ex Urbe profectis, ubi multi tamen prandebant tantum, non pernoctabant. Sic Epictetus apud Stob. Z 17. 1, 164 ed. Mein. narrat Agrippinum, cum pransuro ei nuntiaretur Neronis iussu illico in exsilium eundum esse, respondisse: *οὐκοῦν ἐν Ἀρικίᾳ ἀριστήσομεν*. — *Hospitio modico*] „exiguo, parvo." (Sic *modica patella* Ep. 1, 5, 2 est patella parva.) Opponuntur haec *magnae Romae*. — *Heliodorus*] rhetor ignotus; sunt qui putent hunc eundem esse atque illum, quem praeter Apollonium et Hephaestionem Marius Victorinus pg. 94 K. his verbis memorat: *At Iuba noster, qui inter metricos auctoritatem primae eruditionis obtinuit, insistens Heliodori vestigiis, qui inter Graecos huiusce artis antistes aut primus aut solus est* cet. — *Graecorum longe doctissimus*] Comis est hyperbole sermonis quotidiani, qua ut bearet Graeculum hominem facile utique ab se impetrare poterat. Altera lectio, quae placuit nonnullis *G. linguae d.*, nihil aliud perfecto significat nisi illum Graece scientissimum fuisse; quae exigua sane Graeci rhetoris laus est. — *Forum Appi*] oppidum ab Appio Claudio Caeco, qui viam Appiam muniit, sic nominatum, XX. M. P. distans ab Aricia. Ibi initium erat paludum Pomptinarum, per quas lintre a mulis tracta iter fiebat usque ad templum Feroniae, quod tribus milibus passuum a Tarracina distabat. Non mirandum igitur quod Forum Appii *nautis differtum* erat. Supersunt etiamnunc aliquot eius parietinae. — *Differtum nautis*] Strabo 5, 3, 6: *Πλησίον τῆς Ταῤῥακινῆς βαδίζοντι ἐπὶ τῆς Ῥώμης παραβέβληται τῇ ὁδῷ τῇ Ἀππίᾳ διῶρυξ* (per paludes Pomptinas) *ἐπὶ πολλοὺς τόπους πληρουμένη τοῖς ἑλείοις τε καὶ τοῖς ποταμίοις ὕδασι· πλεῖται δὲ μάλιστα μὲν νύκτωρ, ὥστ' ἐμβάντας ἀφ' ἑσπέρας ἐκβαίνειν πρωΐας καὶ βαδίζειν τὸ λοιπὸν τῇ ὁδῷ (τῇ Ἀππίᾳ), ἀλλὰ καὶ μεθ' ἡμέραν· ὀνομυλκεῖται δ' ἡμιόνιον*. — *cauponibus atque malignis*] Caupones *maligni* vocantur h. l. ut *perfidi* Sat. 1, 1, 29; nam *malignus* proprie contrarius est *benigno* significatque eum, qui iusto minus alteri tribuit, id quod facere so-

Hoc iter ignavi divisimus, altius ac nos 5
Praecinctis unum; minus est gravis Appia tardis.
Hic ego propter aquam, quod erat deterrima, ventri
Indico bellum, cenantes haud animo aequo
Exspectans comites. Iam nox inducere terris
Umbras et caelo diffundere signa parabat; 10
Tum pueri nautis, pueris convicia nautae
Ingerere. 'Huc appelle!... Trecentos inseris: ohe
Iam satis est!' Dum aes exigitur, dum mula ligatur,
Tota abit hora. Mali culices ranaeque palustres
Avertunt somnos. Absentem ut cantat amicam 15

lent caupones omni modo viatores decipiendo, vile vinum caro pretio vendendo, ad summam genus hominum nihilo tunc honestioris loci quam lenones. De partic. *atque* traiectione vide vol. I pg 456 extr.

5-8. *Hoc iter*] „id est, ab Urbe usque ad Forum Appii biduo venimus, cum velociores uno die soleant eo venire." ACRON. — *altius - - Praecinctis*] „ἐνζωνοτέροις, celerius incedentibus ac strenuioribus." — *minus* cet.] „minus est gravis pigris quam velocioribus; nam qui tardius per Appiam vel ingreditur vel vehitur, prudenter agit, quia minus fatigatur quam viator magis expeditus et pernix." *Hic ego* cet.] „Hodieque in Foro Appi viatores propter aquam, quae ibi deterrima est, manere vitant. Dicit ergo, se ibi cenare noluisse, ne necesse haberet bibere." PORPH. — *deterrima*] „propter vicinas paludes Pomptinas minus pura ac mali saporis." Lectio *teterrima* Bentlei et Heindorfii h. l. rem nimis exaggerat. — *ventri Indico bellum*] cena me abstinendo. — *haud animo aequo*] „impatienter atque illis propemodum invidens." *Exspectans comites*] „exspectans, dum omnes, qui sub idem tempus Forum Appii pervenerant unaque lintrem conscensuri erant, cenassent."

9-19. *Iam nox - - parabat*] Versus epicae gravitatis, ut augeatur descriptionis hilaritas. — *signa*] „nostra", ut Od. 2, 8, 10: *taciturna noctis Signa*. — *nautis*] Fossa; ex Nymphaeo et Ufente fluminibus aquam accipiens, inde a Foro Appii ducebat ad Feroniae. Eius vestigia quaedam etiamnunc apparent. — *Huc appelle*] Domini ad fossae ripam descenderant; servi sarcinas eodem deportarant; hinc puer aliquis ad locum, ubi eas custodiebat, appellere iubet nautam, ut in lintre commode reponi possint; hic cum appellit, non sine taedio maiorem quam pro naulo, quod depactus erat, esse numerum hominum videt, qui navem conscensuri erant, dominos puta permultis cum pueris, unde stomachose *Trecentos inseris*, (id est: „visne ingerantur?") ait, cet. *Trecenti* autem, ut *sescenti*, de magno numero. Catull. 11, 18: *Quos* (moechos) *simul complexa tenet trecentos*. Confer ad Od. 3, 4, 80. — *mula*] quae remulco alligatur lintri. — *culices*] „Hos *tintinnialas* vocant plebeii, a sonitu alarum ficto vocabulo." COMM. CRUQ. Puto significari Italorum *zanzare*, molestissimas illas per noctem bestiolas. — *ut*] „dum." Bentleius contulit Terent. Adelph. 406: *Nam ut numerabatur forte argen-*

Multa prolutus vappa nauta atque viator
Certatim, tandem fessus dormire viator
Incipit, ac misae pastum retinacula mulae
Nauta piger saxo religat stertitque supinus.
Iamque dies aderat, nil cum procedere lintrem 20
Sentimus; donec cerebrosus prosilit unus
Ac mulae nautaeque caput lumbosque saligno
Fuste dolat. Quarta vix demum exponimur hora.
Ora manusque tua lavimus, Feronia, lympha.
Milia tum pransi tria repimus atque subimus 25
Impositum saxis late candentibus Anxur.

24. *lavimur* N. Heinsio auctore Bentleius.

tum, intervenit homo de improviso. — *nauta atque viator*] PORPH. 'Posteaquam obdormierint viatores dicit nautam mulam disiunctam pastum misisse navi retinaculis (cod. Monac. *retinacula*, Meyer *retinaculo*) ad saxum ligata.' *viator* igitur collective pro: *vectores; viatorem* non esse posse *mulionem*, ut multi interpretantur, docent verba v. 22 *mulae nautaeque caput.* — *prolutus*] ut βεβρεγμένος, madidus, uvidus, pro bene poto. Cfr. Sat. 2, 4, 26: *leni praecordia mulso Prolueris melius.* Verg. Aen. 1, 739: *pleno se proluit auro.* — *vappa*] λάμπη, vino vili atque insipido. — *Nauta piger* cet.] „Ubi hunc quoque somnus capit, funem mulae detractum saxo ex ripa exstanti religat sicque pastum interea, dum crapulam edormiat, iumentum dimittit."

21-29. *cerebrosus*] homo iracundus atque irritabilis, Lucil. 428 Lchm., XV, 18 L. M. *Te - - insanum hominem et cerebrosum.* — *prosilit*] „ex lintre in fossae ripam exsilit." — *saligno Fuste*] ex ripa pro loci opportunitate arrepto. — *dolat*] „percutit, caedit"; Apul. Metam. 7, 17: *fustium quoque crebris ictibus dedolabar.* — *quarta - - hora*] diei, quae respondet circiter decimae nostrae. — *lavimus*] praesens, a v. *lavere*; confer ad Od. 2, 3, 18. Lavimus autem et religionis causa et prandium sumpturi; Bentlei *lavimur* est „balneum sumpsimus", id quod non convenit cum vv. *Ora manusque.* Immo hoc est piaculum. Tacit. Ann. 14, 22: *fontem aquae Marciae - - nando incesserat* (Nero); *videbaturque potus sacros et caerimoniam loci corpore loto polluisse.* Contra *ora manusque lavare* licebat. (Ibi sine dubio erant cauponae, in quibus recreare se poterant.) — *Feronia*] antiqua dea Italica, postea coniuncta et confusa cum Iunone, unde in Inscriptt. vocatur IVNO FERONIA. Verg. Aen. 7, 800: *viridi gaudens Feronia luco.* Templum eius celebre tria milia pass. a Tarracina, ubi nunc est turris antiqua; nominata *Torre Ottofaccia.* Illius fontis aqua est dulcis, limpida ac salubris. Confer de hoc cultu deisque ceteris ei iunctis Mythol. R. Prelleri et Iordani p. 267. — *repimus*] „quoniam illis temporibus adhuc Tarracinensis urbs in altissimo monte erat, unde postea in aequiorem locum deposita est, ut sunt adhuc vestigia aedificiorum in monte, sed et murorum." PORPH. — *Anxur*] nomen

Huc venturus erat Maecenas, optimus atque
Cocceius, missi magnis de rebus uterque
Legati, aversos soliti componere amicos.
Hic oculis ego nigra meis collyria lippus 30
Illinere. Interea Maecenas advenit atque
Cocceius Capitoque simul Fonteius, ad unguem
Factus homo, Antoni non ut magis alter amicus.
Fundos Aufidio Lusco praetore libenter
Linquimus, insani ridentes praemia scribae, 35

27. *Maecenas, optimus atque Cocceius*] Sic distinximus cum Bentleio; alii iungunt *Maecenas optimus*. Conf. Sat. 1, 6, 54. 1, 10, 82.

Volscum Tarracinae (hodie *Terracina*) ad ostium Ufentis. Statius Silv. 1, 3, 86: *arcesque superbae Anxuris*. Martialis 6, 42, 6: *superbus Anxur*. Sic *Felsina* Etruscum Bononiae nomen erat. A Foro Appii Tarracina distabat XX. milia passuum. — *saxis-candentibus*] Mons ille, in quo Tarracina constituta erat, non candida saxa habet, sed calci coquendae aptissima; ergo a calce videtur candida dixisse." PORPH. Etiam Martial. 5, 1: *candidus Anxur*. — *Cocceius*] Biondi (*Dissertaz. dell' Acad. Rom. d'Archeol.* T. VI. p. 286) de L. Cocceio Nerva, cos. suffecto a. u. c. 715 (cf. I. Klein in fastis consularibus pg. 3) intelligendum esse docuit, neutiquam de eius fratre M. Cocceio M. F. Nerva, consule a. u. c. 718, ad quem multi rettulerunt interpretes. Atque etiam Porphyrio *Lucium* (cod. Mon. *lucilius*) significat. — *aversos*] „alterum ab altero alienatum." — *componere*] „mutuam gratiam inter eos reconciliare."

30-33. *nigra-collyria*] Multa omnis generis collyria memorat Celsus 6, 6. *Ex frequentissimis collyriis*, inquit §. 7, *est id, quod quidam κύθιον, quidam a cinereo colore τέφριον appellant*. — *Capitoque-Fonteius*] Est C. Fonteius Capito, cuius exstat nummus cum hac inscriptione: *C. FONTEIVS. CAPITO. PRO. PR.* = *M. ANT. IMP. COS. DESIG. ITER. ET. TERT. III. VIR. R. P. C.* Eckhel D. N. 5 p. 219. Riccio *M. F. R.* p. 94. Fuit Antonio in Asia legatus et consul suffectus a. u. c. 721. — *ad unguem Factus*] „elegans ac politus." „Translatio a marmorariis, qui iuncturas marmorum tum demum perfectas dicunt, si unguis superductus non offendat. Unde iam quaecumque perfectissima esse volumus significare ad unguem facta dicimus." PORPH. Cfr. A. P. 294. Colum. 11, 2, 13: *materiem roboream dolare ad unguem*. Apul. Flor. 23: *lapis ad unguem coaequatus*. — *non ut magis alter*] „ut non alter magis amicus sit." Corn. Nep. Epam. 2: *eruditus autem sic ut nemo Thebanus magis*.

34-36. *Fundos*] hodie *Fondi*, Latii oppidum, notum propter vinum generosum, distabat a Tarracina milia pass. XIII. et dimid. — *Aufidio Lusco praetore*] Aufidios Fundis oriundos fuisse monstrat Sueton. Calig. 23. Ceterum hoc oppidum, teste Festo, praefectura erat, non municipium; Aufidus igitur homo ridicule vanus, prius scriba, tunc praefectus

Praetextam et latum clavum prunaeque vatillum.
In Mamurrarum lassi deinde urbe manemus,
Murena praebente domum, Capitone culinam.
Postera lux oritur multo gratissima; namque
Plotius et Varius Sinuessae Vergiliusque 40

36. *vatillum* codices paene omnes, *batillum* Orelli, Haupt, Vahlen.

a praetore urbano legibus missus (Festus p. 233 Müll.) nomen praetoris ultro sibi arrogaverat, ut festive Cicero de lege agr. 2, 92: *cum venissem Capuam, coloniam deductam L. Considio et Sex. Saltio, quemadmodum ipsi loquebantur, praetoribus; -- cum ceteris in coloniis duumviri appellentur, hi se praetores appellari volebant.* Attamen praetores re vera in nonnullis municipiis summi magistratus vocabantur, velut Aletrii, Capenae, Puteolis. Liv. 23, 19: (Praenestini) *ceteri incolumes Praeneste cum praetore suo M. Anicio (scriba is antea fuerat) redierunt.* Alibi dictatores, magistri, meddices tutici. Itaque ille antequam Maecenatem eiusque comites conveniret, edictum praemiserat cum praescriptione *A VFIDIO L VSCO PRAETORE*, quo honorifice eos excipiebat, vel per accensum eadem formula eos se conventurum esse nuntiarat. — *libenter Linquimus*] „propter molestiam, quam nobis insulsi hominis prava sedulitas creasset, si diutius ibi morari necesse fuisset.“ Fundis igitur non pernoctarunt, id quod etiam propter exiguam oppidi distantiam a Tarracina necessarium non fuit. — *praemia*] insignia honoris, quae quasi praemia pristinorum suorum meritorum ostentabat. — *scribae*] Corn. Nep. Eum. 1, 5: *Apud nos re vera, sicut sunt, mercenarii scribae existimantur.* — *latum clavum*] senatorium habitum, quo Fundis uti poterat, ubi nemo eum in ordinem cogebat, non item Romae; magis ridiculum id etiam coram Maecenate, qui angusto clavo contentus erat. — *vatillum*] „Videtur hic *vatillus* s. *vatillum* foculus sacrificandi causa praelatus huic magistratui, cum nihil rei maioris agere solerent sine sacrificio. Adventus autem Maecenatis et reliquorum oppidanis illis res videri maximi momenti potuit.“ GESNER. Scripsimus *vatillum* cum cod. Horat. et Plinii n. h. 33, 8, 44.

37-44. *Mamurrarum -- urbe*] Festiva ironia Formias (hodie *Mola di Gaeta*) XII. M. P. a Fundis distantes designat a Mamurra, equite Romano, praefecto fabrum Iulii Caesaris in Gallia, qui ingentem vim pecuniae congesserat et iam Catulli versibus contumeliosis (C. 29) proscissus erat, qui eum praeterea 43, 4: *decoctorem Formianum* vocat. Eo quo Horatius scripsit tempore videtur Romae senator ille quidem, sed in luxuria et omnium bonorum contemptu vixisse. — *Murena*] Est L. Licinius Terentius Varro Murena, frater Terentiae Maecenatis, ad quem est Od. 2, 10, ubi vide. Videtur Formiis domum habuisse, quam eius iussu dispensator Maecenati ad pernoctandum commodavit. Capito, qui ibidem domum possidebat, cenam Maecenati eiusque comitibus praebuit. — *praebente domum*] Conf. Od. 19, 7. — *Plotius* cet.] Sat. 1, 10, 81: *Plotius et Varius, Maecenas Vergiliusque.* Est autem *Plotius* M. Plotius Tucca, criticus potius quam poëta, qui postea una cum L. Vario tra-

Occurrunt, animae qualis neque candidiores
Terra tulit neque quis me sit devinctior alter.
O qui complexus et gaudia quanta fuerunt!
Nil ego contulerim iucundo sanus amico.
Proxima Campano ponti quae villula, tectum 45
Praebuit, et parochi quae debent ligna salemque.
Hinc muli Capuae clitellas tempore ponunt.
Lusum it Maecenas, dormitum ego Vergiliusque;
Namque pila lippis inimicum et ludere crudis.
Hinc nos Coccei recipit plenissima villa, 50

gico Augusti mandatu Vergilii Aeneida edidit. De *Vario* diximus ad Od. 1, 6, 1. — *Sinuessa* est ultimum in Appia Latii oppidum, XVII. M. P. distans a Formiis, hodie *Vagnoli* (Walck.), prope Minturnas (*Taverna*). — *qualis*] eadem constructione, qua usus est Epod. 5, 59, pro „animae tales quibus“ cet. — *tulit*] ut Od. 3, 6, 46. Verg. Aen. 11, 285: *Si duo praeterea talis Idaea tulisset Terra viros* cet. — *sanus*] „quamdiu sana mente sum.“ PORPH.

45-50. *Campano ponti*] Pons Campanus (hodie *Molino Ceppani*) Savoni flumini impositus III. M. P. a Sinuessa. — *Villulam* proprie accipio de villa aliqua modica ponti illi proxima, in qua Sinuessa ante vesperam profecti pernoctarunt. Alii *villulam* et *villam* v. 80 de villis publicis interpretantur, in quas devertere possent magistratus, legati cet. iter aliquo habentes. Apud scriptores quidem constat de una dumtaxat villa publica *extra Urbem, in campo Martio extremo.* (Varro R. R. 3, 2, 1 sqq. Liv. 33, 24.) Quamquam propter parochorum mentionem, qui vel in tali villa ipsa vel saltem proxime habitare debebant, illud non prorsus improbabile nec tamen certum est. Ad hunc locum Desjardins: On remarquera, qu'ils évitaient de séjourner la nuit dans les villes: ils ne s'arrêtaient en effet ni à Minturnae ni à Sinuessa. — *parochi*] *πάροχοι*, homines, qui publico sumptu magistratibus ac legatis iter facientibus ministrabant ea utensilia, quae sine maxima molestia ab ipsis portari non poterant, ut ligna, salem, foenum. *Copiarios* vocat Porphyrio. Cfr. imprimis Cic. ad Att. 5, 16. — *Hinc* cet.] „Hinc postero die profecti cum essemus, *tempore*, satis tempestive Capuam, quae a Ponte Campano distabat XV. M. P., pervenimus.“ — *Lusum - - dormitum*] his verbis aptissime significatur, Maecenatis comitum suo quemque arbitratu pro suaque necessitate hoc in itinere egisse. — *Namque* cet.] Construe: *Namque inimicum lippis et crudis ludere pila;* quies contra et abstinentia utriusque mali optima sunt remedia. Cfr. Celsum 6, 6. *Crudi* autem sunt, qui cibos difficulter digerunt. *Lippis* Horatius se ipsum, *crudis* Vergilium adnumerat. — *inimicum*] Sic etiam in prosa or. Plin. H. N. 20, 9: *Marina brassica - - stomacho inimicissima.* — *Caudi cauponas*] Caudium, Hirpinorum oppidum, notum clade Romanorum in Furculis Caudinis, XXI. M. P. distabat a Capua. Hae *cauponae*, opinor, in planitie erant, cum oppidum ipsum in clivo situm esset. *Claudi* a multis ut notius voca-

Quae super est Caudi cauponas. Nunc mihi paucis
Sarmenti scurrae pugnam Messique Cicirri,
Musa, velim memores, et quo patre natus uterque
Contulerit litis. Messi clarum genus Osci;
Sarmenti domina exstat: ab his maioribus orti 55
Ad pugnam venere. Prior Sarmentus: 'Equi te
Esse feri similem dico.' Ridemus, et ipse
Messius 'Accipio', caput et movet. 'O, tua cornu

51. *Caudi* Argentoratensis, Lipsiensis, Gothanus, Porphyrion, *Claudi* ceteri.

bulum substitutum est verae lectioni. Solitas autem iter hoc facientium mansiones semper signavit poëta: inde colligitur, eodem die (post meridiem) i. e. sexto perventum esse ad Caudi cauponas, quae a Capua XXI. M. P. absunt.

51-55. *Nunc mihi* cet.] Parodia haec est festiva Homerici illius Iliad. *B* 484: *Ἔσπετε νῦν μοι Μοῦσαι Ὀλύμπια δώματ' ἔχουσαι*, et similium. Conf. Iuvenal. 4, 34. Verum de toto hoc loco iudicemus necesse est non ex nostro, sed ex Romanorum sensu, qui de via fessi in tali cena ruri parata nihil aliud nisi leves iocos appetebant. In hac praesertim sermonibus Socraticis aut vere amicis vel propter Fonteium, Antonii amicum, locus non erat, atque ante omnia poëtis, Vergilio, Vario, Horatio, vitanda erant, quaecunque ad res civiles etiamtunc admodum intricatas pertinerent. — *Sarmenti* cet.] Sarmentus servus fuerat M. Favonii, cuius, utpote inter proscriptos occisi, bonorum sectio ad Maecenatem venit, qui Sarmentum manumisit et scribam fecit. Distinguendus hic videtur a cognomine Octaviani puero delicato. Plut. Ant. 59. (a. u. c. 721.) — *Messique Cicirri*] scurrae ceteroquin ignoti. Nomen ridiculi causa inditum, quod *signum* vocant posteriores, est *Κίκιῤῥος, ἀλεκτρυών* (Hesych.) — *quo patre natus*] Ut Horatium carpebant malevoli, quod *libertino patre natus* esset, sic ipse, sed longe minus malitiose, horum scurrarum stirpem ridet, simulans se, antequam eorum certamen narret, tamquam heroum illustrem „prosapiam" expositurum." — *Osci*] nominat. plur. Munk de Atellanis p. 28: „Erant Osci apud veteres male noti ob impudicitiam, itaque Romanis contemptui erant, et Opicam gentem postea inter Romanos receptam barbara sua lingua dissonisque moribus multa de prisca illa et praeclara rei publicae disciplina in peius innovasse veri simile putat Dionysius Halic. 1, 89. Praeterea Osci scurrilitate etiam insignes ideoque Romanis irrisui erant, ut h. l." — *domina exstat*] „M. Favonii vidua vivit adhuc adeoque servus est ac sine patre." — *ab his maioribus orti*] Aeque hoc ridiculum atque illud Olympionis villici in Plaut. Casin. 2, 6, 66: *Pietate factumst mea atque maiorum meum.*

58-64. *Accipio*] „tuam provocationem eaque mihi prorsus placet; et tibi (capite minaciter moto) demonstrabo me re vera equi feri similem esse." — *tua* cet.] in prosa oratione: „nisi cornu foret exsectum fronti tuae." — *quid faceres*] „quam terribilis fores;" — *mini-*

Ni foret exsecto frons', inquit, 'quid faceres, cum
Sic mutilus minitaris?' At illi foeda cicatrix 60
Saetosam laevi frontem turpaverat oris.
Campanum in morbum, in faciem permulta iocatus,
Pastorem saltaret uti Cyclopa rogabat:
Nil illi larva aut tragicis opus esse cothurnis.
Multa Cicirrus ad haec: donasset iamne catenam 65
Ex voto Laribus, quaerebat; scriba quod esset,
Nilo deterius dominae ius esse. Rogabat

60. *minitaris* maior pars codicum, Haupt, L. Müller. *miniteris* Lipsiensis, Argentoratensis Sbγ, Bentley, Vahlen. — 67. *nilo* pauci codices, in his Dessauiensis; *deterius nihilo* Leidensis et Lipsiensis correcti, Gothanus, Parisinus 8213; *nihilo deterius* Blandinii cum plerisque aliis.

taris] „nunc ipsum;" itaque indicativus modus aptissimus est. — *At illi* cet.] „Graecum δέ per *at* ita exprimunt (poëtae), ut oppositio fiat non notionum, sed imaginum, hoc est, ut contrarium non in ipsa re, sed in locatione appareat. Id autem plurimum fit in extremis versibus, ut videtur, ad attollendam, quae in fine versuum deprimitur, orationis vim. Ita *hi-at illi* dicuntur, qui graece *οἱ μέν-οἱ δέ*. Lucan. 4, 36: *His virtus ferrumque locum promittit, at illis Ipse locus.*" Hand Turs. I. p. 421 sq. — *cicatrix*] Ex antiquorum sensu *est etiam deformitatis et corporis vitiorum satis bella materies ad iocandum.* Cic. de Or. 2, 239. — *Campanum in morbum*] „Hoc enim quasi a natura Campanis fere omnibus inest, ut capitis temporibus magnae verrucae innascantur in modum cornuum: quas cum incidi faciunt, cicatrices in fronte manent quasi notae exsectorum cornuum. In hunc ergo *morbum*, id est, faciei vitium, quo Campani laborant, iocatur Sarmentus." COMM. CRUQ. Est primus elephantiasis gradus. — *Pastorem saltaret uti Cyclopa*] „ut saltando Cyclopem, ferum illum Galateae amatorem, imitaretur ac referret." Cfr. ad Ep. 2, 2, 124: *ut qui Nunc Satyrum, nunc agrestem Cyclopa movetur.* V. *saltare* sic cum accusativo etiam in prosa or. Vellei. Paterc. 2, 83: *Plancus cum - - Glaucum saltasset.* Etiam passive usurpatur. Ovid. Trist. 2, 519: *Et mea sunt populo saltata poëmata saepe.* — *larva* non est simpliciter *persona*, sed *μορμολύκειον*, „persona horribili sua facie terrorem incutiens."

65-70. *Donasset* cet.] „Consecrassetne in signum libertatis acceptae catenam Laribus, ut ingenui pueri (sumpta virili toga) bullas et puellae pupas?" Martial. 3, 29: *Has cum gemina compede dedicat catenas, Saturne, tibi Zoilus, anulos priores.* Cfr. Titinium Bothii p. 71: *Fortasse sic votum fecisse, quo die liber foret; Nunc eius voti condemnatust: immolavit hostiam.* Fugitivi et ostiarii plerumque catenati erant. — Codices fere habent *Nihilo*, de quo Bentley: „Pronunciandum est quasi scriptum fuerit *Nilo*. Sic Ep. 2, 2, 120: *Vehemens et liquidus puroque simillimus amni.* - - Quin et illud animadverti, quotiescumque apud Nostrum occurrit *nihilo*, compara-

Denique, cur umquam fugisset, cui satis una
Farris libra foret, gracili sic tamque pusillo.
Prorsus iucunde cenam producimus illam. 70
Tendimus hinc recta Beneventum, ubi sedulus hospes
Paene macros arsit dum turdos versat in igni.
Nam vaga per veterem dilapso flamma culinam
Volcano summum properabat lambere tectum.
Convivas avidos cenam servosque timentis 75
Tum rapere atque omnis restinguere velle videres.
Incipit ex illo montis Apulia notos

70. *producimus* plerique codices et editores, *perducimus* R Monacensis, Gothanus, Lipsiensis corr., *produximus* Spr. cum paucis aliis Orelli.

tivo semper praeponi, ut Serm. 1, 1, 48. 2, 3, 52. 56. 270. Ep. 2, 2, 153.“ Lachmannus ad Lucret. pg. 28: ‘*nihilo* tribus syllabis Catullum (28, 12. 61, 197) extulisse constat; disyllabon fecit idem Catullus (97, 3) cum Lucretio, Horatio, Priapeo carmine 53: de ceteris quantum scio, propter metrorum ambiguitatem nihil adfirmari potest.’ — *deterius*] opponitur *optimo iuri.* — — *una Farris libra*] Cum servorum demensum menstruum quaterni (Donatus in Terent. Phorm. 1, 1, 9) vel quini (Seneca Ep. 80) modii essent, XXIV. librarum singuli, robustiores quaternas farris libras in pane et pulte quotidie consumere poterant. — *Prorsus*] Hoc adv. per se intelligendum arbitrantur nonnulli: „in summa, uno verbo, omnino;“ sed quidni potius iungamus vv. *prorsus iucunde?* Cic. ad Att. 16, 15, 2: *prorsus vehementer et severe.*

71-76. *Beneventum*] Plin. H. N. 3, 11: *Hirpinorum colonia una Beneventum, auspicatius mutato nomine, quae quondam appellata Maleventum.* A Caudio distabat XII. M. P. — *hospes* cet.] Construe: *Hospes paene arsit, dum versat turdos macros in igni.* „Cum propter ipsam nimiam sedulitatem minus cautus esset caupo (hoc enim significat v. *hospes*, ut v. 2. *hospitium* est caupona), paene flammis correptus est, dum turdos et eos quidem, id quod ridebamus, macros veribus transfixos assat.“ Alii (coll. Aen. 2, 311: *iam proximus ardet Ucalegon.* Iuven. 3, 201: *Ultimus ardebit.*) hospitis domum non ipsum hospitem paene arsisse putant significari. Verum durius videtur in uno eodemque versu *sedulum hospitem* et de ipso caupone (turdos versante) et de caupona accipere. — *dum-versat*] Ad constr. part. *dum* cum praesenti cfr. Heindorfium ad h. l. Liv. 38, 1: *Dum in Asia bellum geritur, ne in Aetolis quidem quietae res fuerant.* — *Volcano*] Quintil. 8, 6, 24: *Volcanum pro igne volgo audimus.* — *Tum rapere* cet.] Scena iocosa: nam primum avidi convivae ex flamma rapiebant cenam, itemque servi, qui, si tota cena igne absumeretur, timebant, ne ab heris verberarentur; quo facto cenaque in tuto posita omnes et hospes cum suis et convivae horumque pueri ignem restinguere coeperunt. — *videres*] „videre licebat, si placuisset.“

77-83. *notos*] quippe patrios, im-

Ostentare mihi, quos torret Atabulus et quos
Numquam erepsemus, nisi nos vicina Trivici
Villa recepisset, lacrimoso non sine fumo, 80
Udos cum foliis ramos urente camino.
Hic ego mendacem stultissimus usque puellam
Ad mediam noctem exspecto: somnus tamen aufert
Intentum veneri; tum immundo somnia visu
Nocturnam vestem maculant ventremque supinum. 85
Quattuor hinc rapimur viginti et milia redis,
Mansuri oppidulo, quod versu dicere non est,
Signis perfacile est. Venit vilissima rerum

primis Volturem prope Venusiam. — *Atabulus*] Seneca Q. Nat. 5, 17: *Atabulus Apuliam infestat, Calabriam Iapyx.* Cfr. Plin. H. N. 17, 24. Est ventus ex Oriente flans, quem Apuli hodie *Altino* vocant. — *erepsemus*] forma sermonis quotidiani pro *erepsissemus*, ut apud Catull. 77, 3 *subrepsti*, apud Hor. *surrexe* Sat. 1, 9, 73, *divisse* 2, 3, 169, *evasti* 2, 7, 68. — *Trivici*] „oppidi in fine Campaniae, quo vehicula iuncta accedere nequeunt; ergo Horatius ad villam devertit.“ ACRON. In prosa oratione: „nisi in Trivicano pernoctassemus.“ Ceterum Trivicum nusquam praeterquam h. l. memoratur; ex Romanelli opinione est locus nunc *Civita* appellatus et prope hodiernum *Trivico* situs. Septimo igitur die, quo Beneventi cenaverunt, Trivicum pervenerunt. — *lacrimoso--fumo*] qui cum propter ventum non recta per fumarium exire posset, imprimis Horatio lippienti molestus erat. Idem fumi epitheton placuit Ovidio Metam. 10, 6. — *mendacem--puellam Ad m. n. exspecto*] Sic Asclepiades Anthol. Pal. I. p. 125: *Ὠμολόγησ' ἥξειν εἰς νύκτα μοι ἡ 'πιβόητος Νικώ, καὶ σεμνὴν ὤμοσε Θεσμοφόρον· Κοὐχ ἥκει, φυλακὴ δὲ παροίχεται. ἆρ' ἐπιορκεῖν Ἤθελε; τὸν λύχνον, παῖδες, ἀποσβέσατε.* — *somnia*] De nimia seminis profusione loquens Celsus 4, 28 *nocturnas imagines* memorat. — *visu*] „specie“, ut Verg. Aen. 11, 271: *Nunc etiam horribili visu portenta sequuntur.* —

86-90. *rapimur*] „celerrime vehimur.“ — *oppidulo*, *quod* cet.] „Aequum Tuticum significat, cuius nomen hexametro versu compleri non potest. Hoc autem sub exemplo Lucilii posuit. Nam ille in sexto saturarum (v. 39 ed. L. Müller, v. 255 ed. Lachm.) sic ait: *Servorum est festus dies hic, Quem plane hexametro versu non dicere possis.*“ PORPH. Eius oppidi situs auctore Romanellio non est *Scutuccio* prope Asculum, sed *S. Eleuterio* s. *S. Liberatore* prope *Ariano.* Idem tamen (praeeunte Wesselingio ad Itiner. p. 103) acriter contendit oppidulum v. 87. significatum non de Aequo Tutico interpretandum esse, sed significari vel *Asculum* Apulum diversum ab Asculo Piceno, *Asculum* aliis (quod tamen voc. facile versui inseri poterat), vel oppidum prope Asculum, nunc quidem ignotum, ut Trivicum in Itinerariis non memoratur, id quod probabilius est. Sane confitendum est, si Aequum Tuticum Horatius pervenerit, eum per haec XXIV. M. P.

Hic aqua; sed panis longe pulcherrimus, ultra
Callidus ut soleat umeris portare viator; 90
Nam Canusi lapidosus, aquae non ditior urna

iter transversum habuisse, et quidem ex Apulia (v. 77.) rursus in Campaniam deflexisse (nam *in Aequo Tutico Campania limitem habet*, Antonin. Itin. p. 111), cum tamen, si propter nescio quam causam Aequum Tuticum visere voluisset, longe commodius ab ipso Benevento tantum XXII. M. P. ab illo oppido distante, Trivico omisso, eo pervenire potuisset. Rectum iter a Trivico fuisset per Asculum Canusium versus. (*Les itinéraires anciens indiquent deux routes pour traverser les montagnes, en se rendant à Brindes. L'une, celle de l'itinéraire de Jerusalem par* Aequum Tuticum, *Fojano, et* Civitas Serdonis, *Ordona. L'autre route est celle de la table de Peutinger par* Eclano, *Bonito;* Aquilonia, *Cairano;* Venusia, *Venouse, la patrie de notre poète. Nos voyageurs ne prirent aucune de ces deux routes, mais ils suivirent un chemin plus court, qui circule dans les montagnes et qui se trouve tracé sur les grandes cartes topographiques du royaume de Naples. Ce chemin se dirige en sortant de Bénévent sur Montefusco; il passe par Paparici et Mirabella; tourne la haute montagne nommé Capo di Diavolo, et conduit à un lieu nommé Trevico.* Walckenaer I. p. 247.) Conf. etiam loco infra laudato *Desjardins* le voyage d'Horace pg. 173: la petite ville est *Asculum Apulum*, et non *Aequus Tuticus*, car cette dernière ne se trouvait pas sur sa route. Il est vrai qu'il aurait bien pu faire entrer le nom d'Asculum dans son vers, mais à l'aide d'une élision qu'il a voulu éviter. — *versu dicere non est*] scil. „facile", quod ex altero membro supplendum est. Similia sunt his Critiae, Bgk. eleg.[4] pg. 282: *Καὶ νῦν Κλεινίου υἱὸν Ἀθηναῖον στεφανώσω Ἀλκιβιάδην νέοισιν ὑμνήσας τρόποις· Ου γάρ πως ἦν τοῦνομ' ἐφαρμόζειν ἐλεγείῳ, Νῦν δ' ἐν ἰαμβείῳ κείσεται οὐκ ἀμέτρως.* Imprimis conf. Ovid. ex Ponto 4, 12, 7: *Nam pudet in geminos ita nomen scindere versus, Desinat ut prior hoc incipiatque minor; Et pudeat, si te, qua syllaba parte moratur, Artius appellem* Tuticanumque *vocem. Nec potes in versum* Tuticani *more venire, Fiat ut e longa syllaba prima brevis, Aut producatur, quae nunc correptius exit, Et sit porrecta longa secunda mora. — perfacile est*] „designare;" quod eliciendum est ex v. *dicere*. — *venit--Hic aqua*] Od. 3, 30, 11 *pauper aquae Daunus*. Martial. 3, 56: *Sit cisterna mihi quam vinea malo Ravennae, Cum possim multo vendere pluris aquam. — vilissima rerum*] Plat. Euthyd. p. 304 B.: *τὸ ὕδωρ εὐωνότατον*. — *ultra*] certe usque ad Canusium. — *umeris portare*] Panem in reticulo servi portabant. Vid Sat. 1, 1, 47.

91-95. *Canusi*] hodie *Canosa*, ad Aufidum in Daunia, LXXXIV. M. P. a Benevento distans. Antequam autem ad Canusium pervenirent, apud mansionem hodie *Cerignola*, cui Itinerar. Hierosol. tribuit nomen *Ad undecimum* (miliarium a Canusio), Horatius et comites rursus in viam Appiam ingressi sunt. — *aquae* cet.] Construe: *qui locus* (Canusium) *non* (una) *urna aquae ditior* (quam oppidulum v. 87) *a forti Diomede est conditus*. Strabo 6, 3, 9; *Λέγονται δ' ἀμφότεραι (τό τε Κανύσιον καὶ ἡ Ἀργυρίππα--νῦν Ἄρποι) Διομήδους κτίσματα κτλ.*, ut etiam Aequus Tuticus. Serv. ad Aen. 8,

Qui locus a forti Diomede est conditus olim.
Flentibus hinc Varius discedit maestus amicis.
Inde Rubos fessi pervenimus, utpote longum
Carpentes iter et factum corruptius imbri. 95
Postera tempestas melior, via peior ad usque
Bari moenia piscosi; dein Gnatia lymphis

93. *hinc* codices plerique, *hic* Vossianus, Dessauiensis, Gothanus, Parisini 7973, 8213, Bentley, Meineke, L. Müller. — 97. *dein* cod. Monacensis, Argentoratensis, Lipsiensis, Dessauiensis OSbγ alii, *dehinc* Leidensis, Gothanus, Vossianus φψuv. Cf. ad Epod. 16, 65.

9. — *aquae*] qua etiam hodie caret. — *Qui locus* cet.] De collocat. pron. relat. cf. apud Horat. Od. 4, 2, 5. C. S. 9. Facete siccitati illius regionis opponit nobilitatem. Non recte igitur Bentley, ceterum in eiciendis versibus cautissimus (Od. 4, 8, 17. Epod. 5, 87. Sat. 2, 2, 38. Epist. 1, 18, 18. A. P. 337) hunc versum spurium esse iudicavit probante L. Müllero. — *conditus* ut Graeci *κτίζειν χώραν, νῆσον, κτίστης τόπων.* — *hinc*] a Canusio, non, ut alii volunt, ab oppidulo *ἀμέτρῳ.* Sic Plaut. Cist. 1, 2, 13: *hinc flens abiit.* — Canusii autem Horatium, etsi *διαῤῥήδην* non dicit, pernoctasse ideo consentaneum est, quod a Rubis, hodie *Ruvo*, distabat M. P. XXIV. (Itin. Anton.) vel XXX. (Itin. Hierosol.), id quod verius est. (Walck.) — *Carpentes*] „emensi", quia viae singulae partes una post alteram pedibus veluti *carpuntur*, ut fit in lana et lino nendo. Cfr. Od. 2, 17, 12. Inde autem a Canusio certe per viam Egnatiam iter habebant.

96-99. *ad usque*] Cfr. ad Sat. 1, 1, 97. — *Bari-piscosi*] Barium, hodie *Bari*, oppidum Apuliae Peucetiae, ad mare situm, a Rubis distabat XXII. M. P. Etiamnunc huius oppidi incolae plerique piscatores sunt. (Walck.) — *Gnatia*] forma popularis pro *Egnatia*, a Bario distans XXXVII. M. P., hodie *Monopoli*, ut ait Romanellius, ut Walckenaer, *Torre d' Anazzo.* Secundum alios hodie appellatur *Fasano.* Ceterum *GNATIA* vocatur etiam in Inscrr. ibi effossis. Mansio haec inter omnes per hoc iter memoratas a profectionis loco maxime distat; ad eam tamen acceleratis aliquanto cisiis uno die pervenire poterant; nisi forte aliam inter Barium et Egnatiam silentio praetermisit poëta, utpote quae nihil memoratu digni habuisset. (Ab Egnatia autem incipiebat via Egnatia, Walck.) — *lymphis*] 'per haec hoc quoque oppidulum significat penuria aquae laborare.' PORPHYR. Multi scribunt Lymphis i. e. Nymphis: conf. Preller-Jordan Röm. Mythol. II³ pg. 127. — *risusque iocosque*] Cfr. Lucilii fr. in Excursu: *ludu' iocusque.* Iocus in eo vertebatur, quod, cum oppidum detestabile aqua iugi careret, vano tamen miraculo gaudebat gloriabaturque. — *flamma sine*] Plin. H. N. 2, 111: *In Salentino oppido Egnatia imposito ligno in saxum quoddam ibi sacrum protinus flammam existere* (reperitur apud auctores). Oriolius putat, hoc miraculum effici potuisse umbone aliquo ferreo supra saxum suspenso, qui certa hora solis radiis tactus speculi caustici vice functus sit. Aliam explicationem naturalem vide apud Wielandum. Ceterum similem fabulam narrat Pausan. 1,

Iratis exstructa dedit risusque iocosque,
Dum flamma sine tura liquescere limine sacro
Persuadere cupit. Credat Iudaeus Apella, 100
Non ego: namque deos didici securum agere aevum,
Nec si quid miri faciat natura deos id
Tristis ex alto caeli demittere tecto.
Brundisium longae finis chartaeque viaeque est.

103. *demittere* OR*γλφψ* Monacensis, Leidensis, Gothanus; *dimittere* Argentoratensis, Leidensis, Lipsiensis, Dessauiensis, Sangallensis, ex Parisinis 7973, 8213.

16, 1. — Praepositionem nomini suo haud raro postposuit; qua de re egit Neue lat. Formenl. II² 790. Horatii locos habes hos: Sat. 2, 2, 33 *amnis ostia sub Tusci*; epod. 7, 3 *campis atque Neptuno super;* epist. 1, 1, 75 *te adversum;* od. 1, 2, 33. 2, 16, 33 *te circum;* sat. 1, 10, 33 *mare citra*; sat. 1, 3, 60 *genus hoc inter vitae;* od. 3, 23, 10 *quercus inter et ilices;* od. 3, 3, 11 *quos inter;* epod. 2, 38. sat. 2, 6, 59. 77 *haec inter;* sat. 1, 1, 47 *venalis inter;* epist. 2, 1, 43 *veteresne inter;* epod. 12, 23 *aequalis inter;* sat. 1, 3, 53 *acris inter;* sat. 2, 2, 32 *pontis inter:* A. P. 72 *quem penes;* sat. 1, 3, 68 *vitiis nemo sine.*

100-104. *Iudaeus Apella*] non est „nomen fictum a defectu praeputii", ut volunt Scholiastae. Recte Bentleius: „Iudaei habitabant trans Tiberim, et multo maximam partem erant libertini, ut fatetur Philo in legatione ad Gaium. *Apella* autem libertinorum est nomen, satis frequens in Inscriptt. vetustis. Cic. ad Fam. 7, 25: *Ne Apellae quidem liberto tuo dixeris.* Itaque *Credat Iudaeus Apella*, quasi tu dicas: credat superstitiosus aliquis Iudaeus Transtiberinus." Conf. ad sat. 1, 4, 143. — *didici*] ab Epicuro. Respicit Lucretianum illud 5, 83 et 6, 58: *Nam bene qui didicere deos securum agere aevum.* — *Tristis*] „iratos atque minaces." Tristitiae autem deorum miracula tribui minime possunt, quoniam ex Epicuri doctrina nulla rerum mortalium eos cura tangit. Lucret. 6, 71: *non quo violari summa deum vis Possit, ut ex ira poenas petere imbibat acris.* — *caeli-tecto* ut Val. Flacc. 5, 623: *citus ad summi stellantia patris Tecta ruit.* — *Brundisium*] hodie *Brindisi*, oppidum Salentinorum, ab Egnatia distabat XLIV. M. P., quod in oppidum quinto decimo demum die pervenerunt. — *longae-chartae*] *Κατ' εἰρωνείαν*, quasi timeret, ne lectoribus molestiam creasset, quid Brundisii sibi amicisque grati ingrative acciderit, et quomodo Romam reverterint, silentio praetermittit. Itaque utrum Horatius ac Vergilius Brundisii manserint, an postea legatos ad Antonium conveniendum usque ad Tarentum comitati sint, nos ignoramus.

EXCURSUS

Ad. v. 1.

V. 1. „Lucilio hac satira aemulatur Horatius iter suum a Roma Brundisium usque describens, quod et ille in tertio libro fecit, primo a Roma Capuam usque et inde fretum Siciliense.“ PORPHYR. Supersunt ex Lucilii itinere versus aliquot (liber III apud L. Müller, pg. 10 sqq., ed. Lchm. v. 89 sqq.):

et, saepe quod ante Optasti, freta Messanae, Regina videbis
Moenia, tum Liparas, Phacelinae templa Dianae. — Bis quina
octogena videbis Commoda, tunc Capua quinquaginta atque trecenta.
— Praeterea omne iter est hoc labosum atque lutosum. —
Verum haec ludus ibi susque omnia deque fuerunt,
Susque haec deque fuere, inquam, omnia, ludu' iocusque;
Illud opus durum, ut Setinum accessimu' finem:
Αἰγίλιποι montes, Aetnae omnes, asperi Athones. —
Quattuor hinc Silari ad flumen portumque Alburnum.
Hinc media remis Palinurum pervenio nox.

Ceterum satira haec refertur ad foedus Tarentinum a. u. c. 717 inter Octavianum et Antonium ictum, ubi Octaviae sedula intercessione effectum tandem est, ut pace reconciliata Antonius Caesari naves adversus Sex. Pompeium, Caesar Antonio milites ad Parthicum bellum commodaret, sibique invicem in quinquennium triumviratum prorogarent. Appian. B. C. 5, 93. Dio 48, 54. Plutarch. Anton. 35. — In rebus geographicis explicandis elaboraverunt D. Romanelli *Antica topografia del regno di Napoli.* Napoli 1815. 3 Vol. 4⁰. imprimis Vol. II. p. 501 seqq., Walckenaerius, Desjardins in Revue de philologie II (1878) pg. 144—175: hunc potissimum in proxima tabula secuti sumus.

TABULA ITINERIS BRUNDISINI.

DIES.	LOCI	MILIA PASS.	Met.	VERSUS.
	Ab Urbe et porta Capena per			
I.	Bovillas ad Ariciam.	XVI.	23 696	1.
II.	Forum Appii.	XXVII.	39 387	3.
	(Iter nocturnum per fossam.)			
III.	Per paludes ad Tarracinam.	XVI.		
hora quarta:	Feroniae fanum.	III.		24.
	Tarracina a Foro Appii:	XIX.	28 139	26.
IV.	Fundi.	XIII.		34.
	Formiae.	XII.	37 250	37.
V.	Sinuessa.			
	Villula proxima Ponti Campano.	XXVII.	40 000	40. 45.
VI.	Capua, inde ad villam Coccei prope Caudium.	XXXVI.	53 316	50.
VII.	Beneventum, deinde ad Trivicum.	XXXVI.	53 216	79.
VIII.	Asculum Apulum.	XXIV.	38 542	87.
IX.	Canusium.	?	?	91.
X.	Rubi.	XXX.	44 443	94.
XI.	Barium.	XXX vel	44 443 vel	97.
		XXXIII.	48 843	97.
XII.	Gnatia.	XXXVII. vel	54 797	
		XXVIII.	36 275	
XIII.	Brundisium	idem fere spatium.		104.

SATIRA VI.

Non quia, Maecenas, Lydorum quidquid Etruscos
Incoluit finis, nemo generosior est te,
Nec quod avus tibi maternus fuit atque paternus,
Olim qui magnis legionibus imperitarent,

Sat. VI. 4. *imperitarent* Leidensis, Vossianus, Dessauiensis RSbu*λφψ*, *imperitarint* Lipsiensis, Argentoratensis, Monacensis, Ocdy, *imperitarunt* Parisinus 8213.

VI. Horatius postquam et familiaritate, quae ei cum Maecenate intercedebat, et Luciliano satirarum genere denuo tractato multitudinis in se oculos convertit, fieri non potuit, quin, cum nonnisi perquam pauci aut ipsum aut Maecenatis in eum animum accuratius introspicerent, a plurimis unus ex volgaribus illis fortunae filiis haberetur, quales post civilium conversionem turbas et in hac nobilissimarum familiarum ruina a civitatis dominis aut oppressarum aut opibus destitutarum amplo numero exorti erant, qui prava ambitione malaque sedulitate in familiaritatem Maecenatis irrepsisset, ut honores et opes venaretur. Atque adversus hanc ipsam sinistram de se suspicionem et hominum aut ignorantiam aut malevolentiam haec satira conscripta esse nobis videtur. Generosus enim poëta virtutis suae sibi conscius et sapientium praeceptis iam a teneris annis honorum ac divitiarum inanem gloriam spernere edoctus hoc et Maecenati suo et sibimet ipsi debuit, ut civibus suis demonstraret, qua ratione Maecenatis amicitiam sibi conciliasset, et quam minime ea ad splendida in re publica munera captanda [vel ad iniquos suos quacunque ratione aggrediendos vel etiam opprimendos] abuti vellet. (Scripta haec satira videtur a. u. c. 717.)

1-6. *Lydorum quidquid*] Vid. ad Epod. 5, 1. Ex antiqua fama (Herod. 1, 94) refutata a Dionys. Halic. 1. p. 21 sqq. R. Lydi duce Tyrrheno, Atyis regis filio, in Italiam cum transmigrassent, ibi *Τυρσηνῶν* s. Tyrrhenorum nomine Etruriam incoluerunt. — *Incoluit*] „quotquot olim immigrarunt et per nepotum seriem adhuc incolunt, sive in ipsa Etruria manserunt, sive Romam se contulerunt, ut praeter Cilnios Caecinae, Spurinnae“ cet. — *avus-maternus*] Singulari more Tusci metronymicis frequentius etiam utebantur quam patronymicis, ut apparet multis ex Inscriptionibus Etruscis, imprimis ex bilingui apud Vermigliolium Opusc. IV. p. 51: *CVINTE. ZENTI. ARNTNAL.* = *Q. SENTIVS. L. F. ARRIA. NATVS.* Loquitur non de Cilniis Romanis, quorum nemo umquam consul fuit aut exercitus duxit, sed de horum maioribus, qui Lucumones (principes) Arretii fuerant. (Liv. 10, 3. Sil. Ital. 7, 29: *Cilnius, Arreti Tyrrhenis ortus in oris, Clarum nomen erat.*) — *magnis legionibus*] „exercitibus;“ *magnis* autem (in quo haeserunt, quod omnes legiones pares essent) dixit, ut in versu Saturnio in Acilii Glabrionis tabula apud Caesium Bassum in Keilii Gram. lat. VI. p. 265: *Fundit fugat prosternit maximas legiones*, et Sallustius Catil. 53: *Sciebam saepenumero* (populum Romanum) *parva manu*

Ut plerique solent, naso suspendis adunco 5
Ignotos, ut me libertino patre natum.
Cum referre negas, quali sit quisque parente
Natus, dum ingenuus, persuades hoc tibi vere,
Ante potestatem Tulli atque ignobile regnum
Multos saepe viros nullis maioribus ortos 10
Et vixisse probos, amplis et honoribus auctos;
Contra Laevinum, Valeri genus, unde Superbus
Tarquinius regno pulsus fugit, unius assis

6. *ut me* Argentoratensis RSb corr., plerique *aut me*. — 13. *fugit* Blandinii RSbd paucique alii *fuit* Lipsiensis, Vossianus, Monacensis c, bScorr.

cum magnis legionibus hostium contendisse. Similis etiam color est Lucret. 3, 1028: (reges) *magnis qui gentibus imperitarunt.* — *imperitarent*] Imperfectum h. l. aptius est quam perfectum coni. (perf. indic. prorsus reiciendum est), et consociari videtur cum perf. *fuit* eadem constructione atque apud Sallust. Catil. 22: *Fuere ea tempestate, qui dicerent.* — *naso suspendis adunco*] Cfr. Sat. 2, 8, 64. Est „naso corrugato cum fastidio et contemptu irridere, subsannare, *μυκτηρίζειν, σιλλαίνειν.*“ Plin. H. N. 11, 37, 59: *Et altior homini tantum, quem novi mores subdolae irrisioni dicavere nasus.* — *Ignotos*] „ignobiles;“ opponuntur *generosis*, ut v. 24. — *libertino*] Sic illustris ille Horatii aequalis, C. Cornelius Gallus, cui nonnulli Cirim tribuunt, Sullae vel Cinnae liberti filius fuit.

7-17. *Cum* cet.] „Tum, cum (ut semper facis) referre negas, vere tibi persuades, recte hoc sentis.“ — *quali - - parente Natus*] Claudian. de Laud. Stilich. 2, 124: *meritum, non quae cunabula, quaeris, Et qualis, non unde satus.* — *dum ingenuus*] Haec unica est exceptio; scilicet servos, ne manumissos quidem, ut sibi pares amicos tractare non poterat, quod iam contra erat in libertini filio. Sueton. Octav. 74: *Valerius Messalla tradit, neminem umquam libertinorum adhibitum ab eo* (Augusto) *cenae, excepto Mena, sed asserto in ingenuitatem.* — *Ante* cet.] Conf. ad Sat. 1, 3, 107. — *Tulli - ignobile regnum*] Liv. 4, 3: *En umquam creditis fando auditum esse - - Servium Tullium - -, captiva Corniculana natum, patre nullo, matre serva, ingenio et virtute regnum tenuisse?* — *Contra*] „probe nosti;“ id quod eliciendum est ex vv. *persuades tibi vere.* — *Laevinum*] „Hic P. Valerius (Laevinus) adeo foedis ac proiectis in omnem turpitudinem moribus vixit, ut provehi non potuerit ultra quaesturae dignitatem.“ PORPH. — *unde*] „a quo Valerio Publicola, ut: *genus unde Latinum.*“ SCHOL. Conf. ad Od. 1, 12, 17. 1, 28, 28. 2, 12, 17. Similiter *hinc* usurpatur Od. 3, 17, 2. — *pulsus fugit*] Rectissime de hoc loco disputat Madvigius *Opusc. Acad. alt.* p. 224: „Multi scribendum putarunt: *Valeri genus, unde Superbus Tarquinius regno pulsus fuit*, eadem sententia ac si esset: *pulsus est*, ut evitarent praesens nimis, ut credebant, ab illo loco abhorrens, *fugit*. Verum quoniam

Non umquam pretio pluris licuisse, notante
Iudice quo nosti populo, qui stultus honores 15
Saepe dat indignis et famae servit ineptus,
Qui stupet in titulis et imaginibus. Quid oportet
Nos facere a volgo longe longeque remotos?

15. *quo nosti* cod. fere omnes, etiam Blandinii, *quem nosti* Aldina II ceterique ante Bentl. — 18. *Vos* Bentleius coni. — *longe longeque* cod., in his etiam Blandinii, et ed. plerique, *longe lateque* pauci cod., editiones ante Bentl. nonnullae.

(supra) ostendi, Horatium *pulsus fuit* ea significatione scribere non potuisse, utemur vera et certa scriptura ad aliam litem dirimendam. Patet enim Horatium liberius praesenti historico uti, non in continua et incitata narratione, sed in brevi rei praeteritae significatione per pronomen relativum interiecta. Imitati alii poëtae, ut Persius Sat. 4, 1: *Barbatum hoc crede magistrum Dicere, sorbitio tollit quem dira cicutae.* Non dubitabimus igitur, quin idem Horatius ausus sit post coniunctionem *cum*, praesentisque sit temporis *donat* in Sat. 1, 2, 56 et *edormit* in Sat. 2, 3, 61, quibus locis utitur Zumptius §. 160 not. ad syncopam praeteriti defendendam." — *unius assis* cet.] „non licuisse Laevinum uno asse pluris ob id, quod ortus esset claris maioribus. Sat. 2, 3, 92: *si Forte minus locuples uno quadrante perisset.*" — *notante*] „ignominiose de eo iudicante", ut censor *notat*, quem senatu movet. — *iudice quo nosti*] Attractio etiam Graecis usitata, ut Terent. Heautont. 87: *hac quidem causa, qua dixi tibi.* Liv. 1, 29: *raptim quibus quisque poterat elatis.* Conf. Dräger Synt. II ² pg. 507. — *stupet in* cet.] Eadem constructione Verg. Aen. 10, 445: *iuvenis tum, iussa superba Miratus, stupet in Turno corpusque per ingens Lumina volvit.* — *titulis*] „inscriptionibus statuarum ac monumentorum honorariorum sepulcraliumque. — De *imaginibus* cereis virorum curuli magistratu functorum, quae in atriorum armariis collocabantur, vide imprimis Polyb. 6, 53, 4 sqq.

17-23. *Quid oportet* cet.] „Tu quidem, Maecenas, quamquam summo loco natus es, non contemnis tamen obscuros homines vereque tibi persuades iam ante Servium Tullium multos fuisse, qui nullis maioribus orti sola virtute ad summos honores ascenderent; populus vero, minus morum probitatem quam nobilitatem generis admirari solitus, saepe indignis honores defert dignosque, nisi iidem sint honestis parentibus nati, neglegit ac spernit. Quid oportet nos facere, qui a volgo longissime dissentientes non stupemus in titulis et imaginibus? Num etsi ignobili sumus loco nati, tamen honores petemus? Minime. Nam facile fieri potest, ut petitori non vita, at genere meliori posthabeamur, aut etiam e senatu eiciamur a censore in parentes nostros inquirente diligentius. Haec cum ita fieri non ignoremus, si tamen audeamus petere: vel merito, repulsam si feramus, id nobis dixerim evenire. Melius scilicet vivemus ac beatius, in qua fortuna atque condicione nati sumus, in ea si acquiescemus. Sed hoc non intelligunt boni homines; nam quamvis obscuro loco orti, tamen contendunt honoris et gloriae cupiditate cum generosis; quod quam stulte fiat, Tillii exemplo proba-

Namque esto, populus Laevino mallet honorem
Quam Decio mandare novo, censorque moveret 20
Appius, ingenuo si non essem patre natus:
Vel merito, quoniam in propria non pelle quiessem.
Sed fulgente trahit constrictos gloria curru
Non minus ignotos generosis. Quo tibi, Tilli,

24. *Tilli* codicum maior pars, *Tulli* Dessauiensis, Leidensis Ruv fortasse etiam Blandinii.

tur." — *Nos facere* cet.] Bentleius, ne poëta superbum se et gloriosum monstraret, pronomine *nos* in *vos* mutato, „Quodsi volgus tam recte iudicat", inquit, „quanto magis id oportet *Vos facere* cet.? Vos, dico, Augustos, Maecenates, Polliones, Messallas cet., non quali quisque sit natus parente, sed quo ingenio, qua virtute sit, quaerere oportet." Sed quid attinebat admonere Maecenatem, ne faceret, quae eum minime facere iam supra praedicaverat Horatius. Immo *nos* pertinet ad Horatium et alios eiusdem condicionis ac voluntatis viros. — *a volgo--remotos*] Od. 2, 16, 37: *mihi--Parca--dedit-malignum spernere volgus.* Od. 3, 1, 1: *Odi profanum volgus et arceo.* Seneca Epist. 3: *Dissimiles esse nos volgo sciat, qui inspexerit propius.* — *longe longeque*] Modus superlativum exprimendi etiam apud Cic. de Finn. 2, 68, quem servarunt Itali, *lungo lungo* interdum dicentes. — *Decio*] P. Decius Mus, homo *novus*, primus e Deciis consul fuit et in bello cum Latinis pro legionibus Romanis dis inferis sese devovit a. u. c. 414. Liv. 8, 9. Iuven. 8, 254: *Plebeiae Deciorum animae, plebeia fuerunt Nomina; pro totis legionibus hi tamen et pro Omnibus auxiliis atque omni pube Latina Sufficiunt dis infernis Terraeque parenti.* — *Appius*] Appius Claudius Pulcher, P. Clodii frater, de quo Caelius apud Cic. ad Fam. 8, 14. 4: *Persuasum est ei censuram lomentum aut nitrum esse. Errare mihi videtur; nam sordes eluere volt, venas sibi omnes et viscera aperit.* Hic quidem pro quovis censore severo poni videtur. — *ingenuo si non essem* cet.] „Appius, ut omnes alios libertinos, me quoque, si huius essem condicionis, senatu moveret." — *Vel merito*] *καὶ εἰκότως γε.* — *q. in propria non pelle quiessem*] „Ex proverbio sumptum est in eos, qui mediocritatis suae obliti maiora se ipsis appetunt, quos non contineri intra pelliculam dicimus." PORPH. Seneca Epist. 9: *plerique sapientem undique submovet et intra cutem suam cogunt.* Martial. 3, 16 de cerdone arrogante: *te, mihi crede, memento Nunc in pellicula, cerdo, tenere tua.* Est autem *propria pellis*, „quam natura ipsa mihi soli tribuit ita, ut alius nullius sit." — *Sed fulgente* cet.] Versus heroicus, quales interdum reliquis a poëta inseruntur. Conf. Sat. 1, 1, 68. 1, 4, 60. 2, 1, 13 seqq. 2, 3, 223. „Quamquam, verum ut fatear, communi humanae naturae culpa et ignobiles et generosi aeque gloriae inservire solent, cuius quidem inanis studii satis ridiculum exemplum praebet Tillius ille cet." — De *Gloriae curru* vid. ad Ep. 2, 1, 177.

24—37. *Quo-sumere*] De hac constructione confer ad Epist. 1, 5, 12. — *Tilli*] „Tillius hic senatu motus est a Caesare quasi Pom-

Sumere depositum clavum fierique tribuno? 25
Invidia accrevit, privato quae minor esset,
Nam ut quisque insanus nigris medium impediit crus
Pellibus et latum demisit pectore clavum,
Audit continuo: 'Quis homo hic est? quo patre natus?'
Ut si qui aegrotet quo morbo Barrus, haberi 30
Ut cupiat formosus, eat quacunque, puellis
Iniciat curam quaerendi singula, quali
Sit facie, sura, quali pede, dente, capillo:
Sic qui promittit civis, urbem sibi curae,
Imperium fore et Italiam, delubra deorum, 35
Quo patre sit natus, num ignota matre inhonestus,

25. *tribuno* cod. plerique, *tribunum* pauci deteriores. — 29. *hic est? quo* OSbcdγ Argentoratensis, Lipsiensis, Monacensis saec. XII; *est hic? quo* Blandinii ceterique codices Cruquiani; *hic aut quo* Vossianus nonnullique Bentlei et Kirchneri, Bentl., Haupt, Vahlen; *hic et quo* Rφψλu Leidensis, Gothanus, Monacensis saec. XI paucique alii, Holder. — 31. *Ut cupiat* Leidensis, Vossianus λuv paucique alii, Bentl., Haupt, Vahlen; *Et cupiat* Blandinii ORγφψ multique alii.

peianus; occiso vero Caesare recepit latum iterum clavum, id est, senatoriam dignitatem, et tribunus militum factus est." COMM. CRUQ. Frater fuit fortasse Tillii Cimbri, Caesaris interfectioris. *Tribuni* autem *militum quatuor legionibus primis* (Fragm. legis Serviliae ed. Klenze p. 3 et 11. Cic. pro Cluent. 148) habebant ius lati clavi. Hinc Sueton. Domit. 10: *tribunus laticlavius*. Opponitur tunicae angusticlaviae, *στενοσήμῳ*, laticlavia, *πλατύσημος*. — *ut*] „ex quo tempore, simulac." — *nigris--Pellibus*] corrigiis quattuor, ex nigra aluta, quibus medio in crure ligati erant senatorum calcei albi vel purpurei, addita lunula eburnea circa talum. — *aegrotet*] de animi morbo s. perturbatione, ut *νοσεῖν*. — *Barrus*] homo, antequam *inops* fieret, formae studio immodice deditus et adulterarum sectator. Cfr. Sat. 1, 4, 110. „Hic Barrus vilissimae admodum libidinis atque vitae fuit, adeo ut Aemiliam virginem Vestae incestasse dictus sit." PORPH. — *Ut cupiat*] „ita ut cet." Hac lectione accuratius significatur, quo morbo laborarit Barrus quam altera *et:* quod qui praeferunt, ut Vossius, explicandi particulam dicunt. — *sura, quali pede*] Alii distinguunt *sura, quali pede*, contra vim caesurae. — *promittit*] „dum candidatus honores petit, ea, quae sequuntur, promittit civibus suis." Vides Horatium etiamtunc loqui velut vetere re publica. — *num*] Hic quoque haec particula suam retinet significationem; nam qui ita interrogat, timet quasi, ne responsurus sit alter: „immo honestissima", cum ipse malit contrarium responsum. — *ignota matre*] Sic Atia, M. Atii Balbi Aricini filia, mater Caesaris Octaviani, huic tamquam femina obscurae originis obiciebatur a M. Antonio. Cic. Philipp. 3, 16. — *quaerere cogit*] „aliter facere

Omnis mortalis curare et quaerere cogit.
'Tune, Syri Damae aut Dionysi filius, audes
Deicere de saxo civis aut tradere Cadmo?'
'At Novius collega gradu post me sedet uno; 40
Namque est ille, pater quod erat meus.' 'Hoc tibi Paullus
Et Messalla videris? At hic, si plostra ducenta
Concurrantque foro tria funera magna, sonabit
Cornua quod vincatque tubas; saltem tenet hoc nos.'

39. *Deicere de* codicum maior pars, *deicere e* perpauci deteriores.

vix possunt, quin quaerant." Aliorum lectio *cogat* orta videtur ex accommodatione ad v. *sit*.

38-42. *Tune* cet.] inquit aliquis ex populo. Ceterum duo sunt servorum nomina, non tria; priori cum contemptu patriae nomen addidit. — *Deicere*] per synizesim trisyllabon, ut *deinceps* Sat. 2, 8, 80 al. — *saxo*] Tarpeio, vel ut triumvir capitalis, vel potius ut praetor sive quaesitor rerum capitalium. Supplicium autem illud non prorsus insolitum etiamtunc fuisse, monstrat exemplum P. Dolabellae consulis, qui a. u. c. 710 homines perditos ac seditiosos, liberos de saxo Tarpeio deici, servos in crucem agi iussit. Cic. ad Att. 14, 15, 2. — *tradere Cadmo*] Sic Diphilus Meinekii IV. p. 389: *τῷ δημίῳ παρέδωκαν αὐτόν*. „Cadmus dicitur eo tempore fuisse carnifex notae crudelitatis." SCHOL. — *At Novius* cet.] Novius Niger quaestor circiter a. u. c. 601, quem nonnulli huc trahunt, sane ab Horatiano diversus est. Hoc autem dicit poeta: „At ego saltem minus obscuro loco ortus sum quam Novius, collega meus in tribunatu; ego libertinus sum, ille libertus." — *gradu post me sedet uno*] „uno gradu deterioris est condicionis", translatione sumpta a sedibus theatri. — Eiusmodi autem terrae filii, homines prorupti atque audaces, Sasernae, Decidius Saxa, Volusienus, Licinus tonsor, per Caesarem ad senatoriam dignitatem pervenerant, qua de re saepe conqueritur Cicero in Philippicis. His sordibus (Orcinos volgus vocabat) postea Octavianus ordinem amplissimum purgavit. Sueton. Octav. 35. — *Hoc tibi* cet.] Tribuno respondet Horatius populi verbis, cui hoc v. et v. 44 sese aggregat: „Verum *hoc* (ideo") noli te aequiparare Aemiliis Paullis, Valeriis Messallis, viris nobilissimis."

43. 44. *Concurrantque--vincatque*] Bis deinceps verbum in priore membro omissum ex posteriore intelligendum est: *si plostra ducenta* concurrant foro *Concurrantque foro tria funera* et *Cornua quod* vincat *vincatque tubas*. — *foro*] ubi habebantur laudationes funebres; cremabantur mortui plerumque in Campo Martio. — *funera magna*] Sic iungendum, non *magna sonabit;* neque enim *quod* cum v. *magna* satis apte cohaeret, neque in aliis nisi *magnis* funeribus cornua et tubae adhibebantur. Ceterum *magna sonare* per se nihil habet offensionis. Conf. Sat. 1, 4, 43: *os Magna sonaturum*. — *sonabit-quod vincat*] Sat. 1, 9, 25: *Invideat quod et Hermogenes, ego canto*. — *Cornua--tubas*] Seneca de Morte Claudii p. 681. Gron.: *Et erat omnium formosissimum* (Claudii funus) *et impensa cura plenum, ut scires deum efferri; ti-*

Nunc ad me redeo libertino patre natum, 45
Quem rodunt omnes libertino patre natum,
Nunc quia sum tibi, Maecenas, convictor, at olim
Quod mihi pareret legio Romana tribuno.
Dissimile hoc illi est, quia non ut forsit honorem
Iure mihi invideat quivis, ita de quoque amicum, 50
Praesertim cautum dignos assumere, prava
Ambitione procul. Felicem dicere non hoc
Me possim, casu quod te sortitus amicum:
Nulla etenim mihi te fors obtulit; optimus olim
Vergilius, post hunc Varius dixere quid essem. 55

47. *sum* Argentoratensis bd, Bentley, Haupt, Vahlen; *sim* cod. plerique, codicum maior pars, Holder. — 49. *forsit* Blandinii, Argentor., Dessauiensis, Leidensis, Vossianus, Monacensis saec. XII Obdγλφψν, *forsan* Sc Rcorr. et alii pauci. — 53. *possim* cod. fere omnes, in his etiam Blandinii, *possum* pauci correcti. — 54. *mihi te* cod. fere omnes, *tibi me* e cod. Ruddim. et ex comment. Cruq. Bentley.

bicinum, cornicinum omnisque generis aeneatorum tanta turba, tantus conventus, ut etiam Claudius audire posset. — *saltem tenet hoc nos*] „Novius saltem propter vociferandi facultatem *nobis* placet.“ Loquitur ex popelli persona, quem rursus salse deridet, quod interdum tantum propter Stentoream vocem hunc illumve hominem nequam ad summos honores evehere soleat.

46-64. *libertino patre natum*] Repetitio haec significat, propter hoc unum se ab invidis continuo carpi, quod humili loco ortus nunc sit Maecenatis amicus, antea (a. u. c. 712) Bruto duce tribunus militaris. — *quia sum tibi*] Propter sequens v. *pareret* multi scripserunt *sim;* sed diversa propositionum ratio satis designatur diversis particulis *quia - - quod.* — *convictor*] Modestum vocabulum de domestico usu et consuetudine Ovid. ex Ponto 4, 3, 15: *Ille ego convictor* (tibi) *densoque domesticus usu.* — *forsit*] Hanc formam, cuius praeter h. l. nullum certum exemplum exstat (v. Hand Turs. II. p. 713), agnoscit iam Priscianus XV 24 H. — *te amicum*] „amicitiam tuam.“ — *ambitione procul*] ὄντας. — *non hoc* cet.] „non propter hoc, quod casu cet.; id quod alii forsitan sufficeret; sed ego, quod longe praestat, commendatus cum essem ab amicis, certo consilio ac iudicio tuo in tuam perveni familiaritatem.“ — *possim*] Facilius modestior hic modus in indicativum mutari potuit quam contra. „*Felicem dicere non ab hoc me possum* ego, quia non est factum casu; *non possim* iure ego, etsi velim; *non possint* invidi; *non possit* (Cuningh.) quivis.“ GESN. — *tibi me* Bentleius quasi modestius praetulit; „sed aeque calumniae opportunum et magis fortasse est *tibi me*, quasi vero magnum munus fortunae esset obsulus poëta oblatus divinitus Maecenati.“ GESN. — *quid essem*] Cic. Phil. I 55. Ovid. Her. 12, 31: *tunc coepi scire quid esses.*

Ut veni coram, singultim pauca locutus,
Infans namque pudor prohibebat plura profari,
Non ego me claro natum patre, non ego circum
Me Satureiano vectari rura caballo,
Sed, quod eram, narro. Respondes, ut tuus est mos, 60
Pauca: abeo, et revocas nono post mense iubesque
Esse in amicorum numero. Magnum hoc ego duco
Quod placui tibi, qui turpi secernis honestum,
Non patre praeclaro, sed vita et pectore puro.
Atqui si vitiis mediocribus ac mea paucis 65
Mendosa est natura, alioqui recta, velut si
Egregio inspersos reprehendas corpore naevos,
Si neque avaritiam neque sordis nec mala lustra

68. *nec mala* Bland. antiq., Lipsiensis, *ac* cod. plerique, *aut* Porphyr.

— *coram*] ante oculos (tuos)." — *singultim*] „Ut alias facimus singultu impediti, locutus tunc sum sermone interrupto et veluti voce identidem repressa, quod usu venire solet verecundis et timidis natura." Volunt esse formam contractam v. *singillatim*, cum manifesto a v. *singultus* ductum sit. Recte Gesnerus in Thesauro: *μετὰ λυγμοῦ*. — *Infans*] „elinguis, qui omni loquacitate abstinet." — *Non ego* cet.] „Sane non poteram verba facere de clara origine et de latifundiis a me possessis, sed aperte dixi me libertini filium post pugnam Philippensem paternum fundum amisisse." (Ep. 2, 2, 49.) — *circum - - vectari rura*] Plaut. Rud. 933: *Oppida circum vectitabor.* — *Satureiano - - caballo*] *Saturium*, Horatio *Satureium*, teste Stephano Byz. in v. *Σατύριον: χώρα πλησίον Τάραντος, τὸ ἐθνικὸν Σατυρῖνος καὶ Σατύριος.* Videtur fuisse campus amoenus ac fertilis prope Tarentum, ubi procedente tempore conditum est oppidum hodie *Saturo* dictum (media longa propter accentum Graecum), unde iam Servius ad Ge. 2, 197: *Tarentum et Saturium vicinae sunt Calabriae civitates.* — *nono post mense*] Scilicet Bruti tribunum accuratius perspicere voluit Maecenas atque clam experiri, utrum ei fidendum esset necne, quique omnino essent eius mores atque ingenium. Praeterea significat semet ipsum patienter exspectasse, donec rursus admitteretur, neque vero solitis adulatorum artibus aditum expugnasse, ut facere sibi proposuerat homo ille importunus Sat. 1, 9, 58: *tempora quaeram; Occurram in triviis; deducam.* — *turpi-honestum*] gen. masc. — *sed vita et pectore puro*] „verum quia in me ipso agnoscebas et vitam puram et pectus purum." Si quod inest discrimen, *vita* ad exteriorem morum speciem atque existimationem pertinet, *pectus* potius ad eam, quam nos nunc vocamus „vitam internam", intimum animum, aliorum oculis minus expositum.

68-74. *neque - neque - aut*] Sic Od. 3, 12, 1. 3, 23, 5. Sat. 1, 9, 31. 2, 1, 13. 2, 2, 22: *neque ostrea Nec scarus aut - - lagois.* — *sordes*] nimis parcum esse. — *lustra*] *occulta loca* (Plaut. Curc. 507),

Obiciet vere quisquam mihi, purus et insons —
Ut me collaudem — si et vivo carus amicis, 70
Causa fuit pater his, qui macro pauper agello
Noluit in Flavi ludum me mittere, magni
Quo pueri magnis e centurionibus orti
Laevo suspensi loculos tabulamque lacerto
Ibant octonis referentes Idibus aera, 75
Sed puerum est ausus Romam portare docendum
Artis, quas doceat quivis eques atque senator
Semet prognatos. Vestem servosque sequentis,

75. *octonis-aera* Leidensis, Vossianus, Lipsiensis, Dessauiensis, ex Parisinis ψψluv, *octonos aeris* ORγ Argent., Monac. E, nisi quod Argent. var. habet *aera.*

lupanaria, fornices, adolescentium perditorum receptacula, qui ibi non solum libidini satisfaciebant, sed etiam heluabantur. Propter hanc *ἀσέλγειαν* potissimum utitur *ἐπιθέτῳ mala.* — *his*] „harum rerum, harum virtutum.“ ACRON. — *Flavi*] „videlicet hunc Flavium catervarum doctorem fuisse.“ PORPH. Toto loco significat Venusiae non tam litteras quam arithmeticen, utpote ad vitam civilem praeter ceteras artes necessariam, doceri solitam esse. Cfr. A. P. 325. — *magni-pueri*] „quos quodammodo suspiciebant municipes ideo, quod orti erant e centurionibus, viris, ut in colonia Romana, claris atque illustribus.“ — *suspensi*] „*ἐξηρτημένοι*, qui sibi suspendebant laevo bracchio *loculos,* capsas calculorum, quibus utebantur in conficiendis rationibus a ludi magistro propositis.“ Hunc versum festive repetit Ep. 1, 1, 56. — *tabulam*] qua uterentur ad artem scribendi discendam. Philost. v. Soph. pg. 111, 36 ed. Kayser: *Ἱερὸν δὲ κατιδὼν καὶ παιδαγωγούς τε προσκαθημένους, ἀκολούθους τε παῖδας ἄχθη βιβλίων ἐν πήραις ἀνημμένους.*

75. *Ibant octonis* cet.] „Nummos pro mercedibus; octonos asses aeris Idibus dabantur. Schol. Singulis igitur mensibus *merces grammaticorum* (Sueton. de gr. 3, 7, 13) vel *litteratorum* vel rhetorum (Cic. Phil. 2, 43. Auson. profess. 17, 10) pendebatur: Iuvenal. 6, 216 sq. *quantum grammaticus meruit labor? — minus est autem quam rhetoris aera.* Diocletiani edictum *magistro institutori litterarum in singulis pueris menstruos denarios quinquaginta* ut summum constituit. Solvebatur *octonis* mensibus, quod mensibus Iulio Augusto Septembri Octobri feriae erant: Martial. X 62 *sceptra paedagogorum cessent et idus dormiant in Octobres: aestate pueri si valent, satis discunt.* Ceterum cum irrisione Horatius centurionum Venusinorum filios ipsos nullo servo comitante loculos nummosque referre solitos esse dicit.

76-80. *puerum est ausus R. p.*] „etsi pauperior, neque aliorum reprehensionem reformidans;“ id quod alius eiusdem fortunae vix umquam fecisset. (Ep. 2, 2, 41: *Romae nutriri mihi contigit atque doceri* cet.) — *Artis*] liberalis, rhetoricam, poësin, philosophiam. — *doceat*] „per magistros docendas

In magno ut populo, si qui vidisset, avita
Ex re praeberi sumptus mihi crederet illos. 80
Ipse mihi custos incorruptissimus omnis
Circum doctores aderat. Quid multa? Pudicum,
Qui primus virtutis honos, servavit ab omni
Non solum facto, verum opprobrio quoque turpi;
Nec timuit, sibi ne vitio quis verteret, olim 85
Si praeco parvas aut, ut fuit ipse, coactor
Mercedes sequerer; neque ego essem questus; at hoc nunc
Laus illi debetur et a me gratia maior.
Nil me paeniteat sanum patris huius, eoque

87. *at hoc* Aldina et Vatic. E apud Feam, *at hic* Gothanus, ceteri codices habent *ad hoc*, *ad haec* unus Bland., quem cum antiquissimum esse putaret secutus est Bentley; *ob hoc* Sangall. corr.

curet." — *In magno ut populo*] „ut in magno populo, in magna urbe fieri solet et decet", scil. veste decora uti et pedisequis. Eadem constructione Ovid. Trist. 1, 1, 17: *Si quis, ut in populo* (fieri solet), *nostri non immemor illic.* Tacit. Hist. 1, 8: *Et hic quidem Romae, tamquam in tanta multitudine, habitus animorum fuit.* — *avita Ex re*] id quod in liberti filio, qui avum non habebat ex ingenuorum opinione, fieri proprie non poterat. Hoc autem dicit: „Omnes me hominis locupletis filium esse facile credidissent." — *crederet*] „cum nos *vidisset*, tunc ipsum *crederet*", pro quo tempore nos utimur plusquamperfecto.

81-84. *Ipse*] non servus paedagogus. Oderat enim pater triste illud paedagogorum genus, de quo Antiphanes in Meinekii Fragm. Com. III. p. 85: *οἱ Σκύθαι--γενομένοισιν εὐθέως τοῖς παιδίοις Οὐ μὰ Δία τιτθὰς εἰσάγουσι βασκάνους, Καὶ παιδαγωγοὺς αὖθις, ὧν μεῖζον [κακὸν Οὐκ ἔστιν οὐδέν].* — *Pudicum--ab omni* cet.] „prae pudore abstinentem." — *Qui primus v. honos*] „quod primum decus est adolescentium, qui aliis virtutibus noti atque honorati vix esse possunt quam pudore et pudicitia." Cic. Partit. orat. 79: *Custos virtutem omnium dedecus fugiens laudemque maxime consequens verecundia est.* — *opprobrio*] „adeo ut (quod tunc rarissimum erat) nemo umquam me laesisse pudicitiam criminatus sit."

85-86. *Nec timuit* cet.] *„Il ne craignit point qu'on lui reprochât un jour qu'en faisant tant de dépense il m'avait réduit à me borner à une charge d'huissier ou de simple sergent comme lui. Quand cela eût été, je ne m'en serais pas plaint."* Sanadon. — *olim*] de re futura, ut Sat. 2, 5, 27. Od. 2, 10, 17. — *coactor*] auctionum (Suet. Vit. Hor. init.), quas pro argentariis vel publicanorum aliqua societate curabat. — *at hoc* cet.] „at propterea tanto maiorem illi debeo gratiam, quod me melius ac lautius quam condicioni suae conveniebat, educandum curavit." *hoc* coniunge cum comp. *maior*, ut Sat. 1, 9, 8 *pluris hoc mihi eris;* quod librarii non perspicientes male correxerunt *ad hoc:* v. com. criticum.

89-101. *Nil me* cet.] „Quamdiu

Non, ut magna dolo factum negat esse suo pars, 90
Quod non ingenuos habeat clarosque parentes,
Sic me defendam. Longe mea discrepat istis
Et vox et ratio: nam si natura iuberet
A certis annis aevum remeare peractum
Atque alios legere, ad fastum quoscumque parentes 95
Optaret sibi quisque, meis contentus honestos
Fascibus et sellis nollem mihi sumere, demens
Iudicio volgi, sanus fortasse tuo, quod
Nollem onus haud umquam solitus portare molestum.
Nam mihi continuo maior quaerenda foret res 100
Atque salutandi plures, ducendus et unus
Et comes alter, uti ne solus rusve peregreve

certe sanus ero, numquam parum mihi felix videri potero, quod tali natus sim patre." — *dolo*] Ut apud ICtos, „culpa." — *Et vox et ratio*] „Et dicta mea et intima animi sententia, illis plane respondens." — *aevum remeare peractum*] „vitam denuo incipere, inde a certo aetatis anno, quadragesimo puta." Eurip. Suppl. 1080: *τί δὴ βροτοῖσιν οὐκ ἔστιν τόδε Νέους δὶς εἶναι καὶ γέροντας αὖ πάλιν;* — *ad fastum*] „secundum fastum, pro fastu suo, parentes, quibus gloriaretur." Hand Turs. I. p. 114: „ut satisfieret fastui." — V. autem *parentes* aeque pertinet ad vv. *alios legere* et ad vv. *quoscumque Optaret sibi quisque*; itaque post *parentes* distinctio tollenda erat. — *honestos — sellis*] „honoratos curulibus magistratibus, consulares et praetorios." COMM. CRUQ. Plaut. Capt. 392: *Qui me honore honestiorem semper fecit et facit.* — *fortasse tuo*] „ut iudicium fore tuum par est: sine dubio", sicuti Graeci usurpant *ἴσως*. Hand Turs. II. p. 722. 'Hoc ad Maecenatem recte dicitur, qui abhorrens senatoriam dignitatem in equestris honoris gradu se continuit.' PORPH. — *salutandi plures*] Explicat Heindorfius: „salutatores plures accipiendi." Praeter Cic. ad Fam. 7, 28 et 9, 20 poterat afferre etiam Senecae illud de Brev. V. 2: *Quam multis nihil liberi relinquit circumfusus clientium populus!* Non tamen eius interpretationem comprobo; nam memoranda sane erat longe maior molestia alios salutandi; et qui maiores honores appetebant, etiam cum senatores, aediles, praetores essent, suffragiorum et ambitionis causa primores civitatis salutare necesse habebant. Ita L. Vargunteius senator et C. Cornelius eques Rom. quasi salutatum introire ad Ciceronem volebant, ut eum occiderent. Sallust. Catil. 28. Hieronymus Epist. 43: *Pudet dicere frequentiam salutandi, qua aut ipsi quotidie ad alios pergimus aut ad nos venientes ceteros exspectamus.* — *ducendus et unus Et comes alter*] „Ambiguitatem in his offendimus." Hand Turs. II. p. 538. Lectores tamen Latinos in ambiguitate ista haesisse neutiquam puto, cum illico inversionem agnoscerent: *et ducendus comes unus et alter.*

102-109. *peregreve*] Syll. *ve* colliquescit cum versu seq. Plerique in hoc cum offenderent, interpola-

Exirem; plures calones atque caballi
Pascendi, ducenda petorrita. Nunc mihi curto
Ire licet mulo vel si libet usque Tarentum, 105
Mantica cui lumbos onere ulceret atque eques armos:
Obiciet nemo sordis mihi, quas tibi, Tilli,
Cum Tiburte via praetorem quinque sequuntur
Te pueri lasanum portantes oenophorumque.
Hoc ego commodius quam tu, praeclare senator, 110

102. *peregreve* Guelpherb. III, Aldus, ed. fere omnes, *rus peregreve* du Rieu rec. Holder ed. I. *rusve peregre aut* codices plerique *rusve peregre* cod. Leid. et cod. Porphyr. Mon. — 107. *Tilli* cod. maior pars et ed. paene omnes, *Tulli* Leidensis, Dessauiensis, Gothanus, Lips. corr., Rd.

runt *peregre aut.* Cfr. Sat. 1, 4, 96. — *calones*] „viliores servi.“ GLOSS. h. l. equisones. — *petorrita*] Quintil. 1, 5, 57 *plurima Gallica valuerunt ut reda ac petorrita quorum altero tamen Cicero, altero Horatius* (cf. Epist. 2, 1, 192) *utitur.* Cf. Gellii n. a. 15, 30, 6. Derivatur a cambr. *petuar* = quattuor et hibern. *roth* i. e. rota. — *curto*] „curtata cauda.“ SCHOL., cuius tamen moris Britannici aliud vestigium apud Romanos non superest; „castrato“ explicat Forcellinus immemor mulos natura sua ad gignendum inhabiles non castrari. Melius explices, ut dicitur *curta supellex*, *curta res*, „vili, exigui pretii;“ non autem „exiguo, macro.“ — *Mantica*] „Quia pauperes, cum insident iumentis, post sese sarcinas habent.“ ACR. „Hoc ex Luciliano illo sumptum est: *Mantica cantheri costas gravitate premebat.*“ III 31 (L. M.) v. 1023 (Lchm.) PORPH. — *sordis - - tibi*] Nam propter nimiam parsimoniam et contra decus praetorium non amicos aliquot in rus educit, sed paucis tantummodo servis utitur. Tam exiguus autem comitatus servorum, insuper instrumenta quae nominat portantium, sane sordium signum erat in praetore. Cfr. Sat. 1, 3, 12. — *Tilli*] Videtur idem Tillius, qui notatur v. 25; ex tribuno igitur militum factus iam praetor. Qui legunt *Tulli*, cogitarunt de M. Tullio M. F. Cicerone, consule suffecto a. u. c. 724, homine tamen non tam sordido quam perditis moribus ac vinolento. Plin. H. N. 14, 22. — *Tiburte via*] a porta Esquilina ad Tibur ducente. — *lasanum*] 'vas in quo exoneratur venter.' ACRON. Conf. Petron. 41, 47. Sic Graecum *λάσανον* explicant, velut Aristoph. *ἐν προαγῶνι* apud Pollucem 10, 44: (cfr. 80, pg. 190 Ddf.) *Οἴμοι τάλας, τί μου στρέφει τὴν γαστέρα; Βάλλ' ἐς κόρακας· πόθεν ἂν λάσανα γένοιτό μοι*; Alii cogitant de vase culinario *χυτρόποδες κυρίως - ἐφ' ὧν ἕψεταί τι καὶ φρύγεται*; sordidum praetorem ne deverti ad cauponas cogeretur sumptumque minorem faceret, cellae *(oenophorum)* culinaeque supellectilem secum portare.

110. 111. *Hoc*] „Propter plenam libertatem, qua utor.“ — *senator*] utique et ante praeturam et post eam. — *Milibus atque aliis*] Gen. neutr. respondet v. *Hoc.* „Non solum per itinera ego commodius vivo, sed in sescentis aliis rebus“, quas partim statim enumerat, par-

Milibus atque aliis vivo. Quacunque libido est,
Incedo solus; percontor, quanto olus ac far;
Fallacem Circum vespertinumque pererro
Saepe Forum; adsisto divinis. Inde domum me
Ad porri et ciceris refero laganique catinum; 115
Cena ministratur pueris tribus, et lapis albus
Pocula cum cyatho duo sustinet; adstat echinus

111. *milibus* cod. paene omnes, etiam Blandinii praeter unum, in quo *militibus* punctis sub *ti* positis; *multis* coniecit Lambinus prob. Heindorfio. — 115. *laganique* cod. paene omnes, in his Blandinii, *lachanique* cod. Farnes. Lambini. — 117. *echinus* codices plerique *echino* pauci Lamb., prob. Gesnero.

tim scite his complexus est etiam ceteros ingenii, poësis, litterarum fructus, „quos quidem vos, homines volgares, ne intelligere quidem potestis.“ Sane contra usum volgarem dixit *milibus aliis* pro *mille aliis;* nam *milia alia* proprie est *andre Tausende*, non *tausend Andre*. Plerique quidem habent pro gen. masc.: „quam tu et mille alii.“ Sed inconcinna videtur duplicis comparationis compositio et nimis infinite se cum *mille aliis* conferret, in quibus poterant esse cerdones et libitinarii, non addito *ἐπιθέτῳ* „longe me opulentioribus;“ nec probabilior est Lambini coniectura *Multis atque aliis*, ducta ex corruptela *Multibus* (unus Cruquii *Militibus*) et recepta ab Heindorfio.

112-114. *percontor* cet.] „animi causa“, non, ut nonnulli voluerunt, quo minus deciperetur a servo obsonatore, id quod nimis putidum esset. — *Fallacem*] ubi semper multi sunt circulatores, Chaldaei sive mathematici, sortilegi, etiam grassatores et crumenisecae. Cic. de Divin. 1, 132: *Non habeo denique nauci Marsum augurem, non vicanos haruspices, non de circo astrologos, non Isiacos coniectores, non interpretes somniorum.* — *vespertinum*] Quo tempore homines splendidiores et negotiis vel civilibus vel feneratoriis implicati iamdudum domum se receperunt, neque in foro remanent nisi volgi circuli, quibus illi sese immiscere erubescunt. — *divinis*] „hariolis, sortilegis, interpretibus somniorum“, et quidem delectationis causa, quia horum impudentia ac mendacitas, popelli eos consulentis stupor et credulitas risum ei movebant. Maximus Tyrius 19, 3 divinos ita describit: *τῶν ἐν τοῖς κύκλοις ἀγειρόντων, οἳ δυοῖν ὀβολοῖν τῷ προστυχόντι ἀποθεσπίζουσιν.*

115. 116. *Ad porri* cet.] id est, „ad cenam frugalissimam.“ — *lagani*] ‘Lagana (*λάγανα*) sunt de siligine quadam factae, quasi membranae compositae quas cum piperis liquamine coquunt et sic comedunt.’ ACRON. — *lapis albus*] „Mensa marmorea, quam vocant Delphicam.“ ACR. Probabilius Fea explicat „*ἐγγυθήκην* (Athen. 5, 45), v. a Latinis corruptum in *incitegam* (Festus), *basin vasorum collocandorum causa paratam*, ut ait Iavolenus in l. 100 §. 3 ff. de Legat. 3.“

117. 118. *Pocula - - duo*] „Delphica vasa paria semper sunt, unde ipse Cicero: *dicebat scyphorum paria complura.* (Verr. 2, 47.)“ AGROECIUS ed. Keil G. L. 7, 116. *Duo* vel ad vinum et ad aquam

Vilis, cum patera guttus, Campana supellex.
Deinde eo dormitum, non sollicitus, mihi quod cras
Surgendum sit mane, obeundus Marsya, qui se 120
Voltum ferre negat Noviorum posse minoris.
Ad quartam iaceo; post hanc vagor aut ego lecto
Aut scripto, quod me tacitum iuvet; ungor olivo,
Non quo fraudatis immundus Natta lucernis.

puram vel ad vina Graeca et Italica; nam cum his quoque cena frugalis esse poterat. — *cyatho*] ad vinum ex cratere hauriendum; cf. Od. 1, 29, 8. — *echinus*] 'echinum Lucilius (fr. inc. 137 L. M. 1181 h Lchm.) sic dixit quasi scortea ampulla sit, ut cum ait Echinus cinnabari infectus. hic tamen vitream ampullam intellegere debemus.' PORPHYR. — *cum patera guttus* cet.] 'Utrumque ad libationes faciendas.' *Qui vinum dabant, ut minutatim funderent, a guttis guttum appellarunt; qui sumebant minutatim, a sumendo simpulum nominarunt. In huiusce locum in conviviis e Graecia successit epichysis et cyathus; in sacrificiis remansit guttus et simpulum.* Varro L. L. 5, 124.

120. 121. *Marsya*] „Marsyae statua erat pro Rostris, ad quam solebant convenire causidici, qui lites et negotia tractabant et componebant. Locus autem a statua nomen accepit, quod ibi causae agi solebant et vadimonia sisti." COMM. CR. Serv. ad Aen. 4, 58: „(Bacchus) apte in urbibus libertatis est deus; unde etiam Marsyas minister eius per civitates in foro positus libertatis indicium est: qui erecta manu testatur nihil urbi deesse." Apuleius Florid. 1, 3, 11: *Eo* (Hyagnide) *genitus Marsyas cum in artificio patrissaret tibicinii, Phryx cetera et barbarus, voltu ferino trux, hispidus, illutibarbus, spinis et pilis obsitus fertur (proh nefas!) cum Apolline certavisse: teter cum decoro, agrestis cum eruditio, belua cum deo.* — *Voltum ferre negat* cet.] „Minor enim (Noviorum) ad hanc statuam turpissime fenerabatur summo mane; quare iocatur Horatius inquiens, Marsyam alteram habere manum erectam ad depellendum Novios, quod eorum feneratorum impudentiam non posset sustinere." COMM. CRUQ. Ut tamen iocus verum salem habeat, fingamus nobis necesse est feneratoris voltum adeo foede distortum, ut Satyrus, etsi ipse quoque deformem habet faciem, ab illo contuendo abhorreat.

122-124. *Ad quartam*] horam nostram fere decimam. „Usque ad hanc in lectulo sum;" ubi, si lubebat, legere vel scribere aliquid poterat. *Iacere* autem „cubare in lectulo", ut Catull. 32, 10: *Nam pransus iaceo.* Bentleius recte: „Cave accipias pro *dormio*, ut volgo faciunt Interpretes." — *post hanc* cet.] „post quartam aut *vagor*, sine certo consilio solus incedo", (ut v. 112, sed h. l. mane ante prandium;) „aut, si hoc non placet, ungor oleo, pila in Campo Martio lusurus, deinde lavor, postea domum redeo ad prandium sumendum, postremo per aliquot horas otior domi." Tum sequitur reliqua pars diei v. 112 descripta. — *lecto-scripto*] Mire haec vv. alii (ac nuperrime magna doctrinae copia adhibita Quichérat in Mélanges de Philologie pg. 191) exposuerunt *lectito* et *scriptito*, cum sint ablativi absoluti, ut saepe apud plerosque scriptores *audito*, *comperto* cet. Vid. ad Sat. 1, 1,

Ast ubi me fessum sol acrior ire lavatum 125
Admonuit, fugio Campum lusumque trigonem.
Pransus non avide, quantum interpellet inani
Ventre diem durare, domesticus otior. Haec est
Vita solutorum misera ambitione gravique:

126. *fugio Campum lusumque trigonem* suppositis punctis vetustissimus Blandinius, *Campum lusitque* (pro *lusumque*) *trigonem* Gothanus; probante Bentleio quem plerique secuti sunt: Orelli, Meineke, L. Müller, Haupt, Vahlen alii; codices fere habent *rabiosi tempora signa* quod receperunt O. Keller et A. Holder. (Cf. Holderi comment. in Hermae XII 501 sqq., quem refutare conatus est Mewes de cod. Bland. 1882 pg. 20.)

94. — *tacitum*] „meditantem ea, quae legi, vel de limandis, quae scripsi, cogitantem.“ — *fraudatis*] Oleo tam vili et rancido, ut lucernis implendis unice inservire posset, hic se ungebat. — *Natta*] 'pro volgari ac sordido homine posuit.' PORPHYR. (Ceterum Pinarii Nattae erant nobiles. Cic. de Divin. 2, 47.) Hinc idem nomen desumpsere Pers. 3, 31. Iuven. 8, 95.

126. *fugio Campum lusumque trigonem*] pro „trigonalem.“ *Trigon* (a v. τρίγωνος), genus pilae minimae, durae et firmo pilo fartae; nomen inde ductum, quod a tribus ludentibus iactabatur et quidem ita dispositis, ut trianguli formam efficerent. Martial. 7, 72, 9: *Sic palmam tibi de trigone nudo Unctae det favor arbiter coronae*, unde orta est Bentlei suspicio *nudumque* a Vossio adoptata. Cum miro casu haec vera lectio adhuc reperta sit in duobus dumtaxat Codicibus, Cruquii Bland. antiquissimo et Cod. Goth. 2, a. Saec. XV. ap. Kirchn. *N. Q. Horat.* p. 23, in illo tamen suppositis punctis volgataque lectione adnotata: *fugio rabiosi tempora signi*, manifestum hoc signum est, reliquos omnes ad nos propagatos esse ex recensione Critici alicuius, qui versum vel sibi non intellectum vel in exemplari, quo ipse utebatur, evanidum atque oblitteratum ita interpolavit iam ante Scholiastas veteres, qui falsam lectionem explicant. Ex hac vero bis idem languidissime diceret: „Ubi solis aestus me monet ire in balneum, ego, ut consentaneum est, fugio aestum dierum canicularium;“ nec vero diceret, quid post unctionem facere consuerit. Praeterea loquitur de vitae suae ratione totum per annum servata, non solum de diebus canicularibus.

127-131. *interpellet*] „prohibeat, non sinat.“ — *diem durare*] usque ad cenam. — *Haec est Vita solutorum* cet.] Similiter Epicureorum vitam describit irridetque Arrian. Epict. 3, 24, 39: *Τί ἄλλο θέλουσιν ἐκεῖνοι ἢ καθεύδειν ἀπαραποδίστως καὶ ἀναναγκάστως, καὶ ἀναστάντες ἐφ' ἡσυχίας χασμήσασθαι καὶ τὸ πρόσωπον ἀποπλῦναι, εἶτα γράψαι καὶ ἀναγνῶναι ἃ θέλουσιν· εἶτα φλυαρῆσαί τί ποτ', ἐπαινούμενοι ὑπὸ τῶν φίλων ὅ τι ἂν λέγωσιν· εἶτα εἰς περίπατον προελθόντες καὶ ὀλίγα περιπατήσαντες λούσασθαι, εἶτα φαγεῖν, εἶτα κοιμηθῆναι οἷαν δὴ κοίτην καθεύδειν τοὺς τοιούτους εἰκός.* Cic. ad Fam. 9, 20: *In Epicuri nos adversarii nostri castra coniecimus. - - Haec igitur est nunc vita nostra: mane salutamus domi et bonos viros mul-*

His me consolor victurum suavius, ac si 130
Quaestor avus, pater atque meus patruusque fuisset.

130. *victurum* codices plerique, in his Blandinii, *victorum* R *victurus* Gothanus paucique Parisini. — 131. *fuissent* cod. maior pars, *fuisset* RSyuv Dessauiensis prob. Bentl., Haupt, Vahlen al.

tos, sed tristes, et hos laetos victores. -- *Ubi salutatio defluxit, litteris me involvo, aut scribo aut lego. Veniunt etiam qui me audiunt quasi doctum hominem, quia paulo sum quam ipsi doctior. Inde corpori omne tempus datur.* — *misera ambitione*] Vid. ad Sat. 1, 4, 26. — *suavius ac*] Conf. Epod. 15, 5. Sat. 1, 1, 46. 1, 2, 22. 1, 10, 34. 2, 7, 96. — *Quaestor*] Perquam scite non memorat nisi infimum magistratum, quo sescenti alii, numquam in honorum cursu longius progressi, erant functi neque eius ope filiis nepotibusque, ullum splendorem pepererant, etsi ipsis, utpote hominibus novis, honori fuerat. Ridicule contra arrogans fuisset, si praetorem vel adeo consulem pro quaestore posuisset.

EXCURSUS

Ad vv. 74. 75.

Ingeniosa de controverso hoc loco exstat disputatio C. F. Hermann, Marburgi 1838, quam hic excerpere iuvat. P. 34: „Quod dixi nullo veterum testimonio aliam *loculorum* significationem constare, nisi quae ad pecuniam aliasve eius generis res pretiosas condendas spectaret, non eam vim habet, ut si loci alicuius sententia id ipsum postulet, librorum pariter ac gemmarum vel clavium conditoria, quae alias *capsae* s. *scrinia* appellabantur, significare posse negem, cumque *tabulam* iam a Scholiasta ad scribendi meditationem referri videamus, tantum abest ut Epistolae 1, 1, 56 locum hoc vetare arbitrer ne *loculos* pro librorum chartarumque et stili repositoriis habeamus, ut vel maximum eius acumen periturum esse dicam, si gestamina laevis humeris suspensa feneratorum tantum instrumenta necessaria, non simul etiam scholasticorum speciem aliquam continerent, quibus illi quamvis adulti adeoque provecti aetate tamen propter caecitatem et illiberalium studiorum assiduitatem non sine magno ludibrio et sale comparantur. Neque in his consisto, sed Satirae quoque loco, illo versu servato, novum acumen accedere puto, de quo iis, qui totam sententiae vim in calculatoriis studiis irridendis contineri arbitrabantur, nihil suboluit, nobis autem, qui liberalitatem Horatii patris centurionum parsimoniae in filiorum suorum institutione opponi vidimus, exoptatissimum calculum adiciat: solitudinem dico, qua centurionum pueri loculos tabulasque suis ipsi umeris gestasse dicuntur, quum Horatius inter reliquas patris sui laudes hanc quoque ponat: *vestem servosque sequentis, In magno ut populo, si quis vidisset avita Ex re praeberi sumptus mihi crederet illos:* quumque totam descriptionem ita institutam esse videamus, ut singula singulis respondeant, optime profecto nobiscum actum, quod his quoque invenitur, quod opponi possit. Scilicet pueros in scholas euntes comitari solebant *capsarii*

cum thecis calamariis vel graphiariis, ut Suetonii (Claud. 35) verbis utar, idque Romae adeo usitatum fuisse videtur, ut Iuvenalis certe aetate vel qui *adhuc uno partam coleret asse Minervam,* eum tamen *custos angustae vernula capsae* sequeretur (10, 117); quodsi haec Horatii sententia est, Venusiae ne centurionum quidem pueros, qui facile principes in eo municipio essent, comites secum habuisse, qui in ludum itantibus *loculos tabulamque* gestarent, quid in illis loculis conditum fuerit, non multum opinor curabimus, modo illud restineamus, quod dici non potest quantum totius imaginis vigorem augeat, ut hac quoque in re Horatii patris munificentia apparuerit, qui cum in patria etiam comitatus sumptibus parcere posset, ne hac quidem re absterritus est, quominus eum Romam deduceret, ubi puerum sine comitatu in scholam mittere omnino non poterat."

SATIRA VII.

Proscripti Regis Rupili pus atque venenum
Hybrida quo pacto sit Persius ultus, opinor
Omnibus et lippis notum et tonsoribus esse.

VII. Lepide narrat, quomodo P. Rupilius Rex cum Persio quodam Clazomenis, Ioniae urbe, coram M. Bruto, propraetore, Asiae, acerrima contentione litigarit, Rupilius insuper acerbissimus conviciis, Persius vilissima utens erga Brutum adulatione. Tandem Persius salse aliquod dictum in adversarium expromit, quod totius historiolae acumen et quasi medullam continet (v. 33 seqq.) atque narratiunculae finem imponit. ZELL.

1-3. *Regis Rupili*] „P. Rupilius Rex Praenestinus, eques Romanus, a. 702 magister publicanorum, qui in Bithynia vectigalia exigebant, fuerat (Cic. ad Fam. 13, 9, 2) et postea a civibus Praenestinis in exsilium missus sub P. Attio Varo a. 707 in Africa stipendia meruerat. A. 711 Romae praetor factus, sed a triumviris Octaviano auctore proscriptus, ad Brutum confugit, a quo in comitum cohortem receptus est." SPOHN. — *pus*] mordacitas et maledicentia impura ac pestilens. — *Hybrida*] „Clazomenius enim fuit Persius, patre Asiatico, matre Romana. Civitatem tamen Romanam obtinuerat. Eum igitur ut semiromanum deridet Horatius." SCHOL. Plin. H. N. 8, 79: *In nullo genere aeque facilis* (atque in suibus) *mixtura cum fero, qualiter natos antiqui* hybridas *vocabant.* — *lippis - - tonsoribus*] „Adeo ait divolgatum esse, quibus modis insectatus sit Persius Rupilium, ut et in tonstrinis haec et in medicinis (tabernis medicorum volgarium) narrata sint. Fere autem in his officinis otiosi solent considere ac res rumoribus frequentatas fabulis celebrare." PORPHYR. Frequentissimus utique Romae morbus erat lippitudo, qua temptati sane tempus vix aliter fallere poterant nisi confabulando in officina aliqua, ubi ex antiquorum more homines conveniebant, ut nos in thermopoliis. Sic Aristoph. Plut. 337: *λόγος γ' ἦν - - πολὺς Ἐπὶ τοῖσι κουρείοισι τῶν καθημένων.* Lysiae or. 24, 20: *ἕκαστος ὑμῶν εἴθισται προςφοιτᾶν ὁ μὲν πρὸς μυροπωλεῖον ὁ δὲ πρὸς κουρεῖον κτλ.* Plaut. Amphitr. 1013: *In medicinis, in tonstrinis, apud omnis aedis sacras Sum defessus*

Persius hic permagna negotia dives habebat
Clazomenis, et iam litis cum Rege molestas, 5
Durus homo atque odio qui posset vincere Regem,
Confidens tumidusque, adeo sermonis amari,
Sisennas, Barros ut equis praecurreret albis.
Ad Regem redeo. Postquam nihil inter utrumque
Convenit: — hoc etenim sunt omnes iure molesti, 10
Quo fortes, quibus adversum bellum incidit: inter
Hectora Priamiden animosum atque inter Achillem
Ira fuit capitalis, ut ultima divideret mors,
Non aliam ob causam, nisi quod virtus in utroque

Sat. VII. 5. *et iam* Bothe, Vahlen. — 7. *tumidusque* Leidensis, Lipsiensis, Vossianus, Dessauiensis, Sbφψιν edit. pleraeque, *tumidus* maior pars cod., in his Bland. antiquissimus, prob. Holdero.

quaeritando. Tonsores autem iam apud antiquos propter garrulitatem famosi. Polyb. 3, 20, 5: *οὐ γὰρ ἱστορίας, ἀλλὰ κουρεακῆς καὶ πανδήμου λαλιᾶς ἐμοί γε δοκοῦσι τάξιν ἔχειν καὶ δύναμιν (τὰ Χαιρέου καὶ Σωσίλου συγγράμματα).* Cfr. Plutarch. *περὶ ἀδολ.* 13.

6-8. *Durus*] „pervicax et morosus.“ — *odio*] „molestia, qua homo *rixatorius et iurgiosus* (Fronto ad M. Caes. Ep. 4, 12) omnes afficere solebat, unde omnes eum fastidiebant.“ — *Confidens*] Cic. Tusc. 3, 14: *Qui fortis est, idem est fidens; quoniam confidens mala consuetudine loquendi in vitio ponitur, ductum verbum a confidendo, quod laudis est.* — *tumidus*] ἀκράχολος, iracundiâ cum superbia coniunctâ. — *Sisennas, Barros*] notos tunc scurras maledicos. — *equis-albis*] cum hi celerrimi esse crederentur; inde natum hoc proverbium. Sic Plaut. Asin. 278: *Nam si occasioni huic tempus sese supterduxerit, Numquam edepol quadrigis albis indipiscet postea.* Iam Hom. Il. *Π* 437 de Rhesi equis: *λευκότεροι χιόνος, θείειν δ' ἀνέμοισιν ὁμοῖοι,* unde Verg. Aen. 12, 84: *Qui* (Turni equi) *candore nives anteirent, cursibus auras;* talibusque, utpote qui etiam pro pulcherrimis haberentur, in triumphis utebantur. Dio Cass. 43, 14.

9-19. *Postquam nihil--convenit*] „Postquam litem amice decidere et conciliari non potuerunt.“ — *hoc etenim* cet.] „Omnes homines *molesti*, difficiles, contentiosi *hoc iure sunt*, idem ius sibi statuunt, eodem modo agunt, quo *fortes*, fortitudine sibi pares, inter quos certamen singulare oritur. Quod igitur inter duos fortes usu venit, ut ferro inter se decernant, hoc idem hominibus pervicacibus proprium est, ut causam suam summa contentione agant.“ MITSCHERLICH. — *adversum bellum*] „acerrimum certamen.“ — *inter--inter*] Duplicis huius praep. *inter* usus, in quo haesit Bentleius, exempla sunt etiam apud Ciceronem, velut Paradox. 14; aliorum scriptorum collegit Hand Turs. 3, 409. Cfr. Ep. 1, 2, 12. Liv. 10, 7, 1: *certatum--inter Ap. Claudium maxime ferunt et inter P. Decium Murem.* — *Ira-capitalis*] ut *morbus capitalis*, caput, vitam petens, ita ut aliter nisi alterius utrius morte

Summa fuit; duo si discordia vexet inertis, 15
Aut si disparibus bellum incidat, ut Diomedi
Cum Lycio Glauco, discedat pigrior ultro
Muneribus missis: — Bruto praetore tenente
Ditem Asiam, Rupili et Persi par pugnat, uti non
Compositum melius cum Bitho Bacchius. In ius 20
Acres procurrunt, magnum spectaculum uterque.
Persius exponit causam; ridetur ab omni
Conventu; laudat Brutum laudatque cohortem
Solem Asiae Brutum appellat, stellasque salubris
Appellat comites, excepto Rege; canem illum, 25
Invisum agricolis sidus, venisse: ruebat,

15. *vexat* Aldinae, *verset* e Lambini cod. Bentleius. — 20. *Compositum* Dessauiensis, Lipsiensis SOγφψ, *Compositus* Argentoratensis, Leidensis, Vossianus, Gothanus bcdλuv, *Compositi* ex uno cod. Magdalenensi Bentley. — 21. *procurrunt* Bland. vetustissimus, Leidensis, Vossianus Rφψlu, *concurrunt* Argentoratensis, Dessauiensis, Lipsiensis OSbcdγ.

finiri non posset. Hom. Il. *X* 261: *Ἕκτορ, μή μοι, ἄλαστε, συνημοσύνας ἀγόρευε κτλ.* — *vexet*] verbum de omnibus animi perturbationibus usitatum efficacius etiam quam Bentleii *verset*, cuius valde exigua est auctoritas. — *Glauco*] Apud Homerum quidem (quocum conf. Quintus Smyrn. 3, 212—285) minime ignavus comparet, sed tamen non sine quadam ironia Il. Z 234: *Ἔνθ' αὖτε Γλαύκῳ Κρονίδης φρένας ἐξέλετο Ζεύς, Ὃς πρὸς Τυδείδην Διομήδεα τεύχε' ἄμειβεν, Χρύσεα χαλκείων, ἑκατόμβοι' ἐννεαβοίων.* Est igitur haec quoque ex parodiis illis Homericis, quibus refertus est Lucianus; itaque ridiculi causa dicebant, propter ignaviam Glaucum a Diomede dono illo vitam redemisse. — *missis*] h. l. „oblatis, datis.“ — *tenente-Asiam*] et tunc Clazomenis conventum agente.

20-27. *Compositum*] „par eiusmodi, ut non compositum melius par sit cum Bitho Bacchius.“ *Compositum* autem ad depugnandum. Seneca de Provid. 3: *Ignominiam iudicat gladiator cum inferiore componi.* — *cum Bitho Bacchius*] Acro: „Bithus et Bacchius gladiatorum nomina celebrata apud Suetonium Tranquillum (in libris deperditis) sub Augusto.“ — *In ius-procurrunt*] quasi in campum, ut milites inter se pugnaturi; voc. proprium est de militibus ex acie impetum facientibus; itaque altera lectio *concurrunt* (v. Sat. 1, 1, 7) minus apta; facile autem in cod. *con* et *pro* mutantur. — *ridetur*] „accipiendum impersonaliter, ut sit, ridet omnis conventus.“ LAMBINUS. Volgo explicant: „irridetur Persius.“ — *Conventu*] „Corona auditorum in iudicio.“ — *cohortem*] amicorum et comitum Bruti, qui iudices sedebant. — *Solem* cet.] Tumidis metaphoris et ridicula *ἀντιθέσει* inter stellas salutares et Caniculam agros torrentem utebatur rabula; unde, qui aderant, risus fecere. Ceterum conferatur

Flumen ut hibernum, fertur quo rara securis.
Tum Praenestinus salso multoque fluenti
Expressa arbusto regerit convicia, durus
Vindemiatur et invictus, cui saepe viator 30
Cessisset, magna compellans voce cuculum.
At Graecus, postquam est Italo perfusus aceto,
Persius exclamat: 'Per magnos, Brute, deos te

27. *fertur, quo rara securis* cod., *fertur per rura Sygambris* Usener. — 28. *multogue* cod. plerique, *multumque* Leidensis, Vossianus Spr. c *ψλ*. — 31. *cuculum* R cum paucis, plerique *cucullum* sed altera littera l deleta.

graeci poetae similis locus apud Athen. Deipn. 4 pg. 111 Mein. ὁ δ' ἱλαρὸς ὥσπερ τὸν θεὸν δεῖ καὶ καλὸς καὶ γελῶν πάρεστιν, σεμνόν τι φαίνεθ'· οἱ φίλοι πάντες κυκλῳ, ἐν μέσοισι δ' αὐτός· ὅμοιον ὥσπερ οἱ φίλοι μὲν ἀστέρες, ἥλιος δ' ἐκεῖνος. — *fertur quo rara securis*] „eo loco, ubi quia praeceps est ripa, torrentis (χειμάῤῥου) impetus est vehementior ideoque in loco periculoso raro arbores caeduntur."

28-35. *salso*] „amaro et maledico." — *multoque fluenti*] Persio. Est dativus. Verg. Georg. 3, 28: *magnumque fluentem Nilum.* Sophocl. Antig. 129: πολλῷ ῥεύματι προσνισσομένους. Demetr. Phaler. p. 146 Fisch.: καὶ γὰρ μεταφέροντά ἐστι δεινὰ ποιεῖν ὡς τό, „Τῷ Πύθωνι θρασυνομένῳ καὶ πολλῷ ῥέοντι καθ' ὑμῶν οὐκ εἶξα." (Demosth. de Corona §. 136.) Sat. 1, 4, 11: *Cum flueret* (Lucilius) *lutulentus.* — *Expressa arbusto*] „altissimo clamore ex arbusto, in quo ramis coopertus sedet, prolata." — *regerit*] „respondens ingerit." — *Vindemiator*] tetrasyllabum, quasi *vindemjator*, h. l. vineae putator. Vid. ad Sat. 2, 8, 1. — *cuculum*] Plin. H. N. 18, 66, 2: *XV. diebus primis* (post aequinoctium vernum) *agricolae rapienda sunt ea, quibus peragendis ante aequinoctium non suffecerit, dum sciat inde natam exprobrationem foedam putantium vites per imitationem cantus alitis temporarii, quem cuculum vocant. Dedecus enim habetur opprobriumque meritum, falcem ab illa volucre in vite deprehendi, ut ob id petulantiae sales etiam cum primo vere ludantur.* Ergo viator petulanter in vindemiatoris ludibrium cuculi cantum imitatur; verum talia tamque acerba et contumeliosa responsa fert, ut nec vires nec tempus habeat ad ea reddenda, sed fatigatus tandem inani altercatione ad sua negotia abeat, vindemiator victor evadat. (Vindemias ipsas Neapolitanas simili modo celebratas esse a vinitoribus monstrat Ambrosius Leo in Antiqq. et Histor. Nolae 3, 14.) Egregie Ausonius in Mosella 163: *Laeta operum plebes festinantesque coloni Vertice nunc summo properant, nunc deiuge dorso, Certantes stolidis clamoribus: inde viator Riparum subiecta terens, hinc navita labens, Probra canunt seris cultoribus; adstrepit ollis Et rupes et silva tremens et concavus amnis.* — *Graecus*] ut talis, homo vafer ac lepidus, uno dicto facile rusticum atque inficetum adversarium de statu demoturus. — *Italo-aceto*] „salibus vere Latinis, aculeatis et mordacibus."

Oro, qui reges consueris tollere, cur non
Hunc Regem iugulas? Operum hoc, mihi crede, tuorum est.' 35

SATIRA VIII.

Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum,
Cum faber, incertus scamnum faceretne Priapum,
Maluit esse deum. Deus inde ego, furum aviumque
Maxima formido: nam fures dextra coërcet

34. *consueris* codices et edit. paene omnes, nisi quod Bentl. e cod. Galeano et ed. Veneta 1490 recepit *consuesti*.

Plaut. Pseud. 2, 4, 49: *Ecquid habet is homo aceti in pectore? Atque acidissimi,* — *consueris*] Cum *qui* h. l. idem sit ac *quippe qui, ut qui*, praestat coniunctivus, firmatus optimis codicibus. — *reges*] Caesarem, ut Tarquinium Superbum L. Iunius Brutus, a quo stirpem ducere volgo putabatur M. Brutus. Ad lusum, qui est in verbis *reges* - - *Regem*, conf. Cic. ad Att. 1, 16, 8: *Quousque, inquit* (Clodius), *hunc regem feremus?* — *„Regem appellas, inquam, cum* (Q. Marcius) *Rex tui mentionem* (in testamento suo) *nullam fecerit?“* — *Ille autem Regis hereditatem spe devorarat.* — *operum* - - *tuorum*] unum; „hoc te sane dignum est.“

VIII. Multa cum evidentia narrat, quo ridiculo modo Maecenatis Priapus Esquilinus perterrefecerit veneficas, Canidiam sive Gratidiam, quam, fortasse prius amicam, propter perfidiam ac malas artes, quibus utebatur, singulari odio persequebatur poëta, et Saganam, eius sociam; scite simul immiscentur amici Maecenatis laudes ob restitutam Esquiliis salubritatem. Tempus scriptionis omnino incertum est. Composuit utique, postquam in Maecenatis familiaritatem pervenit, ut liquet ex occulta illa et, ut ita dicam, leni amici laude v. 14. (Artes magicas describunt Theocr. 2 Verg. Ecl. 8. Tibull. 1, 2. Propert. 4, 5. Ovid. Her. 6, 83 sqq. Lucan. 6, 430 sqq. Val. Flacc. 6, 439 sqq. Lucian. Dial. mer. 4. Conf. Epod. 5. 17.)

1—7. *truncus - ficulnus*] *Σύκινον ξόανον* Priapi habet etiam Theocritus Ep. 4, 2. — „Sicut a *corylo* (s. *corulo*) *colurnus*, ita a *ficu ficulnus* derivatur.“ COMM. CRUQ. Addit Porphyrio: „non ut volgo *figulneus*.“ — *inutile lignum*] „ad nihil aptum; nam materia eius arboris propter fragilitatem nullis fabricis est idonea.“ COMM. CRUQ. Est: „quo nemo quid faceret sciebat ante fabrum, cui, ut Priapus tandem fierem, aptus sum visus.“ — *faber*] lignarius. — *Priapus*] deus agrestis Lampsacenorum, inde diu post Homerum atque Hesiodum in Graeciam primum, postea in Latium invectus, tamquam auctor fertilitatis, imprimis hortorum. Vide Bücheler in Mus. Rhen. 18, 381 sq. Preller-Iordan Mythol. Rom. I 450. — *Maluit esse deum*] „Cur, ipse nesciebat.“ Egregiam in his ipsius dei verbis inesse *εἰρωνείαν* quivis sentit. Priap. 10

Obscaenoque ruber porrectus ab inguine palus; 5
Ast importunas volucris in vertice arundo
Terret fixa vetatque novis considere in hortis.
Huc prius angustis eiecta cadavera cellis
Conservus vili portanda locabat in arca.
Hoc miserae plebi stabat commune sepulcrum, 10
Pantolabo scurrae Nomentanoque nepoti:
Mille pedes in fronte, trecentos cippus in agrum

(ed. Bücheler): *Insulsissima quid puella rides? Non me Praxiteles Scopasve fecit, Nec sum Phidiaca manu politus; sed lignum rude vilicus dolavit Et dixit mihi 'Tu Priapus esto.'* — *dextra*] qua modo fustem, modo falcem tenebat. Verg. Ge. 4, 110: *Et custos furum atque avium cum falce saligna Hellespontiaci servet tutela Priapi* (apes.) Priap. 63, 9: *Huc adde quod me terribilem deum fuste Manus sine arte rusticae dolaverunt.* — *Obscaeno - - ab inguine*] Cfr. Sat. 1, 2, 26: *Inguen ad obscenum.* — *ruber - - palus*] membrum virile bipedale, minio oblitum, symbolum fecunditatis simplicissimum apud huius cultus repertores. Cf. Priap. 26, 9 *qui quondam ruber et valens solebam fures caedere quamlibet valentes.* Ov. Amor. 3, 7, 67: *membra rigent intempestiva valentque.* — *arundo* cet.] „arundinum fasciculus vento quassatus abigit aves." — *novis - - hortis*] „nuper a Maecenate institutis. - - Antea Esquilina regio sepulcris servorum et miserorum erat dedicata; Maecenas autem considerans aëris salubritatem hortos eo loci instituit." COMM. CRUQ. Si Scholiastis fides tribuenda est, idem hic locus, de quo Horatius loquitur, fuit cum Puticulis, *loco publico ultra Esquilias, ubi mancipiorum corpora proiciebantur.* Cfr. Varro L. L. 5, 25 et Festus p. 200 Lindem.) „Soliti erant carnifices in Esquilina via puteos facere, in quos corpora mittebant." ACRO.

8-13. *Huc prius* cet.] „Ad hunc locum, ubi Priapus stabat, olim servorum cadavera portari solebant sepelienda, ubi quondam Thermae Traianae et domus Crescentiae." COMM. CRUQ. — *eiecta*] ut vilia, quorum praeter conservos nemo curam gerebat. — *cellis*] „miseris mediastinorum cubiculis, plerumque subterraneis." Cfr. Sen. Ep. 18: *pauperum cellas.* Tacit. Dial. 28: *in cella emptae nutricis.* — *vili p. locabat in arca*] Servorum cadavera conservi mutuum inter se officium servantes suo ex peculio sepelienda curabant conductis vespillonibus, qui ea *vili arcae* (sandapilae) imposita in Esquilias efferrent ibique vel cremarent vel humarent. — *miserae plebi* cet.] Locus ille non solum servorum, sed etiam hominum prorsus inopum sepulcreto erat destinatus, ac propterea (id quod cum acerba irrisione adicit) ibi aliquando sepeliendi erant Pantolabus et Nomentanus, decoctores etiamtunc vivi. „Fuit Mallius (*Maenius* Franke F. H. p. 84) verna trans Tiberim ingenuis parentibus natus, qui quia a multis pecuniam mutuam erogabat, Pantolabos est cognominatus." PORPH. De Cassio Nomentano cfr. Sat. 1, 1, 102. 2, 1, 22. 2, 3, 224. Seneca de Vita beata 11 eum cum Apicio iungit. — *Mille pedes* cet.] Ibi quoque cippo incisa erat vel incisa fuisse a poëta fingitur solita sepulcrorum formula. — *in fronte*] alibi *in latitudine*, id est, viam

Hic dabat; heredes monumentum ne sequeretur.
Nunc licet Equiliis habitare salubribus atque
Aggere in aprico spatiari, quo modo tristes 15
Albis informem spectabant ossibus agrum;
Cum mihi non tantum furesque feraeque suetae
Hunc vexare locum curae sunt atque labori,
Quantum carminibus quae versant atque venenis

Sat. VIII. 13. *sequeretur* ORpr.m.Sy Argentor., Gothanus, Monac. E., *sequerentur* Lipsiensis, Dessauiensis, Leidensis, Vossianus φψluv. — 18. *sunt* cod. plerique *sint* Argentor., Sangallensis paucique alii.

publicam versus. — *in agrum*] *feldwärts*. Utramque formulam, et hanc et *in agro*, usitatam fuisse puto. *In agro* sane omnibus litteris est Inscr. Or. N. 4379, *in agrum* Petron. 71; quocirca nihil mutandum videtur. — Erat igitur hoc sepulcretum pedum quadratorum 300000, quia multis sepulcris destinatum. In singulorum sepulcris variat numerus pro fastu atque opibus mortuorum. N. 4374. *IN. AG. P. XII. IN. FR. P. XXIV.* N. 4382. *IN. F. P. VII. IN. A. P. VI.* N. 4557. *IN F. P. XXVI. IN. AG. P. XXXIIS.* Düntzerus: „Salsissime poëta dicit cippum latissimum sepulcrum talibus hominibus tribuere, cum Puticulorum locus iis destinatus sit, in quibus re vera nullus exstitit cippus, qualis erat in sepulcris privatis.“ — *dabat*] „assignabat.“ — *Heredes* cet.] Solita hac formula *H. M. H. N. S.* (*HOC MONVMENTVM HEREDEM NON SEQVITVR* omnibus litteris Inscr. N. 4379) cavebant, ne, cum *DIS MANIBVS LOCVS CONSECRATVS* vel, *DATVS LEGATVSQVE* esset (Inscr. N. 4351, 4352), transiret ad heredes neve ab his aliquando vendi posset. H. l. addita haec formula admodum ridicula est, quoniam hominum ibi sepultorum nulli exstiterunt heredes.

14—20. *salubribus*] Hinc Augustus *aeger in domo Maecenatis cubabat.* Sueton. Oct. 72. — *Aggere in aprico*] Servii Tullii (Liv. 1, 44. Strab. 5 p. 234) sive Tarquinii Superbi (Plin. H. N. 3, 9, 67), a porta Esquilina usque ad Collinam, unde prospectus in Esquilias patebat. Ventosum nominat Iuven. 8, 43. Cicero de Rep. 2, 6: *ut unus aditus, qui esset inter Esquilinum Quirinalemque montem maximo aggere obiecto fossa cingeretur vastissima.* — *quo*] „in quo, ex quo aggere“, non repetita praep. *in* post vv. *in aprico.* Bentlei coni. *qua* sc. partes minus apposita videtur. — *tristes - - spectabant*] „Ut olim invidi per aggerem illum incedebant, quos necessitas aliqua eam in regionem deducebat, sic maesto ossium aspectu nunc remoto libenter ibi deambulant homines otiosi.“ Nota spondeos in lugubri hoc versu *Albis* cet.] — *Cum*] respondet v. *nunc* v. 14. „Etiamnunc“ inquit, „postquam triste illud sepulcretum in amoenos, quos custodio, hortos mutatum est, sagae consceleratae molestia me afficiunt.“ — *feraeque*] volpes, puta, et *Esquilinae alites* (Epod. 5, 100), voltures. — *suëtae*] trisyllabum ut ap. Lucret. 2, 903. Conf. Od. 1, 23, 4 et Epod. 13, 2: *silüae.* Ep. 1, 16, 51: *milüus.* Epod. 16, 32: *milüo.* — *carminibus*] ἐπῳδαῖς. Propert. 4, 4, 51: *magicae - cantamina Musae.* — *versant*] „huc illuc impel-

Humanos animos: has nullo perdere possum 20
Nec prohibere modo, simul ac vaga luna decorum
Protulit os, quin ossa legant herbasque nocentis.
Vidi egomet nigra succinctam vadere palla
Canidiam pedibus nudis passoque capillo,
Cum Sagana maiore ululantem: pallor utrasque 25
Fecerat horrendas adspectu. Scalpere terram
Unguibus et pullam divellere mordicus agnam

lunt sicque vexant." — *perdere*] hyperbole pro „hinc exterminare."

21. 22. *vaga luna*] Verg. Aen. 1, 742: *errantem lunam*. Sagis autem luna necessaria erat ad artes suas exercendas. Theocr. 2, 10: *ἀλλά, Σελάνα, Φαῖνε καλόν· τὶν γὰρ ποταείσομαι ἄσυχα, δαῖμον.* — *ossa legant*] „Etiamnunc hic quaerunt ossa in humo relicta, quibus opus habent; nec enim facile aliis ex sepulcris atque columbariis custoditis furari ea sagae possunt." Ovid. Her. 6, 90: *Certaque de tepidis colligit ossa rogis* (Medea).

23-29. *Vidi egomet* cet.] „Quasi dicat: Et ut melius mihi credas, ecce nominatim tibi duas recito, quas egomet vidi. Habent hi versus aliquid tragicae descriptionis, ut illi Vergilii (Aen. 3, 623): *Vidi egomet, duo de numero cum corpora nostro* cet." COMM. CRUQ. Ex omnibus autem *νεκρομαντείαις* semper maxime mihi placuit Homerus Ulixis animam de rebus Troicis consultans apud Philostr. Her. p. 196. Boiss. et in gemma apud Inghirami *Gall. Om.* Tab. VII., ubi manibus tenet velum inter suam et umbrae faciem, ut hanc audiat dumtaxat, non oculis cernat. — *nigra*] ut omnia, quae ad res ferales pertinent, furva, atra sunt. Hinc etiam *agna pulla* dilaceratur (v. 57). Cfr. Tibull. 1, 2, 64. — *palla*] Consulto *palla* largiore quam tunica vestita est, in cuius sinu herbas ossaque servet. — *Canidiam*] Gratidiam Neapolitanam, de qua Epod. 5 et 17. — *pedibus nudis*] Ad sacra haec magica ex sollemni ritu pedum nuditas referebatur, ut Medea apud Ovid. Met. 7, 182: *vestes induta recinctas, Nuda pedem, nudos umeris infusa capillos.* Similiter in nocturnis Lemuriis *habent gemini vincula nulla pedes.* Ovid. Fast. 5, 432. — *passo capillo*] „Passi crines certe apud Ovidium sunt feminarum, *sparsi* utrorumque: quod quoties de masculis occurrit (de Orpheo Metam. 11, 57, Baccho [immo de Bacchis] A. A. 1, 541, Amore Am. 3, 9, 11) absque librorum discrepantia exstat." MERKEL ad Ovid. Trist. p. 2. Cfr. Od. 3, 20, 14. — *Sagana maiore*] 'Memini me legere apud Helenium Acronem Saganam nomine fuisse Horatii temporibus Pompei libertam senatoris, qui a triumviris proscriptus est; sed cum dicat maiorem, apparet aut sororem hanc habuisse minorem se aut fuisse et aliam Saganam illis temporibus minorem hac vel aetate vel natalibus vel censu.' PORPH. — *ululantem*] *Ὀλολυγμοὶ* maxime feminis in sacris tribuuntur: Verg. Aen. 2, 488. Ovid. Metam. 7, 190. — *utrasque*] „Non necessaria coniectura *utramque*. Cfr. Verg. Aen. 6, 685. Cic. p. Ligar. 12, 36. Sall. Catil. 30 Caes. B. G. 1, 53. B. C. 2, 6." DILLENB. Conf. Zumpt ad Cic. Verr. 3, 140. — *Scalpere terram Unguibus*] scrobem facturae; efficacior autem

Coeperunt; cruor in fossam confusus, ut inde
Manis elicerent, animas responsa daturas.
Lanea et effigies erat, altera cerea: maior 30
Lanea, quae poenis compesceret inferiorem;
Cerea suppliciter stabat, servilibus ut quae
Iam peritura modis. Hecaten vocat altera, saevam
Altera Tisiphonen; serpentes atque videres
Infernas errare canis Lunamque rubentem, 35

hic furor, quam si pala vel marra usae essent. — *pullam--agnam*] Vid. ad v. 23. — *mordicus*] Ut per totam hanc magicorum rituum descriptionem dominatur hyperbole comica, sic h. l. imprimis rem ridiculum in modum exaggerat. — *cruor* cet.] Homer. Od. λ 34 sq. 95 sq. Philostr. Her. 18, 3 p. 728: *Ἥκιστα γὰρ πρὸς αἵματι καὶ βόθροις αἱ ψυχαὶ ψεύδονται* — *in fossam confusus*] „omnis est fusus in scrobem." — Tota res autem prorsus consentanea populari illorum temporum superstitioni. Sic. Cic. Tusc. 1, 37: *quae meus amicus Appius νεκρομαντεῖα faciebat.*

30-36. *Lanea* cet.] *Lanea* referebat Canidiam, *cerea*, quae vexaretur igneque liquefieret (v. 44), amatorem infidelem. „Laneae effigies Compitalibus noctu dabantur in compita, tot numero, quot liberos homines precabantur salvos esse.--Taceo lanae in nuptiis, in flaminum pileis, in hostiarum infulis, in sepulcris, in expiationibus usum." TORRENT. Sic h. l. lanea imago ac propterea Canidia ipsa libera manebat ab omni malo, quod alia saga adversaria ei intentare poterat. — *servilibus--peritura modis*] „miserabiliter peritura"; liquefieri enim debebat. Torrentius: „Lepide Horatius tamquam servili supplicio affici (Liv. 24, 14. 29, 18) ait eam, quae nimio plus pateretur. Nam in servos non modo dominorum, sed et legum nota olim atrocitas ob condicionis vilitatem." Conf. Liv. 32, 38: *in servilem modum lacerati atque extorti.* Ad verbi ellipsin cfr. Sat. 1, 1, 23 et 1, 3, 9. — *Hecaten*] Hom. Hymn. in Cer. 24: *Περσαίον* (Titanis) *θυγάτηρ ἁταλὰ φρονέουσα--Ἑκάτη λιπαροκρήδεμνος.* v. 439: *Πολλὰ δ' ἄρ' ἀμφαγάπησε κόρην Δημήτερος ἁγνήν. Ἐκ τοῦ οἱ πρόπολος καὶ ὀπάων ἔπλετ' ἄνασσα.* Sic paulatim cum Cerere, Proserpina itemque Diana s. Luna in coniunctionem venit. Comice eius formam ita describit Lucianus Philops. 22: *γυναῖκα φοβεράν, ἡμισταδιαίαν σχεδὸν τὸ ὕψος· εἶχε δὲ καὶ δᾷδα ἐν τῇ ἀριστερᾷ καὶ ξίφος ἐν τῇ δεξιᾷ ὅδον εἰκοσάπηχυ, καὶ τὰ μὲν ἔνερθεν ὀφιόπους ἦν, τὰ δὲ ἄνω Γοργόνι ἐμφερής.* — *saevam-Tisiphonen*] furiam, ut Alecto et Megaera Orph. Hymn. 69. *Saeva* autem vocatur, ut Hom. Od. ο 234: *θεὰ δασπλῆτις Ἐρινύς.* — *serpentes atque* cet.] Ordo hic est: *Serpentes atque infernas canes errare videres.* Hyperbaton ipsum exprimit horum *φαντασμάτων* terribilem confusionem. — *Infernas-canes*] Stygias, Hecatae comites. Apollon. Rh. 3, 1216: *ἀμφὶ δὲ τήν γε* (Hecaten) *Ὀξείῃ ὑλακῇ χθόνιοι κύνες ἐφθέγγοντο.* Vergil. Aen. 6, 257: *visaeque canes ululare per umbram Adventante dea.* — *Lunamque rubentem*] „Facete Horatius, ut ostenderet Canidiam peiorem et magis abominabilem ceteris veneficis, quibus alias adesse

Ne foret his testis, post magna latere sepulcra.
Mentior at si quid, merdis caput inquiner albis
Corvorum atque in me veniat mictum atque cacatum
Iulius et fragilis Pediatia furque Voranus.
Singula quid memorem? quo pacto alterna loquentes 40
Umbrae cum Sagana resonarint triste et acutum,
Utque lupi barbam variae cum dente colubrae

39. *Pediatia* cod. plerique, *Pedacia* S prob. Usener (m. rh. 24, 347). — 41. *resonarint* Bentley emend., prob. Meineke, Haupt, Vahlen, Krüger, Eckstein, Schütz, defendit O. Keller; *resonarent* codices, ut videtur, omnes, recep. Orelli, Holder, Fritzsche.

solent Luna, Diana, Trivia sive quocumque nomine vocetur hoc numen, fingit *Lunamque rubentem* cet." D'ORVILLE ad Charit. p. 376. Petronius C. 112. v. 130: *Parte alia plenos exstinxit Cynthia voltus Et lucem sceleri subduxit.* — *magna-sepulcra*] in quibus haeserunt Interpretes, sunt polyandria, fossae, in quas aliquamdiu vel cadavera ipsa vel crematorum ossa deiciebantur, donec complerentur; tum tumulus superstruebatur.

37-39. *caput inquiner*] quod ne accideret, capitibus simulacrorum sub dio positorum imponebantur opercula aerea inaurata, ex quibus orti sunt *nimbi* quos dicunt Sanctorum. — *mictum* cet.] Summum hoc scelus est, quod in dei simulacrum admitti poterat. Notum illud Persii 1, 113: *Pueri, sacer est locus, extra meite!* Iuven. 1, 131: *Cuius ad effigiem non tantum meiere fas est.* Idem valet de tumulis. Vid. ad Art. Poët. v. 471. — *Iulius* cet.] „quidam infames temporis illius. Alii dicunt poëtas fuisse pessimos." ACRO. — *fragilis*] enervatus, effeminatus libidinibus. — *Pediatia*] „Pediatus, eques Romanus, honesto patrimonio consumpto etiam castitatem moris amiserat, propter quod eum Horatius feminino nomine *Pediatiam* appellavit; ob eandem causam et *fragilem* dixit i. e. mollem. PORPH. Hoc sane credibile est. Sic Aristoph. Nubb. 678. Sostratam et Cleonymam pro veris nominibus dicit. Cic. de Or. 2, 277: Q. Opimius ad Egilium: *Quid tu, Egilia mea?* cet. Sunt qui parum probabiliter iungant *et fragilis Iulius Pediatia,* ut is unus homo sit et particulae *et--que* sibi respondeant. Immo *Iulius* Pediatii amator fuisse videtur, ut poëta irrideat par tunc omnibus notum. — *furque Voranus*] Voranus Quinti Lutati Catuli libertus omni loco omni tempore furacissimus fuisse dicitur; de quo etiam illud traditur: cum deprehensus a nummulario esset, cuius de mensa nummos subtractos in calceos infarciverat, quidam iocans in eum 'belle' inquit, sic te nummularius ille excalciaverat cum aspiratione secundae syllabae, ut simul et *χαλκόν* ei ablatum excalciato obiceret. PORPH.

41-43. *resonarint*] Hom. Od. *ω* 9: *τρίζουσαι, τετριγυῖαι*; necessaria est Bentl. emendatio, quod praecedit *memorem* et sequitur *abdiderint, arserit.* Nec de forma dubitandum est, Manil. 5, 567: *resonavit,* Appul. Met. 5, 12; alii similia multa, vid. Neue Formenl. II² 478 s. — *triste et acutum* i. e. lugubre et metuendum. ACR. Heliodor. 6, 15. p. 251. Cor.: *ὁ νεκρὸς--βαρύ τι καὶ δυσηχὲς ὑποτρίζων--ἔφη κτλ.* — *lupi barbam*]

Abdiderint furtim terris, et imagine cerea
Largior arserit ignis, et ut non testis inultus
Horruerim voces Furiarum et facta duarum? 45
Nam displosa sonat quantum vesica pepedi
Diffissa nate ficus: at illae currere in urbem.
Canidiae dentis, altum Saganae caliendrum
Excidere atque herbas arque incantata lacertis
Vincula cum magno risuque iocoque videres. 50

45. *Horruerim* codices plerique, *obruerim* ex uno cod. Fea prob. Meineke, Linker, Haupt 1, 2, 3, Lehrs, (Vahlen restituit cod. lect.)

Plin. H. N. 28, 44: *Veneficiis rostrum lupi resistere inveteratum aiunt ob idque villarum portis praefigunt.* Hoc igitur fecerunt, ut irritas redderent adversariae alicuius incantationes. Ad verba Düntzer recte comparat Sat. 1, 1, 41: *immensum-argenti pondus et auri Furtim defossa timidum deponere terra.* Ceterum hoc quoque inest, huiuscemodi ritus nefarios omnes *furtim*, quam maxime occulte, peragendos fuisse. — *variae*] „maculosae.“ ACR. — *cerea*] dissyllabum per synizesin, ut Sat. 2, 2, 21: *ostrea.* Verg. Aen. 10, 116: *aureo.*

45-50. *Horruerim*] Feae illud *obruerim*, etsi per se rectissimum („repente fecerim, ut et obmutescerent et opus suum interrumperent“), debetur tamen interpolatori, ac longe significantior est diversa Horatii sententia. „Priapus sacra illa magica conspicatus horrore perfunditur, prae quo horrore ei accidit id, quod versu seq. narratur; quod cum ipsis sagis tantum horrorem incuteret, ut in fugam sese darent, poëta ridicule hoc ulciscendi horroris causa, quo Priapus perculsus esset, ab eo factum fingit.“ MITSCHERLICH. — *Furiarum*] sagarum. Sic Cicero aliquoties P. Clodium *Furiam* vocat, sic Euripides Or. 1389. Helenam *περγάμων Ἀπολλωνίων Ἐρινύν.* — *displosa*] „cum impetu eiecta.“ ACR. Lucret. 6, 130: *plena animae vensicula parva Saepe det haud parvum sonitum displosa repente.* — *ficus*] utpote quod sit lignum magnopere fissile. — *in urbem*] Horti enim Maecenatiani, ubi scena huius tragoediae fuit, extra urbem erant, quamquam in proxima vicinia. Philo de Leg. ad Caium T. V. p. 143. Lips.: *μεταπεμψάμενος τοὺς δυεῖν κήπων ἐπιτρόπους τοῦ τε Μαικήνα καὶ Λαμία· πλησίον δέ εἰσιν ἀλλήλων τε καὶ τῆς πόλεως.* (Alii explicant: „ex hortis Esquilinis plerumque solitariis in frequentiorem Urbis partem recurrunt.“) — *Canidiae dentes* cet.] „Iocatur in has, quasi altera dentibus appositis (emptis atque insiticiis) uti solita sit, altera, quod glabra fuerit, caliendrum, id est, galericulum habere consuesset.“ PORPH. — *caliendrum*] dicitur ornatus capitis mulierum sive suppositus crinis, quem pro naturalibus capillis accipiebant, crinis suppositicius, sive capillamentum. ACRON. Cf. Dictionnaire des Antiquités I pg. 849. — *incantata*] „quae formulis magicis ad opus hoc apta reddiderant.“ — *Vincula*] licia ex diversis coloribus. ACR. Verg. Ecl. 8, 73: *Terna tibi* (imagini magicae) *haec primum triplici diversa colore Licia circumdo.*

SATIRA IX.

Ibam forte via sacra, sicut meus est mos,
Nescio quid meditans nugarum, totus in illis:
Accurrit quidam notus mihi nomine tantum,

Sat. IX. 1. *Ibam ut forte* Bentleius coni. — 3. *Accurrit* cod. maior pars, in his Blandinius vetustissimus, *occurrit* S corr., Gothanus, Parisinus 7973 pr.

IX. Volgaris opinio, qua haec satira, sive mimus est ex Sophronis genere, garruli descriptionem continere putatur, procul dubio e male intellecto v. 35 orta est. Nam lectori integro continuo patebit, hic non garruli *χαρακτῆρα* depingi, qualis, ut hoc utar, apud Theophrastum (Char. 3) describitur, sed potius id sibi poëtam proposuisse, sive veram rem narrat sive fictam, ut certos quosdam homines derideret atque in posterum a se abigeret, qui iudicii elegantiam et poëticam facultatem affectantes atque exemplum Vergilii Horatiique aemulati in Maecenatis familiaritatem se intrudere conarentur et, quo certius hoc assequerentur, sine ullo pudore nihilque verentes, ne vilem suum et abiectum animum proderent, omnibus modis Horatii amicitiam expugnare contenderent. Hosce igitur homines male sedulos monet, ne solitis parasitorum artibus se in Maecenatis amicitiam irrepere posse sperent; „a me certe“, inquit, „tales numquam commendabuntur.“ Simul callide hac quoque occasione utitur, ut civibus suis demonstret, qualis sibi familiaritas cum Maecenate intercedat a plurimis ignorata aut male iudicata, atque cuiusmodi mores illi placeant. HEIND. et ZELL. Sane non minus odiosi Horatio esse debebant huiuscemodi assentatores, qui eius auxilio Maecenatis favorem aucupari conabantur, quam invidi ac malevoli illi antiquarii, quos saepe deridet atque impugnat. Sine causa vero Volpius Patavinus opinatus est hac satira derideri Propertium; etsi profecto mirum neque facile explicatu est, cur numquam Horatius Propertii, Propertius Horatii mentionem fecerit, cum ille Vergilium, Varium, Tibullum, alios poëtas amicissime memoret, hic Vergilium admiratus sit. Vide etiam ad Ep. 2, 2, 100 Scripta videtur a. u. c. 718-719.

1-5. *Ibam--Accurrit*] Gratissima negligentia in narrando omisit iuncturam Horatius, inseruit Bentleius. Insigne exemplum huiusmodi *ἀσυνδέτου* praebet Hom. Od. *κ* 251: *Ἴομεν, ὡς ἐκέλευες, ἀνὰ δρυμά, φαίδιμ' Ὀδυσσεῦ· Εὕρομεν ἐν βήσσῃσι τετυγμένα δώματα καλά.* — *forte*] „aliquando, sine certo consilio.“ Conf. Ep. 1, 7, 29. — *via Sacra*] per quam otiosi deambulare solebant. (Cfr. Epod. 4, 7. 7, 8.) Plerumque dicitur *Sacra via* et, qui in ea habitabant, *Sacravienses;* tamen etiam Plinius H. N. 19, 1 ordinem inversum praebet. Collato v. 35 h. l. cogitabis de hora diei secunda. — *sicut meus est mos*] Haec necessario iungenda sunt cum v. *meditans*, non cum v. *Ibam:* hoc enim significandum erat, nullum sibi tunc fuisse negotium nec serias cogitationes, non vero, prope quotidie per illam viam se solere spatiari. Altera iungendi ratio repugnat adv. *forte* et consuetudini Horatii. (Sat. 1, 6, 122.) — *nugarum*] Recte Roederus: „Oleum et operam perdidisse videntur interpretes scrutati, quale fuerit nugarum genus, in

Arreptaque manu 'Quid agis, dulcissime rerum?'
'Suaviter, ut nunc est,' inquam, 'et cupio omnia quae vis.' 5
Cum assectaretur 'Num quid vis?' occupo. At ille,
'Noris nos' inquit; 'docti sumus.' Hic ego 'Pluris
Hoc' inquam 'mihi eris.' Misere discedere quaerens,
Ire modo ocius, interdum consistere, in aurem
Dicere nescio quid puero, cum sudor ad imos 10

10. *puero. Cum - - talos: O te* distinxit Bentleius.

quo tunc Horatius ambulans defixus esset." Potest sane significare versus (Catull. 1, 3: *namque tu solebas Meas esse aliquid putare nugas.*), quamquam inter strepitum Sacrae viae tales vix meditatus esse videtur; potest item significare omnis generis cogitationes haud nimis serias. — *totus in illis*] quo molestior fiebat interpellatio. Ep. 1, 1, 11: *omnis in hoc sum.* Luciani Hermot. 2 *δοκεῖς δέ μοι ἄλλ' οὐδὲ ὄναρ ποτὲ ἀνιέναι σεαυτόν, οὕτως ὅλος εἶ ἐν τῷ πράγματι.* — *Accurrit*] Haec cupiditas Horatium conveniendi magis apta est importuni moribus. quam languidum illud *occurrit*; sic Theophrasti *λογοποιὸς* Char. 8: *πᾶσι δὲ τοῖς ἐν τῇ πόλει προσδεδράμηκε λέγων.* Similiter *arripit* manum, non *prehendit.* — Iungo *dulcissime rerum*, ut fecit Petrarcha Ecl. 6, 45 *turpissime rerum* dicens. Ovid. Metam. 8, 49 et Her. 4, 125: *pulcherrime rerum.* Qui cum Acrone construunt: *Quid rerum agis, dulcissime?* conferunt Plaut. Aul. 117: *Rogitant me, ut valeam, quid agam, quid rerum geram.* Pseud. 1063: *Viso quid rerum meus Ulixes egerit.* — *ut nunc est*] „hoc quidem tempore." Totum responsum ex eo genere est, in quo consuetudinis verbis contenti nihil prope veri cogitamus; et frigidissime, ut par erat, respondet Horatius homini ardenti atque impetuoso. — *cupio* cet.] Solita haec quoque urbanitatis formula, qua nihil certi homini molesto promittitur. Plaut. Pers. 766: *Omnia, quae tu vis, ea cupio.*

6-13. *Num quid vis?*] est formula eius qui officium suum alteri offert: Cic. epist. ad Atticum 5, 2, 2: *iussi eum valere quum me exiens e sua villa num quid vellem rogasset.* Terent. Eun. 341: *rogo, numquid velit. Recte, inquit. Abeo.* Plaut. Bacchid. v. 604 R.: PARAS. *Numquid vis?* PISTOL. *Abeas: celeriter factost opus.* — *occupo*] „praevenio hominem rogans, antequam ille quidquam post primam salutationem dixerat." — *Noris nos*] „Vix aliter fieri potest, quam ut tibi iam aliquatenus notus sim. Nam doctis ego quoque adnumeror." — *Hic ego - - inquam*] Cic. de Finn. 5, 4: *Hic* (Tum) *ego, Pomponius quidem, inquam, noster iocari videtur.* — *Pluris Hoc*] Vid. Sat. 1, 1, 46. Dum respondet: „propter id ipsum quod doctus es, ut dicis, pluris te faciam". vafre significat se eum non nisi nomine nosse. — *Misere*] ex usu quotidiano in plerisque affectibus pro vehementer, nimium quantum. Sic dicitur *misere amare,* qui vehementer amat. Terent. Andr. 520. *Scimus, quam misere hanc amarit.* Heaut. 190 *eam misere amat* Adelph. 667. Plaut. Bacch. 208. Mox v. 14: *Misere cupis-abire.* — *modo-interdum*] Similiter Sat. 1, 10, 11 sqq. sibi respondent *modo-saepe*, *modo-interdum.* — *in aurem*] „quasi nescio

Manaret talos. 'O te, Bolane, cerebri
Felicem!' aiebam tacitus, cum quidlibet ille
Garriret, vicos, urbem laudaret. Ut illi
Nil respondebam, 'Misere cupis' inquit 'abire:
Iamdudum video; sed nil agis: usque tenebo; 15
Prosequar hinc, quo nunc iter est tibi.' 'Nil opus est te
Circumagi: quendam volo visere non tibi notum;
Trans Tiberim longe cubat is, prope Caesaris hortos.'
'Nil habeo quod agam et non sum piger; usque sequar te.'
Demitto auriculas, ut iniquae mentis asellus, 20

16. *Prosequar* duo Blandinii, Argentoratensis, Leidensis, Vossianus, Dessauiensis, ex Parisinis φψλ, Bentl., Heindorf, Meineke, Haupt, Vahlen, L. Müller; *persequar* Lipsiensis, Gothanus, Monacensis Kelleri E, ORSbcyuv, Orelli, Holder, (prob. O. Keller), Eckstein, Krüger, Fritzsche, Schütz.

quid secreto mandarem pedisequo, qua astutia hominem insulsum abigerem, simulans aliquod mihi esse grave negotium." — *O te, Bolane*] „Utinam, secum ait, tam *insanus* et *cerebrosus* (quae vv. iunxit iam Lucilius) essem, quam fuit Bolanus! (qui, ut ait PORPH., adeo liber fuit, ut nullius ineptias ferret, quin quod de eo sentiret statim in eum diceret). Qui iamdudum exclamasset, *βάλλ' ἐς κόρακας*, abi in malam rem! Male enim accepissem verbis atque fugassem hominem." M. Bolanum, veterem amicum, Cicero commendat Sulpicio ad Fam. 13, 77. Pro nomine ficto certe haberi non debet, sed *ἐν παρόδῳ* Luciliano more stringit hominem ridiculum. Ceterum est Vettiorum cognomen a Bola, Aequorum oppido. — *cerebri Felicem*] *μακαρίζω σε τῆς παῤῥησίας*. Verg. Ge. 1, 277: *felices operum* (dies). Plin. Paneg. 58, 5: *Miseros ambitionis.* Plato Phaedon. p. 58 E: *εὐδαίμων--καὶ τοῦ τρόπου καὶ τῶν λόγων.* — *quidlibet-Garriret*] Cic. ad Att. 12, 1, 2: *garrimus, quidquid in buccam* (venit). — *vicos*] domuum ordines ex utraque viae parte. Sic Theophrasti *ἀδόλεσχος* Char. 3 narrat, *πόσοι εἰσὶ κίονες τοῦ Ὠιδείου.*

14-21. *Misere cupis*] Vid. ad v. 8. — *Prosequar*] honoris causa, ut sescenties apud Ciceronem; *persequar* etsi boni codices habent tamen quod magis adversariorum vel hostium est minus idoneum existimavimus. — *Circumagi*] „huc atque illuc (a me) circumduci." ACR. — *non tibi notum*] „quapropter mecum visere eum non potest." — *cubat*] „aegrotus lectulum servat domi suae." Prolog. antiq. Plaut. Cas. 37: *servus, qui in morbo cubat; Immo hercle vero in lecto, ne quid mentiar.* Cels. 3, 4: *Asclepiades--cubantis etiam luxuriei subscripsit.* Conf. Sat. 2, 3, 289. Ep. 2, 2, 68. Ovid. Her. 20, 166: *haec cubat, ille valet.* — *Caesaris hortos*] in Ianiculo, quos Caesar dictator populo Romano publice legarat. Sueton. Caes. 83. A Sacra via autem usque in Ianiculum horae prope integrae iter faciendum erat. — *et non*] „et huc accedit, quod non sum piger, et praeterea non s. p." — *Demitto auriculas*] quasi dixisset: „misellas meas aures." Ridiculo hoc proverbio utebantur iam Graeci. Plat.

Cum gravius dorso subiit onus. Incipit ille:
'Si bene me novi, non Viscum pluris amicum,
Non Varium facies; nam quis me scribere pluris
Aut citius possit versus? quis membra movere
Mollius? Invideat quod et Hermogenes ego canto.' 25
Interpellandi locus hic erat: 'Est tibi mater,
Cognati, quis te salvo est opus?' — 'Haud mihi quisquam.
Omnis composui.' — 'Felices! nunc ego resto.
Confice; namque instat fatum mihi triste, Sabella

de Rep. 10 p. 613 C: *τὸ μὲν πρῶτον ὀξέως ἀποπηδῶσιν (οἱ δρομεῖς), τελευτῶντες δὲ καταγέλαστοι γίγνονται, τὰ ὦτα ἐπὶ τῶν ὤμων ἔχοντες καὶ ἀστεφάνωτοι ἀποτρέχοντες.* — *iniquae mentis*] „iratus in mulionem immisericordem." — *subiit*] ultima producta propter arsin in caesura, ut Ovid. Met. 1, 114: *subiit argentea proles.* Ad usum v. *subire* cfr. Verg. Aen. 4, 599: *Quem subisse umeris confectum aetate parentem.* Sic Gr. *ὑποδῦναι ἄχθος.*

22-27. *Si bene me novi*] „Si sum virtutis propriae idoneus aestimator." IAHN. Cfr. Ep. 1, 18, 1. Ovid. Metam. 14, 355 Circe: *Non tamen effugies, vento rapiare licebit, Si modo me novi* cet. Est: „Si bene me novi, ut reapse bene me novi." — *Viscum*] Vibius Viscus eques Ro. duos filios senatorii ordinis habebat, quorum alter Horatii amicus et Maecenatis convictor fuit. Cfr. Sat. 1, 10, 83: *haec utinam Viscorum laudet uterque!* — *Varium*] Vid. ad Sat. 1, 5, 40. — *pluris*] Ecce alter Crispinus. Sat. 1, 4, 14 sqq. Commendare autem se studet Horatio ut *centum puerum artium.* — *membra movere Mollius*] „cum maiore gratia ac facilitate saltare ac gesticulari." Lucret. 4, 980: *Cernere saltantis et mollia membra moventis.* — *Hermogenes*] Tigellii Sardi filius adoptivus (Sat. 1, 3, 129. 4, 72. 10, 18) ab interpretibus saepius cum illo (Sat. 1, 2, 1 seqq.) confusus. — *ego canto*] Hoc ipsum, quod ut Sallustii Sempronia in omnibus his excellere se, in una arte etiam Hermogenem illum (Horatio tantopere exosum) superare iactat homo vanissimus, bilem movet poëtae, ita ut hunc sermonem tandem praecidat aliumque minus certe molestum movere conetur. Sciscitatur ergo de familia hominis, ut solent, primum qui cum aliquo notitiam contrahunt. — *quis te salvo est opus*] „quibus optabile et utile est te salvum esse."

28-34. *Omnis composui*] Tacit. Hist. 1, 47: *Pisonem Verania uxor ac frater Scribonianus, Titum Vinium Crispina filia composuere.* Similiter *περιστέλλειν*, de sepultura, imprimis de cineribus collectis atque in urna conditis. Haec quoque verba animum durum nullaque propinquorum caritate tactum exprimunt. — *Felices!*] „eo, quod a te iam nulla molestia afficientur." Scilicet haec omnia submissa voce secum murmurat Horatius, ut v. 12, id quod vel ex eo elucet, quod alter ad tam miram narrationem ne verbum quidem respondet. — *resto*] „remaneo, qui a te componar." — *Confice*] „Illico da mihi mortem, importune!" Per iocum haec dicta sunt, ut quivis facile videt. — *Sabella - - anus*] Sabina sortilega, quae quaesticuli causa superstitiosis hariolabatur. Conf. Epod. 17,

Quod puero cecinit divina mota anus urna: 30
Hunc neque dira venena nec hosticus auferet ensis
Nec laterum dolor aut tussis nec tarda podagra:
Garrulus hunc quando consumet cumque; loquacis,
Si sapiat, vitet, simul atque adoleverit aetas.'
Ventum erat ad Vestae, quarta iam parte diei 35
Praeterita, et casu tunc respondere vadato

36. *vadatus* Bentleius coniectura, ut ante Laurentius in Antiquario, et re vera sic unus Bambergensis, teste Iaeckio.

28. Per se patet rem esse fictam. — *divina* cet.] *motâ urnâ divinâ*, „postquam concussit *divinam*, id est, ut ita dicam, propheticam urnam sorsque mea exsiluit.“ Sortes autem hae laminae erant cum inscriptione aliqua ambigua, quam sortilegi pro tempore interpretabantur. Cfr. Or. Inscript. Lat. n. 2485. Cave iungas cum aliis vel *anus mota* (nominat., id est, commota, furore percita, vel, ut alii explicant, permota, inducta) *urnâ divinâ*, vel cum Bentleio: *anus divina* (sortilega) *motâ urnâ*. Ad elisionem autem longae syllabae ante brevem cfr. Sat. 1, 1, 101: *Quid mi igitur*. Sat. 2, 3, 16: *Ponendum aequo animo*. Verg. Aen. 2, 182: *Improvisi aderunt*. — *hosticus*] Vid. ad Od, 3, 2, 6. — *laterum dolor*] „pleuritis.“ SCHOL. Cic. de Or. 3, 6: M. Crassus orator *lateris dolore consumptus est*. — *tussis*] φθίσις, „tabes.“ — *tarda*] transitive, „quae tardos reddit.“ Catull. 71, 2: *Aut si quem merito tarda podagra secat*. — *quandocumque*] „aliquando“, proprie „quandocumque id fiet“, ut Ovid. Met. 6, 543: *si non perierunt omnia mecum, Quandocumque mihi poenas dabis*. De tmesi conf. Od. 1, 6, 3. — *consumet*] interitum lentum ac doloris plenum significat. — *simul atque adoleverit aetas*] Verg. Aen. 12, 438: *mox cum matura adoleverit aetas*. Etiam in prosa oratione. Liv. 1, 4, 8: *cum primum adolevit aetas*. Cic. Accus. Verr. 3, 160: *aetate adulta*. — Ficto autem hoc vaticinio omnibus istius hominis similibus significat se nihil magis abominari quam ineptos ac molestos.

35-37. *ad Vestae*] ut Gr. εἰς Ἀπόλλωνος. „Ad fornicem Fabianum ex Sacra via sinistrorsum se converterant tamquam Tiberim petituri, trans quem cubare dixerat amicum; iam progrediuntur eo vico, quem sub Velia vocatum arbitramur, et tandem ad Vestae templum perveniunt.“ GOETTLING. Vestae autem templum ad Forum inter Capitolium et Palatium erat. Becker de Romae vet. muris p. 25: „Fuit delubrum Vestae, quo nomine etiam Regiam comprehendo, iuxta Forum Romanum, sive, ut solent Romani, quidquid aedificiorum circa aream Fori erat, ipsius Fori partem vocare, in Foro Romano.“ Et proxime quidem aedes Vestae attingebat Libonis puteal, ubi iudicia exerceri solita erant. Conf. ad Od. 1, 2, 15. — *quarta parte diei*] „hora tertia.“ Martial. 4. 8, 2: *Exercet raucos tertia* (hora) *causidicos*. — *respondere*] in iure, „ad iudicium adesse.“ Cic. Accus. 2 Verr. 1, 1: *opinionem populi Romani fuisse, C. Verrem altera actione responsurum non esse neque ad iudicium adfuturum: - - praesto est, respondet, defenditur*. — *vadato*] „ei, qui eum vadatus erat,

Debebat; quod ni fecisset, perdere litem.
'Si me amas' inquit, 'paulum hic ades.' 'Interream, si
Aut valeo stare aut novi civilia iura;
Et propero quo scis.' 'Dubius sum, quid faciam' inquit, 40
'Tene relinquam an rem.' 'Me, sodes.' 'Non faciam' ille,
Et praecedere coepit. Ego, ut contendere durum est
Cum victore, sequor. 'Maecenas quomodo tecum?'

vadimonio obligaverat", ut ait Gaius 4, 187. Plaut. Curc. 162 sq. PL. *Ubi tu's, qui me convadatu's Veneriis vadimoniis? [Ubi tu es, qui me libello Venerio citavisti? Ecce me!] Sisto ego tibi me et mihi contra itidem tu te ut sistas suadeo.* PH. *Adsum* cet. Alii minus recte *vadato* pro ablativo absoluto habent, „vadibus datis", „postquam vadatum erat." Bentleius coni. suam *vadatus* passive accepit, ut est, sensu quidem translato, Plaut. Bacch. 180: *Ita me vadatum amore vinctumque attines* — *perdere litem*] Ex v. *debebat* elice: „ei necesse erat." *Perdere litem* est etiam apud Cic. de Orat. 1, 167, *litem amittere* pro Roscio Com. 10. *Lis* autem h. l. summa vadimonii, quae tanti erat, quanti res, de qua litigabant, ut apparet ex Gaio 4, 185: *Fiunt autem vadimonia quibusdam ex causis pura, id est sine satisdatione; - - quibusdam recuperatoribus suppositis, id est ut, qui non steterit, is protinus a recuperatoribus in summam vadimonii condemnetur.* Ib. 186: *Et siquidem iudicati depensive agetur, tanti fiet vadimonium, quanti ea res erit.*

38-43. *Si me amas*] Solita petendi formula. Cic. ad Att. 5, 17, 5: *Si quidquam me amas, hunc locum muni;* huic ἀντίστροφον est *amabo* illud, verba significatione prope exuta. V. *me* h. l. correptum cum sequenti vocali non colliquescit. Conf. Catull. 97, 1: *non ita me dĭ ament*, id. 55, 4: *te in circo tĕ in omnibus libellis;* inde scripsimus A. P. 65: *sterilisve palus diu aptaque remis.* — *hic*] „ubi nunc sumus, in Foro." — *ades*] Plaut. Amph. 1037: *quaeso, ut advocatus mihi adsis.* Seneca Epist. 8, 5: *cum ad vadimonium advocatus descenderem.* — *Interream, si valeo*] Cic. ad Fam. 11, 23, 2: *peream, si te--ferre poterunt.* Infra v. 47: *disperream, ni Submosses omnis.* — *stare*] „astare (adesse) advocatus in iure, apud recuperatores." — *aut novi* cet.] „nec propterea advocatio mea te quidquam iuvaret." — *Tene relinquam an rem*] Nonnulli haec habent pro interrogatione directa (*relinquam* futur.), quia, ut opinantur, post vv. *quid faciam* necessario ponendum fuisset *utrum--an.* Sed Horatius imitatur sermonem familiarem cogitatione ex superioribus suppleto: *Dubius sum, tene* cet. Nec vero differt Cic. ad Att. 12, 24, 2: *velim me* (dubitantem) *certiorem facias, P. Crassus--vivone --patre suo mortuus sit--an post.* — *rem*] „*Rem* pro lite dixit. Sic et in legibus scriptum inveniri solet: *rem sive litem.*" PORPH. Varro L. L. 7, 93: *Quibus res erat in controversia, ea vocabatur lis; ideo in actionibus videmus dici: QVAM REM SIVE MI LITEM DICERE OPORTET.* — *victore*] „qui instando pervicit."

43-48. *Maecenas* cet.] Nunc demum missis ambagibus ad id pervenit importunus, quod sua maxime intererat, ut, si fieri posset, intercedente Horatio Maecenatis amicorum velut cohorti eodem

Hinc repetit; 'paucorum hominum et mentis bene sanae;
Nemo dexterius fortuna est usus. Haberes 45
Magnum adiutorem, posset qui ferre secundas,
Hunc hominem velles si tradere; dispeream, ni
Submosses omnis.' 'Non isto vivimus illic,

48. *vivimus* codices et ed. plerique, *vivitur* ex tribus codicibus Bentl., quem secuti sunt Meineke et Haupt ed. 1.

modo aggregaretur, quo Horatio Vergilius illius amicitiam conciliarat. — *repetit*] „sermonem intermissum hinc rursus exorditur." — *paucorum*] Terent. Eun. 409: THR. *Immo sic homost: Perpaucorum hominum.* GN. *Immo nullorum arbitror, si tecum vivit.* Cicero de Fato apud Macrob. Saturn. 2, 12: *Acipenser iste paucorum hominum est*, id est, „piscis tam rarus, ut paucis dumtaxat convivis apponi debeat." Sensus h. l. est: „paucis quidem, sed egregiis familiaribus ille, qua est prudentia, uti solet." Vv. *Maecenas quomodo - - submosses* omnia importuno tribuuntur: „Quomodo tecum vivit Maecenas?" (Responsum non exspectat, sed continuo pro suo captu atque ingenio laudibus illum extollit:) „paucos utique inter amicos recipere solet, sed egregios, ut te, Vergilium, Varium, atque hoc ipso delectu demonstrat, quanta sit prudentia praeditus. Omnino nemo fortuna dexterius ac sollertius eo est usus, qua in arte sane rerum humanarum cardo vertitur. — Iam facile tibi erit mihi, homini centum artium, quales ille solet deligere, aditum ad eum parare; ac facies hoc fortasse non sine proprio tuo commodo; ego enim te pro virili parte iuvarem adversus invidos atque iniquos tuos, qui, ut reor, interdum apud illum tibi officiunt; immo ope mea quos voles submovebis." — *adiutorem*] „umquam si accideret, ut alius Maecenatis amicus tibi eius favorem subtrahere conaretur." Est vocabulum scenicum. Phaedr. 5, 5, 13: *In scena postquam solus constitit, Sine apparatu, nullis adiutoribus.* — *ferre secundas*] „agere secundas partes, δευτεραγωνιστὴν εἶναι", cuius praecipuum munus erat, ut, quemadmodum Pylades Orestem in Euripidis Iphigenia in Tauris et in Oreste, verbis, recitatione, gesticulatione quam maxime iuvaret ac sustineret τὸν πρωταγωνιστήν. Cfr. Cic. Divin. in Q. Caecil. 48: *Ut in actoribus Graecis fieri videmus, saepe illum, qui est secundarum aut tertiarum partium, cum possit aliquanto clarius dicere quam ipse primarum, multum summittere, ut ille princeps quam maxime excellat, sic faciet Alienus: tibi serviet, tibi lenocinabitur; minus aliquanto contendet, quam potest.* — *Hunc hominem*] „δεικτικῶς se ipsum tangit digito. ACR. Plaut. Curcul. 248: *solus hic homost, qui sciat divinitus*, id est, „solus ego sum." Capt. 334: *huius* = meus. Epid. 142. Poen. 650. Terent. Heaut. 355 sq.: *Hic siquid nobis forte adversi evenerit, Tibi erunt parata verba, huic homini verbera.* Cfr. Od. 3, 10, 19: *hoc* (meum) - - - *latus.* Similiter Graeci ὅδε ὁ ἀνήρ, id est, ἐγώ. — *tradere*] „commendare." Cic. ad Fam. 7, 5: *Totum denique hominem tibi ita trado de manu, ut aiunt, in manum tuam istam et victoria et fide praestantem.* — *dispeream, ni* cet.] Conf. v. 38. — *Submosses*] „statim a Maecenate alienasses;" quasi praecessisset: „si me illi tradidisses." Ipso autem tempore actio-

Quo tu rere, modo; domus hac nec purior ulla est
Nec magis his aliena malis. Nil mi officit,' inquam, 50
'Ditior hic aut est quia doctior; est locus uni
Cuique suus.' 'Magnum narras, vix credibile!' 'Atqui
Sic habet.' 'Accendis, quare cupiam magis illi
Proximus esse.' 'Velis tantummodo: quae tua virtus,
Expugnabis; et est qui vinci possit, eoque 55
Difficilis aditus primos habet.' 'Haud mihi deero:

50. *inquam* Blandinii, in his vetustissimus, OR$\gamma\varphi\psi$ multique alii, *umquam* Su, Orelli.

nis celeritas facilitasque significatur.

48-55. *vivimus*] Qui, quod subiectum esset, parum intelligebant, substituerunt *vivitur;* sed prima persona scitius et, si vis, acerbius etiam significat, hominem haud dignum esse qui in hoc honestorum virorum veluti sodalicium recipiatur — *rere*] Cicero de Or. 3, 153 *reri* ex iis verbis poëticis esse dicit, *quibus loco positis grandior atque antiquior oratio saepe videri solet.* — *malis*] insidiis, factionibus." ACR. Ceterum *malis* videtur ablativus. Ad casum tertium cfr. Senecae Quaest. Nat. 4. Praef. 1: *Scio quam sis ambitioni alienus.* — *locus*] Noli explicare: „certum aliquod officium ac munus in Maecenatis domo unicuique assignatum est"; sed: „unusquisque nostrum, ut ipsi libitum est, et pro suo decori sensu illic sese gerit. — *uni Cuique*] De hac libertate egit L. Müller de re metr. p. lat. pg. 293 sq. Reliqua exempla Horatiana sunt Sat. 1, 2, 62. 4, 96. 6, 58. 2, 3, 117. Ibid. 179. Ep. 2, 2, 93 et 188. A. P. 290 et 424. — *suus*] „quem ipse implet sine ceterorum invidia, ego lyricus, Vergilius bucolicus et didacticus, Varius panegyricus poëta." — *Sic habet*] οὕτως ἔχει, ex sermone familiari pro *sic se res habet.* — *Accendis*] „auges desiderium, cur" cet. — *Proximus*] „quam maxime familiaris." Malitiose poëta superlativum ei tribuit; nam hoc ipsum volebat homo, sese applicare Maecenati, alios, qui minus ipsi placerent, paulatim submovere. — *Velis*] Cur pro imperativo potius quam pro condicione „si velis" habeamus, nondum satis video. Propert. 4, 5, 9: *Illa velit, poterit magnes non ducere ferrum.* Horat. Ep. 1, 16, 54: *Sit spes fallendi, miscebis sacra profanis.* Quamquam sensus idem semper erit: „Sufficit, ut velis" cet. — *quae tua virtus*] „ea enim est tua virtus;" „pro virtute tua ac dexteritate." Sulpic. apud Cic. ad Fam. 4, 5, 6: *qui illius in te amor fuit.* Cic. ad Fam. 7, 2, 1: *qui meus amor in te est.* — *vinci*] Continuatur figura, quae inest in v. *Expugnabis;* proprie: „ac sane haud nimis difficulter homines dignos suam ad amicitiam adhibet." — *eoque* cet.] „Conscius scilicet suae facilitatis Maecenas, se vel invitum expugnari posse ab improbis flagitatoribus, aditum adversus tales intercludit, ianitori, nomenclatori, cubiculario, duris et morosis servulis, mandando, ne quem nisi ex intima amicitia ad se intromittant." BENTL. Idque adeo ipse expertus erat Horatius post primam Vergilii commendationem nono demum mense inter Maecenatis amicos receptus.

56-60. *Haud mihi deero*] Conf.

Muneribus servos corrumpam; non, hodie si
Exclusus fuero, desistam; tempora quaeram,
Occurram in triviis, deducam: nil sine magno
Vita labore dedit mortalibus.' Haec dum agit, ecce 60
Fuscus Aristius occurrit, mihi carus et illum
Qui pulchre nosset. Consistimus. 'Unde venis?' et
'Quo tendis?' rogat et respondet. Vellere coepi
Et prensare manu lentissima bracchia, nutans,

60. *agit* cod. plerique, etiam Blandinii, pauci *ait*. — 64. *prensare* Blandinii, Lipsiensis, Dessauiensis, OSbcγ, Bentl., Haupt, Vahlen, Holder, *pressare* Argentoratensis, Vossianus ψuv, Orelli, O. Keller.

Sat. 2, 1, 17. Eadem synizesis est etiam Sat. 2, 2, 98. — *Muneribus* cet.] Homo suimet admirator gloriatur se optime callere omnes illas artes, quibus parasiti et ambitiosi irrepere solebant in locupletium domus. — *Exclusus*] Conf. Sat. 1, 2, 67. 2, 3, 264. — *tempora*] „opportuna, cum ab omni molestia vacuus erit otioque fruetur." — *in triviis*] ubi propter hominum turbam minus facile devitantur occurrentes. — *deducam*] „ubi ex domo in forum descendet, eius comitibus me adiungam." Cic. pro Mur. 70: *interdum ad forum deducimur*. Conf. Cato mai. 63. Unde cum salutatoribus atque adsectatoribus Q. Cicero Pet. Cons. 9, 34 iungit *deductores*. — *Nil sine magno* cet.] Aretalogi more digreditur in locum communem: *πάντα τὰ καλὰ χαλεπά*. Epicharmus apud Xenoph. Mem. 2, 1, 20: *Τῶν πόνων πωλοῦσιν ἡμῖν πάντα τἀγαθ' οἱ θεοί*. — *dedit*] „dare solet", *ἀορίστως*.

60-66. *Haec dum agit*] „dum ita ineptit, haec et talia effutiens;" ut nos *treiben*. Nihil languidius, quam aliorum *ait*. — *ecce*] de re inexspectata atque improvisa. — *Fuscus Aristius*] Huic Horatius Od. 1, 22 et Ep. 1, 10 inscripsit cuius amicitia Hor. multum utebatur. Acron ad Ep. l. l. eum scriptorem tragoediarum et Porphyrion ibid. scriptorem comoediarum appellant. Quorum testimonio etsi iure non multum tribuit Langius in Vind. Trag. Rom. p. 10, tamen non veremur, ne, si eum et grammaticum fuisse dicimus et poëtam, qualis fuerit ille Valerius Cato (Suet. Gramm. 11), multum fallamur. WEICHERT. P. L. p. 220. Grammaticum fuisse nunc constat ex Eichenfeldii et Endlicheri Anal. grammat. p. 452: . . . . *de quo Aristii Fusci grammatici liber ad Asinium Pollionem* cet. De inverso nominum ordine vid. ad Od. 2, 2, 3. — *pulchre nosset*] ut *probe*, etiam in prosa or. Plancus in Cic. Ep. 10, 23, 1: *Lepidum-pulchre noram*. — *Unde* cet.] „Eleganter mixtum inter se et confusum sermonem interrogandi respondendique expressit." COMM. CRUQ. Solita erat formula. Sat. 2, 4, 1: *Unde et quo Catius?* — *Vellere*] proprie togam circa alterutrum bracchium. — *prensare*] sic scribendum cum optimis codicibus, i. e. identidem prehendere: „quos nobis adesse gaudemus, libenter et saepius manus eorum et bracchia prensamus." Itaque proprie de petentibus dicitur: Cic. Att. 1, 1, alibi. — *lentissima*] „quae cum prensarentur, sensu prorsus carere videbantur." Cf. Martial. 2, 46, 7: *tu spectas hiemem succincti lentus amici*. Translatum de risu Od. 2,

Distorquens oculos, ut me eriperet. Male salsus 65
Ridens dissimulare, meum iecur urere bilis.
'Certe nescio quid secreto velle loqui te
Aiebas mecum.' 'Memini bene, sed meliore
Tempore dicam: hodie tricesima sabbata: vin tu
Curtis Iudaeis oppedere?' 'Nulla mihi, inquam, 70
'Relligio est.' 'At mi; sum paullo infirmior, unus

69. *vin tu* codices plerique (etiam Prisciani X 23 H.), *vis tu* Bentl. cum paucis cod.

16, 26. — *Male salsus*] „prave atque intempestive iocans." Quid sit *male* adiectivis additus, docuimus ad Od. 1, 9, 24. — *iecur*] H. l. est irae sedes, ut Od. 1, 13, 3: *vae meum Fervens difficili bile tumet iecur;* alibi amoris. Vid. ad Od. 1, 25, 15. 4, 1, 12.

69-74. *tricesima sabbata*] Haud contemnendis rationibus ductus Roederus interpretatus est de die XV. mensis Tisri, primo scenopegiorum *(Lauberhüttenfest)*. Atque eximius quidam theologus ab Orellio consultus cum esset, non prorsus improbavit Roederi rationem; hoc tamen adiunxit: „Quodsi adnumerandum est et controversum illud sabbatum *δευτεροπρωτον* (Lucae 6, 1), 15 dies mensis Nisan, ut videtur, teste Iosepho (Archaeol. 3, 10, 5. 13. 8, 4) pro sabbato celebratus, et dies Pentecostes, 6 dies mensis Sivan, tricesima sabbata in diem 10 mensis Tisri perquam apte incidunt: etenim hoc die ipso magnum illud sollemne expiationum celebrabatur, de quo Levit. 23, 27 tremenda haec verba leguntur: *Omnis anima, quae afflicta non fuerit die hac, peribit de populis suis, et qui operis quidpiam fecerit, delebo eum de populo suo.* Tam triste igitur sollemne, notum etiam Romanis, superstitiosis facile sacrum quendam terrorem incutere poterat. — Rectius plerique nunc non certa quaedam sacra significari censent, sed ioci causa ficta ab Aristio quo celerius evaderet; accedere quod viatores ad vicum Tuscum pervenissent, in quo Iudaeos ante suam quemque tabernam sedentes vidissent; hos cum monstrasset, Aristium amico se subduxisse. De sabbatis ad res gerendas minus aptis cfr. Ovid. A. A. 1, 415. Rem. Am. 219: *ne te peregrina morentur Sabbata.* — *vin tu*] „Duae sunt formulae *visne tu* sive *vin tu* et *vis tu.* Illa non simplicem interrogationem exhibet, ut Heindorfio visum est, sed, ut in reliquo usu, *ne* vel occupatam habet negationem, quod est *du willst doch nicht?* vel affirmationem, quod est *willst du denn nicht!* Omissa hac particula *vis tu* dicit, qui aliquem hortatur aut rogat aut evocat aut modeste iubet." HAND Turs. IV. p. 82. Conf. Sat. 2, 6, 95. — *Curtis*] „verpis, circumcisis." Martial. 7, 30: *Nec recutitorum fugis inguina Iudaeorum.* — *Iudaeis oppedere*] Vox plebeia; „contemnere eos ac religiones eorum deridere." PORPH. Sic Aristoph. Plut. 617: *τῶν χειροτεχνῶν καὶ τῆς Πενίας καταπαρδεῖν.* Solebant autem Romani Iudaeorum ritus deridere. Augustus in epistola apud Sueton. Octav. 76: *Ne Iudaeus quidem -- tam diligenter sabbatis ieiunium servat, quam ego hodie servavi.* Conf. Sat. 1, 4, 142 sq. 1, 5, 100. Iuven. 14, 96. — *Religio*] „scrupulus." GLOSS. — *infirmior*] meti-

Multorum. Ignosces; alias loquar.' Huncine solem
Tam nigrum surrexe mihi! Fugit improbus ac me
Sub cultro linquit. Casu venit obvius illi
Adversarius et 'Quo tu turpissime?' magna 75
Inclamat voce; et 'Licet antestari?' Ego vero

74. *liquit* S. — 76. *Inclamat* cod. et ed. plerique, *Exclamat* Vossianus, Dessauiensis, buv cum ed. perpaucis.

culosior ac superstitiosior." Panthea apud Lucianum pro imagg. 7: *πάνυ τὰ πρὸς τοὺς θεοὺς δεισιδαιμόνως καὶ ψοφοδεῶς ἔχω.* — *unus Multorum*] „adeoque popularibus superstitionibus obnoxius." Cic. Brut. 274: *(M. Calidius) non fuit orator unus e multis.* Id. off. 1, 109, Tusc. 1, 17. Lucian. Somn. 9: *τῶν ἐκ τοῦ πολλοῦ δήμου εἷς.* — *Huncine* cet.] Haec, dum *fugit* Aristius, secum murmurare Horatium manifestum est. — *solem Tam nigrum*] „diem tam atrum, infaustum." Opponuntur *candidi soles* Catull. 8, 3. — *surrexe*] pro *surrexisse*, ut Terent. Adelph. 561 *produxe.* Lucil. 2, 4 L. M. (63 Lchm.): *invasse.* 5, 9 L. M. (153 Lchm.) *mansti.* Catull. 41, 14: *misti.* Prop. 1, 3, 37: *consumpsti*, Lucret. 1. 234: *consumpse.* Horat. Sat. 2, 3, 273: *percusti.* Conf. ad Sat. 1, 5, 79. Abstinuit his tam in lyricis quam in epistulis. Confer Neue Formenl. II² pg. 536 sq. De usu infinitivi vid. ad Epod. 8, 1. — *Sub cultro*] quasi victimam a popa iamiam mactandam.

75-78. *Adversarius*] Diversus videtur hic ab illo, qui hunc hominem vadatus erat v. 26, Ouwensio Noctt. Hag. 3, 5 p. 354 et Roedero. Sed lepos totius loci admodum diminui videtur, ubi non intelligamus eundem illum adversarium v. 36, hominem litium cupidum et rei suae adeo certum, ut, etiam si nebulo non responsurus litem perdere debebat, tamen, ut is se sisteret in iudicio, mallet atque propter id ipsum, quod hora constituta vadimonium deseruerat, eum denuo in ius raperet. Sic etiam Bethmann Hollweg *Handbuch des Civilprozesses* I. 247: *„Die Parteien verabredeten einen geräumigen Termin, in welchem sie sich vor dem Prätor treffen wollten, und der Beklagte gab deshalb Bürgen* (vadimonium). *Von diesem* vadimonium *finden wir daher bei Cicero unzählige Beispiele; von der* in ius vocatio *nicht Eines, wenn gleich sie gegen Leute, wie der Schwätzer des Horaz oder noch ärgere, auch jetzt gute Dienste that. -- Gegen diesen wurde in Folge eines Vadimoniums Gewalt gebraucht; denn wer dieses nicht inne hielt, hatte sie wieder zu fürchten."* A foro igitur, ubi hominem non invenerat, venit adversarius et, cum sciscitando, quam viam cum Horatio ingressus esset, investigasset, eum consequitur. Vide etiam Dernburg (die Institutionen des Gaius, 1869 p. 19). — *turpissime*] *ὦ μιαρώτατε.* — *Inclamat*] Verbum longe significantius quam al. *exclamat* reperitur etiam apud Ciceronem, Livium, alios. Sic Graeci *ἐμβοᾶν τινί.* — *antestari*] „teste de hic uti, quod huic iudicii causa volo manum inicere." „Nam haec erat consuetudo: Si qui vadato non paruisset, eius adversarius aliquem de praesentibus antestabatur, id est, tangebat eius aurem et dicebat: *LICETNE ANTESTARI?* Si respondisset ille: *LICET*, tunc iniciebat vadatus

Oppono auriculam. Rapit in ius: clamor utrimque,
Undique concursus. Sic me servavit Apollo.

SATIRA X.

Lucili, quam sis mendosus, teste Catone
Defensore tuo pervincam, qui male factos

77. *Oppono* cod. paene omnes, *Appono* perpauci.

manum in eum, qui non paruisset, et ducebat in iudicium; aliter si iniecisset manum, iniuriarum poterat accusari." ACR. Plaut. Persa 745: S. *Age, ambula in ius, leno.* D. *Quid me in ius vocas?* S. *Illi apud praetorem dicam, sed ego in ius voco.* D. *Nonne antestaris?* S. *Tuan ego causa, carnufex, Quoiquam mortali libero auris atteram?* „Adversarius molesti illius Horatium consulit, an permittat se antestari iniecta manu, extracturus ad praetorem, quod vadimonio non paruerit. De hoc autem lege XII. tabularum his verbis cautum est: *SI IN IVS VOCAT, ITO. NI IT, ANTESTAMINO. IGITUR EM CAPITO.*" PORPHYR. — *Ego vero*] est lubentis. Terent. Eun. 591: *ego illud vero feci ac lubens.* — *Oppono*] „Obverto, quo facilius petitor *auriculam* prehendere possit;" quod longe significantius est quam al. *appono*, et a codd. satis firmatur. „Solebant testium aures tenere et ita dicere: *MEMENTO, QVOD TV MIHI IN ILLA CAVSA TESTIS ERIS:* quod est antestari." ACR. Plin. H. N. 11, 103: *Est in aure ima memoriae locus, quem tangentes antestamur.* — *Rapit in ius*] ad recuperatores vel ad centumvirale iudicium. Plaut. Poen. 3, 5, 45: *Priusquam obtorto collo ad praetorem trahar.* — *clamor utrimque*] hominis molesti et eius adversarii, quo excitatur circumforaneorum concursus, ut Plaut. Curc. 625: CU. *O cives, cives!* TH. *Quid clamas?* PH. *Quid tibi istum tactiost?* — *Apollo*] *ἀλεξίκακος, ἀποτρόπαιος* (*Φοῖβος ἀκέστωρ* Eurip. Androm. 900), ut benignus poëtarum custos et defensor. Hom. Il. *Υ* 443: *τὸν δ' ἐξήρπαξεν Ἀπόλλων Ῥεῖα μάλ', ὥς τε θεός, ἐκάλυψε δ' ἄρ' ἠέρι πολλῇ.*

Sat. X. Vers. 1-8 exhibent codices Bernenses 21, 542, 619, 327 (bchi), Parisini *φψλυ* cum Leidensi 28, unus Cruquii (Martinius), omittunt ceteri, in his Blandinii, OR*γ* Argentoratensis, Lipsiensis, Monacensis, Sangallensis itemque Scholiastae eos ignorant. Ex editoribus damnaverunt eosque vel omiserunt vel incluserunt paene omnes; unus Urlichs (Mus. Rhen. XI pg. 602 sqq.) eos defendit et Horatianos esse iudicavit. Post hunc W. Teuffel (Mus. Rhen. XXX p. 621 sqq.) versus illos ab Horatio ipso etiamsi scripti essent tamen reiectos esse censet. Rectius alii, in his O. Keller (Epil. Horat.) eos ad scriptorem quendam referunt, qui multis annis post Horatium sed ante Priscianum fuit. Hoc ut credamus facit primum sententiarum inconcinnitas ac perversitas, deinde verborum offensio. Nec Persium, Horatii imitatorem, satiram suam tertiam inchoaturum fuisse putamus: '*Nempe haec adsidue*' cet., nisi idem apud Horatium legisset. Cetera enim satira defensionem con-

Emendare parat versus; hoc lenius ille,
Quo melior vir est longe subtilior illo,
Qui multum puer et loris et funibus udis 5
Exoratus, ut esset opem qui ferre poetis
Antiquis posset contra fastidia nostra,
Grammaticorum equitum doctissimus. Ut redeam illuc:
Nempe incomposito dixi pede currere versus
Lucili. Quis tam Lucili fautor inepte est,
Ut non hoc fateatur? At idem, quod sale multo
Urbem defricuit, charta laudatur eadem.
Nec tamen hoc tribuens dederim quoque cetera; nam sic 5
Et Laberi mimos ut pulchra poëmata mirer.

Sat. X. 4. *Quo melior vir est* bφψlv Leidensis, Holder, *Quo melior vir et est* Bernenses h-i, *Est quo vir melior* Bernensis c, Orelli. — 6. *Exoratus* bcφψ Leidensis, *exortatus* Bern. h-i, corr. Paris. *v puerum exhortatus est loris* R. Hanow, *puerum exhortatus et loris* Reisig, Th. Schmid.

tinet iudicii, quod Horatius Satira huius libri quarta de Lucilio prompserat, ab antiquariis, perversis huius poëtae fautoribus, iniuste reprehensi, simulque multa cum urbanitate monstrat, quam insciti sint homines atque recte iudicandi facultate destituti, qui propter merum odium adversus aequalem veterem poëtam nimiis laudibus extollant. Egregia autem hac defendendi se oblata occasione praecepta artis poëticae passim inserit. Scripta videtur a. 719. Quo vero intervallo intra quartam composita sit, quisnam definiet? Haud nimis brevi, ut mihi quidem videtur.

1-5. *Nempe*] concedentis est et confirmantis, ut Pers. 1. 1. — *incomposito-pede currere versus*] „asperos scabrosque permultos versus esse.“ Sat. 1, 4, 8: *durus componere versus.* — *fautor inepte est*] Cave scribas *ineptus* cum Doeringio. Est: „Quis iam tam inepto modo Lucilio favet, ut aperta eius vitia neget?“ — *sale*] „*Sales* pluraliter dicendi sunt, cum urbanitas significatur.“ ACR. Sed Cic. de N. D. 2, 74: *Ita salem istum, quo caret vestra* (Epicureorum) *natio, in irridendis nobis nolitote consumere.* Conf. Ep. 2, 2, 60. — *defricuit*] Ut dolor oritur, ubi sale defricetur cutis vibicibus vel alio quo modo laesa, sic ille ridiculos et perversos aequalium mores acerbe castigando multos laesit, dum salibus ac facetiis iis, quos non notat, risum excitat. — *charta eadem*] „in eadem illa Satira“ 1, 4, 7. — *dederim*] Vid. ad Ep. 2, 1, 125.

6. *Laberi*] Macrob. Saturn. 2, 7, l. ed. Ian. *Laberium, asperae libertatis equitem Romanum, Caesar quingentis milibus invitavit, ut prodiret in scenam et ipse ageret mimos quos scriptitabat. Sed potestas non solum, si invitet, sed etiam, si supplicet, cogit; unde se et Laberius a Caesare coactum in Prologo testatur his versibus,* cet. Sequitur Prologus optimis utique poësis Latinae monumentis adnu-

Ergo non satis est risu diducere rictum
Auditoris; — et est quaedam tamen hic quoque virtus —
Est brevitate opus, ut currat sententia neu se
Impediat verbis lassas onerantibus auris; 10
Et sermone opus est modo tristi, saepe iocoso,
Defendente vicem modo rhetoris atque poetae,
Interdum urbani, parcentis viribus atque
Extenuantis eas consulto. Ridiculum acri
Fortius et melius magnas plerumque secat res. 15

merandus; verum mimi ipsi non solum Horatio, sed etiam Ciceroni haud nimis placebant. Cicero ad Fam. 12, 18, 2: *Equidem sic iam obdurui* (a. u. c. 709), *ut ludis Caesaris nostri animo aequissimo -- audirem Laberii et Publii* (Syri) *poëmata.* — *mimos*] Ovid. Trist. 2, 497; *Quid, si scripsissem mimos obscaena iocantes, Qui semper vetiti crimen amoris habent?* — *pulchra*] „perfecta;“ nam quod ad compositionem et commodam totius actionis implicationem ac solutionem attinet, mimi Laberiani sane postponendi erant fabulis Menandreis et Terentianis.

7-15. *diducere rictum* cet] „lectorem vel invitum ad risum quasi cogere, ei risum profusum movere.“ Quintil. 1, 11, 9: *Observandum erit etiam, -- ne labra distorqueantur, ne immodicus hiatus rictum distendat.* — *et est* cet.] „quamquam hoc quoque non minimum satirici poëtae est meritum.“ — *brevitate*] Cic. de Or. 2, 326: *si brevitas appellanda est, cum verbum nullum redundat.* — *currat*] „multa cum facilitate progrediatur neque claudicet neve insistat.“ Reprehendit Lucilii nimiam verbositatem frequentes a re digressiones, quibus vitiis defatigabantur fortasse multi iam Horatiani temporis lectores, non vero Lucilii aequales. — Mirabiliter autem versibus 11 seqq. totum Satirae χαρακτῆρα describit. Etenim difficillimum hoc genus id requirit, ut, qui in eo elaborat, modo utatur *sermone tristi*, id est „gravi, serio et ad docendum apto“, qualis *rhetorem* (oratorem) *atque poëtam* decet, graviter interdum hominum vitia reprehendentes, modo *iocoso*, qualis est hominis *urbani*, i. e. „faceti, elegantis“, et locum habet imprimis in narratiunculis comicis, fabellis Aesopiis, dialogis. — *modo - saepe -*, *modo - - Interdum*] Conf. Sat. 1, 9, 9. — *Defendente vicem* cet.] „suscipiente partes oratoris ac poëtae;“ proprie ita, ut aliae minus aptae arceantur. Similiter A. P. 193: *Actoris partes chorus officiumque virile Defendat.* — *urbani*] Domitius Marsus ap. Quintil. 6, 3, 105. Catonis, ut ait, opinionem secutus urbanitatem ita definit: *Urbanus homo erit, cuius multa bene dicta responsaque erunt, et qui in sermonibus, circulis, conviviis, item in contionibus, omni denique loco ridicule commodeque dicet.* — *Ridiculum acri* cet.] Scite significat sermonem et iocosum et urbanum in toto hoc Satirarum genere ad permovendos lectorum animos plerumque efficaciorem esse quam declamatorium illum, tristem ac serium. Quintil. 6, 3, 9: *Rerum saepe maximarum momenta vertit* (risus), *ut cum odium iramque frequentissime frangat.* — *plerumque*] id quod persaepe. —

Illi, scripta quibus comoedia prisca viris est,
Hoc stabant, hoc sunt imitandi; quos neque pulcher
Hermogenes umquam legit neque simius iste,
Nil praeter Calvum et doctus cantare Catullum.
'At magnum fecit, quod verbis Graeca Latinis 20
Miscuit.' O seri studiorum, quine putetis

21. „Manuscripti quidam, tam aliorum, quam nostri *putatis*, sed plures et meliores (in his Blandinii) *putetis*." BENTL.

secat] „dirimit, decidit." Sic Ep. 1, 16, 42: *Quo multae magnaeque secantur iudice lites.*

16-19. *Illi* cet.] Sat. 1, 4, 1: *Eupolis atque Cratinus Aristophanesque poëtae Atque alii, quorum comoedia prisca virorum est.* De constructione conf. Epod. 2, 37. — *Hoc stabant* cet.] „His ipsis virtutibus, quas (vv. 9—15) enumeravi, scite inter se coniunctis adeo populo placebant, ut ab initio usque ad finem plausum ferrent; atque etiamnunc eos nos admiramur, etsi pulchellus ille et delicatus Hermogenes Tigellius Sat. 1, 4, 72. 1, 9, 25) numquam hos legit, quippe qui nimis difficiles intellectu ipsi videantur." Is igitur, etsi facetus esse studebat, vera facetiarum exemplaria negligebat. — *simius iste* cet.] vel „ineptus Tigellii imitator" (ut Aristot. Poët. 26 (27), 4: *ὡς λίαν γὰρ ὑπερβάλλοντα, πίθηκον ὁ Μυνίσκος τὸν Καλλιππίδην ἐκάλει.*) vel, ut narrant Scholiastae, „propter deformem ac brevem staturam." Aristoph. Ran. 708: *ὁ πίθηκος οὗτος — Κλειγένης ὁ μικρός.* „M. Demetrium modulatorem propter maciem ac parvitatem corporis hoc nomine appellat." PORPH. „Hic praeter Calvum et Catullum poëtas alios non legerat, ad nullam rem doctus nisi Catulli et Calvi versus cantare." ACRO. — *Calvum*] De C. Licinio Calvo oratore et poëta, Catulli amico, praematura morte circiter a. u. c. 706 exstincto cfr. Weichert Poët. Lat. p. 89 sqq. — Hoc autem in *simio* illo reprehendit Horatius, quod neglectis propter difficultates exemplaribus Graecis unice laudare et *cantare* consuerit leviores illas nugas quas dicebant Catulli et Calvi. Inest lenis etiam irrisio amborum poëtarum, ab aliis quidem magnis (ut ipse putasse videtur, etiam nimiis), laudibus celebratorum (Ovid. Amor. 3, 9, 61: *Obvius huic* (Tibullo) *venias hedera iuvenilia cinctus Tempora cum Calvo, docte Catulle, tuo.*), sed tamen summis Graecorum poëtis nequaquam aequiparandorum.

20—24. *verbis Graeca Latinis Miscuit*] Placebat igitur nonnullis Horatii aequalibus vitiosa illa consuetudo verba Graeca, interdum etiam integros versiculos, Latinis intermiscendi, qui mos in epistulis dumtaxat familiaribus illi tolerandus videbatur, etsi eundem suo iure secutus est in loco facetissimo etiam Lucretius 4, 1156 sqq. Cic. de Offic. 1, 111: *sermone eo debemus uti, qui natus est nobis ne, ut quidam, Graeca verba inculcantes iure optimo rideamur.* Inter Lucilii reliquias haec quoque sunt (l. V. 11 sqq. L. M., v. 155 sqq. Lchm.): *ut perisse velis, quem visere nolueris, cum debueris. hoc nolueris et debueris te si minu' delectat, quod τεχνίον Isocratium est, ληρῶδέςque simul totum ac συμμειρακιῶδες, non operam perdo.* — *O seri studiorum!*] Hoc ipso

Difficile et mirum, Rhodio quod Pitholeonti
Contigit? 'At sermo lingua concinnus utraque
Suavior, ut Chio nota si commixta Falerni est.'
Cum versus facias, te ipsum percontor, an et cum 25
Dura tibi peragenda rei sit causa Petilli?
Scilicet oblitus patriaeque patrisque Latine

27. *oblitos* Bentlei suspicio recepta ab Heindorfio, Hauptio, Vahlen, Holder, aliis; *oblitus* cod. omnes, Krüger, Fritzsche, al. — *Latini* Blandinii, Argentoratensis, Dessauiensis, Lipsiensis, Monacensis E, Gothanus, Oγ Scduv Bentl., Haupt, Vahlen, *Latine* vel *Latinę*, Vossianus, Leidensis Rpr.bpr.φψλ, Orelli.

tam perverso iudicio satis isti demonstrabant sero se coepisse litteris operam dare. Ὀψιμαθία autem optimo iure antiquis perquam ridicula videbatur. Conf. Theophr. Char. 27. Cic. ad Fam. 9, 20, 2: *ὀψιμαθεῖς homines scis quam insolentes sint.* Ad constructionem v. *serus* cfr. Sil. Ital. 3, 255: *Consilio viridis, sed belli serus Ilertes.* — *quine putetis*] Constructio contracta ex his: *„putatisne?“* et: *„qui putetis;“* Cfr. Plaut. Trucul. 534: *Quine etiam insuper deducas.* — *Rhodio-Pitholeonti*] Bentleio videtur idem, qui Iulium Caesarem famosis carminibus laceravit, auctore Suetonio Caes. c. 75: *Pitholai carminibus maledicentissimis laceratam existimationem suam civili animo tulit.* Is enim, cum nomen *Pitholaus* in hexametrum versum non veniret, ab Horatio *Pitholeon* dictus est, ut *Τινόλαος*, *Τιμολέων*, similia. Libertus erat M. Otacilii, unde Macrobio Saturn. 2, 2, 13: dicitur *M. Otacilius Pitholaus.* — *concinnus*] „gratum in modum mixtus.“ Chio enim vino dulci, cui aqua marina non addebatur (Varro Fragm. p. 376 Bip.), interdum miscebant Falernum austerum, unde utrumque saepe coniungitur apud poëtas. Tib. 2, 1, 27: *Nunc mihi fumosos veteris proferte Falernos Consulis et Chio solvite vincla cado.* — *nota*] „vini genus titulo amphorae indicatum.“

25. 26. *te ipsum percontor*] „Ut concedam ex parte hanc mixturam locum fortasse habere in poëmatis ludicris, minime tamen, ut tute fateare necesse est, tolerari potest in argumentis gravioribus, veluti in orationibus, neque vero pro merito aliquo singulari id habendum erit vel in Lucilio.“ — *Dura--causa Petilli*] Cum causa aliqua peragenda est difficilis ac paene desperata, cuiusmodi fuit Petillii Capitolini de furtis in iudicium vocati.“ Vid. Sat. 1, 4, 94. Hic sane non nimis honorifice *dura* eius hominis causa dicitur.

27-30. *Scilicet oblitus--Latine* cet.] „Cum praestantissimi nostrae aetatis oratores Pedius et Messalla“ (quos *ἐν παρόδῳ* dexterrime laudat) „in eo summo opere elaborent, ut puro atque eleganti sermone Latino causas agant, tune, oblitus te Romanum esse, malis etiam apud iudices verba peregrina patriis immiscere? Adeo stultus certe vix eris, nam comparatus cum illis ab omnibus exploderere.“ — *patriaeque patrisque*] dictum est, ut aliquoties apud Sallustium (Catil. 6. 52. Iug. 87) *patria parentesque.* — Nec *exsudare causas Latine* ullam habet difficultatem; sed recte explicatum est in Cod. Bland. antiquissimo: „cum sudore

Cum Pedius causas exsudet Poplicola atque
Corvinus, patriis intermiscere petita
Verba foris malis, Canusini more bilinguis. 30
Atque ego cum Graecos facerem natus mare citra
Versiculos, vetuit me tali voce Quirinus,
Post mediam noctem visus, cum somnia vera:
'In silvam non ligna feras insanius ac si
Magnas Graecorum malis implere catervas.' 35
Turgidus Alpinus iugulat dum Memnona, dumque

28. *Poplicola* emendavit Muretus, cod. *Publicola, Puplicola, Publicula.* — 31. *Atque* codicum maior pars, Haupt, L. Müller, Holder, *atqui* perpauci cod. prob. Bentleio, Meinekio, Vahleno.

et omni instantia Latine recitet, Latine proferat." (Liv. 4, 13: *ingens certamen exsudare.* 5, 5: *exsudare laborem.*) — *Pedius*] Q. Pedius, filius ex sorore C. Iulii Caesaris atque unus ex heredibus eius, a. u. c. 711 in consulatu mortuus, uxorem habuit Valeriam atque e filio Quinto nepotem natura mutum. Adoptavit igitur filium alterum Messallae maioris, qui inde Pedius dictus est. Itaque Pedii frater Corvinus fuit et uterque Poplicolae cognomen habuit. (In legendo iunge *Pedius Poplicola*, non *Poplicola atque Corvinus.*) — *Corvinus*] M. Valerius Poplicola Messalla Corvinus, de quo vide ad Od. 3, 21. — *Canusini - - bilinguis*] Canusii, Apuliae in oppido, et Graeci et Osci habitabant et utroque sermone, Graeco atque Osco, utebantur. Sic *bilingues Brutates* (Bruttios) propter eandem causam dixerant et Ennius et Lucilius. Conf. Sat. 1, 5, 91.

31-35. *Atque*] Sic codices paene omnes recte, cum adversativa notio hic locum non habeat. „Addit enim poëta suum exemplum reliquis simile." HAND Turs. 1. p. 476. Lchm. Comment. Lucret pg. 168: '*atque* ante vocales posuerunt Plautus ac Terentius, non Horatius.' Itaque Bentl. aliique scribunt *Atqui* Horatius, cum Athenis degeret, versiculos Graecos componere conatus esse videtur, sed cito inane, immo pravum consilium in perpetuum obiecisse. — *mare citra*] in Italia. Cf. Sat. 1, 1, 107. Vix alibi *citra* postponitur suo nomini. Cfr. Neue Formenl. II ² 792. — *Quirinus*] Conf. Od. 3, 3, 15. — *Post mediam noctem* cet.] Moschus 2, 2: *Νυκτὸς ὅτε τρίτατον λάχος ἵσταται, ἐγγύθι δ' ἠώς - - Εὖτε καὶ ἀτρεκέων ποιμαίνεται ἔθνος ὀνείρων.* — *in silvam* cet.] Simile proverbium illorum: *Γλαῦκ' ἐς Ἀθήνας, Ἰχθῦς εἰς Ἑλλήσποντον.* — *insanius ac*] Vid. ad Sat. 1, 6, 130. — *implere*] „Si malis augere innumerabilem Graecorum poëtarum turbam interque hos te intrudens eam refercire, tamquam nemini alii iam locus futurus sit."

36. 37. *Turgidus Alpinus* cet.] Lepide sic vocatur M. Furius Bibaculus Cremonensis, natus a. u. c. 651, qui a. u. c. 723 annos LXXII. numerabat; nam etiamtunc eum in vivis fuisse probabile est. Tac. Ann. 4, 34: *Carmina Bibaculi et Catulli referta contumeliis Caesarum leguntur.* Praeterea composuerat Aethiopidem, ex Graeca Arctini, ut probabile est, ductam, in qua Memnonis, Tithoni et Au-

Defingit Rheni luteum caput, haec ego ludo,
Quae neque in aede sonent certantia iudice Tarpa,
Nec redeant iterum atque iterum spectanda theatris.
Arguta meretrice potes Davoque Chremeta 40
Eludente senem comis garrire libellos

37. *Defingit* Argentoratensis, Dessauiensis, OSγ, *Diffingit* Leidensis, Lipsiensis, Gothanus, φφλuν.

rorae filii, ab Achille interfecti primae erant partes. Idem πραγματείαν belli Gallici a Caesare gesti composuerat, in qua legebatur versus ille ridiculus: *Iuppiter hibernas cana nive conspuit Alpes* (Sat. 2, 5, 41), propter quem ipsum festive hic vocatur *Alpinus*. Conf. Weichert de M. Fario Bibacul in Poët. Lat. p. 33. Ceterum probe notandum certum hoc exemplum nominis ficti, quo homo tunc vivens designetur: cuius generis unum et alterum itidem in his Satiris esse potest, ita tamen comparatum, ut quivis illo tempore facile agnosceret, quem notasset, sive cognomentum erat ab aliis iam inventum atque usitatum, sive ab Horatio ipso homini deriso inditum. Cfr. ad Sat. 1, 2, 25. — *ingulat dum Memnona*] ambigue dictum. „Nam sub ea specie, quasi dicat, dum describit, quemadmodum iuguletur, intelligi volt ab ipso potius iugulari, dum male descripsit.“ PORPH. — *Defingit*] „operose et κακοζήλως format, describit.“ — *Rheni luteum caput*] In Bibaculi narratione belli Gallici videtur etiam fuisse turgida descriptio *capitis Rheni*, quae vv. triplicem admittunt interpretationem. Plerique propter Alpium mentionem proxime praecedentem intelligunt de fonte, ut ap. Verg. Georg. 4, 319. Penei fons dicitur *sacrum caput amnis*. At lutei non sunt fluminum fontes. Alii de ostio, ut est apud Lucan. 2, 51: *Fundat ab extremo flavos Aquilone Suëbos Albis et indomitum Rheni caput*. Alii denique parum probabiliter de Rheni figura in triumpho portata, capillitio flavo, gentis suae colore, ut est Ovid. ex Ponto 3, 4, 107: *Squalidus immissos fracta sub arundine crines Rhenus et infectas sanguine portet aquas*. Attributo certe *luteum* ipse Furius usus erat, quapropter h. l. ridetur.

37-39. *ludo*] „missum faciens poëma heroicum et tragoediam, sermones, ludicrum poësis genus, ego excolo.“ Conf. Od. 1, 32, 2. — *in aede*] „in aede Musarum, ubi poëtae, carmina sua recitabant.“ PORPH. — *certantia iudice Tarpa*] Sp. Maecius Tarpa fuit summus illorum temporum criticus (A. P. 387), cui iam a Cn. Pompeio Magno a. u. c. 699. Cic. ad Fam. 7, 1, 1: *nobis autem* (in theatro) *erant ea perpetienda, quae Sp. Maecius probavisset.*), Horatii tempore a Caesare Octaviano cum aliis quattuor iudicibus, teste Commentatore Cruquiano, cura iudicandarum fabularum ac mimorum commissa erat, quae nisi ab iis probarentur, in scenam non deferebantur. Ea cura antea fuerat aedilium; sed intererat Octaviani, ne quidquam per mimos praesertim in civitate *„cuncta interpretante“* (Tacit. Hist. 2, 91) publice proferretur, quod in ipsius dominationem ac mores maligne detorqueri posset.

40. 41. *Arguta*] „astuta“, ut Ep. 1, 14, 42: *calo argutus*. — *Davoque Chremeta*] personae Andriae Terentianae. — *Eludente senem*] Manilius 5, 471: *Comica componet*

Unus vivorum, Fundani; Pollio regum
Facta canit pede ter percusso; forte epos acer
Ut nemo Varius ducit; molle atque facetum
Vergilio annuerunt gaudentes rure Camenae: 45
Hoc erat, experto frustra Varrone Atacino

45. *annuerunt* Blandinii, Gothanus, R, *annuerint* vel *adnuerint* Argentoratensis, Leidensis, Dessauiensis, bcdφψλ, *annuerant* vel *adnuerant* Vossianus, Lipsiensis, OSγ.

laetis spectacula ludis: Ardentes iuvenes raptasque in amore puellas Elusosque senes agilesque per omnia servos. — *comis*] „utpote homo urbanus et facetus", qui adiectivi usus paene congruit cum adverbio, „comiter, facete." Alii iungunt *comis libellos*, ut *comis* sit accusativi pl. forma antiquior, „urbanos, facetos." — *garrire libellos*] „sermone quotidiano, eleganti quidem, sed facili, uti in conscribendis fabulis."

42-44. *Fundani*] C. Fundanius, praestantissimus poëta comicus (cuius tamen ne unus quidem versiculus superest nec Quintilianus eius vel uno verbo meminit) et Maecenatis amicus (Sat. 2, 8, 19), tunc excellebat in comoediis ad Menandri, Philemonis, Diphili exempla componendis, in quibus praecipuae partes erant callidarum meretricularum astutorumque servorum senes emungentium. — *Pollio*] C. Asinius Pollio, orator, historicus, poëta tragicus. Vid. ad Od. 2, 1, 9. — *regum Facta canit*] quia tragoedia regum heroici temporis facinora atque vicissitudines exponere solet. — *pede ter percusso*] significatur trimeter iambicus. Tibicen autem in singulis dipodiis pede percusso numeros indicabat; unde *percussio* idem atque ictus, κρούσις. Claudius Sacerdos Lib. 1 p. 26: *versus percutientes, id est, scandentes.* — *acer*] fervidus. — *Varius*] Vid. ad Od. 1. 6, 1. Sat. 1, 5, 40. — *ducit*] quasi a nendo. Ovid. Trist. 1, 11, 17: *tamen ipse tremente Carmina ducebam qualiacumque manu.* Similiter *deducere.* Conf. Sat. 2, 1, 4. — *molle*] τὸ μαλθακόν, *die sanfte Grazie;* sic laudaturus Haemum, optimum mimum, *mollem* vocat Iuvenalis 3, 39. Cfr. Sat. 1, 9, 25.

45-49. *Vergilio*] qui tunc ediderat Bucolica et Georgica, Aeneida in manibus habebat. Illi tribuit dicendi genus *molle* (tenerum) atque *facetum* (venustum). Quintil. 6, 3, 20: *Facetum quoque non tantum circa ridicula opinor consistere. Neque enim diceret Horatius facetum carminis genus natura concessum esse Vergilio. Decoris hanc magis et excultae cuiusdam elegantiae appellationem puto. Ideoque in epistulis Cicero haec Bruti refert verba: Ne illi sunt pedes faceti ac delicatius ingredienti molles.* — *annuerunt*] penultima brevi, ut Epod. 9, 17 *vertĕrunt*, Ep. 1, 4, 7 *dederunt.* Neue II² 392. — *Hoc erat* cet.] His verbis Horatius repetit superiora (v. 37) *haec ego ludo* cet. „Hoc satiricum carminum genus (Sat. 1, 4, 24) erat, in quo felicius Varrone Atacino, frustra id experto, et quibusdam aliis elaborarem." — *Varrone*] P. Terentius Varro Atacinus (ab Atace, Galliae Narbonensis fl.) a. u. c. 672—717. Argonautica, laudabiliter Apollonium imitatus, carmen de Caesaris bello Aquitanico, Leucadiam, id est, elegiam in puellam, quam adamabat, Ephe-

Atque quibusdam aliis, melius quod scribere possem,
Inventore minor; neque ego illi detrahere ausim
Haerentem capiti cum multa laude coronam.
At dixi fluere hunc lutulentum, saepe ferentem 50
Plura quidem tollenda relinquendis. — Age, quaeso,
Tu nihil in magno doctus reprehendis Homero?
Nil comis tragici mutat Lucilius Acci?
Non ridet versus Enni gravitate minores,
Cum de se loquitur non ut maiore reprensis? 55
Quid vetat et nosmet Lucili scripta legentis

merida ex Arato conversam, etiam satiras conscripserat. Cfr. Quintil. 10, 1, 87. — *Atque quibusdam aliis*] Quos significet, ignoramus, certe non Ennium neque Pacuvium, ut volunt Scholiastae, sed fortasse Saevium Nicanorum, Sullae aequalem, *„qui satiram scripsit, in qua libertum se indicabat.“* (Sueton. Gramm. 5), et T. Quinctium Attam (cfr. ad Epist. 2, 1, 79), item M. Terentium Varronem Reatinum, quem praeter Menippeas etiam Luciliani generis Satirarum libros quattuor scripsisse iam ex Hieronymi indice operum Varronianorum constat. — *Inventore minor*] „Sane ego me postpono Lucilio vel propter hoc ipsum, quod hoc genus ea forma, qua nunc in litteris Latinis constitutum est, primus tractavit.“ Sat. 2, 1, 63: *est Lucilius ausus Primus in hunc operis componere carmina morem.* 74: *Quidquid sum ego, quamvis Infra Lucili censum ingeniumque, tamen* cet. — *Haerentem*] „ei merito debitam, adeo ut, ne si vellem quidem, eum hac laude spoliare possem.“ Vid. ad Sat. 1, 3, 32 coll. Sat. 2, 3, 205.

50-55. *fluere lutulentum* cet.] Sat. 1, 4, 11 „torrentis instar secum trahentem plura quidem recidenda servandis.“ — *doctus*] „criticus.“ — *reprehendis*] Eiusmodi reprehensiones Homeri ex schola Grammaticorum Alexandrinorum profectae complures inveniuntur in Scholiis Venetis. Vid. ad Art. Poët. v. 359. — *comis*] refertur ad illam animi bonitatem, quam merito in eo laudat Sat. 2, 1, 30 seqq. *„Comis* Lucilius propter urbanitatem dicitur.“ PORPH. — *mutat*] „mutandum s. corrigendum censet.“ „Facit autem (hoc) cum alias, tum in tertio libro et nono et decimo (Satirarum).“ PORPHYR. — *Acci*] Vid. ad Ep. 2, 1, 56. — *Non ridet* cet.] „Idem Lucilius“, inquit, „minime abstinet a deridendis Ennii versibus minus gravibus, quam reliqua eius et omnino epici generis dignitas requirit, ut cum scripsit: *At tuba terribili sonitu taratantara dixit*, et: *O Tite tute Tati tibi tanta tyranne tulisti Damna*, item: *telo Transfigit corpus, saxo cere comminuit brum.*“ Genitivus *Enni* autem refertur et ad v. *versus* et ad v. *gravitate;* nam *gravitate minores* absolute dicere non poterat. De Ennio cfr. ad Od. 4, 8, 20 Ep. 1, 19, 7. — *loquitur non ut maiore reprensis*] „nec tamen Lucilius ita loquitur, quasi illis maior sit; neque ego tam sum arrogans, ut, quod inculta et negligentiora quaedam in Lucilii Satiris dico, me illi praeferam.“

Quaerere, num illius, num rerum dura negarit
Versiculos natura magis factos et euntis
Mollius, ac si quis pedibus quid claudere senis,
Hoc tantum contentus amet scripsisse ducentos 60
Ante cibum versus, totidem cenatus; Etrusci
Quale fuit Cassi rapido ferventius amni
Ingenium, capsis quem fama est esse librisque
Ambustum propriis. Fuerit Lucilius, inquam,
Comis et urbanus, fuerit limatior idem 65

57. 58. *num illius* cet.] „num illius ingenium ac facultas poëtica non satis benigna minusque apta ad componenda poëmata omnibus numeris absoluta, num argumentorum ipsorum difficilis atque ingrata natura in causa fuerit, cur tam scabros versus fuderit.“ — *magis factos*] „maiore arte elaboratos;“ ut Graeci πεποιημένα dicunt, quae cum arte elata sunt. Longin. 8: πεποιημένην λέξιν καὶ τροπικήν, cui opponitur τὸ ἀποίητον. Cic. de Orat. 3, 184: *orationem, quae quidem sit polita et facta quodam modo.*

59—64. *ac si* cet.] „quam quos ipse nimia festinatione usus effutivit.“ De particulis *ac* et *atque* post comparativum vide supra v. 34 et ad Sat. 1, 6, 130. — *pedibus - claudere senis*] Sat. 2, 1, 28: *me pedibus delectat claudere verba Lucili ritu.* Conf. ad Sat. 1, 4, 49. — *Hoc tantum contentus*] Pronomine *hoc* repetuntur verba proxime praecedentia *pedibus quid claudere senis:* „hac una re contentus, ut claudat quid versibus hexametris.“ — *scripsisse*] ἀορίστως. — *ducentos* cet.] Sat. 1, 4, 9: *in hora saepe ducentos, Ut magnum, versus dictabat* (Lucilius) *stans pede in uno.* — *Etrusci - - Cassi*] Cassius hic diversus fuit a Cassio Parmensi, cum laude memorato Ep. 1, 4, 3, qui quo tempore haec satira composita est, a. u. c. 723, in vivis erat. Praeterea, quidquid dicunt Scholiastae, Parma, Boiorum primum oppidum, deinde colonia Romana in Gallia Cispadana, ad Etruriam referri neutiquam poterat. Quod autem Commentator Cruq. tradit: „Cassius multos versus parvi momenti scribebat; ideo post eius mortem decrevit senatus, ut libri cum cadavere exurerentur:“ prorsus absonum esse, scite demonstravit Weichert de Cassio Parm. p. 219. Quin hoc ipsum, quod narrat Horatius, urbani alicuius hominis ac derisoris fuit inventum. — *ferventius*] hic mala significatione. Contra Od. 4, 2, 7: *Fervet immensusque ruit profundo Pindarus ore.* — *capsis quem fama est* cet.] „cuius tanta erat librorum ab eo scriptorum et capsarum, in quibus asservabantur, copia, ut eius cadaveri comburendo sufficerent.“ — *Ambustum*] Od. 4, 11, 25: *ambustus Phaëthon.* Consulto mitius verbum elegit, ne nimis rem exaggeraret, non *combustum*, ut cod. apud. Lamb. et Markland coniecturâ. Cfr. tamen etiam Inscriptt. Or. Latin. N. 2602 de Euchari: *Laudes, decus Silent ambusto corpore et leto tacent.* Nisi vero mavis explicari *ambustum* primum capsis et libris, deinde ipso rogo *combustum.*

64-67. *Fuerit*] „id quod vos identidem dicitis, ego non nego.“ —

Quam rudis et Graecis intacti carminis auctor,
Quamque poetarum seniorum turba; sed ille,
Si foret hoc nostrum fato dilatus in aevum,
Detereret sibi multa, recideret omne quod ultra
Perfectum traheretur, et in versu faciendo 70
Saepe caput scaberet, vivos et roderet unguis.

68. *dilatus* Blandinius vetustissimus, Gothanus, Sangallensis, Lipsiensis, rec. Bentl., Haupt, Vahlen, *dilapsus* Argentoratensis, Vossianus, Leidensis, Dessauiensis, ORbcd$\varphi\psi$, Holder; *delapsus* O. Keller.

Quam rudis cet.] „quam exspectari poterat ab auctore carminis rudis et Graecis intacti.“ Egregie de difficili hoc loco meritus est C. F. Hermannus in Progr. Marburgensi 1841, cuius interpretationem nunc sequor, ita ut Horatius verba faciat de Lucilio, non quemadmodum plerique statuunt, de Ennio. P. 47: „Primum *rude* non est pravum vel mancum, sed artis expers et impolitum, quod lima careat necdum multorum hominum manibus tractatum sit, ita ut sequentia, quibus *Graecis intactum* dicitur, non novum aliquid, sed propiorem tantum explicationem contineant (ut Iuven. 11, 100: *Tunc rudis et Graias mirari nescius artes.*); deinde vero etiam vel minima difficultas tolletur, modo eam interpretationem amplectamur, cui commendandae hanc disputationem instituimus; qua tantum abest, ut ex carminis genere poëtae indoles colligatur, ut hoc ipsum Lucilio praecipuum tribuatur, quod *limatior* fuerit, quam in rudis Graecisque intacti carminis auctore exspectari potuerit.“ (Est ergo „genus, in quo nemodum elaboravit, cuiusque vel ideo nullum apud Graecos exstabat exemplar, quod imitari posset Lucilius, illius *auctor* sive *inventor* v. 48.“) P. 35: „Quamvis Lucilius neque externam carminis formam sive metrum ex didactica Graecorum poësi asciscere dubitarit, nec primus maledicentiae atque irrisionis exemplum inter poëtas Latinos ediderit, certe et illa coniunctio, qua primus aequalium vitia heroicis versibus carpere ausus est, et omnis instituti ratio, unde satirarum nomen apud eum pependit, adeo ipsius propria habenda sunt, ut iure meritoque *intactum Graecis sarmen* condidisse dici possit.“ Noli oblivisci Quintiliani illud 10, 1, 93: *Satira quidem tota nostra est, in qua primus insignem laudem adeptus Lucilius quosdam ita debitos sibi adhuc habet amatores, ut eum non eiusdem modo operis auctoribus, sed omnibus poëtis praeferre non dubibent.* Vide tamen excursum. — *poëtarum seniorum*] „antiquiorum“, ut Livii Andronici, Cn. Naevii, Pacuvii, Plauti, Caecilii Statii, cet.

67-71. *ille*] ut luce clarius est, Lucilius; neutiquam vero Ennius. — *dilatus*] „prolatatus, reservatus“, id est, si fatum voluisset, ut in tempus multo posterius, adeoque nostram in aetatem vita eius incidisset.“ Ovid. Metam. 13, 518: *Quid, di crudeles, nisi quo nova funera cernam, Vivacem differtis anum?* — *Detereret* cet.] „Tum longe aliter scriberet; politiores, minus asperi essent eius versus, Graeca non immisceret, omnia vitaret, quae nunc apud eum vel verbositate vel qualicumque alio vitio perfectioni poëticae officiunt.“ — *traheretur*] In hoc verbo inest

Saepe stilum vertas, iterum quae digna legi sint,
Scripturus, neque, te ut miretur, turba, labores,
Contentus paucis lectoribus. An tua demens
Vilibus in ludis dictari carmina malis? 75
Non ego; nam satis est equitem mihi plaudere, ut audax,
Contemptis aliis, explosa Arbuscula dixit.
Men moveat cimex Pantilius, aut cruciet quod
Vellicet absentem Demetrius, aut quod ineptus
Fannius Hermogenis laedat conviva Tigelli? 80
Plotius et Varius, Maecenas Vergiliusque,
Valgius et probet haec Octavius optimus atque

inertiae atque molestiae significatio. — *caput scaberet* cet.] Sunt gestus meditantis atque stomachantis eo, quod et cogitationes et verba et versus minus procedant. Varro Fr. p. 261: *Scabens caput novo partu poëtico.* Quintil. 11, 3, 158: *In hac cunctatione sunt quaedam non indecentes (ut appellant scenici) morae, caput mulcere, manum intueri, infringere articulos.* Persius 1, 106: *Nec pluteum caedit nec demorsos sapit ungues.* — *vivos*] „usque ad ipsam carnem.“ Plaut. Bacch. 242: *detondebo* (arietem) *auro usque ad vivam cutem.*

72-77. *Saepe* cet.] De postrema huius v. syllaba ante duplicem litteram *st* non producta vid. Sat. 1, 2, 30. — *stilum vertas*] Superiore parte stili lata oblitterabant, quae in cera exararant inferiore acuta. Cic. Acc. 2, 101: *Vertit stilum in tabulis suis, quo facto causam omnem evertit suam.* — *dictari*] ut magister deinde interpretaretur, discipuli recitarent ac memoriae mandarent. Persius 1, 29: *Ten cirratorum centum dictata fuisse Pro nihilo pendas?* Conf. Ep. 2, 1, 71. — *equitem*] id est, „homines cultos atque artis peritos, quales equites Romanos esse decet.“ Conf. Ep. 2, 1, 185. A. P. 248 sq. — *audax*] hic potius laudis est. — *Arbuscula*] mima eximia. Cic. ad Att. 4, 15, 6: *Quaeris nunc de Arbuscula: valde placuit.* Aliquando tamen exsibilata ita se ulta est.

78-80. *cimex Pantilius*] nomen poetae, mere Romanum, non fictum. Sed *cimicem* potius appellat a putida et foeda maledicentia, qua clam adversarios pungebat, ut solent cimices pungere dormientes. Philostratus V. Soph. 2, 10, 3 p. 588. Ol. narrat, quomodo Adrianus tolerarit maledici ineptias: *ἐκαρτέρει τὰ ἐξ αὐτοῦ πάντα, δήγματα κόρεων τὰς ἐκ τῶν τοιούτων λοιδορίας καλῶν.* — *Demetrius*] idem modulator, quem v. 18 *simium* vocat. Constructio autem haec est: *Men moveat cimex Pantilius, aut cruciet* illud, *quod* cet., non, ut volt Bentleius: *Men moveat, quod c. Pantilius aut* men *cruciet, quod D. absentem vellicet.* — *Fannius*] Fannius Quadratus, poëta ineptus (Sat. 1, 4, 21), h. l. Hermogenis Tigelli (Sat. 1, 3, 129), hominis aeque molesti, parasitus.

81-83. *Plotius et Varius-Vergiliusque*] Conf. Sat. 1, 5, 40. Iam enumerat poëtas recentioris disciplinae, sibi amicos ac peritos carminum iudices. — *Valgius*] C.

Fuscus et haec utinam Viscorum laudet uterque!
Ambitione relegata te dicere possum,
Pollio, te, Messalla, tuo cum fratre simulque 85
Vos, Bibule et Servi, simul his te, candide Furni,
Compluris alios, doctos ego quos et amicos
Prudens praetereo: quibus haec, sunt qualiacumque,
Arridere velim, doliturus, si placeant spe
Deterius nostra. Demetri, teque, Tigelli, 90

86. *Bibule et Servi* coni. Muretus, prob. N. Heinsius, Bentleius ceterique ed. plerique; cod. *Bibuli et Servi.* — 88. *sunt* Gothanus S bcd prob. Bentl., Haupt, Vahlen, *sint* ceteri cod., Meineke, Holder.

Valgius Rufus, poëta epicus et elegiacus, ad quem est Od. 2, 9. Tib. 4, 1, 179: *Est tibi, qui possit magnis se accingere rebus, Valgius: aeterno propior non alter Homero.* — *Octavius*] poëta et historicus, in cuius mortem est Vergilii Catal. 14 (v. 5: *Scripta quidem tua nos multum mirabimur et te Raptum et Romanam flebimus historiam).* — *Fuscus*] De Aristio Fusco vid. Sat. 1, 9, 61. — *Viscorum-uterque*] De Viscis conf. Sat. 1, 9, 22.

84-90. *Ambitione relegata*] „Procul profecto absum a gloriola captanda, cum vos, in his etiam primores civitatis, Maecenatem, Asinium Pollionem, Messallam, inter amicos meos enumero.“ — *Pollio*] Vid. supra v. 42. — *Messalla, tuo cum fratre*] Q. Pedio Poplicola. De utroque vide supra v. 28 sq. — *Bibule*] Sic scripsi, quoniam perquam inconcinnum videtur hoc: „*vos*, (duo) *Bibuli* (nomen), *et* (te unum), *Servi* (praenomen). Bibulum vel Bibulos volunt esse M. Calpurnii Bibuli consulis cum Caesare a. u. c. 615 filium vel filios. Id tamen notandum, a. u. c. 723 tres certe eius filios exstinctos fuisse. — *Servi*] Servius hic fortasse fuit Ser. Sulpicii Rufi ICti, consulis a. u. c. 703, filius, qui philosophiae et artibus liberalibus operam dabat. — *candide Furni*] C. Furnius „historiarum fide et elegantia claruit.“ COMM. CRUQ. C. Furnius a. u. 725 consul suffectus erat, cui teste Seneca de Benef. 2, 25 *Antonianas partes secuto* apud Octavianum *veniam impetravit* filius. Inter hos Horatii amicos desideramus Tibullum et Propertium: hic tamen numquam eius familiaris fuisse videtur; illum a. u. c. 723 nondum noverat. — *Prudens praetereo*] „consulto, non per oblivionem.“ Addit hoc, ne quis se praeteritum queratur. — *sunt*] De indicativo conf. Huschke et Dissen ad Tib. 1, 6, 66: *Quidquid agit* (al. *agat*), *sanguis est tamen illa tuus.*

90-92. *Demetri, teque, Tigelli*] Ante v. *Demetri*, deest *te*, „idque more plane Horatiano, ut. Sat. 2, 8, 16: *Albanum, Maecenas, sive Falernum Te magis appositis delectat*, pro *sive Albanum sive Falernum.* Severus in Aetna v. 81: *Minos, tuaque, Aeace, in umbris Iura canunt*, pro *Tua, Minos, tuaque, Aeace.*“ BENTL. — *Discipularum*] Ridiculam scenam lectori offert, pulchellos illos vocis et cantus modulatores inter puellas vel ingenuas (ACR.) vel mimas (COMM. CR.) cantilenas docentes, qua in schola invicem delicias faciebant et magistri et discipulae. „*Disci-*

Discipularum inter iubeo plorare cathedras.
I, puer, atque meo citus haec subscribe libello.

pularum i. e. ingenuarum, quia hoc tempore maximum earum studium fuit affectandi lyricam (musicam) disciplinam." ACR. Ac sane feminae Romanae, etiam nobiles, musicis operam dabant, ut Sempronia illa Sallustii Catil. 25: *litteris Graecis et Latinis docta, psallere, saltare elegantius quam necesse est probae.* — *plorare*] „Salsissima utitur dilogia; nam et *plorant*, qui docent puellas cantiunculas amatorias flebili et molli voce decantare, et *plorare* iubent Graeci, quibus gravem imprecantur calamitatem, quod *κλαίειν* et *οἰμώζειν* illi dicunt." BAXTER. — *cathedras*] feminarum sedilia commodiora. Martial. 3, 63, 7: *Inter femineas tota qui luce cathedras Desidet.* Iuven. 6, 91 *molles* eas vocat. — *I, puer*] „Eleganter, quasi hoc ex tempore dixerit, praecipit puero, ut in librum suum illud conferat, ne pereat tam opportunum et congruens in modulatores istos dictum." PORPHYR. — *haec*] „haec ipsa verba, *οἰμώζειν σε κελεύω, μιαφώτατε.* Verum rectius, nobis videntur cum Bentleio Praef. p. 5. Ed. Amst. alii ita interpretati esse: „Adiunge hanc satiram prioribus libri primi, ut huic finis imponatur isque iam edi possit." Propert. 3, 23, 23: *I, puer, et citus haec aliqua propone columna.* — *libello*] ut Catullus 1, 1: *Quoi dono lepidum novum libellum?* de carminum suorum collectione.

EXCURSUS

Ad. v. 64 sq.

In hoc loco difficillimo explicando post C. F. Hermannum multi viri docti elaboraverunt. Qui quum rectius hunc locum explicavisse nobis videantur tum demonstraverunt non Lucilium sed Ennium auctorem satirae ab Horatio dici. Qua de re L. Müller haec disseruit in 'Lucilii reliquiis' a. 1872 Lipsiae editis pg. 295: 'Lucilius si tanta fuit elegantia ingenii praeditus, ut indocto et ideo spreto a Graecis carmini cum primus animum applicasset comitatem adderet et urbanitatem mirumne erit eum poëtas praecedentes tempore (nam de posterioribus nemo facile cogitarit) et ob id ipsum pinguiores vicisse arte? ut omittam quam non sit concinnum illud *quamque poëtarum seniorum turba*, si auctor ille saturae nec ipse fuerit diversus a Lucilio. Neque repugnantia tradidit Flaccus, ubi Lucilium inventorem saturae dicit. nam quatenus rude et a Graecorum elegantia alienum carmen fuit satura, cui fere quidquid negotii evenisset humani an dicam quodcumque in buccam venisset exiguo insereretur dilectu, auctorem sive inventorem, hoc est qui primus litteris latinis addidisset, merito dixit Ennium. et hunc quidem qui obiter nec nisi privatorum hominum vitia tangeret castigaretque in opere secuti sunt Pacuvius et nisi omnia me fallunt Varro cui Reatino cognomen. novam autem et diversam plane ab Ennii saturam protulit Lucilius quae potissimum emendandis consilio et exemplo civium moribus esset dedicata, primoresque populi ipsumque arriperet populum; quam diu iacentem post illum resuscitavit Caesaris dictatoris temporibus Varro, qui dictus ab Atace, mox

meliore successu Horatius, Persius, Iuvenalis, omnes eadem plane qua Lucilius via ingressi, excepto quod mutata temporum condicione recentioris potius Atticorum comoediae quam priscae more in denotandis hominibus sunt versati. apte faciunt ad hanc explicationem quae Suetonius apud Diomedem de satura tradidit (pg. 20 Reiff.). ceterum apparet ea ipsa re quod mutato genere et contractis finibus operis exundantem materiam intra certa quo proposito suo conveniret coercuit spatia Lucilius, oportuisse evenire, ut cultum quendam limamque ac nitorem reciperet eius satura differetque ab illa rudi indigestaque mole qualis apparet in Ennii ac Varronis libris.'

Q. HORATII FLACCI

SATIRARUM

LIBER SECUNDUS.

SATIRA I.

Sunt, quibus in satira videor nimis acer et ultra

Sat. I. 1. *videor* minor pars cod., plerique *videar* prob. Bentleius.

I. Simulans se C. Trebatium Testam, insignem iuris peritum, consulere, quid in tanta obtrectatorum in se satirasque suas iniquitate faciat, tamen hoc genere omisso Caesaris res gestas, iustitiam, fortitudinem carmine epico panegyrico praedicare nondum se audere dexterrime significat (a quo genere suae indoli contrario omnino abhorrebat), contra in satiris componendis, Lucilii, de quo aequissime iudicat, exemplo sibi proposito, etiam postmodum se perseveraturum, quoniam hoc genus suae naturae maxime sit consentaneum. „Verum", inquit, „in posterum in eos dumtaxat invehar, qui me ultro aggressi fuerint;" quorum hac ipsa occasione oblata nonnullos acriter vellicat. „Tales autem nebulones" (pergit, memorata Lucilii cum Scipione et Laelio necessitudine vel propter summam illius libertatem numquam dissuta) „ubi perstrinxero, numquam profecto timebo, ne potentes amicos a me abalienem." Iam Trebatius, qui ICti partes per hanc satiram dramaticam egregie tuetur, festivam iuveni amico cautionem praescriptionemque praecipit (cfr. ad v. 5), „ne umquam *mala carmina* componat", eumque in generoso proposito confirmat. Id sane per se liquet, totam consultationem fictam esse; verum longe difficilior est quaestio, utrum Horatius adeo familiaris fuerit Trebatii, ut iocoso sene facile id permittente dialogum hunc conscripserit, an haud ita diu post senis omnibus noti obitum eius persona ita sit usus, ad quod potius statuendum inclinat animus. Scripta haec satira videtur Frankio a. u. c. 724, et est huius libri tunc editi quasi prologus.

1-4. *Sunt quibus - - videor*] Haec constructio Horatio solita h. l. satis etiam a codicibus firmatur. Cfr.

Legem tendere opus; sine nervis altera quidquid
Composui pars esse putat similisque meorum
Mille die versus deduci posse. Trebati,
Quid faciam, praescribe. 'Quiescas.' Ne faciam, inquis, 5
Omnino versus? 'Aio.' Peream male, si non
Optimum erat: verum nequeo dormire. 'Ter uncti
Transnanto Tiberim, somno quibus est opus alto,
Irriguumque mero sub noctem corpus habento.

Sat. 1, 4, 24. — *Legem*] ut A. P. 135: *operis lex*, „regula et ratio satirae Romanae." — *tendere*] Imago desumpta a fidibus lyrae vel arcus nervis nimium intentis. Sic Od. 1, 1, 34: *tendere barbiton*. „Hi igitur adversarii contendunt satiras meas nimis mordaces prope abesse a libellis famosis." — *sine nevis*] A. P. 320: *sine pondere et arte*. „Dicunt versus meos nullius esse momenti et carere viribus ingenii, adeo, ut quivis facili opera tales effutiat." — *deduci*] a nendo. Ep. 2, 1, 225: *tenui deducta poëmata filo*. Ovid. Pont. 1, 5, 13: *luctor deducere versum*. Similiter *ducere* Sat. 1, 10, 44. — *Trebati*] C. Trebatius Testa, iunior amicus Ciceronis, (qui ad Fam. 7, 5, 3 Caesari de eo spondebat, *probiorem hominem, meliorem virum, prudentiorem esse neminem. Accedit etiam - - in iure civili singularis memoria, summa scientia.*) tribunus pl. a. u. c. 707, auctore certe Pighio T. 3. p. 451, a. u. c. 724 senex circiter septuagenarius, vel ipse si etiamtunc vivebat, hilaris et ad iocum urbanum imprimis factus, Horatio tunc XXXV. annos nato sane placere, vel, si iam decesserat, grata eius memoria poëtae manere debebat.

5-7. *praescribe*] Est verbum proprium de ICtis Cic. Orat. 141: *Quis umquam dubitavit, quin in re publica nostra primas eloquentia tenuerit semper urbanis pacatisque rebus, secundas iuris scientia? cum in altera gratiae, gloriae, praesidii plurimum esset; in altera praescriptionum cautionumque praeceptio* cet. — *Quiescas*] Cum comica gravitate ICtus brevissime, singulis prope verbis parcens, respondet. *Quiescas* idem fere est quod „desinas". Terent. Andr. Prol. 22: *Dehinc, ut quiescant porro, moneo, et desinant Maledicere.* — *Peream - si* cet.] Cfr. Sat. 1, 9, 38. — *Optimum*] „ad devitandas insectationes iniquorum meorum." — *erat*] Conf. v. 16. — *dormire*] „Si, quae animo voluto, versibus includere vetor, adeo inquietor, ut insomniis fatiger."

7-9. *Ter uncti transnanto*] Iunge: *Ter transnanto*, non: *Ter uncti*. Hic quoque legum sermonem facete imitatur. Vegetius de re mil. 1, 10: *Romani veteres, quos tot bella et continua pericula ad omnem rei militaris erudierunt artem, Campum Martium vicinum Tiberi delegerunt, in quo iuventus post exercitium armorum sudorem pulveremque diluerent ac lassitudinem cursusque laborem natando deponerent.* Cfr. Od. 1, 8, 8. 3, 7, 27. 3, 12, 7. „Quod vero *ter*, inquit, *transnanto*, id quoque et a medicis et a magis petitum est: impari enim et praecipue ternario numero summam vim illi tribuunt." TORRENT. Cfr. Od. 1, 28, 36. 3, 22, 3. Ep. 1, 1, 37. — *Irriguum*] Sic Graeci τέγγειν πνεύμονας οἴνῳ, βεβρεγμένος οἴνῳ, Latini *madere*, *uvidum esse vino*. Iam Plaut. Poen. 3, 3,

Aut, si tantus amor scribendi te rapit, aude 10
Caesaris invicti res dicere, multa laborum
Praemia laturus.' Cupidum, pater optime, vires
Deficiunt; neque enim quivis horrentia pilis
Agmina nec fracta pereuntis cuspide Gallos
Aut labentis equo describat volnera Parthi. 15

10. *capit* ex cod. Colbert. Bentleius. — 15. *describat* codex Mart. Cruquii, Obyu, Dessauiensis, Monacensis E, Holder, Keller, Fritzsche, Eckstein, *describit* ceteri cod., ed. plerique; *describet* quidam cod. Cruquii, Meineke.

86: *Ubi tu Leucadio, Lesbio, Thasio, Coo Vetustate vino edentulo aetatem irriges.* Ipse autem Trebatius (in quo inest praecipuus loci lepos) valde amabat et natationem et scyphos. Cic. ad Fam. 7, 10, 2: *qui neque in Oceano natare volueris studiosissimus homo natandi;* et 7, 22: *Illuseras heri inter scyphos, quod dixeram* cet.: *itaque etsi domum bene potus seroque redieram* cet.

10-13. *te rapit*] „Si omnino huic scribendi cupidini resistere non potes", cet. Contra Bentleii lect. *capit* (quae auctoritate idonea destituta est) recte monet Heindorfius, huius v. non praesens, sed perfectum hic locum habiturum fuisse. Omnino ille non satis recordabatur crebro etiam in prosa or. inveniri *„studium, cupiditas me rapit aliquo* vel *ad aliquid faciendum."* Liv. 5, 6. Cic. ad Fam. 5, 12, 1: *Neque enim me solum commemoratio posteritatis ad spem quandam immortalitatis rapit, sed etiam illa cupiditas*, cet. — *Caesaris*] Octaviani; Augusti cognomen demum a. u. c. 727 assumpsit. Dio Cass. 53, 16. — *Praemia*] Caesaris ipsius approbationem et gloriam apud populares: de donis intelligere minime conveniret poëtae urbanitati ac modestiae. — *pater*] Sic seniores viros solebant alloqui iuniores.

13-15. *neque enim* cet.] Simili modo eadem de re se excusat Od. 1, 6, 9. 1, 19, 9. 2, 12, 9. 4, 2, 27. — *horrentia pilis agmina*] His verbis designari videntur victrices Romanorum legiones, quarum propria arma erant pila. Liv. 9, 19. Cfr. Veget. de re milit. 2, 15. — *fracta-cuspide*] *fracta* dixit ut Vergilius (Aen. IX 412): *ibique frangitur;* aut de historia est; nam Marius adversus Santonas talia tela commentus est, ut fracta mitterentur, ne remitti ab hostibus possent.' PORPHYR. Plutarchus in Mario cap. 25 rem clarius sic exponit: „Ea pars ligni, quae in ferrum inseritur, antea duabus fibulis ferreis continebatur: Marius autem alteram quidem, quemadmodum erat, reliquit; altera vero exempta clavum ligneum fragilem in eius locum immisit, eo consilio, ut pilum ad clipeum hostis coniectum non maneret rectum, sed clavo ligneo fracto curvaretur ferrum et lignum transversa cuspide haerens deorsum penderet." — *Gallos*] Quaecumque de Caesaris Octaviani in Gallias expeditionibus nunc nota sunt, (cum a. u. c. 715. 717. 719 gentibus Alpinis bellum intulit, colonias in Galliam deduxit et Pannonia pacata a. 720 rursus in Galliam progressus est, atque primo triumphi die a. d. VIII. Id. Sext. a. 725 etiam de nonnullis Germaniae et Galliae populis triumphavit,) ex Dione diligen-

'Attamen et iustum poteras et scribere fortem,
Scipiadam ut sapiens Lucilius.' Haud mihi deero,
Cum res ipsa feret: nisi dextro tempore Flacci
Verba per attentam non ibunt Caesaris aurem,
Cui male si palpere, recalcitrat undique tutus. 20
'Quanto rectius hoc quam tristi laedere versu
Pantolabum scurram Nomentanumque nepotem,

16. *poteras* cod. omnes, *posses* S superscr. *poteras*. — 20. *recalcitrat* cod. paene omnes: *recalcitret* ex uno codice Bentleius, Meineke. — 22. *Nomentanumve* cum quattuor suis et duobus Bersmanni Bentleius, Haupt ed. 1, 2, 3. *Nomentanumque* Argent., Lipsiensis, Monac. E, Dessauiensis, Gothanus O Sin litura byu, Holder et Keller, Vahlen.

ter collegit Franke F. H. p. 110 sq. Ceterum de certo quodam vel Gallico vel Parthico bello cogitandum non est, nam poetarum modo significat quaslibet res bello bene gestas. — *labentis equo*] Vid. ad Od. 1, 19, 11. 2, 13, 17. — *describat*] „describere possit." — *volnera Parthi*] Hanc quoque rerum Parthicarum mentionem recte Franke retulit ad a. u. c. 724, quippe quo Octavianus ab Aegypto per Syriam et Asiam minorem profectus et subditorum omnia negotia et primum Parthica inter Phraatem et Tiridatem composuit. Dio Cass. 51, 18.

16-18. *poteras*] Indicativus latini sermonis proprius est ac legitimus, ut supra v. 7. — *fortem*] cum bellicae virtuti opponatur, h. l. „constantem ac magnanimum", ut Ep. 1, 7, 46: *Strenuus et fortis-Philippus.* — *Scipiadam*] Africanum minorem. Priscian. 2, 32 H.: *Vergilius* (immo iam ante Lucilius ipse apud Gell. 4, 17, 1 et Lucretius 3, 1034) *secundum Graecam formam* Scipiadas *dixit* (Ge. 2, 170 Aen. 6, 844.) ἀπὸ τοῦ Σκίπιος. Sic Lucret. 1, 26 habet Memmiadae nostro, Vergil. Aen. 8, 638 *Romulides;* Statius Theb. 1, 48 *Oedipodes* pro *Oedipus* dicere conatus erat. Conf. v. 72. — *Lucilius*] „qui saepe illius herois iustitiam atque fortitudinem laudibus extulit." — *Haud mihi deero*] „Non sibi deest is, qui facit et quod sibi opus est et quod oportet." ACR. Conf. Sat. 1, 9, 56. — *Cum res ipsa feret*] „Cum tempus venerit opportunum." — *dextro tempore*] Sat. 2, 4, 4 opponitur *tempore laevo.*

19. 20. *per attentam - - aurem*] „Caesaris aurem verba mea non invenient attentam, nisi si opportuno tempore, cum a negotiis vacat, ei oblatum erit carmen ipsius laudes praedicans." Conf. Ep. 2, 1, 1 sqq. — *Cui* cet.] „Quem si quis laudibus extollat ineptis atque immoderatis, ille eas dedignatur et respuit." — *male*] „intempestive." Conf. Od. 4, 6, 14. Sat. 1, 9, 65. — *recalcitrat*] Cic. pro Caelio 36 de hoc iuvene Clodiam amantem aspernante: *calcitrat, respuit.* Haud minus mire Augustus et cum accipitre et cum lupo comparatur ab Ovidio Trist. 1, 1, 75 sqq. — *undique tutus*] „Quomodo equus recalcitrando arcet a se molestum palpatorem, sic Caesar ineptos adulatores, ita ut quoquo versus se ab eorum incursu tutetur."

21-26. *Quanto rectius* cet.] Trebatii sunt tres versus Horatium a satiris scribendis dehortantis. — *tristi*] „mordaci et satirico." COMM. CR. — *Pantolabum* cet.] Conf. Sat.

Cum sibi quisque timet, quamquam est intactus, et odit!'
Quid faciam? Saltat Milonius, ut semel icto
Accessit fervor capiti numerusque lucernis. 25
Castor gaudet equis, ovo prognatus eodem
Pugnis; quot capitum vivunt, totidem studiorum
Milia: me pedibus delectat claudere verba
Lucili ritu, nostrum melioris utroque.
Ille velut fidis arcana sodalibus olim 30
Credebat libris, neque si male cesserat umquam

31. *cesserat* b pr. u pr. ed. plerique, *gesserat* codices paene omnes. — *umquam* unus Blandin. (vetust.), Vossianus, Lipsiensis Sbpr.φψ, *usquam* ceteri cod. et plerique editores.

1, 8, 11, ex quo v. firmatur *Nomentanumque* contra Bentlei *Nomentanumve.* — *Quid faciam?*] „Aliter equidem facere nequeo?" ut Pers. 1, 12: *Quid faciam? Sed sum petulanti splene cachinno.* — *Saltat*] contra decorum. Cic. pro Mur. 13: *Nemo fere saltat sobrius, nisi forte insanit: - - multarum deliciarum comes est extrema saltatio.* — *Milonius*] „Scurra illorum temporum." PORPH. — *ut semel*] „eo ipso temporis momento, quo primum ebrius factus est." Feae *ut simul* pro *simul ut* inusitatum est. — *icto - - capiti*] „vinolentia capiti perturbato." COMM. CR. Est τρωθέντι. Eurip. Cycl. 421: γιγνώσκων, ὅτι Τρώσει νιν οἶνος. Ovid. Remed. Am. 146: *multo tempora quassa mero.* — *numerusque lucernis*] Iuven. 6, 304: *Cum bibitur concha, cum iam vertigine tectum Ambulat et geminis exsurgit mensa lucernis.* Petron. 64: *Sane iam lucernae mihi* (Encolpio) *plures videbantur ardere* cet. — *Castor* cet.] Hom. Π. Γ 237: Κάστορά θ' ἱππόδαμον καὶ πὺξ ἀγαθὸν Πολυδεύκεα. Od. 1, 12, 25: *puerosque Ledae, Hunc equis, illum superare pugnis Nobilem.* — *ovo-eodem*] Ledae a Iove cygni specie compressae. „Vel fratres gemelli diversa sequuntur studia; quid, quaeso, faciant, qui cognati inter se non sunt?"

27-29. *quot capitum*] „Terentianum illud (Phorm. 454): *Quot homines, tot sententiae; suus cuique mos.*" ACRO. Pers. 5, 52: *Mille hominum species et rerum discolor usus: Velle suum cuique est, nec voto vivitur uno.* — *claudere*] Vid. ad Sat. 1, 10, 59. — *nostrum melioris utroque*] „qui melior fuit et te et me, Trebati, censu et natalibus; fuit enim vir bonus et valde nobilis, utpote Magni Pompei avus (immo „magnus avunculus)." COMM. CRUQ. „Quod tam sollicite quaerunt interpretes, quare Lucilium et Trebatio et se meliorem dixerit, utrum nobilitate (ut fecit Dousa), an facultate poëtica, an vero moribus et vita (ut nuper van Heusde Lucil. p. 70), plane est τὸ ἐπὶ τῇ φακῇ μύρον. Est enim ex sermone communi sumptum, quo etiamnunc in talibus volgo utimur. Tale est Lucretii illud 3, 1025: *Lumina sis oculis etiam bonus Ancu' reliquit, Qui melior multis quam tu fuit, improbe, rebus.*" RUTGERS.

30-34. *Ille* cet.] „Lucilius intimos animi affectus et arcanas curas concredebat s. committebat Satiris suis, magna cum simplicitate omnia cum lectoribus com-

Decurrens alio neque si bene; quo fit ut omnis
Votiva pateat veluti descripta tabella
Vita senis. Sequor hunc, Lucanus an Apulus anceps;
Nam Venusinus arat finem sub utrumque colonus, 35
Missus ad hoc pulsis, vetus est ut fama, Sabellis,
Quo ne per vacuum Romano incurreret hostis,

municans, sive quid in vita quotidiana ei mali acciderat, seu quid prosperi contigerat." — *male gesserat* reiciendum, quod accusativus requiritur. — *umquam*] Cum locus definiatur v. *alio*, praestat ut etiam tempus significetur v. *umquam;* aliorum *usquam alio* otiosum est. — *Decurrens alio*] „aliud confugium quaerens." — *Votiva--tabella*] „Solent naufragi suum naufragium in tabella depictum circumferre et in templis alicui deo consecratum suspendere. Ad hunc modum Lucilii senis vita tam clara est in suis libris, quasi esset depicta in aliqua tabula." COMM. CRUQ. Conf. A. P. v. 20 sq. Od. 1, 5, 13. — *senis*] non referendum est ad intervallum quo ab Horatii aestate distat: nam quod Sat. 1, 10, 67 *poetae seniores* dicuntur, hoc ad libros eorum pertinet et quod Cic. in Bruto 39 scripsit *Solon et Pisistratus, ut populi Romani aetas est, senes, ut Atheniensium saecla numerantur, adulescentes debent videri* hoc ita interpretandum est: originis Athenarum ratione habita Solon et Pisistratus ad aetatem recentiorem pertinent, eidem autem primis vel antiquissimis Romae urbis saeculis fuerunt. Itaque uterque locus ad hoc Horatianum *senis* explicandum nihil facit. Sed Hieronymus Chron. ad Ol. 169, 2 non recte Lucilium 606 = 148 natum esse dicit, veri simile est eum Sp. Postumium cum A. Postumio et L. Calpurnium cum Gaio confudisse et natum esse Lucilium A. Postumio Albino C. Calpurnio Pisone consulibus i. e. a. 574 = 180. Inde Velleium recte dixisse patet: *celebre et Lucilii nomen fuit, qui sub P. Africano Numantino bello eques militaverat.* Iam mortuum esse Lucilium Hieronymus tradidit anno 651 = 103, cui aetati non obsistit lex Licinia sumptuaria a Licinio commemorata (Gell. 2, 24, 10 *legem vitemus Licini*), quippe quae ante annum 103 videatur lata esse (Lud. Lange antiq. Rom. II pg. 71). Ergo septuagenarium suo iure Horatius senem vocavit: quis autem melius quam exactae homo aetatis dicetur tabula veluti votiva vitam suam totam praeteritam descripsisse? L. Müller in Lucil. fragm. pg. 288 sq.

34-38. *Lucanus* cet.] Vid. ad v. 39. — *anceps*] „Ego dubius sum atque incertus; nam Venusini Lucanis sunt finitimi et Apulis." PORPH. Malim *ancipitem* interpretari „eum, de quo ambigitur s. incertum est", ut Liv. 31, 12: *In Sabinis incertus infans natus masculus an femina esset.* Cfr. 27, 37. 30, 35. Alii *anceps* habent pro gen. neutro, coll. Liv. 31, 41: *Clauserant portas, incertum vi an voluntate.* Flor. 2, 14, 3: *regnum--Andriscus invaserat, dubium liber an servus.* — *Venusinus--colonus, Missus*] a. u. c. 463. — *ad hoc,--quo ne*] „ad hunc finem,--ut ne;" rarum, velut Digest. 21, 1, 17: *si celandi causa, quo ne ad dominum reverteretur, fugisset, fugitivum esse.* — *Sabellis*] Vid. ad Od. 3, 6, 38. — *ne per vacuum* cet.] „sed ut resisterent hosti coloni Venusiam deducti." — *Romano*] vel pro *Romanis*, ut Sat. 1, 4, 85. Epod. 7,

Sive quod Apula gens seu quod Lucania bellum
Incuteret violenta. Sed hic stilus haud petet ultro
Quemquam animantem et me veluti custodiet ensis 40
Vagina tectus; quem cur destringere coner
Tutus ab infestis latronibus? O pater et rex
Iuppiter, ut pereat positum robigine telum,
Nec quisquam noceat cupido mihi pacis! At ille,
Qui me commorit, — melius non tangere! clamo, — 45

43. *robigine* v. ad Od. 3, 23, 7 *rubigine* Or. alii. 45. *commordit* codex Regius apud Bentleium, ut volebat Rutgersius.

6. A. P. 54, vel supple *agro*, ut Cic. Verr. Acc. 3, 38: *cum ex Leontino usque ad Lilybaeum aliquem vadaretur.* Ib. 5, 10: *in Triocalino.* Illud tamen (ut sit pro *Romanis*) praestat. — *Sive quod -- bellum Incuteret*] in pros. or. „sive aliquod bellum inferret;“ dictum est ut *incutere verbera, terrorem, metum.* Sic *incutere minas* Ovid. Trist. 1, 11, 42. Male nonnulli *quod-quod* dixerunt esse particulam.

39-46. *Sed hic stilus* cet.] Opponuntur haec verbis *Sequor hunc* cet. (v. 34.) „Videtur lepide quasi terrorem incutiens adversariis significasse sibi animum esse natura et origine ad pugnandum, si opus esset, semper paratum; quippe eorum se esse sanguinem, qui olim Venusiam missi essent ad fines armis tutandos pugnasque, si res ita ferret, quotidie ineundas; *sed* in eo quoque retinuisse morem patrum, quibus propulsatio tantum hostium mandata fuisset, quod neminem ultro peteret, verum lacessitus. Inde sane non mirum esse, si iis, quae a natura sibi monstrata essent, armis se defenderet, nempe stilo, i. e. versibus acerbis et amaris. Hinc lucem accipiunt etiam illa: *Lucanus an Apulus anceps*, quibus non solum se in municipio natum opponit Lucilio equiti Romano (ut Iuvenalis 6, 167. Venusinam nobili Romanae), sed hoc quoque significat: si ingenii non nimis lenti sum, sed satis bellicosi, minime mirum. Nam utraque gens fuit dura ac bellicosa, *pernices* Apuli, Lucani saltem venatores.“ RAUCHENSTEIN. — *ultro*] „sine iusta et gravi causa, scilicet propter vitia, quibus stulti, quos derideo, obnoxii sunt.“ — *animantem*] genere masc. etiam apud Cic. Tim. 11: *Ita orientur animantes, quos et vivos alatis et consumptos sinu recipiatis.* — *destringere*] „ex vagina extrahere.“ Lect. *distringere* praetulit Heindorfius explicans: „stringendo distrahere. Sed cfr. Halm ad Cic. Sest. 76: *destrictis gladiis et cruentis.* — *Tutus*] „dum latro nullus me infestat; quod ubi fiet, tunc gladium destringam.“ — *O pater* cet.] optantis et desiderantis est ut saepe apud Hom. Od. δ 341, Il. Δ 288. Π 97. Cic. de Rep. 1, 36, 56: (*ut Iuppiter*) *et rex et pater haberetur omnium.* — *ut pereat*] Simile aliquatenus est Callimachi illud Blomf. p. 321: Ζεῦ πάτερ, ὡς Χαλύβων πᾶν ἀπόλοιτο γένος, Τηλόθεν ἀντέλλοντα κακὸν φυτὸν οἵ μιν ἔφηναν (chalyba). Ex quo Catullus 66, 48: *Iuppiter, ut Chalybum omne genus pereat!* — *noceat-mihi*] „lacessat me iniuria.“ — *Nec*] ut Od. 1, 11, 2 altera eiusdem sententiae pars, non nova sententia affertur, itaque

Flebit et insignis tota cantabitur urbe.
Cervius iratus leges minitatur et urnam,
Canidia Albuci, quibus est inimica, venenum,
Grande malum Turius, si quid se iudice certes.
Ut, quo quisque valet, suspectos terreat, utque 50
Imperet hoc natura potens, sic collige mecum:
Dente lupus, cornu taurus petit; unde nisi intus
Monstratum? Scaevae vivacem crede nepoti

47. *Cervius* codices paenę omnes, etiam Blandinii; *Corvius* cod. Mart. Cruq., *Servius* ex paucis cod. Lambinus, Cruquius, Fea ed. — 49. *si quid-certes* Dessauiensis, Monac. E, OSbγ; ceteri *si quis-certet.*

neutro loco legendum est *neu* = neve. Cf. Od. 2, 7, 19. 11; 4. 3, 7, 29. — *commorit*] „commoverit, lacessierit, provocarit." ACR. Rutgersianum illud et unius Codicis *commordit* Horatio nequaquam tribui potest, cum v. *commordere* apud scriptores prosae orationis Augusto posteriores reperiatur. — *melius* (erit) *non tangere!*] Formula minantium. Terent. Adelph. 180: *Ante aedis non fecisse erit melius hic convicium: Nam si molestus pergis esse, iam intro abripiere atque ibi Usque ad necem operiere loris.* — *Flebit*] „dolebit", Graecismus, *οἰμώξεται* vel *κλαύσεται.* Vid. ad Sat. 1, 10, 91. — *insignis-cantabitur*] „omnibus iam propter perversitatem notus deridebitur." *Cantari*, ut *ὑμνεῖσθαι*, „omnibus in ore esse, et quidem cum infamia."

47-49. *Cervius*] quadruplator et rabula. „Cervius, Ascanii libertus, accusavit Cn. (Domitium) Calvinum (cos. a. u. c. 701) lege de sicariis." COMM. CR. *Servius*, ut habent nonnulli, Servius Pola accusator, de quo Caelius ad Fam. 8, 12, 2 sq. Cic. ad Q. Fr. 2, 13, 2: *Vereor, ne homo taeter et ferus, Pola Servius, ad accusationem veniat.* — *leges-et urnam*] Sil. Ital. 9, 26: *Meruerunt talia, qui te Legibus atque urnae dira eripuere minant. Urna* est vas suffragiis iudicum recipiendis destinatum. — *Canidia*] s. Gratidia. Epod. 5 et 17. Sat. 1, 8. — *Albuci--venenum*] Haec iungenda. „Hic enim Albucius veneno uxorem suam dicitur peremisse." PORPH. Acro matri eum venenum miscuisse refert. Cfr. Sat. 2, 2, 67. Alii iungunt *Canidia Albuci*, ut desit aut „filia" aut „uxor" vel potius „moecha", coll. Verg. Aen. 3, 319: *Hectoris Andromache.* Aen. 6, 36: *Deiphobe Glauci.* — *Turius*] Iudicem corruptissimum significari apertum est, et docent Scholiastae, e quibus Porphyrio eum *C. Turium praetorem*, Acro *Turium Marinum*, Commentator Cruquii *C. Martium Turium* nominat. — *si quid se iudice certes*] Eadem constructione Sat. 2, 5, 27: *Magna minorve foro si res certabitur olim.*

50-52. *Ut quo* cet.] „Sic collige ex argumentis, quae tibi proponam (*συλλογίζων μετ' ἐμοῦ*,) tum iudica, quomodo fiat, ut ea vi, qua quisque maxime praeditus est, terrorem incutiat sibi suspectis atque exosis." — *sic collige*] Conf. Ep. 2, 1, 119. — *unde nisi* cet.] in prosa oratione: „id quod unice intus eis monstratum est;" hoc autem convertit in interrogationem: „*unde* (hoc eis) *monstratum est nisi intus*, instinctu quodam naturali?"

53-56. *Scaevae* cet.] „Committe

Matrem; nil faciet sceleris pia dextera: mirum,
Ut neque calce lupus quemquam neque dente petit bos; 55
Sed mala tollet anum vitiato melle cicuta.
Ne longum faciam: seu me tranquilla senectus
Exspectat seu mors atris circumvolat alis,
Dives, inops, Romae, seu fors ita iusserit exsul,
Quisquis erit vitae scribam color. 'O puer, ut sis 60
Vitalis metuo et maiorum ne quis amicus
Frigore te feriat.' Quid, cum est Lucilius ausus
Primus in hunc operis componere carmina morem,
Detrahere et pellem, nitidus qua quisque per ora

59. *luserit* e codd. exiguae auctoritatis Fea, Meineke.

huic vivacem matrem et non faciet aliquid sceleris pia dextra, sed veneno utetur, id est, non eam perimet gladio. Scaeva quidam luxuriosus dicebatur fuisse et pronus ad artes magicas." ACR. „Cicero pro Scauro: *Libertus patronam non occidit, sed duobus digitulis gulam oblisit.*" PORPHYR. — *mirum, Ut*] „quod aeque mirum est atque illud, quod--petit bos", id est, „neutrum profecto mirum est." Contrarium est enim Scaevae indoli ferro homines occidere, sed homo ignavus pro doloso suo ingenio promptus erit ad venenum matri miscendum: reapse autem uterque necandi modus aeque sceleratus est." — *mala*] Vid. ad Sat. 1, 1, 77. — *vitiato melle*] „postquam mel s. mulsum corruptum est immixta cicuta."

57-60. *Ne longum faciam*] Conf. Sat. 1, 3, 137. — *Mors*] alata, ut eius frater, Somnus. Eurip. Alc. 262: *πτερωτὸς Ἅιδας*. Od. 2, 17, 24: *volucrisque Fati Tardavit alas.* Cf. Lessingii opera (ed. Lchm. et Maltz.) 8, 208. — *circumvolat*] „iam nunc, adeo ut post breve tempus mihi moriendum sit." — *iusserit*] Lectio *luserit* destituitur ea auctoritate, quam in tam gravi mutatione requirimus. Praeterea Fortuna dea recte *ludere* dicitur (Od. 3, 29, 50), non item *fors*. — *Quisquis* cet.] „Quicumque erit tenor statusque vitae meae, scribere pergam, si qualicumque modo commodus ero (v. 45) aequalium vel vitiis ridiculis vel in me iniquitate, atque opprobriis dignos libere insectabor. (v. 85.)" Simillimum hyperbaton est Sat. 2, 3, 211: *Aiax cum immeritos occidit, desipit, agnos.* — *color*] Conf. Ep. 1, 17, 23.

60-62. *O puer*] Sic iuvenem amice alloquitur *pater* (v. 12.) Trebatius, cuius haec verba sunt usque ad voc. *feriat*. — *Vitalis*] pr. „qui ad diutius vivendum satis vigoris habet." „Ne cito pereas, metuo." Sine figura: „Vereor, ne omnes irritando tot tantasque molestias capias, ut tam ingratam vitam ipse detestaturus sis." — *maiorum* cet.] „ne aliquis ex potentioribus amicis refrigeratus se abs te abalienet amicitiamque tibi renuntiet." Imitatus est Persius 1, 107: *Sed quid opus teneras mordaci radere vero Auriculas? Vide sis ne maiorum tibi forte Limina frigescant.*

63-66. *Primus*] Cfr. Sat. 1, 10, 48. — *morem*] Cum saepissime iungantur vv. *mos modusque* (Od. 4, 2, 28), hic simpliciter *morem*

Cederet, introrsum turpis, num Laelius et qui 65
Duxit ab oppressa meritum Karthagine nomen,
Ingenio offensi aut laeso doluere Metello
Famosisque Lupo cooperto versibus? Atqui
Primores populi arripuit populumque tributim,
Scilicet uni aequus virtuti atque eius amicis. 70
Quin ubi se a volgo et scena in secreta remorant
Virtus Scipiadae et mitis sapientia Laeli,

65. *et qui* Argentoratensis, Vossianus, Dessauiensis, Gothanus, uv, Bentl., L. Müller, Haupt, Vahlen, prob. O. Keller, *aut qui* cod. plerique, Orelli, Krüger, Holder al.

posuit pro *modo* s. *forma*, ut Quintil. 4, 1, 43: *materiasque ipsi sibi fingunt et ad morem actionum persequuntur.* — *pellem* cet.] „speciem externam.“ Cfr. locum simillimum Ep. 1, 16, 45: *Introrsum turpem, speciosum pelle decora.* — *per ora*] civium s. populi. Sallust. Iug. 31: *incedunt per ora vestra magnifici* cet. — *Cederet*] Plaut. Cas. 2, 8, 10: *At candidatus cedit hic mastigia.* — *Laelius*] C. Laelius Sapiens, cos. a. u. c. 614. Hoc dicit: „Sed satis eum Scipio et Laelius sunt tutati, uti mihi nunc praesidio adversus iniquos meos erunt Caesar et Maecenas.“ — *qui Duxit* cet.] Od. 4, 8, 18: *qui domita nomen ab Africa Lucratus rediit.*

67-70. *offensi*] omisso verbo substantivo, ut v. 74 *soliti.* — *Metello*] Est Q. Caecilius Metellus Macedonicus, cos. a. u. c. 611, qui de Pseudophilippo triumphavit. Plin. H. N. 7, 44: *Equidem et Africani sequentis* (hunc Metellum virum ceteroqui felicissimum) *inimicum fuisse inter calamitates duxerim, ipso teste Macedonico. Siquidem liberis dixit: Ite filii, celebrate exsequias; numquam civis maioris funus videbitis.* — *Lupo*] Mordacem in L. Cornelium Lentulum Lupum, cos. a. u. c. 598, Cicero de D. N. 1, 63: *Tubulus si Lucius umquam, Si Lupus aut Carbo, Neptuni filius, ut ait Lucilius, putasset esse deos, tam periurus aut tam impurus fuisset?* — *Famosis - - versibus*] „contumeliosis.“ Ep. 1, 19, 31: *famoso carmine.* — *cooperto*] tamquam lapidibus in eum iactis. Sallust. Catil. 23: *flagitiis atque facinoribus coopertus.* — *Atqui* cet.] „Et tamen, etsi acerbe insectatus erat proceres aliquot civitatis, tamen potentiorum etiam amicorum favore protectus nihil mali passus est.“ — *arripuit*] „aggressus est, in eos acerrime invectus.“ — *tributim*] „per omnes XXXV tribus, nullo facto discrimine“, quasi dixisset: „populum cunctum.“ Pers. 1, 114: *Secuit Lucilius urbem.* — *aequus*] „favens.“ Sic. Od. 3, 18, 4. Faunus invocatur, ut abeat *parvis Aequus alumnis.*

71-74. *a volgo et scena*] „a vita publica, ubi, quasi in theatro, in omnium civium conspectu versabantur.“ Pseudocic. ad Brut. Ep. 1, 9, 2: *tibi nunc populo et scenae, ut dicitur, serviendum est.* — *in secreta*] „intra suos parietes et in amoenos villarum secessus.“ Tac. Ann. 14, 53: *Augustus M. Agrippae Mytilenense secretum - - permisit.* — *Virtus Scipiadae*] Conf. Od. 3, 21, 11 sq. Sat. 1, 2, 32. et supra v. 17. — *mitis*] Seneca Ep. 11: *Elige Catonem: si hic tibi*

Nugari cum illo et discincti ludere, donec
Decoqueretur olus, soliti. Quidquid sum ego, quamvis
Infra Lucili censum ingeniumque, tamen me 75
Cum magnis vixisse invita fatebitur usque
Invidia et fragili quaerens illidere dentem
Offendet solido .... nisi quid tu, docte Trebati,
Dissentis. 'Equidem nihil hinc diffingere possum.

79. *diffindere* Bland. vetustissimus, Argent., Dess., Lipsiensis, Orelli, Krüger, Holder (sed cf. Kelleri epil. pg. 519), *diffingere* tres Blandinii, Vossianus, Oby, Bentl., L. Müller, Haupt, Vahlen, Keller, (Holder), *defringere diffidère* pauci cod.

videtur nimis rigidus, elige remissioris animi virum, Laelium. — *sapientia*] Populus uno consensu Sapienti ei cognomen tribuerat. — *Nugari* cet.] Cic. de Orat. 2, 22: *Saepe ex socero meo* (inquit Crassus) *audivi, cum is diceret socerum suum Laelium semper fere cum Scipione solitum rusticari eosque incredibiliter repuerascere esse solitos, cum rus ex urbe tamquam e vinclis evolavissent. Non audeo dicere de talibus viris, sed tamen ita solet narrare Scaevola, conchas eos et umbilicos ad Caietam et ad Laurentum legere consuesse et ad omnem animi remissionem ludumque descendere.* „Scipio Africanus et Laelius feruntur tam fuisse familiares et amici Lucilio, ut quodam tempore Laelio circum lectos triclinii fugienti Lucilius superveniens eum abtorta mappa quasi feriturus sequeretur.“ COMM. CRUQ. Ceterum perquam adolescentem Lucilium et Satiras scribere coepisse et in intimam Scipionis iam a. 625 mortui familiaritatem pervenisse necesse est. — *discincti*] soluto tunicae cingulo, ut commodius luderent. — *donec Decoqueretur olus*] „Donec prandium pararetur.“ ACR. De olere hominum pauperum et frugalium cibo conf. Sat. 2, 7, 30. Ep. 1, 5, 2. 1, 17, 13 sqq.

75-78. *censum*] Cfr. ad v. 29. „Tradunt Antiochi regis filio obsidi domum publice aedificatam (sub Veliis): quae postea dicitur Lucili poëtae fuisse.“ Ascon. ed. K. S. pg. 12. — *ingeniumque*] quatenus ille inventor huius generis fuit. — *Cum magnis*] „Cum Augusto, Maecenate, Pollione aliis.“ SCHOL. Ep. 1, 20, 23: *Me primis Urbis belli placuisse domique* (loqueris). — *fragili--solido*] gen. neutr., imagine desumpta ab eo, qui dum avidius dentibus frangere volt nucem aliquam, iuglandem puta vel avellanam, quia facile id fore opinatur (*fragile*), putamini nimis duro eos illidit sibique dolorem creat. Sine imagine: „Ei, qui existimationem meam laedere et contumelia conviciisque perterrefacere me conabitur, firmiter resistam, adeo ut frustra me agressurus sit.“ — *nisi quid tu*] „Haec sunt, quae de me propositoque meo dicere queo; et mihi videor vere ac recte locutus esse, nisi forte tu in hoc illove aliter sentis, id quod mihi dicas velim, ut, si tua sententia verior erit, ego, ut par est, tibi morem geram.“

79. *hinc diffingere*] ita scripsimus optimorum codicum auctoritate et usu scriptorum latinorum permoti. Etsi enim Bland. vetust. habet *diffindere*, tamen hoc verbum ad nostrum locum aptum non est nec iuris verbo opus erat: *diffingere* =

Sed tamen ut monitus caveas, ne forte negoti 80
Incutiat tibi quid sanctarum inscitia legum:
Si mala condiderit in quem quis carmina, ius est
Iudiciumque.' Esto, si quis mala; sed bona si quis
Iudice condiderit laudatus Caesare? si quis
Opprobriis dignum latraverit, integer ipse? 85
'Solventur risu tabulae, tu missus abibis.'

84. *laudatus* codices, et post Cruquium ac Bentleium ed. plerique, *laudatur* Vossianus, Leidensis corr., Lipsiensis Sbc. — 85. *latraverit* cod. paene omnes; *laceraverit* e cod. paucis Lambini Bentleius. — 86. *risu* cod. *bis sex* (BISVI) Th. Bergk.

mutare, transformare ut Od. 1, 35, 39. 3, 29, 47. Hoc igitur dicit: „omnino tuam sententiam probo."

80-83. *Sed tamen* cet.] „Etsi aequa et vera sunt, quae dicis, tamen, ne propter *mala carmina* (id est, famosos libellos) actio iniuriarum aliquando tibi intentetur, pro amicitia nostra necessarium puto te monere" cet. Post vv. quotidiani sermonis *Sed tamen - - legum* cogitatione supplebis „scito, sic habeto:" ut saepe. Ep. 1, 1, 13. 1, 18, 58. 1, 19, 26. 2, 1, 208. — *sanctarum - legum*] „quae summa reverentia dignae sancteque observandae sunt." — *inscitia*] pro *inscientia*, quod v. metro adversabatur. — *Si mala* cet.] Vid. ad Ep. 2, 1, 152: *quin etiam lex Poenaque lata, malo quae nollet carmine quemquam Describi.* — *condiderit*] De postrema syllaba producta conf. quae ad Od. 1, 13, 6 adnotavimus. — *ius est Iudiciumque*] „lex (Cornelia) lata est et actio iniuriarum in eum datur."

83-85. *mala*] Horatius festive accipit de vitiosis atque ineptis. — *Iudice c. laudatus Caesare*] Verba sic construo: *Si quis iudice Caesare bona* carmina *condiderit*, ab eo *laudatus*. Plerique coll. Od. 1, 6, 2 iungunt *laudatus Caesare*. — *latraverit*] pro „allatraverit." (Liv. 38, 54: *Cato allatravit Scipionis magnitudinem.*) Conf. Epod. 5, 58. Ep. 1, 2, 66. „si in talem hominem invectus erit", id quod etiam iure fieri potest. Minus concinna est altera lectio *laceraverit*, quod semper est hominis iniqui ac malitiosi, neque h. l. aliud est nisi glossema ad v. *latraverit*. Acron: „*latraverit*, allatraverit, laceraverit."

86. *Solventur risu tabulae*] Locum difficilem optime mihi videtur interpretatus esse Matthiae ad Cic. pro Rosc. Am. §. 82. „Cic. de Or. 2, 58, 236: *odiosas res saepe, quas argumentis dilui non facile est, ioco risuque dissolvit*, ad nihilum redigit, evertit. Ut hic Cicero *res risu dissolvere* dixit, sic Horatius *solventur risu tabulae*, id est, sententiae iudicum mitiores, leniores fient risu, sed respiciens simul ad propriam significationem verborum *solvi* et *tabulae*." *Tabulae* igitur idem quod in prosa oratione tabellae iudiciariae: totius autem loci sententia haec: „Si quis adeo stultus erit, ut tecum iniuriarum agat, tu pro certo absolvere." Alii aliter exponunt: 1) „Solventur risui, in risum leges;" 2) „cachinnis rumpentur subsellia iudicum;" ut Iuven. 1, 13: *assiduo ruptae lectore columnae.* — *tu missus abibis*] „Non est: „tu absolveris;" „leges in te exerceri non poterunt;" sed: „impunitus dimitteris,

SATIRA II.

Quae virtus et quanta, boni, sit vivere parvo, —
Nec meus hic sermo est, sed quae praecepit Ofellus
Rusticus, abnormis sapiens crassaque Minerva, —

Sat. II. 2. *quae* cod. plerique, *quem* perpauci. — *Ofellus* cod. plerique, *Ofella* corr. S, unde Bentlei coniectura firmata, quam prob. Orelli.

severitate iudicum ioco tuo relaxata." Curtius 6, 10, 12: *Si credidisti mihi, absolutus sum; si pepercisti, dimissus.* Plutarch. Vit. Hyperid. p. 376 R.: ἡ Φούνη - - ἀφείθη, „dimissa est, periculo liberata. MITSCHERLICH.

II. Tenuis et simplex victus, quo veteres Romani inde ab urbe condita per quinque saecula usi erant, Horatii aetate in his corruptis civium suorum moribus plane evanuerat. Cfr. Vellei. 2, 1. Karthaginis excidium, Graecia voluptatum omnis generis magistra et Asia opulentissima subactae, Orientis gazae Romam deportatae incredibilem luxuriam et mollitiem apud victores pepererant. Sed ut plerumque contrariis vitiis genus humanum ab utraque parte simul urgeri solet, ita in hac communi fere prodigentia non defuerunt, qui nimiam parsimoniam atque adeo sordidam avaritiam consectarentur. Nulla res magis poëtae, saeculi vitia emendaturo, cordi esse debuit, quam haec ipsa labes; sed cum Maecenatis et virorum huic similium convictorem parum deceret censoria severitate in hoc genere uti, sub Ofelli, rustici Romani, persona praecepta tradit, qui, nullius philosophi doctrinae addictus, perversis aetatis suae hominibus veterem illam abstinentiam et frugalitatem liberrimo gravissimoque sermone commendat, quam virtutem ipse optimum adiutricem expertus erat ad beate vivendum et vel totius rei familiaris iacturam aequo animo ferendam. ZELL ex HEIND. Scripta videtur haec satira anno fere 720.

1. 2. *boni*] Cfr. Sat. 2, 6, 51 et 95. Ep. 2, 2, 37. Nihil languidius est altera lectione *bonis*, orta ex geminatione litterae *s* in verbo *sit*. — *Nec meus*] Primus versiculus cum habeat loci communis colorem, statim sese eo excusat, quod sermo hic sit rustici Romani, quem maxima deceat simplicitas. — *quae*] Altera lectio *quem* manifesto orta est ex mera accommodatione ad v. *sermo*. Ceterum argumentum ac sententias se desumpturum dicit ab Ofello, easque suo modo expressurum; cfr. imprimis v. 112 Ofellum autem ipsum loquentem inducit demum v. 116. — *Ofellus*] Videtur fuisse vicinus et familiaris Horatii iuvenis, vir sapiens natura atque insita virtute, cuius candor grataque simplicitas iuncta cum insigni lepore satis festive opponitur Stoicis illis aretalogis, quales erant Crispinus et Damasippus. Haud dissimilis est ille *Fabianus, non ex his cathedrariis philosophis, sed ex veris et antiquis.* Seneca de Brev. vit. 10.

3-6. *abnormis*] „prorsus diversus a norma illa, quam volgus statuit iis, quos philosophos nominare solet; Ofellus enim nulla certa secta et disciplina nutritus, sed a natura edoctus erat, quid verum rectumque esset." — *crassaque Minerva*] „longe distans a subtilitate illa

Discite non inter lancis mensasque nitentis,
Cum stupet insanis acies fulgoribus et cum 5
Acclinis falsis animus meliora recusat,
Verum hic impransi mecum disquirite. 'Cur hoc?'
Dicam, si potero. Male verum examinat omnis
Corruptus iudex. Leporem sectatus equove
Lassus ab indomito vel, si Romana fatigat 10
Militia assuetum graecari, seu pila velox
Molliter austerum studio fallente laborem,

saepe perversa, quam affectare solent philosophi." Proverbium *crassa, pingui Minerva* (Cic. Lael. 5, 19) a textura rudi repetitum est. — *lances*] aureas et argenteas, *mensas* marmoreas vel citreas; utraeque autem *nitent* et proprio splendore et tersae a servis. Iunctum utrique nomini est ἐπίθετον, ut v. 95 *grandes rhombi patinaeque.* — *Cum stupet* cet.] „cum oculus *(acies)* fulgore illo incredibili praestringitur." — *insanis*] „nimis magnis." ACR. — *Acclinis*] vox rara et poëtica (Verg. Aen. 10, 835), formata ut *inclinis, reclinis,* saepe confunditur cum v. *acclivis;* h. l. tropice „inclinatus, propensus ad falsa probanda."

7-13. *hic*] „in familiari hoc nostro circulo, et quidem ante cibos appositos." — *impransi*] „sobrii, priusquam vina et cibi mentis aciem hebetarunt." — *Leporem*] Grata negligentia aliquantum intricatae sunt sententiae pro volgaribus his: „Venatione et equitatione, aut, si haec corporis exercitationes vere Romanae tibi minus placent, pilae vel disci ludo fatigatus ubi eris, tunc esuriens sperne (si potes; sed non poteris) cibum ac potionem vilem." — *si Romana fatigat* cet.] Similiter opponuntur Romanorum ingenuorum equitationi et venationi trochus et alea Graecorum Od. 3, 24, 54. — *Militia*] Venatio ab Aristide Orat. 2 p. 25 μόριον πολεμικῆς τέχνης vocatur. Ep. 1, 2, 65: *venaticus -- Militat in silvis catulus.* Cic. de N. D. 2, 161: *Iam vero immanes et feras belluas nanciscimur venando, ut et vescamur iis et exerceamur in venando ad similitudinem bellicae disciplinae.* Plin. Paneg. 81: *Olim haec experientia iuventutis, haec voluptas erat, his artibus futuri duces imbuebantur, certare cum fugacibus feris cursu, cum audacibus robore, cum callidis astu* cet. — *graecari*] „Graeco, id est, molliore modo vivere corpusque exercere;" sic Plaut. Most. 22 *dies noctisque bibite, pergraecamini,* id. Bacch. 743 *Quod dem scortis quodque in lustris comedim et congraecem.* — *seu pila velox* cet.] „Totus hic locus videtur claudicare: nam primum in his verbis *seu pila velox* subintelligendum seu sumendum ἀπὸ τοῦ κοινοῦ *te agit;* deinde post hunc versum *Molliter aust. st. f. l.* subintelligendum *Lude pila*, ut respondeat ei, quod sequitur, *pete cedentem aëra disco.*" LAMB. Praeterea anacoluthia est in eo quod verba *pete c. aëra disco*, quae per particulam *vel* cohaerere debebant cum participiis *sectatus* et *lassus*, ab his longiore intervallo separata sententiae intermediae apodosin efficiunt. — *Molliter* cet.] „dum studium huius ludi grato modo efficit, ut ne sentias quidem, quam gravis per se

Seu te discus agit, pete cedentem aëra disco;
Cum labor extuderit fastidia, siccus, inanis
Sperne cibum vilem; nisi Hymettia mella Falerno 15
Ne biberis diluta. Foris est promus, et atrum
Defendens piscis hiemat mare: cum sale panis
Latrantem stomachum bene leniet. Unde putas aut
Quî partum? Non in caro nidor voluptas

14. *extuderit* cod., ed. plerique, *expulerit* cum excerptis Bodl. Bentleius; *extulerit* Vossianus, b corr. *luv.*

sit labor ille." — *agit*] „ducit, allicit." — *pete* cet.] „hoc modo te exerce." Addita autem *cedentis aëris* imagine vitat pedestris or. colorem: „lude disco." Ovid. in Ibide 587: *Aëra si misso liquidum iaculabere disco.* Ceterum conferenda sunt, quae L. Müller in Lect. Horat. (Mélanges Gréco-Romains, Pétersbourg 1874, pg. 705 sq. de hoc loco disseruit: neque *idoneus* adiectivum idoneum esse apparet cum seriis Romanorum studiis leviculi Graeculorum opponantur ludi, et ineptissima est parenthesis illa *pete cedentem aëra disco*, sive nexum sententiarum interruptum prorsus alienis spectabis, sive verba ipsa *pede cedentem aëra.* In manifesto autem vitio nihil probabilius visum est invento Peerlkampii, qui versus 12 et 13 in hunc modum contraxit: *seu te discus agit studio fallente laborem.* Videntur autem prius adiecta esse illa *molliter austerum* ab eo, qui verba *studio fallente* (per amoenitatem) *labore* parum intellegeret, deinde ea quae sunt *seu te discus agit* quoque modo in versus integri speciem completa.

14-18. *extuderit*] pr. „tundendo removerit, cum vi excusserit", ut Seneca Epist. 119: *natura--necessitati fastidium excussit:* verbum longe efficacius quam eiusdem gloss. *expulerit*, quod praetulit Bentleius, quia verbo *extundere* eam tantummodo significationem tribuebat, quam habet apud Verg. Ge. 1, 133: *Ut varias usus meditando extunderet artes.* — *Hymettia* cet.] „mulsum praeparatum ex dulcissimo melle Attico (Od. 2, 6, 14) et vino generosissimo, spreto mulso mixto ex vino et melle communi." Macrob. Saturn. 7, 12: *Mel et vinum diversis aetatibus habentur optima: mel, quod recentissimum, vinum, quod vetustissimum; unde est et illud proverbium, quo utuntur gulones, mulsum, quod probe temperes, miscendum esse novo Hymettio et vetulo Falerno.* Conf. Sat. 2, 4, 24. — *Foris est* cet.] „Quando abest promus condus, cellarius, adeo ut meliores cibos tibi ex penu promere vel obsonari nequeat." — *atrum*] ut Od. 3, 27, 18: *ater Hadriae-sinus.* — *Defendens pisces*] „mare agitatur procellis, propter quas nemo nunc piscari potest." — *hiemat*] χειμάζεται. Seneca Epist. 114: *Dixit Sallustius: aquis hiemantibus. Arruntius* (eius simia) *in primo libro belli Punici ait: Repente hiemavit tempestas.* --*Non desinit omnibus locis hoc verbum infulcire.* Similiter Pers. 6, 7: *hibernatque meum mare.* — *Latrantem stomachum*] Hom. Od. η 216: *Οὐ γάρ τι στυγερῇ ἐπὶ γαστέρι κύντερον ἄλλο.* Horatius *iratum ventrem* vocat Sat. 2, 8. 5.

18-22. *Unde* cet.] „Unde effici et acquiri hoc putas, ut tantam vim tam tenuis et vilis cibus habeat?"

Summa, sed in te ipso est. Tu pulmentaria quaere 20
Sudando; pinguem vitiis albumque neque ostrea
Nec scarus aut poterit peregrina iuvare lagois.
Vix tamen eripiam, posito pavone velis quin
Hoc potius quam gallina tergere palatum,
Corruptus vanis rerum, quia veneat auro 25
Rara avis et picta pandat spectacula cauda;
Tamquam ad rem attineat quidquam. Num vesceris ista,
Quam laudas, pluma? Cocto num adest honor idem?
Carne tamen, quamvis distat nihil, hac magis illa

28. *honor* cod. et ed. plerique, *color* Bland. antiq., Gothanus. — 29. *illam* Sbyvar., Monac. E, paucique alii, Holder, L. Müller, *illa* Vossianus, Leidensis, Lipsiensis, Argentoratensis, Dessauiensis Ογφψλυν, Bentl., Orelli, Haupt, Vahlen.

— *in caro nidore*] „in grato odore atque ὄρεξιν excitante, qui ex cibis pretiosis oritur.“ Sat. 2, 7, 38: *nasum nidore supinor.* — *Tu*] Cfr. Od. 1, 9, 16. — *pulmentaria*] a v. *pulpa*, non *pulte*, obsonia grata.“ „Hoc autem Socrates primus ait, qui cum ad noctem usque spatiaretur, interrogatus a quodam, cur hoc faceret, respondit: Ὄψον συνάγω, hoc est, Pulmentarium quaero.“ SCHOL. — *pinguem vitiis*] „luxurie tumidum.“ Conf. v. 77: *corpus onustum Hesternis vitiis.* — *albus* color est hominis vitam mollem atque umbratilem degentis, ἐσκιατροφηκότος, cui ἡλιωμένος, sole adustus, opponitur. Seneca Epist. 122: *Non speciosior illis* (luxuriosis) *quam morbo pallentibus color est: languidi et evanidi albent, et in vivis caro morticina est.* — *ostrea*] bisyllabum. Conf. Sat. I, 8, 45. — *scarus*] piscis pretiosus, sed ignotus. Cfr. Epod. 2, 50. — *lagois*] „avis leporini coloris.“ PORPH. Fortassis eadem est cum avi Alpina, quae a Plinio (H. N. 10, 68) *lagopus* dicitur, *praecipuo sapore. Pedes leporino villo nomen ei hoc dedere, cetero candidae, columbarum magnitudine.*

23-28. *Vix tamen eripiam* cet.] „Aegre tamen, scio, quamvis validis argumentis usurus, id abs te obtinebo, ut apposito in mensa pavone gallinam praeferas.“ Pavones autem Q. Hortensius primus in mensis apponere docuit Romanos. Cfr. Sat. 1, 2, 119. Cic. ad Fam. 9, 20, 2: *Sede vide audaciam: etiam Hirtio cenam dedi sine pavone.* Verbo *ponere* eadem qua hic significatione usus est poëta etiam Sat. 2, 4, 14. 2, 6, 64. 2, 8, 91. — *tergere*] comice de grato sapore, quo palatum permulcetur. — *vanis rerum*] Od. 4, 12, 19: *amara curarum.* Sat. 2, 8, 83: *ficta rerum.* — *picta pandat spectacula cauda*] „expansa cauda pulcherrimos suos colores ostendat spectatori eumque delectet.“ — *tamquam ad rem attineat quidquam*] scil. caritas et pennarum nitor. — *Cocto*] „Cocto pavoni num manet eadem pulchritudo, quae fuerat vivo? Minime vero.“ — *num adest*] conf. ad Od. 2, 20, 13. Hiatu Horatius non usus est praeter paucos locos carminum (1, 28, 24. 2, 20, 13), epodon (5, 10. 13, 3) satirarum (1, 9, 38. 2, 2, 28). — *honor*] „species nitida.“

29. 30. *Carne tamen* cet.] Non vesceris illa pluma splendoris ple-

Imparibus formis deceptum te patet. Esto: 30
Unde datum sentis, lupus hic Tiberinus an alto
Captus hiet, pontisne inter iactatus an amnis
Ostia sub Tusci? Laudas, insane, trilibrem
Mullum, in singula quem minuas pulmenta necesse est.

30. *patet* Leidensis, Vossianus, Lipsiensis, Dessauiensis γ var. bpr. uv, Bentl., Haupt, Vahlen, *petere* Argent., Gothanus, Oby Scorr., Holder, Keller. Eiecerunt hunc versum Meineke, Linker.

na; tamen carne pavonis quamquam nihil differt a gallinae carne, magis vesceris s. vesci cupis s. tergere palatum vis quam carne gallinae." — *distat nihil*] „nihil interest inter pavonis carnem et gallinae." Cfr. Sat. 2, 3, 210. — *hac magis illa*] „pavonina magis quam gallinacea." De omissa particula *quam* conf. Od. 1, 13, 20. 4, 14, 13. — *Esto*] Conf. Sat. 2, 3, 65. Aliam interpretationem proposuit Madvigius (Advers. crit. 1, 102): 'Nihil certius est quam Horatium scripsisse: *Carne tamen, quam vis, distat nihil hac magis illa*, id est, ab hoc catino, in quo pavo appositus est, ille, in quo gallina. Nam obscure hoc scriptum aiunt, Romanis, qui *magida* norant, nihil magis perspicuum esse poterat quam hoc: illa magis non distat hac'; et idem in Opusculis germanico sermone a. 1875 Lipsiae editis pg. 420 *magis* substantivum esse docet = lanx.

31-33. *Unde datum sentis* cet.] „Verum unde tibi concessum, δυνατόν, est, ut sapore distinguas cet.?" Imitatus est Persius 5, 124: *„Liber ego." Unde datum hoc sentis, tot subdite rebus. — lupus*] λάβραξ. — *Tiberinus* cet.] Macrobius Saturn. 2, 12 maximo apud prodigos honore fuisse tradit Tiberinum lupum, et quidem eum, qui inter duos pontes captus est; ad quod demonstrandum utitur et verbis Titii pro lege Fannia (---*bonumque piscem lupum germanum, qui inter duos pontes captus fuit.*) et versibus Lucilii (fr. inc. 29, 30 L. M., 1181d Lchm.): *Illum sumina ducebant atque altilium lanx: Hunc pontes Tiberinu' duo inter captu' catillo.* In lupo igitur tria saporis genera distinguebant lurcones: lupos captos inter duos pontes, id est, sublicium et senatorium, ut ait Fea, inter quos Cloaca maxima sordes antiquae Urbis egerebat, quibus pisces alliciebantur, vel, ut alii volunt, inter sublicium et Fabricium; lupos captos ad Tiberis ostia; lupos in alto mari captos, qui pessimi erant. — *hiet*] „pisces statim, cum capiuntur, hiant." SCHOL. Etiam, puto, in mensis appositi. — *iactatus*] Columella R. R. 8, 16, 4: *Docta et erudita palata fastidire docuit* (Marcius Philippus) *fluvialem lupum, nisi quem Tiberis adverso torrente defatigasset.* — *amnis* -- *Tusci*] Tiberis, qui in Etruria oritur.

34-36. *tril. Mullum*] Est τρίγλη, Italis etiamnunc *triglia*. Plin. H. N. 9, 30: *Est reliqua nobilitate* (post scarum) *et gratia maxima est et copia mullis, sicut magnitudo modica, binasque libras ponderis raro admodum exsuperant. Trilibrem* autem memorat, ut qui hoc pondere rarissime capiantur; sex librarum vero erat portentosus ille Domitiani apud Iuven. 4, 15. — *in singula* cet.] „quem pro convivarum numero" (hoc enim inest in v. *singula*) „in plures portiones disseces, quas eadem cena tuis convivis apponas" non

Ducit te species, video. Quo pertinet ergo 35
Proceros odisse lupos? Quia scilicet illis
Maiorem natura modum dedit, his breve pondus.
Ieiunus raro stomachus volgaria temnit.
'Porrectum magno magnum spectare catino
Vellem', ait harpyiis gula digna rapacibus. At vos 40
Praesentes, Austri, coquite horum obsonia. Quamquam
Putet aper rhombusque recens, mala copia quando
Aegrum sollicitat stomachum, cum rapula plenus
Atque acidas mavolt inulas. Necdum omnis abacta

38. *raro* plerique, etiam Bland., pauci *rari, raris, rare.* — 42. *male* Dess., Lips., Mon., Bern. c, Doeringio probante.

ut pisces quidam minores integri a singulis convivis comedi solent. — *Ducit*] „movet atque allicit, ut fieri solet." — *quo pertinet* cet.] „Cur ergo magnitudinem laudas in mullo et reprehendis in lupo? Quia scilicet in utroque te delectat, quod est rarius." COMM. CRUQ. — *illis*] sane ad voc. *lupos*, etsi proprius, refertur, contra quam alii rati sunt. Recte Iahn (ad Ep. 1, 17, 19): „mulli *hi* et lupi *illi* dicuntur, quoniam poëta magnorum mullorum amorem carpit. *Mulli* igitur sunt potior res et magis quam lupi ad poëtam pertinent." — *breve pondus*] Pers. 5, 121: *brevis-semuncia.*

38-40. *Ieiunus* cet.] Construe: *Stomachus raro ieiunus* (semper satur) *contemnit cibos volgares.* De hoc versu Bentleius ad A. P. 337 haec habet: 'Vereor ne monacho potius quam Flacco debeatur, quippe et orationis cursum male intercipit, et in ambigui vitium incidit; iam olim enim a scholiastis dubitatum est, utrum *raro ieiunus* an *raro temnit* sit accipiendum.' — *Porrectum*] Quivis hoc legens supplebat *mullum.* Ceterum consulto quattuor spondeis usus est, ut exoptatum piscis pondus et magnitudinem exprimeret. — *Vellem*] *ἐβουλόμην ἄν*, non *βουλοίμην ἄν.* „Vellem, si fieri posset, sed vix fiet." — *Harpyiis digna*] „non homine, sed monstris voracissimis digna."

40-44. *At vos* cet.] „Sed utique heluones isti hanc poenam merentur, ut Austri calor putrefaciat pretiosos eorum cibos." *At* indignantis est, atque saepenumero in votis exsecrationibusque concitati affectus indicium praebet. — *Praesentes*] „quasi numina omnem suam vim exserentes." Conf. Od. 1, 35, 2. — *Quamquam* cet.] „Corrigit se, quasi frustra Austros invocaverit, cum luxuriosis sit necesse suas putere epulas atque delicias, quantumvis sapidas, propter satietatem et affluentiam." COMM. CRUQ. — *Putet*] „fastidium parit, quasi puteat." — *mala copia*] „prava, quae facit, ut stomacho laboremus." — *quando*] „quandoquidem, quoniam;" nam tempus significatur statim part. *cum.* — *acidas-inulas*] „non quia *acida* est haec herba, sed quod, cum coquitur, aceto conditur. Inula autem genus est olerum." ACR. *Amaras* vocat Sat. 2, 8, 51.

44-46. *Necdum* cet.] „Quamquam cibi naturales et simplices non prorsus removeri potuerunt a di-

Pauperies epulis regum; nam vilibus ovis 45
Nigrisque est oleis hodie locus. Haud ita pridem
Galloni praeconis erat acipensere mensa
Infamis. Quid? tum rhombos minus aequora alebant?
Tutus erat rhombus tutoque ciconia nido,
Donec vos auctor docuit praetorius. Ergo 50
Si quis nunc mergos suavis edixerit assos,
Parebit pravi docilis Romana iuventus.
Sordidus a tenui victu distabit, Ofello

48. *tum* Vossianus, Leidensis, Lipsiensis, Dessauiensis, Gothanus λφψuv, Bentley, L. Müller, Haupt, Vahlen, *tunc* Argent., Monac., Oγ, Orelli, Keller, Holder. — *aequora alebant* Bland. vetustissimus, Monacensis, Arg. corr., Lips. corr., Bentl., L. Müller, Haupt, Vahlen, *aequor alebat* Blandinii tres et Gothanus, Vossianus, Leidensis, Lipsiensis, Argent. pr., Dessauiensis ObSγ, Keller, Holder.

vitum epulis; nam ovis atque oleis etiamnunc utuntur cenarum initio." (Oleae enim cibi cupiditatem excitant; *nigrarum* autem de conditura praecepit Colum. 12, 50 et 51.)

46-49. „Praeterea variat semper lurconum de cibis pretiosis iudicium; sic acipenser *apud antiquos piscium nobilissimus* (Plin. H. N. 9, 27) iam minoris aestimatur (quamquam *nobilem* vocat etiam Ovidius Halieut. v. 132); contra *rhombus* (Sat. 1, 2, 116) tum neglectus nunc quaeritur." — *Haud ita pridem*] „Lucilii tempore, circiter ante hos LXXX. annos." — *Galloni praeconis*] „Gallonius praeco primus acipenserem piscem suae mensae apposuit, quare eius mensa etiam a Lucilio taxatur." COMM. CRUQ. Lucilii versus servavit Cic. de Finn. 2, 24: *O Publi, o gurges, Galloni: es homo miser, inquit; Cenasti in vita numquam bene, cum omnia in ista Consumis squilla atque acipensere cum (quom) decumano.* — *erat*] Huius v. ultima syllaba vi caesurae producitur. Conf. Sat. 1, 4, 82. 1, 5, 90. — *tuto-nido*] quia pulli earum nondum pro deliciis habebantur.

50—52. *auctor-praetorius*] Ex Scholiastis inter se collatis Interpretes antiquos haec adnotasse compertum habemus: „Asinium quendam vel Sempronium Rufum praetorium instituisse, ut ciconiarum pulli manducarentur; quare, inquiunt, cum in praetura petenda repulsam tulisset, tale epigramma meruit: *Ciconiarum Rufus iste conditor! Hic est duobus elegantior Plancis: Suffragiorum puncta non tulit septem. Ciconiarum populus ultus est mortem.*" Quodsi re vera praeturae repulsam tulit, ironice *praetorius* dicitur h. l. infelix praeturae petitor. Verum res est prorsus incerta. — *mergos*] „quos propter durissimam carnem et rancidum ex piscibus, quibus vescuntur, saporem nemo nunc edit." — *edixerit*] tamquam praetor. Conf. Ep. 1, 19, 10. — *Romana iuventus*] „generosa illa et magnanima", non sine comi quadam ironia, quae elucet vel ex sono exitus epici. Ennius Annal. 538 V.: *Optuma cum pulchris animis Romana iuventus.* Conf. Od. 4, 4, 46.

53-56. „Verum cum invehor in nimias epularum delicias, non prop-

Iudice: nam frustra vitium vitaveris illud,
Si te alio pravum detorseris. Avidienus, 55
Cui Canis ex vero ductum cognomen adhaeret,
Quinquennis oleas est et silvestria corna,
Ac nisi mutatum parcit defundere vinum et,
Cuius odorem olei nequeas perferre, licebit
Ille repotia, natalis aliosve dierum 60
Festos albatus celebret, cornu ipse bilibri

53. *Ofello*] Vide ad v. 2. — 55. *pravus* ex uno cod. Bersmanni Bentleius. — 56. *ductum* cod. Blandin. antiquiss., Lipsiensis, Bentleius (coll. Ovid. Fast. 1, 467), Meineke, L. Müller, Haupt, Vahlen; *dictum* ceteri codices, Orelli, Holder et Keller. — 58. *diffundere* Sbuv, ceteri *defundere*.

terea sordidum victum commendo, sed simplicem. Sordes enim non minus fugiendae sunt quam profusio." — *Sordidus a tenui victu*] „Eadem (qua Graeci) libertate poëtae Latini primario nomini formam secundarii reddunt partim metri ergo, partim variandae constructionis. Lucret. 1, 802: *sic alias aliis rebus mutarier omnis.* Id. 2, 471: *mixta aspera levibus principiis*, et h. l. Horatius." LOBECK ad Soph. Aiac. v. 277. Conf. A. P. 273. — *Ofello Iudice*] „iudice sapiente, qualis fuit, quem memoravi, Ofellus." — *pravum detorseris*] ut Sallustius *transvorsum agere* dixit Iug. 6 et 14. Est: „si alio te ita detorseris, ut pravus fias." Eodem h. l. schemate usus est atque Hom. Il. *B* 416: *Ἑκτόρεον δὲ χιτῶνα περὶ στήθεσσι δαΐξαι Χαλκῷ ῥωγαλέον*, — *Avidienus*] avarus aliquis ignotus; nomen fictum non est, ut volunt nonnulli, ridiculi causa ductum a v. *avidus*, quod primae syllabae quantitas non concedit. — *Canis*] propter immunditiam ac sordes. — *ex vero*] ex ipsa eius vita, qualis re vera erat. Sall. Iug. 78: *quibus nomen ex re inditum.* Plaut. Stich. 242: *Nunc Miccotrogus nomine ex vero vocor.* — *ductum*] sumptum, petitum, ut *originem.* Od. 3, 17, 5.

57-62. *Quinquennis oleas est*] „Oleas rancidas et putridas edit." Ultra annum servari vix possunt. — *mutatum*] vappam, *οἶνον ἐκτροπίαν.* — *parcit*] „propter parsimoniam numquam aliud vinum nisi vilissimum bibit." — *defundere*] ex cado in crateram atque ex hac in pocula. — *Cuius odorem olei*] „oleum, cuius odorem cet."; eadem attractione, qua Terentius: *Populo ut placerent quas fecisset fabulas.* Vergilius: *Urbem quam statuo vestra est.* Conf. Epod. 2, 37. — *licebit - - celebret*] Ovid. Metam. 14, 355: *Non tamen effugies, vento rapiare licebit, Si modo me novi.* Conf. Epod. 15, 19. — *repotia*] „Postridie nuptias apud novum maritum cenatur, quia quasi reficitur potatio." FESTUS et PORPH. Contra ACRON: „*Repotia* dicuntur septimus dies, quo solet nova nupta redire ad parentes suos." — *albatus*] ut solebant diebus festis inducere togam recens cretatam. Cic. Vatin. 13, 31: *cum ipse epuli dominus Q. Arrius albatus esset.* — *cornubilibri*] „Cornu, quod sextarium capit. Habent enim propolae cornua, quae hanc olei tenent quantitatem." COMM. CRUQ. Non ex elegantiore aliqua ampulla olearia, sed ex vili cornu ipse, ne puer nimis fortasse olei profundat, hoc

Caulibus instillat, veteris non parcus aceti.
Quali igitur victu sapiens utetur, et horum
Utrum imitabitur? Hac urget lupus, hac canis, aiunt.
Mundus erit, qua non offendat sordibus, atque 65
In neutram partem cultus miser. Hic neque servis,
Albuci senis exemplo, dum munia didit,
Saevus erit; nec sic ut simplex Naevius unctam

65. *qua* Blandinii, Argentor., Monac., Dessauiensis var. Oγ, *qui* Leidensis, Vossianus, Lipsiensis, Gothanus Sbcγvar. $\varphi\psi\lambda$uv.

guttatim holeri infundit, contra veteris aceti, quod nullius est pretii, largus esse solet. — *Caulibus*] brassicae. Cato R. R. c. 156: *Brassica est, quae omnibus holeribus antistat. Eam esto vel coctam vel crudam. Crudam si edes, in acetum intinguito.*

63-66. *horum Utrum*] „hominemne gulosum, an sordidum?“ — *aiunt*] significat esse locutionem proverbialem. (Gr. *τὸ λεγόμενον.*) Apul. Metam. 2, 7: *et, quod aiunt, pedibus in sententiam meam vado.* — *Mundus*] „Homo sapiens *mundus* atque *elegans* (quae vocc. iungit Cicero Orat. 79) erit eatenus, qua convivis numquam sordibus nauseam faciat; hoc sufficit; nimiam lautitiam vitabit.“ Varro apud Gell. 13, 11: *Dominum convivii esse oportet non tam lautum quam sine sordibus.* — *qua*] Haec lectio in plerisque cod. depravata in *qui* satis firmatur cod. Blandin. et Acronis scholio: „*qua*, deest ratione, i. e. quatenus non erit sordidus.“ — *In neutram partem*] „neque in luxuriam nec in avaritiam erit *miser cultus*“ (genitiv.), id est, „quod ad totam vitae externae rationem attinet;“ quae constr. vv. *felix* et *miser* in exclamationibus proprie usitata (Sat. 1, 9, 11: *cerebri felicem!* Plin. Paneg. 58, 5: *miseros ambitionis!*) hinc transiit etiam in sedatam orationem. Etenim non minus miser est, qui luxuriae deditus in multis et molestis semper versatur negotiis, quam avarus, qui sibimet ipsi omnia vitae commoda denegat. (*Cultus* est voc. medium: „tota vivendi ratio, sive parcior, sive luxui proprior est. Illam parciorem autem vocat *necessarium cultum* Rutilius Lupus 2, 16.)

67-69. *Albuci*] Acro: „Albucius quidam luxuriosus, quando mittebat servos suos ad obsonia comparanda, mortem eis minabatur, nisi pro voluntate eius comparassent.“ Alias. „Albucius cum convivaretur, servis suis officia distribuebat et antequam aliquis eorum peccaret, caedebat eos, dicens vereri se, ne, cum peccassent, caedere illi postea non vacaret.“ Porphyrion: „Hic est Albucius, qui et avarus et elegans conviviorum apparator saevus est habitus in servos; qui ob cupiditatem nimiam habendi alienam uxorem suam veneno necavit.“ (Cfr. Sat. 2, 1, 48.] — *didit*] V. antiquam et poëticum *didere* idem fere ac „dividere, distribuere.“ Hoc dicit: „Dum servos suum quemque munus ad mensam obire iubet, quia ipsi nimis lenti videntur, desaevit eosque male mulcat; qua iracundia et sibi et convivis cenae gaudia corrumpit.“ Seneca de Brev. vitae 12: *quanta celeritate signo dato glabri ad ministeria discurrant.* — *nec sic* cet.] „Ex altera parte non minus offen-

Convivis praebebit aquam; vitium hoc quoque magnum.
Accipe nunc, victus tenuis quae quantaque secum 70
Afferat. Imprimis valeas bene: nam variae res
Ut noceant homini credas memor illius escae,
Quae simplex olim tibi sederit; at simul assis
Miscueris elixa, simul conchylia turdis,
Dulcia se in bilem vertent stomachoque tumultum 75
Lenta feret pituita. Vides, ut pallidus omnis
Cena desurgat dubia? Quin corpus onustum
Hesternis vitiis animum quoque praegravat una
Atque affigit humo divinae particulam aurae.
Alter, ubi dicto citius curata sopori 80

79. *affigit* cod. plerique, in his Blandinii, *affligit* Bentleius e paucis.

dit convivator negligens, ut *Naevius*, homo ignotus, neque avarus nec luxuriosus, ut olim varie explicabant, sed, ut ait, *simplex*, qui propter nimiam animi bonitatem servos etiam desides ac pigros non castigat." — *unctam*] „in unctis s. sordidis calicibus." SCHOL. Conf. Sat. 2, 4, 78. — *praebebit aquam*] Vid. ad Sat. 1, 4, 88.

72-81. *Ut*] „quomodo, quantopere." Conf. Cic. p. Mil. 64. — *sederit*] „quieverit, nullos in ventriculo tumultus excitarit nec nauseam fecerit." Similiter de animo Seneca Epist. 4: *Certis ingeniis immorari et innutriri oportet, si velis aliquid trahere, quod in animo fideliter sedeat.* Mox opponitur *cibus, qui statim sumptus emittitur.* — *conchylia*] Omnes fere conchulae, teste Celso 2, 28 et 29, facile intus corrumpuntur alvumque movent. — *tumultum*] Seneca Epist. 95: *inconstans variusque ex discordi cibo morbus est.* — *Lenta pituita*] „phlegma ventriculi et intestinorum." Plin. H. N. 20, 7: *Lentitiam pituitae digerunt* (lactucae). Vox *pituita*, cuius prima syllaba producitur, tribus syllabis efferenda est, ut Ep. 1, 1, 108. — *Cena desurgat dubia*] in prosa or. „surgat de cena dubia", qui Terentianus est iocus. Phorm. 342, 28: P. *Cena dubia apponitur.* G. *Quid istuc verbi est?* P. *Ubi tu dubites, quid sumas potissimum.* Philoxeni glossa: desurgit ἀφοδεύει, ὡς Ὁράτιος. — *vitiis*] „intemperantia." Cfr. v. 21. — *praegravat*] „onere suo deprimit." — *affigit humo*] „adeo ut mens hebetata suo officio fungi nequeat, rebus vilibus quasi adhaerens." Seneca de Brev. vitae 2: *Urgentia circumstant vitia undique; nec resurgere aut in dispectum veri attollere oculos sinunt, sed mersos et in cupiditatibus infixos premunt.* Lectio *affligit* significat: „cum vi atque impetu illidit", id quod h. l. aptum non est. — *divinae p. aurae*] Pythagoreorum et Stoicorum fuit doctrina, nos *ex universa mente divina delibatos animos habere*, ut ait Cic. Cat. mai. 21, 78. Seneca Epist. 120: *mens dei, ex qua pars et in hoc pectus mortale defluxit.* — *dicto citius* cet.] „corpore brevissima cena refecto statim cubitum it

Membra dedit, vegetus praescripta ad munia surgit.
Hic tamen ad melius poterit transcurrere quondam,
Sive diem festum rediens advexerit annus,
Seu recreare volet tenuatum corpus, ubique
Accedent anni, tractari mollius aetas 85
Imbecilla volet; tibi quidnam accedet ad istam,
Quam puer et validus praesumis mollitiem, seu
Dura valetudo inciderit seu tarda senectus?
Rancidum aprum antiqui laudabant, non quia nasus
Illis nullus erat, sed, credo, hac mente, quod hospes 90
Tardius adveniens vitiatum commodius quam

85. *anni, tractari* plerique; *anni et tractari* Bentlei cod. Reginensis, prob. Bentl., Orelli, Haupt, Vahlen. — 91. *vitiatum* plerique cod. et ed. *vitiaret* Bland. antiquissimus, OSpr.*γ*.

neque in noctem potat." Formula *dicto citius* usi sunt etiam Vergilius Aen. 1, 142 et Livius 23, 47, ubi imminuta est interposita particula *prope*. Conf. Od. 1, 11, 7: *Dum loquimur*. — *praescripta ad munia*] „ad necessarias functiones ac solita vitae quotidianae officia." SCHOL.

82-88. *quondam*] „certo tempore, suo tempore." Verg. Aen. 2, 367: *Quondam etiam victis redit in praecordia virtus*. — *tenuatum*] Est fere poëtarum pro pedestris or. „attenuatum, extenuatum." Sic tamen etiam Tac. Ann. 15, 63: *senile corpus et parvo victu tenuatum*. — *ubique*] „et ubi." — *Accedent anni, tractari* cet.] Ex naturali vitae decursu variae desumuntur rationes, cur temperantiae studere debeamus; primum, ut corpus re vera recreare possimus, si recurrerit sollemne anniversarium, vel si laboribus extenuati simus; quae quidem magis fortuita dicere possumus, cum etiam die festo parciorem victum servare liceat et solitis cibis, non melioribus, reficere vires; deinde transit ad necessitatem, quae in senectute nos commodius lautiusque curare corpus cogit. — *tibi quidnam*] „tu, qui iam per vegetam iuventutem ante tempus mollitiei te dedis, quid postea huic adicere poteris, quando tamen maiorem requietem melioresque cibos vinaque requiret vel adversa valetudo vel senectus?" — *puer et validus*] His per chiasmum in proximo versu opponuntur *Dura valetudo* et *tarda senectus*. — *praesumis*] „ante tempus sumis, προλαμβάνεις." Sic *praecipere* et *praesumere voluptatem* homonyma sunt ap. Senecam de Brev. vitae 5. — *tarda senectus*] Vid. ad Sat. 1. 9, 32. Verg. Aen. 9, 610: *nec tarda senectus Debilitat vires animi mutatque vigorem*.

89-93. *Rancidum* cet.] Eadem futuri temporis cura, quae vetat, ne quis adolescens senilis aetatis solacia praecipiat, antiquos homines permovebat, ut in cibis etiam minus sapidis acquiescerent, ne deesset in penu, quod hospiti inexspectato apponeretur. *Rancidus* h. l. est quod Galli vocant *faisandé*, Britanni *high flavoured*. — *Tardius adveniens*] „inexspectatus ea hora hospiti superveniens, qua iam caedi et coqui porcus nequit."

Integrum edax dominus consumeret. Hos utinam inter
Heroas natum tellus me prima tulisset!
Das aliquid famae, quae carmine gratior aurem
Occupet humanam? grandes rhombi patinaeque 95
Grande ferunt una cum damno dedecus; adde
Iratum patruum, vicinos, te tibi iniquum,
Et frustra mortis cupidum, cum deerit egenti
As, laquei pretium. 'Iure' inquit 'Trausius istis
Iurgatur verbis; ego vectigalia magna 100

95. *Occupet* Bland. antiquissimus, Argentor., Monac. OSpr.γ, Bentl., L. Müller, Haupt, Vahlen, Holder. *Occupat* tres Blandinii, Dessauiensis, Gothanus, Vossianus, Leidensis corr., Lips. pr. ψuv, Keller defendit. — 99. *As* cod. in his Blandinii et ed. plerique, *aes* pauci cod. correct.

— *vitiatum*] Opponitur *Integrum*, „recentem (v. 42), non: „totum." — *Hos - - Heroas*] Festive sic vocat antiquos rusticos Romanos, ut Verg. Moret. 60 de Simulo: *Ergo aliam molitur opem sibi providus heros.* — *tellus - prima*] Facillima est hyperbole pro *prisca heroum aetate.* Cfr. Sat. 1, 3, 99 et Claudianus in Rufin. 1, 106: *Talem progenies hominum si prisca tulisset, Pirithoum fugeret Theseus.* — *tulisset*] Conf. Sat. 1, 5, 42.

94—97. „Si famae aliquid tribuendum esse existimas (qua de re minime dubito), scito luxuriem tibi dedecus allaturam esse." — *Das aliquid famae*] Seneca de Clem. 1, 15: *Principes multa debent etiam famae dare.* Tacit. Ann. 1, 7: *Dabat et famae ut vocatus electusque potius a re publica videretur.* Conf. Ep. 2, 1, 125. — *quae - - Occupet*] Cfr. Verg. Aen. 3, 294: *rerum fama occupat aures.* In prosa or. *accidit ad aures*, et *accidere* absolute apud Livium 21, 61: *fama* (alibi *vox, clamor*) *accidit.* Coniunctivum hic praetuli, cum optime sic explicetur, „utpote quae occupet", id est, „ideo, quod occupat." Per indicativum fit locus communis. Porphyrion ad h. l.: „Hoc Antisthenes dixisse traditur. Is enim, cum vidisset adulescentem luxuriosum acroamatibus deditum, ait: Miserum te, adulescens, qui numquam audisti summum acroama, id est laudem tuam!" — *patruum*] quorum severitas in proverbio erant. Cfr. Od. 3, 12, 3: *Patruae verbera linguae.* Sat. 2, 3, 88. — *tibi iniquum*] „tibimet ipsi exosum", ut apud Ciceronem saepe *iniqui mei* mitius est nomen pro inimicis. Conf. Od. 1, 2, 47. 1, 10, 15.

99-102. *As, laquei pretium*] Lucian. Tim. 20: *Ἐγὼ δέ τοι πολλοὺς ἂν εἰπεῖν ἔχοιμί σοι χθὲς μὲν οὐδὲ ὀβολόν, ὥστε πρίασθαι βρόχον, ἐσχηκότας, ἄφνω δὲ τήμερον πλουσίους καὶ πολυτελεῖς κτλ.* „Placet potius *as* ex Blandiniis et nostris aliquot, ut unum nummulum indicet, quam *aes*, quod summae incertae est. Lucianus itaque *obolum*, Noster *assem*, Plautus (Pseud. 88) *drachmam*, certum omnes nummulam pro laquei pretio nominarunt." BENTL. — *inquit*] Cfr. Sat. 1, 4, 79. — *Trausius*] decoctor ignotus. — *Iurgatur*] „obiurgatur, vituperatur." — *vec-*

Divitiasque habeo tribus amplas regibus.' Ergo,
Quod superat, non est melius quo insumere possis?
Cur eget indignus quisquam te divite? Quare
Templa ruunt antiqua deum? Cur, improbe, carae
Non aliquid patriae tanto emetiris acervo? 105
Uni nimirum recte tibi semper erunt res.
O magnus posthac inimicis risus! Uterne
Ad casus dubios fidet sibi certius? Hic qui

106. *recte tibi* cod. plerique, *rectae tibi* Bland. vetust., *tibi recte* e perpaucis cod. Bentl. prob. Meineke, L. Müller. — *erunt* codices, *eunt* N. Heinsio auctore Bentl., Meineke.

tigalia] h. l. privati reditus, ut Od. 3, 16, 40. Cic. de Offic. 2, 88: *ut gloria divitiis, vectigalia urbana rusticis (anteponantur).* — *tribus amplas regibus*] „quae si inter tres reges dividerentur, tamen quisque horum amplâ esset fortunâ.“ — *Ergo*] indignantis est: „cum tantum habeas, nonne est quo melius insumere possis quod superest?“ — *superat*] „superabundat tuis usibus.“ SCHOL. Cic. Parad. 6, 3, 49: *Uter igitur est divitior, cui deest, an cui superat? qui eget, an qui abundat?*

103-107. *indignus*] „immeritus; indignus qui egeat.“ Plaut. Curc. v. 513. *Indignis* (quibus male dicatur) *si male dicitur, male dictum id esse duco.* — *Templa ruunt*] quippe quae per bella civilia diu neglecta sint. Verum, unde in Horatio, qui Carm. 1, 34, 1 *parcum deorum cultorem et infrequentem* semet ipse appellat, tanta haec iam a. 720 templorum cura? Mera haec simulatio esse non poterat, non magis quam Carm. 3, 6, 1: *Delicta maiorum immeritus lues, Romane, donec templa refeceris,* cet. Sed, si quid divinare hac in re licet, quidni dicamus, Horatii animum, et pulchri ipsius peritum spectatorem et verae dignitatis Romanae aestimatorem sincerum, saepissime laesum esse templorum per bella domestica partim deturpatorum, partim dirutorum, tristissima facile, atque ex animi sententia optasse, ut tandem restituerentur, sperasse quoque id factum iri a Caesare Octaviano? quod inceptum reapse hic maxime a. 726 strenue exsecutus est. Cfr. Sueton. Octav. 30. — *improbe*] „insatiabilis.“ — *patriae*] „pecunia eroganda in opera publicae utilitati inservientia, porticus puta, vias, exsiccandas paludes;“ qualia opera non sine callido consilio principibus viris imponere solebat Octavianus. — *nimirum*] „Quod in ironica oratione saepe fit, ut ea, de quibus quaerendum sit, occupemus affirmatione, id etiam per *nimirum* exprimitur. Ita orationis forma similis est interrogationi.“ HAND Turs. IV. p. 207. — *recte tibi erunt res*] Haec lectio praestat. Conf. v. 120. Sat. 2, 8, 19. Dolabella apud Cic. ad Fam. 9, 9, 1: *rectissime sunt apud te omnia.* — *posthac*] „cum patrimonium omne per luxuriam consumpseris.“ ACR. — *risus*] „risus argumentum, gall. *la risée.*“ Ovid. Fast. 1, 437: *At deus* (Priapus) -- *Omnibus ad Lunae lumina risus erat.* — *Uterne*] *ne* superadditur pronomini interrogativo, ut Sat. 2, 3, 295. 317.

108-115. *casus dubios*] „vitae calamitates“, ut *tempora dubia* Od.

Pluribus adsuerit mentem corpusque superbum,
An qui contentus parvo metuensque futuri 110
In pace ut sapiens aptarit idonea bello?
Quo magis his credas, puer hunc ego parvus Ofellum
Integris opibus novi non latius usum
Quam nunc accisis. Videas metato in agello
Cum pecore et gnatis fortem mercede colonum, 115
'Non ego,' narrantem, 'temere edi luce profesta
Quidquam praeter olus fumosae cum pede pernae.
Ac mihi seu longum post tempus venerat hospes,
Sive operum vacuo gratus conviva per imbrem
Vicinus, bene erat non piscibus urbe petitis, 120

112. *Ofellum*] Vid. ad v. 2. — 113. *lautius* unus Feae a sec. m., ut volebat H. Stephanus; *laetius* N. Heinsius.

4, 9, 36. — *adsuerit*] „assuefecerit." Cfr. Sat. 1, 4, 105. — *superbum*] refertur etiam ad v. *mentem*. Idem fere est ac „luxurians", sive mavis, „ὑβριστικόν." — *In pace* cet.] „in rebus secundis sese *aptarit*, praepararit, adversis." — *puer*] certe a. u. c. 712; hoc enim vel sequente anno triumvirorum in veteranos largitione Ofellus fundum suum amiserat. Eadem autem condicio Ofelli atque Moeridis Vergiliani Ecl. 9, 2: *vivi pervenimus, advena nostri (Quod numquam veriti sumus) ut possessor agelli Diceret: „Haec mea sunt: veteres migrate coloni."* — *non latius*] „non largius, non profusius." Opponitur *angustius*. Caes. B. C. 3, 16: *rem frumentariam-, qua anguste utebatur.* — *accisis*] Quatenus iam non possessor agelli erat, sed colonus tantum. — *Videas*] „tunc, si ibi fuisses, videre poteras." — *metato in agello*] „quem metator assignarat Umbreno veterano." Teste Appiano B. C. 4, 3 militibus attributi sunt potissimum agri horum oppidorum: Capuae, Rhegii, Venusiae, Beneventi, Nuceriae, Arimini, Vibonis. Cfr. Valerius Cato Dir. 45: *Pertica quae nostros metata est impia agellos.* — *fortem*] „navum, opus rusticum strenue facientem, etsi nunc potius novo domino quam sibimet ipsi agrum colit." Cfr. Ep. 2, 1, 139. Verg. Ge. 3, 288: *Hic labor; hinc laudem fortes sperate coloni.* — *mercede colonum*] Coloni enim aut partiarii erant, ut Italorum *massaj*, aut nummis agros locupletium colebant. Plin. Ep. 9, 37: *Medendi una ratio, si non nummo, sed partibus locem (praedia mea)*, ita ut dimidia vel tertia proventus pars coloni sit, reliqua domini; Ofelli *merces* s. certa pensio assignata erat. Cfr. Colum. 1, 7.

116-122. *Non - - temere*] „non facile, raro." — *operum vacuo*] „cum propter imbrem neuter operi rustico vacare posset." — *bene erat* cet.] Plaut. Casin. 2, 3, 37: *ubi illi bene sit ligno, aqua calida, cibo, vestimentis.* — *urbe*] Etiam in oppidis minoribus et ruri pisces marini Romae emendi erant, si quis lautius excepturus esset hospites. — *pensilis uva*] Plin. H. N. 14, 3:

Sed pullo atque haedo; tum pensilis uva secundas
Et nux ornabat mensas cum duplice ficu.
Post hoc ludus erat culpa potare magistra,
Ac venerata Ceres, ita culmo surgeret alto,
Explicuit vino contractae seria frontis. 125
Saeviat atque novos moveat Fortuna tumultus,
Quantum hinc imminuet? Quanto aut ego parcius aut vos,
O pueri, nituistis, ut huc novus incola venit?

Durant aliae (uvae *per hiemem pensili concameratae nodo* cet. — *duplice ficu*] „bifida.“ SCHOL. Pallad. R. R. 4, 10, 35: *Subinde ficus, sicut est divisa, vertatur, ut ficorum coria siccentur et pulpae tunc duplicatae in cistellis serventur aut loculis.*

123. *Post hoc* cet.] Ex antiquo more demum post cibos sumptos potabant, luxuriosi contra inter edendum. Senecae Epist. 122: *Post prandium aut cenam bibere volgare est: hoc patres familiae rustici faciunt et verae voluptatis ignari.* — *ludus erat*] „Si quando libere potare volebant antiqui, id est, sine archiposia, dicebant se magistram facere culpam.“ PORPH. „Post hoc eo modo ludebamus, ut certa inter nos potandi lege dicta is, qui non obtemperasset, sequente vice uno poculo multaretur (Plaut. Stich. 723: *Agedum, Stiche: uter demutassit, poculo multabitur. - - - Si peccassis, multam hic retineto ilico.*) atque culpa commissa quasi potandi magistra omnibus esset.“ Volgo ita explicant: „qui culpam qualemcumque in bibendo commiserat, ita puniebatur, ut ilico poculum unum prae ceteris exsiccare deberet, quae quidem poena convivis risum movebat, quia praemium potius erat.“ *Culpa* autem, ut hoc quoque dicamus, erat, ut opinor, si poculum non exsiccabatur, si fortasse recepti quidam gestus vel formulae ante bibendum non rite servabantur, cet.

124. 125. *Ac venerata*] ut Verg. Aen. 3, 460: *cursusque dabit venerata secundos*, passive, eadem significatione atque Carm. saec. 49: *Quaeque vos bobus veneratur albis, - - Impetret.* — *ita*] Quod dicit Bentleius et Heindorfius, *ita* esse, „ut iam nunc surgit caelo pluvio“ (v. 119), minus appositum videtur. Immo votum convivarum erat cum libationibus Cererum adorantium: *„ita surgat alto culmo.“* Plancus ad Cic. Fam. 10, 9, 2: *ita ab imminentibus malis res publica liberetur!* Plene Cic. ad Fam. 10, 12, 1: *Ita te victorem complectar, - - ut magnam partem mihi laetitiae tua dignitas affert.* Atque omnino *ita* h. l. idem est atque frequentius illud in precationibus *sic.* Od. 1, 3, 1: *Sic te diva potens Cypri* cet. — *surgeret*] Ad hoc verbum *Ceres*, quae ad participium *venerata* proprie accipienda est, metonymice intelligenda, „seges.“ Conf. Sat. 1, 5, 74. — *Explicuit*] Od. 3, 29, 14: *Mundae - - pauperum Cenae - - Sollicitam explicuere frontem.* — *contractae*] „rugosae propter sollicitudines.“ Plaut. Amph. Prol. 52: *Quid contraxistis frontem?*

127-129. *hinc*] „ex iis commodis, quibus nunc ut antea fruimur.“ — *O pueri*] *„Pueri* aut filii aut servi.“ ACR. Tu interpretare de filiis. — *nituistis*] „pingues ac validi fuistis.“ Ep. 1, 4, 15: *Me pinguem et nitidum bene curata cute vises.* Cfr. Plin. Ep. 2, 17, 3. — *ut*] „ex quo tempore.“ — *incola*] Significanter *incolam*, non *domi-*

Nam propriae telluris erum natura neque illum
Nec me nec quemquam statuit: nos expulit ille; 130
Illum aut nequities aut vafri inscitia iuris,
Postremum expellet certe vivacior heres.
Nunc ager Umbreni sub nomine, nuper Ofelli
Dictus, erit nulli proprius, sed cedet in usum
Nunc mihi, nunc alii. Quocirca vivite fortes 135
Fortiaque adversis opponite pectora rebus.'

SATIRA III.

Si raro scribes, ut toto non quater anno

134. *Dictus, erit* cod. plerique, *Dictus erat:* Bentley ex paucis prob. Meinekio.

Sat. III. 1. *Si raro scribes—quid fiet* ex duobus Pullmanni, Bentleius, Haupt, Vahlen, Holder (improb. Kellero), *Si* tres Bland.,

num dedit veteranum *advenam possessorem agelli.* (Verg. Ecl. 9, 2 sq.) — *propriae*] Haec recta lectio perperam in adv. mutata est. Est idem atque „in perpetuum ab uno possidendae." Sic Eurip. Phoen. 555: *Οὗτοι τὰ χρήματ' ἴδια κέκτηνται βροτοί.* Lucil. 27, 6 (L. M.): *Cum sciam nil esse in vita proprium mortali datum.* Sat. 2, 6, 4: *Nil amplius oro, Maia nate, nisi ut propria haec mihi munera faxis.* Ovid. Metam. 6, 350: *Nec solem proprium natura neque aëra fecit Nec tenues undas: ad publica munera veni.* Conf. Od. 2, 2, 22. — *erum*] Hoc voc. proprie ad mancipia refertur, hic ad fundum.

131-136. *aut nequities* cet.] „aut profusione aut lite aliqua, quam propter legum atque edictorum inscientiam perdet, nova possessione rursus expelletur." — *vafri inscitia iuris*] Sat. 2, 5, 34: *Ius anceps novi.* — *Nunc ager* cet.] Conf. Anthol. Palat. II. p. 27: *Ἀγρὸς Ἀχαιμενίδου γενόμην ποτέ, νῦν δὲ Μενίππου· Καὶ πάλιν ἐξ ἑτέρου βήσομαι εἰς ἕτερον. Καὶ γὰρ ἐκεῖνος ἔχειν μέ ποτ' ὤετο, καὶ πάλιν οὗτος Οἴεται· εἰμὶ δ' ὅλως οὐδενός, ἀλλὰ Τύχης.* — *Umbreni*] Homo diversus sane ab eo, quem memorat Sallustius Catil. 40. — *nulli proprius*] Cum vi repetit vocabulum v. 129 usurpatum. — *Dictus, erit* cet.] Quod ad lectionem et ad distinctionem pertinet secuti sumus codices antiquissimos: „In sempiternum nullius erit proprius." Contra Bentlei ratio ingratum in modum sententias discerpit; neque vero necessarius est praesens *cedit* propterea, quod, ut ait, dicendum fuisset: *Nunc huic, nunc alii;* est enim h. l. futurum infinitum: „quandocumque cedet." — *fortes*] „constantes atque strenui."

III. Haec satira colloquium continet poëtae cum Damasippo, ridiculo homine, qui cum per mercaturam rem familiarem consumpsisset, nihil iam aliud agebat, nisi ut Stoici barba et abolla superbiens circumforaneus philosophus ubique sectae suae formulas a Stertinio, importuno aretalogo, sibi

Membranam poscas, scriptorum quaeque retexens,
Iratus tibi, quod vini somnique benignus
Nil dignum sermone canas, quid fiet? At ipsis
Saturnalibus huc fugisti sobrius. Ergo 5

Goth., Monac., ceteri *Sic* (in eis etiam Bland. vetust.) — *scribes* Monac., Gothanus Oγ, Porphyr. cod. Monac., *scribis* ceteri cod. — 4. *At* Blandin. vetust., Gothanus, Leidensis pr., Lipsiensis, φψ, Bentl., L. Müller, Haupt, Vahlen. *Ab* Vossianus, Monacensis, Dessauiensis, Oγλν; Krüger, Holder et Keller. — 5. *fugisti sobrius. Ergo* Bentley prob. plerisque. *fugisti. Sobrius ergo* Orelli, Holder.

traditas decantaret. Hunc igitur Damasippum inducit poëta ipsis Saturnalibus in villam Sabinam irruentem et acerbissima sua vel potius Stertinii magistri oratione totum genus humanum, Stoicis sapientibus exceptis, stultitiae, atque adeo ex Stoicae philosophiae rationibus insaniae arguentem. ZELL ex HEINDORFIO. (Scripta esse videtur in villa Horatii Sabina mense Decembri a. u. 721.

1. *Si raro scribes--quid fiet?*] Haec Bentleiana lectio hoc commodi habet, quod amovetur licentia syll. *bis* pro longa usurpata. Nam nullas syllabas breves Horatius produxit nisi quae in *-t* exeunt, qua de re ad Od. 1, 13, 6 dictum est.

2-4. *Membranam*] „in quam ex tabellis cereis vel etiam palimpsesto transscribas scripta tua.“ — *retexens*] pr. „telam resolvens“, id est, „quae minus recte scripsisse tibi videris, delens ac denuo elimans.“ — *Iratus tibi* cet.] „tibimet ipsi succenses, quod nimis genio indulgens, potans atque in diem dormiens, nihil iam componas dignum, de quo homines loquantur (*οὐδὲν λόγου ἄξιον*).“ — *vini somnique benignus*] De genitivo compara similis notionis adiectivum *prodigus* Epist. 1, 7, 42. — *At ipsis*] „At, ut tu dicis, Saturnalibus ipsis huc fugisti, ut nunc saltem nescio quid perfecti elabores. Utique, sed nihil quod laudem mereatur, adhuc praestitisti.“ Altera lectio, optimis itidem codicibus firmata, *Ab ipsis* minime significat, ut nonnulli calumniati sunt: „inde ab ipsis Saturnalibus“, sed diceretur, ut *fugere a patria, ab hoste* pro his: *fugere patriam, hostem.*

5. *Saturnalibus*] Saturnalia, *Κρόνια*, celebrabantur a die XVI. Kal. Ian. (d. 17. m. Decembr.) usque ad XIV. Kal. Ian. in memoriam priscae hominum vitae, ubi omnes liberi, omnes inter se aequales fuerant; continuo igitur epulabantur, ludebant, dona sibi invicem mittebant, domini servis, quibus tunc libertas dicendi concessa erat (Sat. 2, 7, 4), ioci causa apparebant ad mensas. Lepide totum illud sollemne describit Lucianus in Saturnalibus 2: *πίνειν καὶ μεθύειν καὶ βοᾶν καὶ παίζειν καὶ κυβεύειν καὶ ἄρχοντας καθίστασθαι καὶ τοὺς οἰκέτας εὐωχεῖν καὶ γυμνὸν ᾄδειν καὶ κροτεῖν ὑποτέμνοντα --, ταῦτα ἐρεῖταί μοι ποιεῖν.* Quo de strepitu Seneca Epist. 18: *December est mensis, cum maxime civitas desudat. Ius luxuriae publice datum est. Ingenti apparatu sonant omnia.* Et Saturnalibus, Senecae certe temporibus, voluptatis causa, ut ait ibidem, togam exuebant. — *huc*] „in villam tuam Sabinam.“ — *sobrius* cet.] Hoc dicit: „Cum qui in urbe vivunt nunc luxurientur et plerumque ebrii sint, tu in hanc solitudinem sobrius fugisti“ cet.

Dic aliquid dignum promissis: incipe. Nil est.
Culpantur frustra calami, immeritusque laborat
Iratis natus paries dis atque poëtis.
Atqui voltus erat multa et praeclara minantis,
Si vacuum tepido cepisset villula tecto. 10
Quorsum pertinuit stipare Platona Menandro,
Eupolin, Archilochum, comites educere tantos?
Invidiam placare paras virtute relicta?
Contemnere, miser; vitanda est improba Siren

10. *lecto* Bentl. suspicio. — 12. *Archilocho* e cod. Regin. a sec. m. Bentl., ex aliis Fea. — 13. *paras* codices, *putas* Peerlkamp.

6-10. *dignum promissis*] A. P. 138: *Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu? — Nil est*] „Nihil profers; frustra a te exspectamus magni aliquid et praeclari.“ — *immeritusque* cet.] „Arguit eorum stultitiam, qui cum sententiarum aut verborum urgentur inopia, in (innocentes) parietes quasi minus commodos irascuntur.“ COMM. CRUQ. — *laborat*] quatenus poëta eum exsecratur, ut θεοχόλωτον, vel etiam pugnis caedit. Vid. ad Sat. 1, 10, 71. — *Iratis natus-dis*] Comicum est illud παρὰ προσδοκίαν *atque poëtis*. Ad v. *natus* conf. Od. 1, 27, 1. — *paries*] „ad quem acclinatus est lectulus tuus lucubratorius, in quo cum componis carmina, sed infelici cum successu, mala omnia imprecarius parieti, quasi huius esset culpa, si tibi res non procedit.“ — *minantis*] promittentis, (ut ὑπειλεῖν) de rebus maioribus. Ep. 1, 8, 3: *Si quaeret quid agam, dic multa et pulchra minantem Vivere nec recte nec suaviter*. — *Si*] h. l. de tempore, „ubi primum.“ — *vacuum*] „otiosum in hoc secessu.“ Conf. Od. 1, 32, 1. — *tepido tecto*] „Fuit Horatius frigoris impatiens (Ep. 1, 7, 10 sqq.); amavit enim focum luculentiorem; idcirco sub hiemem solebat se transferre in villam propter lignorum copiam.“ COMM. CRUQ. Bentleius malebat *lecto* lucubratorio; sed rectius sub *tectum* suum recipit villula dominum quam *lecto*.

11. 12. *Quorsum* cet.] „Quem ad finem, quo tandem consilio compegisti et in vehiculo artasti horum libros?“ Conf. Sat. 2, 2, 35. Iam, quibus maxime delectari solitus sit, nominat praeter Platonem, summum dialogi et Socraticae εἰρωνείας magistrum (*Socraticae chartae* A. P. 310), Archilochum, iambici carminis principem, poëtas priscae et novae comoediae. Alii *Platona* intelligunt poëtam comicum, Aristophanis aequalem. De Menandro conf. Ep. 2, 1, 57, de Eupoli Sat. 1, 4, 1, de Archilocho Epod. 6, 13. Ep. 1, 19, 28. Lectione *Archilocho* nimis paria fiunt membra, cum in nostra utrumque iam comitem Horatii factum videre nobis videamur. — *educere*] v. proprium de iis, quos nobiscum ex urbe rus ducimus. Cic. ad Q. Fr. 3, 3, 4: *Si nobiscum eum rus aliquo eduxerimus*. — *tantos*] „tam praestantes atque egregios.“

13-16. *Invidiam* cet.] „Credisne minus invidorum iniquorumque te habiturum, ubi virtutem, id est industriam, deserueris? Immo, et merito quidem, contemptui habebere.“ — *Siren*] „blanda (sed impudens) conciliatricula.“ (Cic. pro

Desidia, aut, quidquid vita meliore parasti, 15
Ponendum aequo animo.' Di te, Damasippe, deaeque
Verum ob consilium donent tonsore. Sed unde
Tam bene me nosti? 'Postquam omnis res mea Ianum
Ad medium tracta est, aliena negotia curo,
Excussus propriis. Olim nam quaerere amabam, 20
Quo vafer ille pedes lavisset Sisyphus aere,
Quid sculptum infabre, quid fusum durius esset;

Sestio 9, 21.) — *quidquid-parasti*] Intellige laudem et assensum bonorum hominum. — *meliore*] „magis industria. — *Ponendum aequo animo*] „missum faciendum est sine animi dolore; quod ipsum hominis est desidis ac vilis." — *Di* cet.] Pontificum formula est *di deaeque* vel *sive deus sive dea.* Catull. 28, 14: *At nobis mala multa di deaeque Dent.* — *Damasippe*] Licinius Damasippus tamquam statuarum et hortorum venditor memoratur iam a Cicerone ad Fam. 7, 23 ad Att. 12, 29 et 33.

17—20. *tonsore*] „qui immani barba te liberet;" quasi vero maius beneficium Damasippo vel di ipsi impertire non possent. Stoicorum praecipue et Cynicorum erat mos barbam, quo magis a popello suspicerentur, promittendi. Conf. v. 35 et Sat. 1, 3, 133. Gell. N. A. 9, 2, 1—4. — *Postquam* cet.] „Postquam aere alieno conflato fortunarum naufragium feci, *excussus*, a creditoribus eiectus, ex possessionibus meis, adeo ut nihil earum curandum mihi restet, nunc philosophus factus in aliorum negotia me ingero, identidem quaerens, quomodo eos a stultitia dehorter atque ad veram sapientiam perducam." — *Ianum Ad medium*] Cic. de Offic. 2, 90: *De quaerenda, de collocanda pecunia, vellem etiam de utenda, commodius a quibusdam optimis viris ad Ianum medium sedentibus quam ab ullis philosophis ulla in schola disputatur.* Iani dicebantur omnes *transitiones perviae* (Cic. N. D. 2, 27, 67), quorum tres commemorantur, summus, imus, medius. *Medium* tamen plerique de spatio inter *summum* et *imum* sive inter *superiorem* et *inferiorem* intelligunt. Cfr. ad Ep. 1, 1, 54. 20, 1. — *aliena* (ut nunc tua) *negotia curo*] *Περιεργίας καὶ πολυπραγμοσύνης* a plerisque insimulabantur huiusmodi Stoici et Cynici.

20-26. *Olim nam*] De particula *nam* a prima enuntiatonis sede remota conf. v. 41. Od. 1, 18, 3. Epod. 14, 6. 17, 45. — *quaerere amabam* cet.] „inquirere solebam in antiquitatem et artificium vasorum signorumque aereorum et marmoreorum eaque aestimare." — *vafer--Sisyphus*] Aeoli filius, conditor Corinthi. Il. Z 153: *Σίσυφος, ὃ κέρδιστος γένετ' ἀνδρῶν.* Cfr. Od. 2, 14, 20. Disquirebat igitur Damasippus, utrum *ποδανιπτῆρ* aliquis venalis ex eo aere fabricatus esset, ut ad antiquissima tempora, quin etiam ad ipsius Sisyphi usum, referri posset (qua re pollubri pretium in immensum augebatur) necne. Solebant enim talium rerum amatores gloriari se tabulas pictas, signa, vasa, partim summorum quorumque artificum, partim antiquissima, ut *catillum Euandri manibus tritum* (Sat. 1, 3, 90) domi habere. — *infabre*] „minus artificiose." Reperitur etiam apud Liv. 36, 40. Opponitur *affabre.* — *fusum durius*] „rigidius,

Callidus huic signo ponebam milia centum;
Hortos egregiasque domos mercarier unus
Cum lucro noram; unde frequentia Mercuriale 25
Imposuere mihi cognomen compita.' Novi,
Et miror morbi purgatum te illius. 'Atqui
Emovit veterem mire novus, ut solet, in cor
Traiecto lateris miseri capitisve dolore,
Ut lethargicus hic cum fit pugil et medicum urget.' 30
Dum ne quid simile huic, esto ut libet. 'O bone, ne te
Frustrere; insanis et tu stultique prope omnes,

ita ut capilli, tori, artus veram corporis humani naturam minus recte imitarentur." — *Callidus* cet.] Cic. Parad. 6, 3: *Isti callidi rerum aestimatores prata et areas quasdam magno aestimant.* „Artis peritus", inquit, „huic signo statuebam pretium centum milium sestertium, alii aliud; praeter ceteros item excellebam in amoenis hortis pulchrisque domibus emendis rursusque cum lucro vendendis, unde homines in compitis s. triviis, ubi et auctiones fiebant (Cic. de leg. agr. 1, 7) et omnino frequens erat hominum concursus (Sat. 1, 9, 59), per circulos congregati alterum Mercurium me praedicare soliti erant."

27. sq. *morbi purgatum*] In orat. soluta dicendum foret *morbo purgatum* s. liberatum; sed Graecam constructionem καθαρθῆναι τῆς νόσου h. l. praetulit. Cf. Od. 2, 9, 17. — *Atqui*] „Attamen mirum in modum novus morbus veterem illum mercandi mihi expulit, ei successit, ut pleuritis interdum transit in cardialgiam." — *novus*] Intelligit fervidum illud studium ex philosophia Stoica ortum, quo nunc aliena negotia curet.

28-31. *cor*] ut interdum καρδία, h. l. os ventriculi. Cfr. v. 161. — *Traiecto*] „proprie; ita enim medici dicunt." PORPH. (μεθίστασθαι, μετάστασις). — *miseri*] Quod Graeci τὸν πεπονθότα τόπον dicunt, Latini miserum locum, id est, morbo affectum. — *lateris--dolore*] Significat πλευρῖτιν. Sat. 1, 9, 32. — *hic*] „quem nosti." — *cum fit pugil* cet.] lethargo in phrenesin mutato. Lethargicus iste subita morbi traiectione (μεταστάσει) medicum, qui cum homine torpore oppresso se versari opinatus erat, improviso ut pugil aggreditur; comicum sane exemplum. Iam Horatius, „quidvis aliud", inquit, „tibi permittens, hoc unum deprecor, ne ut morbosus ille pugil medicum tu quoque me male mulcare incipias." — *Dum ne quid simile huic*] in me fiat, *esto* (tertiae personae), *ut libet.* — *O bone* cet.] Vides Horatium per totum hoc colloquium leni semper irrisione in Stoicum usum esse: hic vero ex Stoicorum istorum more serio, ut ipse saltem opinatur, sermone aggreditur Horatium. *O bone* autem familiaris potius quam ironica est allocutio; sic Graeci ὦ λῶστε, ὦ φέριστε. Cfr. Sat. 2, 6, 51.

31-40. *ne te Frustrere*] „Noli nimis praesenti tuo statu contentus te ipsum decipere, quasi vero iam perfectionem attigeris." — *stultique* cet.] Stulti et insani sunt Stoicis, quicunque ab eorum disciplina abhorrent. Cic. Parad. Stoic. 4: ὅτι πᾶς ἄφρων μαίνεται. — *prope omnes*] ἅπαντες, ὡς ἔπος εἰπεῖν.

Si quid Stertinius veri crepat, unde ego mira
Descripsi docilis praecepta haec, tempore quo me
Solatus iussit sapientem pascere barbam 35
Atque a Fabricio non tristem ponte reverti.
Nam male re gesta cum vellem mittere operto
Me capite in flumen, dexter stetit et, 'Cave faxis
Te quidquam indignum; pudor' inquit 'te malus angit,
Insanos qui inter vereare insanus haberi. 40
Primum nam inquiram, quid sit furere: hoc si erit in te
Solo, nil verbi, pereas quin fortiter, addam.
Quem mala stultitia et quemcumque inscitia veri
Caecum agit, insanum Chrysippi porticus et grex
Autumat. Haec populos, haec magnos formula reges 45

39. *angit* Blandinii, Monac., Gothanus Sbγ, *urget* Leidensis, Dessauiensis, Lipsiensis φψλ.

— *Stertinius*] Cfr. Ep. 1, 12, 20. — *crepat*] „identidem, et alta quidem voce, docere solet." — *unde* cet.] „ex iis, quae ab eo audivi, domum reversus, notavi diligenter haec egregia praecepta." — *sapientem-barbam*] „quae sapientiae speciem atque opinionem conciliat." Graecorum erat proverbium: ἐκ πώγωνος σοφός. Conf. v. 17. — *a Fabricio-ponte*] „Qui modo lapideus dicitur, pons Fabricius habet a conditore vocabulum, qui iungitur insulae Tiberinae." ACRON. — *male re gesta*] „male re familiari administrata, cum decoxissem." — *operto-capite*] Magno terrore metuve oblato vel morte proposita veteres caput velare solebant: velut Socrates (Platonis Phaedon. pg. 118), Decius, Caesar alii. Confer Plaut. Mostell. 424 *capite obvoluto ut fugiat* cum summo metu. Liv. 4, 12: *Multi ex plebe spe amissa, potius quam ut cruciarentur trahendo animam, capitibus obvolutis se in Tiberim praecipitaverunt.* — *dexter*] „propitius", velut θεὸς σωτήρ. Verg. Aen. 8, 302: *Et nos et tua dexter adi* (Hercules) *pede sacra secundo.* — *Cave*] „Notandum *VE* syllabam brevem, cum secundae est coniugationis, ut Persius (1, 108) *vide* brevem posuit." ACR. Conf. v. 177 Epod. 6, 11. Sat. 2, 5, 75. Ep. 1, 13, 19. — *pudor-malus*] „falsus", δυσωπία. — *angit*] ex bonis Codd. recepit Bentleius pro *urget*, quod verbi illius est glossema. — *insanus*] Cfr. v. 48.

41-50. *Primum nam*] Cfr. v. 20. — *nil verbi--addam*] „nullo verbo impediam", *quin* cet. Conf. Sat. 2, 2, 23. — *mala stultitia*] De brevi vocali ante litteras *st* non producta conf. ad Sat. 1, 2, 30. — *Chrysippi porticus*] στοὰ ποικίλη Athenis, in qua Zeno eiusque successores docuerunt. Conf. Sat. 1, 3, 127. — *grex*] Conf. Ep. 1, 4, 16. — *autumat*] ut in Pacuvii Duloreste (fr. IV Ri.): *Aut hic est aut hic affore actutum autumo:* „affirmat, dicit"; non: „opinatur, censet", ut interdum falso usurpant recentiores. Cfr. Gell. N. A. 15, 3, 4-6. — *formula*] pr. carmen legis, h. l. definitio, κανών, Huiusmodi autem definitiones per suc-

Excepto sapiente tenet. Nunc accipe, quare
Desipiant omnes aeque ac tu, qui tibi nomen
Insano posuere. Velut silvis, ubi passim
Palantis error certo de tramite pellit,
Ille sinistrorsum, hic dextrorsum abit, unus utrique 50
Error, sed variis illudit partibus; hoc te
Crede modo insanum, nihilo ut sapientior ille,
Qui te deridet, caudam trahat. Est genus unum
Stultitiae nihilum metuenda timentis, ut ignis,
Ut rupis fluviosque in campo obstare queratur; 55
Alterum et huic varum et nihilo sapientius ignis
Per medios fluviosque ruentis. Clamet amica
Mater, honesta soror cum cognatis, pater, uxor:
'Hic fossa est ingens, hic rupes maxima: serva!'
Non magis audierit quam Fufius ebrius olim, 60

50. *utrique* Blandinii, Lipsiensis, Dessauiensis, Gothanus bφψλ, *utrisque* Mγ, *utrisque* Lipsiens., Sb. — 56. *varum* Monacensis, Gothanus, Lipsiensis Obγφψλ, *varium* Dessauiensis, Leidensis S cum paucis.

cessorum scholas identidem repetitas paradoxis suis Stoici semper praemittere solebant. — *tenet*] „κατέχει, amplectitur." — *Insano*] Ut olim nominabatur *Mercurius*, sic nunc inops factus *insanus*. Cfr. v. 298. — *passim*] „huc et illuc, sine certo consilio." Ovid. Metam. 1, 57: *His* (ventis) *quoque non passim mundi fabricator habendum Aëra permisit.* — *Palantis*] Nec boves neque oves, sed manifesto homines per silvas iter facientes ac recta via deerrantes significantur, ut demonstrant vv. *Ille--hic.*

51-56. *variis-partibus*] „Uterque pariter errat, sed in eo dumtaxat discrepant, quod diversas in partes a recto tramite abeunt;" sine imagine: „diverso quidem modo, sed aeque errant stulti omnes." — *hoc te-modo*] Haec respondent illi *Velut* (v. 48). — *caudam trahat*] „Solent pueri petulantes nescientibus (maxime hominibus fatuis) a tergo caudam suspendere, ut velut pecus caudam trahant." PORPH. Conf. v. 299. — *nihilum*] Frequens apud Lucretium voc. in prosa or. tantummodo ut nomen substantivum usurpatur. — *ignis, -rupis fluviosque*] Locutio proverbialis, ut Sat. 1, 1, 39. Ep. 1, 1, 46. — *huic*] Constans Horatio discrepantiae dativus, ut Sat. 1, 4, 48. 1, 6, 92. Ep. 1, 18, 3. — *varum*] „contrarium, oppositum." „Pedes in diversum flexos habentes *varos* dicimus et distortas venas *varices*." ACR.

57—59. *amica Mater*] „Melius est sic accipi, ut sit ex Graeco tractum φίλη μήτηρ (Hom. Il. *A* 351. 572. 585), quam per se *amica*, per se deinde *mater*, quia mentionem uxoris facit in sequentibus." PORPH. — *serva*] Sic. Terent. Adelph. 172: *Em serva.*

60-62. *Fufius*] Histrio hic, quem Fufium Phocaeum vocat Porphy-

Cum Ilionam edormit Catienis mille ducentis
'Mater, te appello'' clamantibus. Huic ego volgus
Errori similem cunctum insanire docebo.
Insanit veteres statuas Damasippus emendo:
Integer est mentis Damasippi creditor? Esto 65
'Accipe quod numquam reddas mihi,' si tibi dicam,
Tune insanus eris, si acceperis? an magis excors

62. *volgus* Monacensis, Gothanus, *volgum* Lipsiensis OSbγφψ.

rio, cum Ilionam ab umbra Deiphili filii expergefaciendam ageret ebrius, re vera somno oppressus crapulam edormivit, ita ut Catienus, qui Deiphili partes agebat, eum expergefacere nequiret. — *edormit*] „pro praeterito accipi, non pro praesenti debet.“ PORPH. Minime vero. In oratione soluta dixisset „edormiret.“ — *mille ducentis*] „Si non unus dumtaxat histrio, sed sescenti, ut dicitur in prosa oratione, ita clamarent.“ — *Mater, te appello*] Argumentum tragoediae Pacuvianae sic enarrat Hyginus Fab. 109: „Priamo Polydorus filius ex Hecuba cum esset natus, Ilionae filiae suae dederunt eum educandum, quae Polymnestori, regi Thracum, erat nupta. Quem illa pro filio suo educavit. Deipylum autem, quem ex Polymnestore procreaverat, pro suo fratre educavit, ut si alteri eorum quid foret, parentibus praestaret. Sed cum Achivi Troia capta prolem Priami exstirpare vellent, - - ad Polymnestorem legatos miserunt, qui ei Agamemnonis filiam nomine Electram pollicerentur in coniugium et auri magnam copiam, si Polydorum, Priami filium, interfecisset. Polymnestor legatorum dicta non repudiavit Deipylumque, filium suum, imprudens occidit, arbitrans se Polydorum, filium Priami, interfecisse“ cet. Iam apud Pacuvium Deiphili umbra dormienti Ilionae cum apparet, his versulis eam alloquebatur (Cic. Tusc. 1, 106 = Pacuv. Ilion. fr. IV. pg. 100 Rib.): *Mater, te appello, tu quae curam somno suspensam levas, Neque te mei miseret: surge et sepeli natum!* Illa autem experrecta haec proloquebatur: *Age, asta, mane audi, iteradum eadem istaec mihi!* Cic. Acad. 2, 88.

62-65. *Huic* cet.] „Huic duplici quidem, sed aeque magno errori partim nihil metuenda reformidandi, partim vera pericula stulte contemnendi similem errorem errare, vel, ut h. l. est etiam efficacius, *insanire*, insano errori obnoxium esse, volgus docebo.“ Cfr. Ep. 1, 1, 101: *Insanire putas sollemnia me.* — *veteres*] Horatii tempore sculptores nihil fere novi inveniebant, sed eo contenti erant, ut antiquissima exemplaria quam accuratissime imitarentur. Quocirca fiebat, ut veterum artificum usque ad Alexandri M. aetatem opera ipsa in dies studiosius quaererentur. Sententia haec est: „Ex hominum volgarium errore sane insanit Damasippus, mentis compos est eius creditor. Esto hoc!“ id est: „Concedamus aliquantisper creditorem illum sapere; verum mox probabimus hunc ipsum magis etiam insanire quam Damasippum.“

67-70. *magis*] „potius.“ Sic *magis quam* pro frequentiore *potius quam* haud raro apud Livium. Cfr.

Reiecta praeda, quam praesens Mercurius fert?
Scribe decem a Nerio; non est satis: adde Cicutae
Nodosi tabulas centum, mille adde catenas: 70
Effugit tamen haec sceleratus vincula Proteus.
Cum rapies in ius malis ridentem alienis,
Fiet aper, modo avis, modo saxum et, cum volet, arbor.

72. *in ius* Blandinii, Monacensis, Lipsiensis, Goth. alii in correct. *in iura* Leidensis, Dessauiensis, OSb*γφψλν*.

Fabri ad Lib. 21, 5. — *Reiecta*] „repudiata.“ — *praesens*] „propitius.“ Conf. Sat. 2, 2, 41. — *Mercurius* omnis lucri dator, unde a Graecis vocatur *Ἑρμῆς ἐριούνιος, κερδῷος*. — *Scribe* cet.] Creditorem, id quod probe notandum est, non debitorem, his verbis alloquitur. „Cura scribendas tibi a debitore decem tabulas quales a *Nerio*, famoso illius temporis feneratore, morte coniugum locupletato (Schol. ad Pers. Sat. 2, 14), dictari solent debitoribus, plenae cautionum.“ — *a Nerio*] dictatas, ut Cic. ad Att. 16, 7, 7: *Antonii edictum legi a Bruto* (acceptum). Formula autem haec erat: *L. Titius scripsi me accepisse a P. Maevio quindecim mutua numerata mihi de domo* (id est, ex arca, non a mensa argentarii). — *Cicutae Nodosi*] Perillius (v. 75), cui propter asperitatem et amaritudinem cognomen erat *Cicutae*, fenerator cautior etiam Nerio, quapropter vocatur *nodosus*, „qui optime callet nodos et laqueos legum ac formularum iuris civilis.“ Iuven. 8, 50: *Qui iuris nodos et legum aenigmata solvat.* — *catenas*] Intellige de iisdem cautionibus iuris.

71. 72. *sceleratus*] propterea quod sescentis modis consultores eludebat. Petita est imago ex Hom. Od. *δ* 455 sq., ubi Menelaus Proteum vinculis iniectis vaticinari sibi cogit. Tota autem sententia haec est: „Ubi mutuam dabis debitori prorsus inopi simulque astutissimo pecuniam, nihil omnino tibi proderunt cautiones vel callidissime excogitatae; mille effugia et latibula inveniet ille: tu perdes rem tuam; adeoque insanisti, cum tali homini nummos credidisti.“ — *Cum rapies in ius*] Rapere in ius collo obtorto licebat in publicis viis debitorem, qui iudicium deserebat, cautionem datam subterfugiens. Cfr. Sat. 1, 9, 77. — *malis-alienis*] Manifesto petitum est ex Od. *v* 345: *μνηστῆρσι δὲ Παλλὰς Ἀθήνη Ἄσβεστον γέλω ὤρσε, παρέπλαγξεν δὲ νόημα. Οἱ δ' ἤδη γναθμοῖσι γελοίων ἀλλοτρίοισιν, - — ὅσσε δ' ἄρα σφέων Δακρυόφιν πίμπλαντο, γόον δ' ὠΐετο θυμός.* Verum Horatius diversam proverbio significationem tribuit; apud Homerum enim est: „*πρὸς βίαν*, inviti et a dea coacti ridebant proci, dum animis maerent.“ H. l. autem dictum est ut illud Ps.-Lys. in Epitaphio §. 24: *Καὶ τὰς μὲν ψυχὰς ἀλλοτρίας διὰ τὸν θάνατον κεκτῆσθαι κτλ.* Senecae Cons. ad Helv. 3: *veterani quamvis confossi patienter ac sine gemitu velut aliena corpora exsecari patiuntur;* Thucyd. 1, 70: *τοῖς μὲν σώμασιν ἀλλοτριωτάτοις ὑπὲρ τῆς πόλεως χρῶνται, τῇ γνώμῃ δὲ οἰκειοτάτῃ κτλ.* Itaque *malis ridere alienis* est „ita ridere, ac si quis ad ridendum uteretur bucca non sua, sed aliena;“ idque significat „effuse ridere“, propterea quod certo scit adversarium litem perditurum esse.

73-76. *Fiet aper* cet.] Vergilius Homerum imitatus Georg. 4, 407:

Si male rem gerere insani est, contra bene sani,
Putidius multo cerebrum est, mihi crede, Perelli, 75
Dictantis, quod tu numquam rescribere possis.
Audire atque togam iubeo componere, quisquis
Ambitione mala aut argenti pallet amore,
Quisquis luxuria tristive superstitione
Aut alio mentis morbo calet; huc propius me, 80
Dum doceo insanire omnis, vos ordine adite.
Danda est ellebori multo pars maxima avaris;

Fiet enim subito sus horridus atraque tigris Squamosusque draco et fulva cervice leaena. — Si male cet.] etiam apud Cic. Cat. mai. 22. *male rem gerere* dicuntur ii, qui patrimonium suum prodigunt. Cfr. v. 37. Iunge *bene gerere*, non *bene sani*. — *Putidius*] quam tuum. *Putidum* proprie est quidquid mali odoris est: apud Latinos usurpatur de rebus, quae alios quoque sensus, aures, oculos offendunt, non solum nares; deinde dicitur pro inepto, insulso, de hominibus ipsis et de dicendi genere. — *Perellius* est idem qui supra ridiculo cognomine dicitur *Cicuta*. — *Dictantis*] debitori cautionis formulam, „credentis." — *rescribere*] per argentarium debitum solvere, h. e. scriptum debiti liberare.

77-81. Hactenus Stertinius adhortatus erat unum Damasippum; iam incalescente oratione, ut solent ἀρετάλογοι, ad omnes mortales sese convertit. — *togam iubeo componere*] Togam decenter componunt in plicaturas discipuli, qui consident in subselliis vel cathedris, attentas aures magistro praebituri; item, qui oratorem, quem suspiciunt, ut attentos decet, audire volunt. Ita h. l. auditores ad statum habitumque rite compositum, quod attentionis signum sit, exhortatur Stoicus doctor inani fastu inflatus et elatus. — *pallet*] veluti propter morbum. Pers. 4, 47: *Viso si pallet, improbe, nummo. — omnes, vos ordine*] „Vos, qui variis vitiis laboratis, pro ipsa vestrorum vitiorum varietate certo quodam ordine huc adeste, ut unum post alterum ego castigem atque corrigam, omnes vitiosos insanos esse demonstrans."

82. 83. *Danda est* cet.] Iam quattuor vitia praecipua, in quae invehi solebant Stoici, castigat, avaritiam (vv. 82—159), ambitionem (vv. 160-223), luxuriam (vv. 224-280), superstitionem (vv. 281-295). — *ellebori*] Plaut. Mostell. 940: *Senex hic elleborosust certe.* Horat. epist. 2, 2, 133. Elleborum nigrum s. veratrum *medetur paralyticis insanientibus, hydropicis, dum citra febrim, podagris veteribus, articulariis morbis. Trahit alvum et bilem pituitasque.* Plin. H. N. 25, 5. — *multo-maxima*] „Etiam cum superlativis *multo* componere solent optimi scriptores, quemadmodum *longe* dicunt." HAND Turs. III. p. 664. — *Nescio an-destinet*] i. e. paene dixerim: omnem destinat. Conf. ad Od. 2, 4, 13. — *Anticyram--omnem*] „helleborum omnem, quem profert Anticyra Phocensis." Strabo 9, 3: Ἀντίκιρρα, ὁμώνυμος τῇ κατὰ τὸν Μαλιακὸν κόλπον καὶ τὴν Οἴτην. Καὶ δή φασιν ἐκεῖ τὸν ἐλλέβορον φύεσθαι τὸν ἀστεῖον, ἐνταῦθα δὲ σκευάζεσθαι βέλτιον κτλ. Accentum secuti iam Graeci interdum (Plut. de cohib. ira 13), Latini,

Nescio an Anticyram ratio illis destinet omnem.
Heredes Staberi summam incidere sepulcro:
Ni sic fecissent, gladiatorum dare centum 85
Damnati populo paria atque epulum arbitrio Arri,
Frumenti quantum metit Africa. 'Sive ego prave,
Seu recte hoc volui, ne sis patruus mihi.' Credo
Hoc Staberi prudentem animum vidisse. 'Quid ergo
Sensit, cum summam patrimoni insculpere saxo 90
Heredes voluit?' Quoad vixit, credidit ingens
Pauperiem vitium et cavit nihil acrius, ut, si

85. Fort. *Sic nisi.* — 86. *Arri et* Bentl. coni.

quod sciam, omnes pronuntiabant *Ἀντίκυρα, Anticyra* penult. brevi. Conf. A. P. 300: *tribus Anticyris caput insanabile.* — *ratio*] „vera sapientia, medicae munere fungens."

81-87. *Staberi*] De Staberio nihil, quod non in ipsis Horatii verbis insit, Scholiastae narrant. — *summam* i. e. patrimonii, ut v. 90. — *summam incidere sepulcro*] Conf. v. 90. Sic in sepulcro Trimalchionis apud Petron. 71: *EX PARVO CREVIT. SESTERTIVM RELIQVIT TRECENTIES.* — *Ni sic fecissent* cet.] Huiuscemodi multarum irrogationes haud raro in sepulcrorum titulis reperiuntur his et similibus formulis conceptae: *SI QVIS HOC SEPVLCRVM VEL MONUMENTVM CVM AEDIFICIO VNIVERSO VENDERE VEL DONARE VOLVERIT DARE DAMNAS ESTO AERARIO POPVLI ROMANI HS. L. M. N. ITEM V. V.* (*Virginibus Vestalibus*) *HS. L. M. N.* (Inscript. Orell. Lat. T. II. p. 290.) Hinc apud Horatium *damnati*, „obligati." Confer Th. Mommsen in Hermae vol. XIII. pg. 120. *centum--paria*] qui erat numerus immanis. — *epulum arbitrio Arri*] populo dandum. Q. Arrius, Ciceronis familiaris, celebratissimum epulum funebre in honorem patris populo dedit circa a. 695. Cic. in Vatin. 12 sq.; cuius filii ut prodigi carpuntur v. 243. Gladiatoribus et epulo accedere debebat etiam frumentatio immensa. Ceterum Bentl. ut tertium membrum duobus prioribus recte adiunguntur scripsit *Arri et.* — *quantum metit Africa*] Est quasi proverbium. Od. 1, 1, 10: *Quidquid de Libycis verritur areis.*

87-94. *Sive--mihi*] Haec a Staberio dici potuisse fingit heredibus tali testamento haud nimis contentis: „Sic volo, sic iubeo; vos, heredes, nolite me reprehendere aut obiurgare, ut solent patrui fratrum liberos asperius tractare quam patres ipsi." — *ne sis patruus mihi*] Cfr. Od. 3, 12, 3. Sat. 2, 2, 97: *Iratum patruum.* — *Credo* cet.] „Staberium hoc in testamento statuisse credo non temere, sed prudenter atque consulto, ut quid de divitiis, bonorum fine, in vita sensisset, etiam posteritati declararet et, ut opinabatur, propter divitias immortalem gloriam sibi pararet." — *Quid ergo Sensit*] „Quae ergo ratio eum induxit? — *Quoad*] monosyllabum, ut apud Lucret. 5, 1213. 1433; *prout* Sat. 2, 6, 67; *deinde* semper apud Hor. bisylla-

Forte minus locuples uno quadrante perisset,
Ipse videretur sibi nequior: omnis enim res,
Virtus, fama, decus, divina humanaque pulchris 95
Divitiis parent; quas qui construxerit, ille
Clarus erit, fortis, iustus. 'Sapiensne?' Etiam, et rex
Et quidquid volet. Hoc, veluti virtute paratum,
Speravit magnae laudi fore. Quid simile isti
Graecus Aristippus, qui servos proicere aurum 100
In media iussit Libya, quia tardius irent
Propter onus segnes. Uter est insanior horum?
Nil agit exemplum, litem quod lite resolvit.
Si quis emat citharas, emptas comportet in unum,
Nec studio citharae nec Musae deditus ulli; 105

93. *perisset* tres Blandinii, Leidensis, Dessauiensis, bφψλ, prob. Bentl., rec. L. Müller, Haupt, Vahlen, *periret* Argentor., Monacensis, Lipsiensis, Gothanus, OSγν, editiones ante Bentl. pleraeque, Holder et Keller. — 96. *construxerit* unus Bland. (qui quin sit vetust. vix dubium est), Argent., Lips., Goth., Monac. Sγ, *contraxerit* tres Bland., Dessauiensis, Leidensis bφψλν.

bum: Sat. 1, 5, 37. 119. 2, 8, 85 ut *deinceps* Sat. 2, 8, 80. — *perisset*] „Substituebant, credo, *periret* quia utrumque verbum, et *periret* et *videretur*, eodem tempore efferendum esse putabant." BENTL. Accuratius est plusquamperfectum, cum haec actio alteram praecedat necesse sit, ut Terent. Phorm. 119: *Non, si redisset, et pater veniam daret? — Ipse videretur sibi nequior*] scilicet *quia tanti, quantum habeas, sis.* Sat. 1, 1, 62.

94—97. *omnis - - parent*] Haec omnia a Stertinio κατ' εἰρωνείαν ex sententia maioris hominum partis dicuntur. Ep. 1, 1, 53: *quaerenda pecunia primum est, Virtus post nummos.* Conf. Ep. 1, 6, 36 sqq. — *construxerit*] „ut struem coacervarit;" sic Sat. 1, 1, 44: *constructus acervus.* Cic. de lege agr. 1, 5, 14: *constructam et coacervatam pecuniam.* — *Sapiensne?*] Noli cum nonnullis hoc tribuere Horatio; Stertinius enim ex Stoicorum more se ipse interrogat. — *Etiam*] Supple „sapiens", unde oritur affirmativa significatio „Sane."

100-103. *Aristippus*] Vid. ad Ep. 1, 1, 18. — *qui servos* cet.] Rem narrat etiam Diogenes Laërt. 2, 77, sed aliquanto minus splendide: *Τοῦ θεράποντος ἐν ὁδῷ βαστάζοντος ἀργύριον καὶ βαρυνομένου - - Ἀπόχεε, ἔφη, τὸ πλέον καὶ ὅσον δύνασαι βάσταζε.* — *Nil agit* cet.] „Rem, de qua lis est, itaque dubiam non licet ex logicorum praeceptis alia re item dubia solvere, quia dubia certis tantum dirimuntur."

104-121. *Si quis emat* cet.] Etiam hoc mirum sane exemplum ex Stoicorum officina videtur depromptum. Arrian. Epict. 4, 8, 16: *Οὐδεὶς ἐρεῖ, Ἐγὼ μουσικός εἰμι, ἂν πλῆκτρον καὶ κιθάραν ἀγοράσῃ.* Cfr. Dio Chrys. Or. 10 p. 302 R. — *emptas*] Non est simpliciter „easque", sed: „statim, postquam eas emerit;" Verg. Aen. 6, 420: *of-*

Si scalpra et formas non sutor, nautica vela
Aversus mercaturis, delirus et amens
Undique dicatur merito. Quî discrepat istis,
Qui nummos aurumque recondit nescius uti
Compositis metuensque velut contingere sacrum? 110
Si quis ad ingentem frumenti semper acervum
Porrectus vigilet cum longo fuste, neque illinc
Audeat esuriens dominus contingere granum,
Ac potius foliis parcus vescatur amaris;
Si positis intus Chii veterisque Falerni 115
Mille cadis, nihil est, ter centum milibus, acre
Potet acetum; age, si et stramentis incubet, unde
Octoginta annos natus, cui stragula vestis,
Blattarum ac tinearum epulae, putrescat in arca:
Nimirum insanus paucis videatur, eo quod 120
Maxima pars hominum morbo iactatur eodem.
Filius aut etiam haec libertus ut ebibat heres,
Dis inimice senex, custodis? Ne tibi desit?
Quantulum enim summae curtabit quisque dierum,

fam Obicit; ille - - Corripit obiectam. Frequenter hanc epiplocen usurpavit Ovidius. Metam. 9, 74: (Hydram) *domui domitamque peregi.* Etiam in prosa or. Liv. 1, 5: *latrones - - Remum cepisse, captum regi Aemulio tradidisse.* — *non sutor*] „qui non sutor est.“ — *mercaturis*] dativus, ut Od. 2, 4, 19: *lucro aversam.* — *Undique*] in prosa or. „ab omnibus.“ — *metuensque v. c. sacrum*] Sat. 1, 1, 71: *tamquam parcere sacris.* — *Porrectus*] Hic et alibi Bentleius sine causa scripsit *proiectus.* — *foliis - - amaris*] ut cichorii, intubi. — *positis intus*] „domi conditis, (in apotheca) asservatis.“ Cfr. v. 142. — *Chii-Falerni*] Conf. Sat. 1, 10, 24. — *nihil est*] „quid dico?“ non satis est dixisse *mille.*“ — *stramentis*] quae iumentis substerni solent. — *unde - Octoginta*] De verbo inter duos versus diviso conf. Sat. 1, 3, 62. — *stragula vestis*] „tapetes cum variis ornamentis intextis.“ — *Blattarum ac tinearum epulae*] Cfr. Ep. 1, 20, 12. Martial. 6, 60, 7: *Quam multi tineas pascunt blattasque diserti!* — *Nimirum*] Vid. ad Ep. 1, 9, 1. — *iactatur*] Motus febricitantium violenti significantur. *Iactari* enim verbum proprium est de febri, de furore. Ovid. Trist. 4, 3, 26: *Fessaque iactati corporis ossa dolent.* Apul. Metam. 9, 3: *iugi furore iactari.*

122-132. *Dis inimice*] θεοῖς ἐχθρέ, „cui omnes di irati sunt.“ — *Ne tibi desit?*] „Ideone custodis, ne forte tibi desit? Minime vero tibi deesse poterit; quantulum“ cet. (*desit* absolute vel impersonaliter, ut Terent. Adelph. 881: *Deerit: id mea minime refert, qui sum natu maximus)* — *curtabit*] „absumet.“ — *Ungere - caulis oleo meliore*] Conf. Sat. 2, 2, 59 sqq. —

Ungere si caulis oleo meliore caputque 125
Coeperis impexa foedum porrigine? Quare,
Si quidvis satis est, periuras, surripis, aufers
Undique? Tun sanus? Populum si caedere saxis
Incipias servosve tuos, quos aere pararis,
Insanum te omnes pueri clamentque puellae: 130
Cum laqueo uxorem interimis matremque veneno,
Incolumi capite es? Quid enim? Neque tu hoc facis Argis,
Nec ferro ut demens genetricem occidis Orestes.

128. *tun sanus* Monac., Gothanus, Lipsiensis, Oγψ, *tunc sanus* Argorat., *tu insanus* Dessauiensis, Leidensis *φψλν*. — 129. *servosve tuos* codices plerique omnes, *tuo* Gothanus, pauci Feae cod., Bentley (Tan. Fabri coniecturam secutus), Haupt 1, 2, 3. — 132. *quidni? neque enim hoc facis* Bentleius; *quidni* e quattuor Codd. Pulmanni, *neque enim hoc facis* ex coni. Lambini, *neque hoc* S. *non hoc* b. — 133. *occidis* cod. plerique, *occidit* Leidensis, Lipsiensis, Dessauiensis, Scorr.

impexa] „pectendo non repurgata.“ — *porrigine*] „furfuribus“, *πιτυριάσει*. Celsus 6, 2: *Porrigo est, ubi inter pilos quaedam quasi squamulae surgunt eaeque a cute resolvuntur; et interdum madent, multo saepius siccae sunt.--Fereque id in capillo fit, rarius in barba, aliquando etiam in supercilio.--Commodius est subinde pectendo repurgare* (unde h. l. *impexa) quam id ex toto prohibere.* — *periuras*] in soluta or. molliore pronuntiatione *peierare.* — *surripis, aufers*] illud clanculum, hoc vi. — *caedere*] „graviter volnerare, nonnullos fortasse etiam occidere.“ — *servos-tuos, quos aere pararis*] *ἀργυρωνήτους, χρυσωνήτους*. Sallust. Iug. 31: *servi aere parati.* Qui *tuo* correxerunt, inconcinnitatem quandam in lectione volgata odorati sunt. „Si enim“, inquit Bentleius, „semel *tuos* dixeris, nihil attinet illa adicere *quos aere pararis*, ut ne addam *servos tuos quos κακοφωνίᾳ* sua aures offendere et volnerare.“ Sed sententia satis concinna haec est: „servos tuos, quos tamen proprio aere pararis, adeo ut lapidum iactu eos caedendo tibimet ipsi maximum damnum inferas, unde augetur manifesta insaniae species.“ — *pueri-puellae*] Conf. Sat. 1, 1, 85. — *clamentque*] De transposita particula *que* vid. ad Od. 1, 30, 6. — *Incolumi capite es*] ex opinione volgi.

132-134. *Quid enim?*] „dicendum est?“ Idem prope ac *quidni? quippini?* Cf. ad Sat. 1, 1, 7. Ceterum ridicula est et malitiosa quaedam quasi excusatio illius, qui uxoris cervices laqueo fregerat matrique venenum miscuerat, quasi diceret Stertinius: „Sane poteris mihi obicere: Ego solita et nunc frequentia haec facinora cum feci, minime aequiparandus sum tragico illi Oresti, qui ferro, non, ut apud nos fit, laqueo aut veneno, Clytaemnestram occidit, neque Argis, urbe a tragicis identidem memorata et, si ita dicere licet, poëtica, sed in media urbe Roma, veneficis referta, non insanus ut ille, sed certam post deliberationem matrem a medio sustuli.“ — *demens*] „ut tradunt poëtae, post scelus perpetra-

An tu reris eum occisa insanisse parente,
Ac non ante malis dementem actum Furiis, quam 135
In matris iugulo ferrum tepefecit acutum?
Quin, ex quo est habitus male tutae mentis Orestes.
Nil sane fecit, quod tu reprehendere possis:
Non Pyladen ferro violare aususve sororem
Electram, tantum maledicit utrique vocando 140
Hanc Furiam, hunc aliud, iussit quod splendida bilis.
Pauper Opimius argenti positi intus et auri,
Qui Veientanum festis potare diebus
Campana solitus trulla vappamque profestis,
Quondam lethargo grandi est oppressus, ut heres 145
Iam circum loculos et clavis laetus ovansque

137. *tutae*] *mutae* N. Heinsius. — 139. *sororem est* Bentl. ex optimo Pulmanni libro et Regio, rec. Meineke, Haupt (1, 2, 3), *sororem* ceteri libri et ed.

tum mente captus." — *An tu reris* cet.] „Ille quoque, pergit Stertinius, iam ante Clytaemnestram occisam insanus fuit aeque ac tu." De verbo *reri* cfr. Sat. 1, 9, 49.

135—144. *malis*] Hic et sequens versus soni sunt prorsus heroici. — *ferrum tepefecit acutum*] Verg. Aen. 9, 418: *hasta--traiecto-haesit tepefacta cerebro.* — *male tutae mentis*] insanus. „Immo postea sanioris prope mentis fuit Orestes quam in illo puncto temporis, quo matrem trucidavit. Etenim in eo dumtaxat deliquit aliquantulum, quod interdum sorori atque amico male dixit." Sic apud Euripidem (Or. 264) sororem appellat Furiam: *Μέθες· μί' οὖσα τῶν ἐμῶν Ἐρινύων, Μέσον μ' ὀχμάζεις, ὡς βάλῃς ἐς Τάρταρον.* Pyladi quidem in illa tragoedia non maledicit. — *splendida bilis*] Pers. Sat. 3, 8: *turgescit vitrea bilis.* Bili morbose condensatae et propterea asphalti specie splendescenti a medicis tribuebatur *μελαγχολία.* — *Pauper Opimius* cet.] „Homo ignotus, qui quamvis abundaret auro et argento domi in arca condito, tamen revera *pauper argenti et auri* (Cfr. Sat. 1, 1, 79) erat, quoniam divitiis suis ita parcebat (Od. 3, 16, 28: *Magnas inter opes inops*), ut *Veientanum rubellum* (Pers. 5, 147. Martial. 1, 103, 9), vinum acidum, quale provenire solebat Veiis" (etiamnunc vina Romana vilioribus adnumerantur), „festis diebus, profestis vappam, vinum prorsus corruptum vel multa aqua dilutum biberet ac trulla (vase, quo vinum e cratere in pocula infundebatur) uteretur, non argentea nec murrhina (ut solebant ditiores), sed tantum fictili, quales conficiebantur in Campania." (Sat. 1, 6, 118) Cic. Parad. 6, 3: *Improbi et avari--non modo non copiosi ac divites, sed etiam inopes ac pauperes existimandi sunt.* — *positi intus*] Cfr. v. 115.

145-156. *lethargo grandi*] „gravi, profundo veterno." — *ovans*] Ut *triumphare* dicuntur, qui magno gaudio exsultant, sic etiam *ovare*, vel animalia. Valer. Flac. 5, 67: *Ac velut ille, gregis cui cessit regia,*

Curreret. Hunc medicus multum celer atque fidelis
Excitat hoc pacto: mensam poni iubet atque
Effundi saccos nummorum, accedere pluris
Ad numerandum; hominem sic erigit; addit et illud: 150
'Ni tua costodis, avidus iam haec auferet heres.'
'Men vivo?' 'Ut vivas igitur, vigila: hoc age.' 'Quid vis?'
'Deficient inopem venae te, ni cibus atque
Ingens accedit stomacho fultura ruenti.
Tu cessas? Agedum, sume hoc ptisanarium oryzae.' 155
'Quanti emptae?' 'Parvo.' 'Quanti ergo?' 'Octussibus.'
'Eheu!
Quid refert, morbo an furtis pereamque rapinis?'

154. *accedit* cod. plerique et ed. post Bentl. fere omnes, *accedat* Argentoratensis S*λυψ*corr.

taurus Fertur ovans. — *multum celer*] „multa animi praesentia praeditus." De adverbio *multum* vid. ad Sat. 1, 3, 57, — *avidus - - heres*] Od. 4, 7, 19: *manus avidas-heredis.* — *hoc age*] In auspiciis et sacrificiis incipiendis *hoc age* a praecone inclamabatur, quo omnes essent intenti rei divinae neque quidquam aliud mentibus agitarent. — *Quid vis?*] Opimii sunt verba. — *inopem*] „extenuatum, viribus corporis privatum." — *venae*] „quae corpus sanguine alunt viresque reficiunt, iam sanguine exhaurientur." — *Ingens*] Ingens fultura propterea requirebatur, quod ille prorsus exhaustus erat. Stomachus autem cum aedificio comparatur, quod ne corruat, fulcris ac solido fundamento inniti debet: sic ille copiosis alimentis. Plaut. Curc. 366: *pernam, sumen, glandium: Haec sunt ventris stabilimenta, pane et assa bubula.* Seneca Epist. 95: *vino fulcire venas cadentes.* — *ptisanarium*] *πτισάνη*, a verbo *πτίσσω*, pinso, „sorbitio ex aqua fervente et hordeo plerumque, hic oryza, confecta." Ad formam deminutivam *ptisanarium* cfr. Mnesimachum in Meinekii Fr. Com. III. p. 568: *τοὺς μὲν ἰχθῦς μοι κάλει Ἰχθύδιον· ὄψον δ' ἂν λέγῃς ἕτερον, κάλει Ὀψάριον.* Idem iocus hic quoque obtinet. Consulto enim utitur deminutivo *ptisanarium*, ne nimis perterrefaciat avarum aegrotantem. Oryza autem tunc nondum in Italia colebatur, sed ex Aegypto plerumque ad usus medicos advehebatur. Inter ea alimenta enumeratur a Celso 2, 20, quae boni succi sunt. — *Octussibus*] In hoc plurali iniuria haesisse Lambinum Bentleius docuit collato Festo in voce *Peculatus: Postquam aere signato uti coepit P. R., Tarpeia lege cautum est, ut bos centussibus, ovis decussibus aestimaretur.*

157. *Quid refert*] In pedestri oratione: „Quid refert, morbone peream, an furtis rapinisque?" Furti autem et rapinae avarus iratus (sane *καθ' ὑπερβολήν*) insimulat non heredes, sed mercatorem, qui oryzam nimio vendat, et medicum, qui tam cara medicamenta praescribat.

'Quisnam igitur sanus?' Qui non stultus. 'Quid avarus?'
Stultus et insanus. Quid, si quis non sit avarus,
Continuo sanus?' Minime. 'Cur, Stoice?' Dicam. 160
'Non est cardiacus' — Craterum dixisse putato —
'Hic aeger.' Recte est igitur surgetque? Negabit,
Quod latus aut renes morbo temptentur acuto.
Non est periurus neque sordidus; immolet aequis
Hic porcum Laribus: verum ambitiosus et audax; 165

163. *aut* codices plerique, etiam Prisciani (VI 30), *et* Gothanus Scorr. *v*, *temptentur* Blandinii, Argentorat., Leidensis, Lipsiensis OSbcγφψλ, Holder, Vahlen, *temptantur* (vel *tentantur*) Dessauiensis, Gothanus, Prisciani codices, Bentl., Orelli. Totum versum uncinis inclusit probante L. Müllero M. Haupt, uncinos sustulit Vahlen in quarta ed.

158-163. *Quisnam* cet.] „Omnis, qui non est stultus, sanus. Avarus autem non stultus solum, verum etiam insanus. Nec tamen ex eo, quod quis non sit avarus, continuo colligi potest eum sanum atque integrae mentis esse. Aliis enim vitiis idem fortasse deturpatur, quae quo minus eum pro sano habeamus vetant. Ab omnibus ergo vitiis liber sit oportet, quem nos Stoici sanum vocamus." — *Cur, Stoice?*] Se ipse interrogat Stertinius. In prosa oratione: „Cur, ex mea disciplina Stoica dicam." Sic crebro in Arriani Epicteto, ut 2, 20, 22: *τί λέγεις, φιλόσοφε*; ibid. §. 24: *Εὖ, φιλόσοφε.* — *cardiacus*] *Καρδία* non solum cor, sed etiam os ventriculi significat; qui huius infirmitate laborat, vocatur *καρδιακός*. Cels. 3, 19: *His morbis* (variis insaniae generibus) *praecipue contrarium est id genus, quod καρδιακόν a Graecis nominatur.* Cfr. v. 28. — *Craterum*] illustrem illorum temporum medicum, quo iam Atticus usus erat. Cic. ad Att. 12, 13, 1. 12, 14, 4. — *recte est*] Cic. ad Att. 1, 7: *Apud matrem recte est.* Cfr. Sat. 2, 2, 106. — *Quod latus* cet.] Idem versiculus est Ep. 1, 6, 28. De laterum dolore cfr. Sat. 1, 9, 32. — *temptantur*] „laborant aut pleuritide aut renum morbo, ut nos ipsi videmus." Coniunctivus *temptentur* significaret hanc rationem a Cratero afferri, id quod minus aptum est. — *acuto*] *ὀξείᾳ νόσῳ.* Cels. 3, 1: *Quidam* (morbi) *breves acutique sunt, qui cito vel tollunt hominem vel ipsi cito finiuntur; quidam longi, sub quibus neque sanitas in propinquo neque exitium est.*

164-166. *Non est* cet.] „Concedo aliquem sceleribus non coopertum, non periurum esse neque adeo sordidum, ut propterea fidem laedat ac furetur, concedo eum idcirco *Laribus aequis*, id est, non iratis, porco facere posse (cfr. Od. 3, 23, 4): at eundem, si sit ambitiosus et, quo ambitioni satisfaciat, audacter multa moliatur, a quibus abstineat homo modestus, insanum esse censeo, ac propterea ei praecipiam, ut Anticyram naviget." — *immolet --porcum*] Non loquitur de sacrificio expiatorio, sed de quovis vel menstruo vel anniversario, a quibus mente capti arcebantur. — *Naviget Anticyram*] „ad elleborum sumendum." Cels. 3, 18: *In tristitia* (melancholia) *nigrum veratrum deiectionis causa, in hilaritate*

Naviget Anticyram. Quod enim differt, barathrone
Dones quidquid habes, an numquam utare paratis?
Servius Oppidius Canusi duo praedia, dives
Antiquo censu, gnatis divisse duobus
Fertur et hoc moriens pueris dixisse vocatis 170
Ad lectum 'Postquam te talos, Aule, nucesque
Ferre sinu laxo, donare et ludere vidi,
Te, Tiberi, numerare, cavis abscondere tristem,
Extimui, ne vos ageret vesania discors,
Tu Nomentanum, tu ne sequerere Cicutam. 175
Quare per divos oratus uterque penatis,
Tu cave ne minuas, tu ne maius facias id,
Quod satis esse putat pater et natura coërcet.

166. *barathrone* cod. fere omnes, nisi quod pauci pro priore *r* scribunt l, alii alterum *r* omittunt; *balatrône* Bentl. ex cod. Reginensi et Galeano, idem tamen praefert *balatroni* quod duo Bersmanni cod. habent. — 170. *hoc* codices fere omnes et ed. post Bentl., *haec* perpauci.

(cum risu desipientium) *album ad vomitum excitandum dari debet.* Conf. v. 82 sq.

166-169. *Quid enim differt* cet.] „Nihil enim differt ad insaniam. in utram partem aliquis modum excedat; aeque insanus est qui rem profundit atque qui opibus suis numquam utitur.“ Ambitione et temeritate, quae vitia superiore versu tetigerat, relictis per proximos duodecim versus Oppidii verbis a prodigentia aeque dehortatur atque ab avaritia; tum (v. 179) eodem Oppidio duce redit ad ambitionem castigandam. — *barathrone*] „profundae ac taetrae voragini, in quam quae deiciuntur in perpetuum evanescunt, — *Ser. Oppidius*] eques Ro. videtur fuisse, cuius ultimae exhortationes, quibus filios a vita perversa revocare conatus erat, Horatio, eius vicino, et fortasse ex Horatii narratione iam pluribus innotuerant. Talibus autem narratiunculis Stoici exhilarare tristiores suas disputationes solebant. — *Canusi*] Conf. Sat. 1, 5, 91. — *Antiquo censu*] „iam pater maioresque eius ex censu publico divites habebantur.“ — *divisse*] populari licentia pro *divisisse.* Vid. ad Sat. 1, 9, 73.

172-178. *sinu laxo*] „Nucibus cum ludere vellet Aulus, eas ferebat, sinu laxo s. *soluto*, ut ait Sen. de Benef. 4, 24, ex quo facile excidere poterant, quod ipsum negligentiae signum erat, nimiumque facilis erat in donando eas collusoribus.“ — *donare - ludere*] sc. „iis“, quo ludo amitti poterant. — *abscondere tristem*] „severo voltu in locis *cavis.*“ — *Nomentanum*] prodigum ac luxuriosum. Sat. 1, 1, 102. — *Cicutam*] Conf. v. 69. — *per divos--penatis*] Ep. 1, 7, 94: *per Genium dextramque deosque Penates.* — *natura coërcet*] „certis finibus circumscribit; iudicat, vobis et iustum esse et sufficere.“

Praeterea ne vos titillet gloria, iure
Iurando obstringam ambo: uter aedilis fueritve · 180
Vestrum praetor, is intestabilis et sacer esto.
In cicere atque faba bona tu perdasque lupinis,
Latus ut in circo spatiere et aëneus ut stes,
Nudus agris, nudus nummis, insane, paternis?
Scilicet ut plausus, quos fert Agrippa, feras tu, 185

183. *et aëneus* Leidensis (et Colbertinus Bentlei) *φψλ*, editiones post Bentleium paene omnes , *aut aeneus* codicum maior pars.

181. *intestabilis*] proprie „cui propter delicta (*carmen malum* Sat. 2, 1, 82) vel prodigalitatem interdictum est iure testimonium dicendi apud iudices, testamenti etiam faciendi et testamento quidquam ab alio accipiendi.“ Iam cum pater filium proprio sensu intestabilem esse iubere non posset (etenim hoc lege fieri debebat), apparet hic ex sermonis quotidiani consuetudine significare „hominem propter improbitatem detestabilem“, velut Sallust. Iug. 67: *improbus intestabilisque* (adde Fragm. Or. Lep. 1: *peior atque intestabilior*). — *sacer*] pr. „qui leges sacratas, quibus innitebantur plebis iura, violarat, is plebiscito in comitiis tributis rogato sacer dis inferis iudicabatur.“ Festus p. 318. Müll.: „Homo sacer is est, quem populus iudicavit ob maleficium; neque fas est eum immolari, sed qui occidit, parricidii non damnatur; nam lege tribunicia prima cavetur: *SI QUIS EUM, QUI EO PLEBEI SCITO SACER SIT, OCCIDERIT, PARRICIDA NE SIT.* Ex quo quivis homo malus atque improbus *sacer* appellari solet.“ — Ceterum de metro huius versus haec Lachmannus ad Lucret. 6, 1067: ‘versus hexametros non legitime incisos in poesi Latina paucis Ennianis exceptis hos solos cognovi: Horatii duos cet. (praeter hunc A. P. 263.)’

182-186. *In cicere*] Ludos significat, quorum editio propter gladiatores exhibendos, forum statuis, circum tensis ornandum, maiores utique impensas aedilibus ac praetoribus contrahebat, quam quod cum iis coniunctum erat, ut infimae plebeculae distribueretur, faba, lupini. Sed consulto veluti contemptim loquitur de eiusmodi ludis, ut Persius 5, 177: *Vigila, et cicer ingere large Rixanti populo, nostra ut Floralia possint Aprici meminisse senes.* — *Latus*] „cubitis late distenta toga“, ut Epod. 4, 8: *Cum bis trium ulnarum toga.* „Ut *sublimis incedere* pro fastuose et magnifice saepius occurrit, ita eodem sensu et pari metaphora *latus incedere* vel *spatiari* dictum esse videatur.“ BENTL. Ovid. Her. 9, 127: *Ingreditur late lato spectabilis auro.* — *et aëneus*] „Necessaria est haec emendatio (*et* pro *aut*): nusquam enim *aeneus* trisyllabon apud veteres poëtas invenias (nisi forte ubi prave ediderunt pro *aereus*), sed ubique aut *aëneus* aut *aënus*,“ BENTL. — *ut stes*] „ut tibi decernatur statua aerea; sed hac gloriola abreptus interea rem tuam familiarem disperdes. Verum adeone stultus tu eris, ut speres umquam fore, ut tamquam alteri Agrippae tibi populus plaudat?“ Imprimis autem apta est huius mentio, quia Agrippa consul a. u. c. 721. sponte aedilitate suscepta ludis et spectaculis magnificentissimis populi plausum tulerat. (Dio 49, 43.

Astuta ingenuum volpes imitata leonem.'
Ne quis humasse velit Aiacem, Atrida, vetas cur?
'Rex sum.' Nil ultra quaero plebeius. 'Et aequam
Rem imperito; ac si cui videor non iustus, inulto
Dicere quod sentit permitto.' Maxime regum, 190
Di tibi dent capta classem deducere Troia!
Ergo consulere et mox respondere licebit?

188. *quaero* cod. paene omnes, solus Bland. vetustissimus *quaere* (sed suprascr. o) quod recepit Bentl. — 191. *reducere* vel *redducere* Blandinii, ex ceteris maior pars, Heindorf, Krüger, Holder, perpauci *deducere* prob. Bentleio, Orellio, L. Müller, Haupt, Vahlen.

Plin. H. N. 36, 15.) Perquam scite *ὡς ἐν παρόδῳ* Agrippam laudat. — *Astuta*] „Quia quod leo viribus, hoc volpes astutia agit.“ ACRON. Proverbium videtur potius, quam ut fabellam Aesopiam significet; nullam certe adhuc invenerunt interpretes, quae huc quadret.

187-191. *Ne quis humasse* cet.] ex antiqua legum formula, v. c. in S. C. de Bacchanalibus: *Ne quis eorum baccanal habuisse vellet.* — Ut narratiunculis e vita quotidiana petitis utebantur Stoici et Academici, sic persaepe etiam exempla, quibus illustrabant locos communes, petebant ex tragicis poëtis, quemadmodum h. l. ex Sophoclis Aiace, ubi Menelaus Agamemnonis nomine Teucrum fratris Aiacis cadaver sepelire vetat. Fingi autem colloquium inter Agamemnonem et gregarium aliquem eius militem volgo statuunt; sed rectius Sanadonus: *Horace met un Stoïcien aux prises avec un roi. Son dessein est de montrer qu'il n'y a point d'excès, où l'ambition ne porte les hommes. Agamemnon en fournit l'exemple, et le philosophe prouve en bonne forme au chef des rois de la Grèce, qu'il est un fou et un furieux.* Hanc autem loci accipiendi rationem prorsus consentaneam esse solitae disputationum Stoicarum formae, egregie demonstrat colloquium illud, quod versus Cynicus, qui idem est cum Stoico, similiter instituit cum Agamemnone apud Epictetum Arriani 3, 22, 31: *Τάλας, τί τῶν σῶν ἔχει κακῶς; ἡ κτῆσις; Οὐκ ἔχει. Τὸ σῶμα; Οὐκ ἔχει. Ἀλλὰ πολύχρυσος εἶ καὶ πολύχαλκος. Τί οὖν σοι κακόν ἐστιν; Ἐκεῖνο, ὅ τι ποτέ, ἠμέληταί σου καὶ κατέφθαρται, ᾧ ὀρεγόμεθα, ᾧ ἐκκλίνομεν, ᾧ ὁρμῶμεν καὶ ἀφορμῶμεν.* — *velit*] Posterior syllaba producitur vi arsis et caesurae. Vid. ad Od. 1, 13, 6. — *Rex sum*] „*Sic volo, sic iubeo; sit pro ratione voluntas.*“ (Iuven. 6, 223.) Demisse respondet alter, unde rex particula *Et*, quia nihil obiectum fuerat, orationem continuat; quae ratio est et elegantior et *δραματικωτέρα* quam Bentleii *quaere.* — *inulto*] „ita ut impunitus maneat;“ in prosa oratione „impune.“ — *Di tibi dent*] Hom. Il. *A* 18: *Ὑμῖν μὲν θεοὶ δοῖεν Ὀλύμπια δώματ' ἔχοντες Ἐκπέρσαι Πριάμοιο πόλιν, εὖ δ' οἴκαδ' ἱκέσθαι.* — *deducere*] „domum ducere“, ut *decedere de provincia*, „in Urbem redire.“ *Reducere*, etsi ter apud Lucretium primam producit, non ausim obtrudere Horatio vel cum optimis codicibus. Et cfr. Val. Flacc. 2, 403: *primo deducere vela sereno.*

192-195. *consulere--licebit?*] comice, quasi rex esset ICtus. For-

'Consule.' Cur Aiax, heros ab Achille secundus,
Putescit, totiens servatis clarus Achivis,
Gaudeat ut populus Priami Priamusque inhumato, 195
Per quem tot iuvenes patrio caruere sepulcro?
'Mille ovium insanus morti dedit, inclitum Ulixen
Et Menelaum una mecum se occidere clamans.'
Tu cum pro vitula statuis dulcem Aulide natam
Ante aras spargisque mola caput, improbe, salsa, 200
Rectum animi servas? Quorsum? Insanus quid enim Aiax
Fecit, cum stravit ferro pecus? Abstinuit vim
Uxore et gnato; mala multa precatus Atridis
Non ille aut Teucrum aut ipsum violavit Ulixen.
'Verum ego, ut haerentis adverso litore navis 205
Eriperem, prudens placavi sanguine divos.'

194. *Putescit* Blandinii, Argentor., Leidensis, Lipsiensis, Monacensis, Dessauiensis, OSbγφψλ, L. Müller, Haupt, Krüger, Keller, *Putrescit* perpauci cod. prob. Bentl., Orelli, Holder.

mulam servavit Cicero pro Mur. 28: *Etiam illud, quod aliquamdiu fuit, LICET CONSULERE, iam perdidistis.* — *ab Achille secundus*] Sic Verg. Ecl. 5, 49: *tu nunc eris alter ab illo.* Iliad. *B* 768: *Ἀνδρῶν αὖ μέγ' ἄριστος ἔην Τελαμώνιος Αἴας, Ὄφρ' Ἀχιλεὺς μήνιεν· ὁ γὰρ πολὺ φέρτατος ἦεν.* Pindarus Nem. 7, 27. Aiacem vocat *κράτιστον Ἀχιλέος ἄτερ μάχᾳ.* — *Putescit*] „insepultus iacet." Hom. Od. *α* 161: *Ἀνέρος οὔ δή που λεύκ' ὀστέα πύθεται ὄμβρῳ.* Scriptura *putescit* meliorum codicum eadem fere significatione est ac *putrescit*, nisi quod mollior est pronuntiatio, ut *increbuit* pro *increbruit*, *rubesco*, proprie *rubresco*, quod in usu non est. — *toties servatis-Achivis*] Conf. Soph. Ai. v. 1273 sqq. — *Gaudeat* cet.] Hom. Il. *A* 255: *Ἦ κεν γηθήσαι Πρίαμος, Πριάμοιό τε παῖδες, Ἄλλοι τε Τρῶες μέγα κεν κεχαροίατο θυμῷ.*

197-207. *Mille ovium*] Cfr. Gell. 1, 16. *Mille* in hac constr. est nomen, *χιλιάς.* — *improbe*] *λιτότης* pro „impio, qui ius et fas omne susque deque habet." — *Rectum animi*] *τὸ ὀρθόν*, „rectam mentem, rectum animi statum." — *Quorsum? Insanus quid*] Sic distinguendum est. Agamemno: „Quorsum haec, quae dicis, spectant?" Alter: „Quid tandem nimis perversi fecit Aiax, etiam cum insaniret pecoraque trucidaret? Abstinuit tamen cet." — *Abstinuit vim* cet.] Similiter Liv. 1, 1: *duobus--omne ius belli Achivos abstinuisse.* Ovid. Metam. 8, 751: *Non tamen idcirco ferrum Triopeius illa Abstinuit.* — *Uxore*] pr. concubina, Tecmessa. — *gnato*] Eurysace. — *ipsum*] „vel ipsum Ulixem, tam sibi exosum." — *Verum ego* cet.] Respondet Agamemno. — *adverso litore*] „ex Aulidensi litore, quod Troiae, quo tunc tendebamus et ubi nunc sumus (dialogus enim Troiae habitus fingitur. Cfr. v. 191), e regione oppositum est. Conf. Ovid. Metam. 14, 5: *Zanclen adversaque moenia Rhegi.* — *Eriperem*] Hoc verbum vim, qua ad deducendas

Nempe tuo, furiose. 'Meo, sed non furiosus.'
Qui species alias veri scelerisque tumultu
Permixtas capiet, commotus habebitur, atque,
Stultitiane erret, nihilum distabit, an ira. 210
Aiax immeritos cum occidit desipit agnos:
Cum prudens scelus ob titulos admittis inanis,
Stas animo, et purum est vitio tibi cum tumidum est cor?
Si quis lectica nitidam gestare amet agnam,
Huic vestem, ut gnatae, paret ancillas, paret aurum, 215

208. *species alias veri sceleris* Argentoratensis, Leidensis, Monacensis, Lipsiensis, Dessauiensis, Oγφψλ, Bentl,, Haupt, Vahlen, Holder, *veris sceleris* Blandin. antiquissimus, Gothanus, prob. Orelli, L. Müller, Eckstein, Krüger, Keller, *vero* Divaei cod. Cruquii. — 211. *cum immerito* Bland. antiquiss., Argentor., Gothanus, Bentley, L. Müller, Haupt, Vahlen, *immeritos cum* Leidensis, Lipsiensis, Monacensis, OSγφψλ, Orelli, Holder, Keller, *immeritos dum* Dessauiensis b. — 212. *Cum prudens - admittis* Blandinii ceterique, pauci *admittit*, Gothanus *committit*. Bentl. coniecit: *Tu prudens - titulos cum admittis.*

inde naves opus fuerit, magna cum efficacia exprimit. — *non furiosus*] Hic finitur dialogus fictus inter Agamemnonem et Stoicum.

208-209. *species alias veri*] „species, φαντασίας, opiniones animo conceptas, de vero, alias (i. e. alienas), falsas et confusas ea mentis agitatione et conturbatione, quae facillime vel ad scelera committenda nos abripit.“ (Hoc enim scita brachylogia significat *sceleris tumultus.*) Alii *veris*, ut Ep. 1, 16, 20: *alium sapiente bonoque.* Ep. 2, 1, 240: *alius Lysippo.* Ad. v. *tumultu* cfr. Od. 2, 16, 10: *miseros tumultus Mentis.* — *commotus*] „cerritus, mente captus.“ Conf. v. 278.

211—219. *cum occidit, desipit, agnos*] Supple: „ut tu dicere soles; tu contra cum cet.“ De hyperbato conf. Sat. 2, 1, 60, de omissa in altero membro personae (*tu*) notatione cfr. v. 234. Sed vide ne utraque offensio, ad quam tollendam Bentley ad coniecturam descendit, transponendo deleatur: *Agnos cum immeritos occidit desipit Aiax.* — *titulos*] „tibi ponendos plenos laudum tuarum, qui nomen tuum apud posteros aeternent“, i. e., „ob vanam gloriae cupiditatem.“ — *Stas animo*] recto; „tibi ipse constas sanaque es mente?“ Philemon. p. 417. Mein.: *Ἐπὰν ὁ νοῦς ᾖ μὴ καθεστηκώς τινι, Οὐκ ἔστ' ἀκούειν οὐδὲν αὐτὸν οὐδ' ὁρᾶν.* — *tumidum - cor*] violentam animi perturbationem significat, ut *tumor animi* dicitur etiam in prosa oratione (Cic. Tusc. 3, 26.) de fastu et praecipue de ira, quae hominem ad insaniam saepe ac scelera impellit. Seneca de Ira 1, 16: *Ira habet non solidum robur, sed vanum tumorem.* Est autem imago iam Homerica, *I* 553: *Μελέαγρον ἕδν χόλος, ὅς τε καὶ ἄλλων Οἰδάνει ἐν στήθεσσι νόον πύκα περ φρονεόντων.* Ibid. 646: *Ἀλλά μοι οἰδάνεται κραδίη χόλῳ.* — *Huic vestem* cet.] Terent. Heaut. 893: *Sponsae vestem aurum atque ancillas opus esse, argentum ut dares.* — *Rufam*

Rufam aut Pusillam appellet fortique marito
Destinet uxorem; interdicto huic omne adimat ius
Praetor et ad sanos abeat tutela propinquos.
Quid? si quis gnatam pro muta devovet agna,
Integer est animi? Ne dixeris. Ergo, ubi prava 220
Stultitia, hic summa est insania: qui sceleratus,
Et furiosus erit; quem cepit vitrea fama,
Hunc circumtonuit gaudens Bellona cruentis.
Nunc age luxuriam et Nomentanum arripe mecum:
Vincet enim stultos ratio insanire nepotes. 225
Hic simul accepit patrimoni mille talenta,
Edicit, piscator uti, pomarius, auceps,
Unguentarius ac Tusci turba impia vici,

216. *aut Pusillam* plerique, *et Pusillam* Blandinii. *Posillam* (superscr. *u*) Blandin. antiquissimus.

aut Pusillam] Haec nomina haud raro in Inscriptt. reperiuntur. — *interdicto*] Ulp. Fr. 12, 2: *Lex XII. tabularum furiosum itemque prodigum, cui bonis interdictum est, in curatione* (pro quo voc. proprio Horatius h. l. v. *tutela* utitur) *iubet esse agnatorum.* (Ep. 1, 1, 102: *Nec medici credis nec curatoris egere A praetore dati.*)

220-223. *Ergo* cet.] Festive Horatius triplici hoc inciso ridet putidum Stoicorum morem hoc suum παράδοξον, quod praecipue adamaverant, ὅτι πᾶς ἄφρων μαίνεται, identidem variandi, quo auditoribus magis inculcaretur. Hoc igitur loco ita: „quivis et stultus et sceleratus et ambitione flagrans vero nomine furiosus est.“ — *vitrea*] „falso splendore nitens, atque eo nos decipiens.“ Conf. Od. 1, 17, 20. — *Hunc circumtonuit*] Epicum colorem habet hic versiculus. Qui attonitus, ἐμβρόντητος, a deo aliquo esset, eum insanum factum interdum credebant. — *Bellona*] Sacerdotum genus significatur, quod ex infima plebe erat; qui furiosorum in morem saltantes destrictis gladiis sese cruentabant, ut Galli, Magnae Matris deum Idaeae sacerdotes. Illi autem vocabantur *fanatici ex aede Bellonae.* Orelli Inscr. 2316, 2317. Tibull. 1, 6, 43. Lucan. Phars. 1, 565: *tum, quos sectis Bellona lacertis Saeva movet, cecinere deos crinemque rotantes Sanguineum populis ulularunt tristia Galli.* Spectaculum illud populo praebebant, posterioribus certe temporibus, a d. IX. Kal. April. (24. d. Martii.) Trebell. Poll. Claud. 4. — *cruentis*] „rebus s. spectaculis, cruore.“ Est τοῖς αἱματηροῖς, ac prorsus sic Silius 1, 170: *saevis gens laeta.*

224-230. *Nomentanum*] Conf. v. 175. — *arripe*] „ut eum reprehendas aeque acriter atque ego eum meo iure vitupero.“ Conf. Sat. 2, 1, 69. — *Vincet-ratio*] „evincet (v. 250);“ etiam in prosa oratione Cicero pro Cluent. 44, 124: *Vince deinde virum bonum fuisse Oppianicum.* Conf. Sat. 1, 3, 115. — *Edicit*] quasi praetor; sed hoc volt: „per praeconem privatum vel etiam servulum omnibus notum facit.“ — *Tusci--vici*] „Tusci aliquando ab

Cum scurris fartor, cum Velabro omne macellum
Mane domum veniant. Quid tum? Venere frequentes. 230
Verba facit leno: 'Quidquid mihi, quidquid et horum
Cuique domi est, id, crede tuum et vel nunc pete vel cras.'
Accipe quid contra haec iuvenis responderit aequus.
'In nive Lucana dormis ocreatus, ut aprum
Cenem ego; tu piscis hiberno ex aequore verris; 235
Segnis ego indignus qui tantum possideam; aufer!
Sume tibi deciens, tibi tantundem: tibi triplex,
Unde uxor media currit de nocte vocata.'

230. *Quid tum? Venere* codices plerique. *Qui cum venere* Bentl. cum paucis codicibus. *Quid enim? Venere* duo Torrentii. — 233. *contra* cum cod. nonnullis, Bentl., Orelli, L. Müller, Haupt, Vahlen, Krüger, *contra haec* Argentorat., Leidensis, Dessauiensis, Monacensis, Obcγφψλ, Holder. — 234. *In nive* cod., *Tu nive* Bentl. coni. — 235. *verris* Blandinii, Argent. var., Dessauiensis, Leid. var., Lipsiensis bφψλ, Bentl., L. Müller, Haupt, Vahlen, Keller, *vellis* Monac., Argent. pr., Leid. pr., Gothanus OScγν, Holder. — 238. *vocata* codices plerique; „*citata* legitur et *vocata*." PORPHYR.

Aricinis pulsi contulere se Romam et vicum, qui modo Turarius dicitur, insederunt eique suum nomen dederunt." COMM. CR. Ibi lenones habitabant, homines periuri atque infames. Horatius Ep. 2, 1, 269 eum describit *vendentem tus et odores Et piper et quidquid chartis amicitur ineptis.* Plaut. Curc. 482: *In Tusco vico ibi sunt homines, qui ipsi sese venditant.* — *fartor*] „qui insicia, farcimina, lucanicas, hillas vel, ut ait Comm. Cruq., salsicias vendit." Alii explicant: „qui aves saginat et vendit." — *Velabro*] ad radices Aventini olim palus, ubi lintribus vehebantur *(vehelabrum)*, „ubi prostabant omnia, quae ad victus rationem atque delicias pertinebant." COMM. CRUQ. — *macellum*] Cfr. Ep. 1, 15, 31. — *Quid tum? venere*] „Quid porro factum est? Ut facile cogitare potes, illico venere." Cic. Tusc. 2, 26: M. *Videsne abundare me otio?* A. *Quid tum?* — *Venere frequentes*] Cic. p. Quinctio 25: *Tum Naevius pueros circum amicos dimittit; ipse suos necessarios - - corrogat, ut ad tabulam Sestiam sibi adsint hora secunda postridie. Veniunt frequentes.*

231-238. *leno*] Apud luxuriosum leno primus loquitur tamquam omnium nebulonum patronus. — *aequus*] „benignus", κατ' εἰρωνείαν. — *Lucana - - aprum*] Cfr. Sat. 2, 8, 6. — *dormis*] „humi te sternis, ut, si forte possis, somnum capias." Cfr. Sat. 1, 1, 71. — *verris*] everriculo; id quod fieri poterat etiam procelloso mari, non solum tranquillo. Altera quidem lectio *vellis* iam ab Acrone memoratur, qui eam exponit: „cum difficultate trahis." Sed contrarium videtur Latinae consuetudini *vellere pisces ex mari*, quasi vero nescio quo visco aquae essent affixi. — *deciens*] centena milia sestertium = 175 400 marc. germ. = 200 000 fr. gall. Vide Hultsch metrolog. pg. 294. — *tibi - Unde uxor* cet.] „tibi,

Filius Aesopi detractam ex aure Metellae,
Scilicet ut deciens solidum absorberet, aceto 240
Diluit insignem bacam: qui sanior, ac si
Illud idem in rapidum flumen iaceretve cloacam?
Quinti progenies Arri, par nobile fratrum,
Nequitia et nugis, pravorum et amore gemellum,
Luscinias soliti impenso prandere coëmptas, 245
Quorsum abeant? Sanin creta an carbone notati?
Aedificare casas, plostello adiungere muris,

240. *absorberet* cod. plerique Bentl., L. Müller, Haupt, Vahlen, Holder, *obsorberet* O, duo Pulmanni, duo Feae Orelli; *exsorberet* vel *exorberet* Lipsiensis bpr. *φψλν.* — 246. *Sanin creta* Marcilius ac Bentleius emend. ut Dessauiensis corr., cod. *sani ut, sani aut, insani* al. — *notati* Blandinii aliique cod., alit. plerique *notandi* cum perpaucis Orelli.

leno, a quo ipsa uxor, quam meretricibus praefero, ad me *currit*, quavis hora mihi praesto est.“ — *media de nocte*] *ἀπὸ μέσον νυκτῶν.* Cfr. Censorin. 24: *Incipiam a nocte media, quod tempus principium et postremum est diei Romani. Tempus quod huic proximum est vocatur de media nocte: sequitur gallicinium, cum galli canere incipiunt.*

239-242. *Aesopi*] tragici actoris celebratissimi et Ciceronis amici, cuius filius Clodius nepos luxuriosissimus fuit. Conf. Ep. 2, 1, 82. — *Metellae*] Caecilia Metella uxor P. Cornelli Lentuli Spintheris, qui cum ea divortium fecit a. u. c. 709 propter Dolabellae amores. Huic Aesopi filius iocabundus inaurem detraxit, largis postea muneribus compensaturus. — *solidum*] integram summam decies sestertium. Vid. ad v. 237. — *obsorberet*] „cum impetu et aviditate sorberet“, ut dicitur *obducere, obligurire.* Conf. Sat. 2, 8, 24: *obsorbere placentas.* Verbo minus noto alii substituerunt *absorberet*, alii *exsorberet.* — *bacam*] „unionem, margaritam.“ Eandem fere rem narrat Plin. H. N. 9, 59: *Prior* (ante Cleopatram) *id fecerat Romae in unionibus magnae taxationis Clodius, tragoedi Aesopi filius, relictus ob eo in amplis opibus heres, -- ut experiretur in gloria palati, quid saperent margaritae; atque, ut mire placuere, ne solus hoc sciret, singulos uniones convivis quoque absorbendos dedit.*

243-246. *Quinti-Arri*] Cfr. v. 86. — *nobile* cet.] *κατ' εἰρωνείαν*, „famosum et amore rerum pravarum simillimum par.“ — *Luscinias*] trisyllabum. Diomedes Gr. pg. 552 K. „luscinius *ἀηδών* et luscinia, ut Horatius dicit.“ Ceterum apud Horatium primum reperitur femininum *luscinia*, quamquam Plaut. Bacch. 38 *lusciniola.* — *prandere*] ut Ep. 2, 17, 15: *si pranderet olus* cet. — *impenso*] pretio magno. — *Sanin creta*] Marcilii Bentleiique lectionem praetuli, cum *sanine* habeat certe unus cod. Dess.; ac facile illud, quod minus intelligebant librarii, transiit in *sani, sani an, sani ut* aliorum cod., et corrumpuntur fere huiusmodi interrogationes, ut v. 128 *tun* in *tum.* — *creta an carbone notati?*] Est quasi pro-

Ludere par impar, equitare in arundine longa,
Si quem delectet barbatum, amentia verset.
Si puerilius his ratio esse evincet amare, 250
Nec quicquam differe, utrumne in pulvere, trimus
Quale prius, ludas opus, an meretricis amore
Sollicitus plores: quaero, faciasne, quod olim
Mutatus Polemo? ponas insignia morbi,
Fasciolas, cubital, focalia, potus ut ille 255
Dicitur ex collo furtim carpsisse coronas,
Postquam est impransi correptus voce magistri?
Porrigis irato puero cum poma, recusat.
'Sume, catelle!' negat. Si non des, optet. Amator

250. *Si* Bland., Gothanus cum plerisque, *Sic* Dessauiensis, Monacensis, Lipsiensis, S bpr. c.

verbium. Pers. Sat. 5, 108: *Illa prius creta, mox haec carbone notasti?* Lect. *notati* auctoritate cod. Bland. commendatur.

247-254. *Ludere par impar*] Graecorum ἀρτιάζειν. Plat. Lys. p. 206 E. — *equitare in arundine longa*] Val. Max. 8, 8: *Socrates - - non erubuit tunc cum interposita arundine cruribus suis cum parvulis filiolis ludens ab Alcibiade visus est.* — *verset*] in prosa or. „agitet." — *ratio evincet*] Conf. v. 225. — *amare*] meretrices. Sall. Catil. 11: *Ibi primum insuevit exercitus populi Romani amare, potare.* — *in pulvere*] Hom. Il. *O* 362: (ἔρειπε τεῖχος) ὡς ὅτε τις ψάμαθον παῖς ἄγχι θαλάσσης, Ὅστ' ἐπεὶ οὖν ποιήσῃ ἀθύρματα νηπιέῃσιν, Ἂψ αὖτις συνέχευε ποσὶν καὶ χερσὶν ἀθύρων. — *ludas opus*] „opus serium ludendo imiteris, ut pueruli aedificant domos, molas cet." — *faciasne*] „nonne facere debeas?" — *Polemon*] „Iuvenis fuit Atheniensis perditae luxuriae. Is cum ebrius incederet per urbem, fertur audisse e propinquo Xenocratis vocem disputantis, deinde introisse coronatus et unguentatus ad eum deridendum. Senex autem perseveravit et invectus in luxuriam coëgit Polemonem poenitere sui et coronas abicere; qui postea tantus in philosophia (Academica) exstitit, ut dignus existimatus sit, qui Xenocrati succederet." COMM. CRUQ.

254-259. *insignia morbi*] „instrumenta luxuriae." — *Fasciolas*] tegumentum crurum, pro nostris baxiis. Phaedr. 5, 7, 36: *Princeps ligato crure nivea fascia.* — *cubital*] potius quam pulvinar, quod commode circumgestari vix poterat, fasciam videtur significare, qua, quo mollius accumberent, cubitum involvebant. — *focalia*] a v. *faux*. Quintil. 11, 3, 144: *Palliolum, sicut fascias, quibus crura vestiuntur, et focalia et aurium ligamenta sola excusare potest valetudo.* — *coronas*] Et in capite et in collo coronas gerebant. Cic. Verr. Acc. 5, 27. Tibull. 1, 7, 52: *Et capite et collo mollia serta gerat.* — *impransi*] „sobrii." Cfr. Sat. 2, 2, 7. — *correptus*] „acriter reprehensus." — *catelle*] ὑποκοριστικόν, quod in usu mansit usque ad tempora Hieronymi. Epist. ad Eusto-

Exclusus qui distat, agit ubi secum, eat an non, 260
Quo rediturus erat non arcessitus, et haeret
Invisis foribus? 'Ne nunc, cum me vocat ultro,
Accedam? an potius mediter finire dolores?
Exclusit; revocat. Redeam? Non, si obsecret.' Ecce
Servus non paullo sapientior: 'O ere, quae res 265
Nec modum habet neque consilium, ratione modoque
Tractari non volt. In amore haec sunt mala, bellum,
Pax rursum: haec si quis tempestatis prope ritu
Mobilia et caeca fluitantia sorte laboret
Reddere certa sibi, nihilo plus explicet, ac si 270
Insanire paret certa ratione modoque.'

262. *Ne nunc* Leidensis, Gothanus paucique alii, Bentley, Meineke, L. Müller, Haupt, Vahlen, *Nec nunc* cod. maior pars, Krüger, Keller, Holder. — *vocat* Sangall. cum paucis aliis, Bentl., Meineke, Krüger, L. Müller, Haupt, Vahlen; *vocet* plerique cod., Holder, Keller.

chium, Paulae filiam, 22, 29 parasita ad matronam: *Mi* (sic etiam Vallarsius) *catella, rebus tuis utere et vive, dum vivis: et numquid filiis tuis servas?* Plaut. Asinar. 693. *Dic igitur medanaticulam, columbam vel catellum, Hirundinem, monerulam, passerculum, putillum.*

260-270. *agit ubi secum* cet.] Totus hic locus prope ad verbum refert primae Eunuchi Terentiani seenae partem priorem, ubi Phaedria iuvenis a Thaide meretrice revocatus: *Quid igitur faciam? non eam, ne nunc quidem, Cum arcessor ultro? an potius ita me comparem, Non perpeti meretricum contumelias. Exclusit; revocat: redeam? non, si me obsecret.* Horatium autem imitatus est, consulto tamen Menandro, Persius Sat. 5, 161 seqq. — *agit*] De ultima syllaba producta vid. ad Od. 1, 13, 6. — *Ne nunc*] Ita cum paucis sed bonis codicibus scribendum esse censui, cum praesertim Persius hunc locum imitatus 5, 172 scripserit: *Quidnam igitur faciam? ne nunc - accedam.* Etsi enim demonstratum esse videatur a Madvigio (ad Cic. de finibus ed. 3 pg. 82. 808) Ciceronem nullo loco part. *nec* aut *ne* posuisse pro *nequidem*, tamen idem de his locis dubitavit. Mihi quidem coniungendum videtur: *Ne accedam* μὴ προσέλθω, ut sit interrogatio dubitativa. — *vocat*] Manifesto ad tempus refertur, quocirca praestat indicativus, quem Bentleius restituendum duxit „etiam invitis membranis." — *O ere, quae res* cet.] Ap. Ter. Eun. 12 Parmeno servus ad Phaedriam: *Ere, quae res in se neque consilium neque modum Habet ullum, eam consilio regere non potes. In amore haec omnia insunt vitia: iniuriae, Suspiciones, inimicitiae, indutiae, Bellum, pax rursum: incerta haec tu si postules Ratione certa facere, nihilo plus agas Quam si des operam, ut cum ratione insanias.* — *explicet*] „ea, quae intricata sunt;" „nihil expediat, proficiat." Cic. ad Fam. 3, 2, 1: *provinciam - - quam maxime*

Quid, cum Picenis excerpens semina pomis
Gaudes, si cameram percusti forte, penes te es?
Quid, cum balba feris annoso verba palato,
Aedificante casas quî sanior? Adde cruorem 275
Stultitiae atque ignem gladio scrutare. Modo, inquam,
Hellade percussa Marius cum praecipitat se,
Cerritus fuit, an commotae crimine mentis
Absolves hominem et sceleris damnabis eundem,

276. *scrutare. Modo, inquam, Hellade* Bentleius, Holder. *scrutare modo, inquam. Hellade* Meineke al. *scrutare modo, in quem Hellade* Franke *Fasti Horat.* p. 115. prob. L. Müller, Haupt, Vahlen.

mihi aptam explicatamque tradere. — *ac*] Conf. Epod. 12, 14. Sat. 1, 6, 130.

272-275. *Picenis*] In Piceno optima pira et poma proveniebant. Sat. 2, 4, 80. Iuven. 11, 74: *Aemula Picenis et odoris mala recentis.* — *percusti*] Conf. v. 168. — Ioci causa amantes pomorum semina uda duorum primorum digitorum compressu et impulsu ideo in altum agebant, ut inde, si semina illa ad *cameram* (conclavis laquear) usque exsiluissent, faustum amoris sui augurium caperent. Pollux 9, 128. — *penes te*] „tua in potestate, sanae mentis.“ — *feris*] „cum iam vetulus balba, ut solent amatores, verba profers.“ Feriuntur quasi verba, cum a palato repercutiuntur hacque pronuntiatione affectata sonus eorum debilitatur. — *Aedificante casas*] Cfr. v. 247.

275. 276. *Adde cruorem* cet.] „Adde stulto tuo amori rixas cruentas, quales inter rivales oriri solent.“ De morte, quam amator sibi ipse consciscat, nolim interpretari cum Boettigero Opusc. 1. p. 277. — *ignem gladio scr.*] Pythagoricum erat symbolum: *πῦρ μαχαίρᾳ μὴ σκαλεύειν* (Diogen. Laërt. 8, 17 seq. Athen. X. 452. d.); quo Horatius negatione sublata ita utitur, quasi dicat: „turba et permisce omnia; insanos concita tumultus.“ — *scrutare. Modo, inquam, Hellade*] Sic distinxi cum Bentleio aliisque. Etenim, postquam vv. 272—275 stultitiae, sed tamen innocentis exempla proposuit, per gradationem procedit ad aliud furoris perniciosi, veluti homicidii ob *ζηλοτυπίαν* commissi, hac orationis forma usus: „Nugis, quas enumeravi, adde iam facinora cruenta, ad quae violentae animi perturbationes homines instigare solent; uti *modo* (nuper), *inquam* (quo tibi notum exemplum in memoriam revocando sententiam meam clarius etiam exponam), Marius ille Hellade trucidata se ipse interfecit: hic, interrogo, fuitne *cerritus*, insanus, an iudice te mentis quidem compos, sed sceleratus? Mea sane ex sententia insanus fuit.“

277-280. *Hellade*] De hac puella eiusque interfectore nihil afferunt Scholiastae, quod non insit in ipsis poëtae verbis. — *praecipitat*] male Gesnerus habuit pro perf. contracto *praecipitavit.* Cfr. Sat. 1, 6, 13. — *fuit*] Non sibi repugnant v. *fuit* (pro quo Kirchnerus proposuit *furit*) et *praecipitat.* „Potesne arbitrari Marium mente captum non fuisse, sed sceleratum potius, secutus opinionem volgarem, ex qua scelerati pro insanis non habentur? Immo ex veriore nostra doctrina

Ex more imponens cognata vocabula rebus? 280
Libertinus erat, qui circum compita siccus
Lautis mane senex manibus currebat et, 'Unum —
Quid tam magnum?' addens—, 'unum me surpite morti!
Dis etenim facile est' orabat; sanus utrisque
Auribus atque oculis; mentem, nisi litigiosus, 285
Exciperet dominus, cum venderet. Hoc quoque volgus

283. *Quid tam* cod. plerique, in his Blandinii, *Quiddam magnum addens* pauci. *Cui tam magnum* Anonymus apud Heindorfium, *Id tam magnum?* Mitscherlich, *Quî tam magnum?* K. Scheibe.

illo furiosus fuit." — *commotae mentis*] Conf. v. 209. — *Ex more*] „ex volgari consuetudine loquendi." — *cognata*] non: „apta" (COMM. CR.), sed: „diversa quidem, non tamen multum inter se distantia." ACR.

281-283. *Libertinus*] Iam transit ad superstitiosos non minus stultos, quam sint ceteri, quos adhuc enumeravit. Libertinum videtur sumpsisse, quia huius generis homini, utpote minus culto, tam ridicula superstitio perquam apte tribui poterat. — *compita*] Vide supra v. 25. Ibi Lares Praestites positi erant; de quibus Ov. Fast. 5, 129 sq.: *Praestitibus Maiae laribus videre Kalendae aram constitui parvaque signa deum: Arserat illa quidem Laribus; sed longa vetustas destruit.'* Cf. Preller-Iordan Rom. Myth. II 114. — *siccus*] „nequaquam ebrius, ita ut probe sibi conscius esset, quid vellet." — *Lautis - - manibus*] quemadmodum solebant precaturi. — *Quid tam magnum? addens*] Volgarem lectionem *Quiddam magnum addens* interpretantur „votum magni pretii", vel „carmen magicum." Lectio vero, quam praetuli, explicanda est ex Verg. Aen. 11, 705: *Quid tam egregium, si femina forti Fidis equo?* id est: „Profecto egregium non est, si cet." Sic h. l.: „Profecto exiguum hoc est donum, quod vos oro." Nec vero verbum *addens* supervacaneum est nostra in ratione; homo enim superstitiosus ipse paulisper dubitat, num hae preces exaudiri possint, sed semet ipse decipit *addendo:* „sane perexiguum hoc est domum." — *surpite*] „surripite"; Ita Plaut. Capt. 8 *surpuit*, Lucret. 2, 314 *surpere*, Horat. Od. 4, 13, 20 *surpuerat*. Confer ad Sat. 1, 5, 79.

284-287. *Dis etenim facile est*] Theogn. v. 11: *Ἄρτεμι, - - Εὐχομένῳ μοι κλῦθι, κακὰς δ' ἀπὸ κῆρας ἄλαλκε. Σοὶ μὲν τοῦτο, θεά, μικρόν, ἐμοὶ δὲ μέγα.* — *orabat*] Ipsae hae preces, ad quas hominem immoderata vitae cupido impellebat, festivum fatuae superstitionis exemplum utique praebent. — *mentem - - Exciperet*] „nisi lites amaret, statim diceret empturienti hominem istum mente captum esse." „Qui vendunt mancipia, solent hoc adicere: *SANUM CORPORE ET ANIMO PUTES.*" PORPH. Digest. L. 21. T. 1: *Qui mancipia vendunt, certiores faciant emptores, quid morbi vitiique sit, quis fugitivus errove sit noxave solutus non sit, eademque omnia, cum ea mancipia venibunt, palam recte pronuntianto.* Conf. Ep. 2, 2. 16: *Des nummos, excepta nihil te si fuga laedat.* — *Hoc quoque volgus*] „superstitiosorum multitu-

Chrysippus ponit fecunda in gente Meneni.
'Iuppiter, ingentis qui das adimisque dolores,'
Mater ait pueri mensis iam quinque cubantis,
'Frigida si puerum quartana reliquerit, illo 290
Mane die, quo tu indicis ieiunia, nudus
In Tiberi stabit.' Casus medicusve levarit
Aegrum ex praecipiti: mater delira necabit
In gelida fixum ripa febrimque reducet,
Quone malo mentem concussa? Timore deorum." 295
Haec mihi Stertinius, sapientum octavus, amico
Arma dedit, posthac ne compellarer inultus.
Dixerit insanum qui me, totidem audiet atque

286. *volgus* codicum et edit. maior pars *volgo* vel *vulgo* Lipsiensis Gothanus *ψλ*. — 292. *Casus medicusve* Argentor., Monac., Lipsiensis, Gothanus, Oγ, *medicusque* tres Blandinii, Leidensis *φψλν*.

dinem." — *Chrysippus*] Conf. Sat. 1, 3, 126 sq. — *Meneni*] hominis insani, tunc omnibus bene noti.

288-295. *Iuppiter*] Alterum superstitionis insanae exemplum affert. — *cubantis*] „aegrotantis." Vid. ad Sat. 1, 9, 18. — *illo Mane die, quo tu ieiunia* cet.] Quis dies significetur non liquet. Hoc constat *ieiunia* publice apud Romanos non solum magnis calamitatibus exortis indicta esse, sed quinto quoque anno, postea quotannis a. d. IV. id. Octobr. ieiunia Cereris instituta esse. (Liv. 36, 37. Mommsen CIL. I. pg. 403). Sed de his non cogitandum, verum externus Iudaeorum cultus videtur respici, ad quem etiam Tib. 1, 3, 18: pertinet: *Aut ego sum causatus aves aut omina dira, Saturni aut sacrum me tenuisse diem.* Eundem diem *sabbata*, Iudaeorum deum Iovis nomine appellans Horatius videtur significavisse. — *Casus* cet.] „Etsi fortasse casus medicusve puerum ex ipso vitae periculo eripuerit." — *ex praecipiti*] Sic volgo etiam loquebantur, nec quidquam inest poëtici sermonis. Cels. 2, 6: *In praecipiti iam esse* (aegrum) *denuntiat* (alvus), *quae liquida eademque vel nigra vel pallida vel pinguis est.* — *febrimque reducet*] gratum est *ὕστερον πρότερον* pro: „febri reducta eum necabit." — *Quone*] duplex interrogatio, ut Sat. 2, 2, 107: *uterne.* — *concussa*] Huic verbum sibi notius *percussa* substituerunt librarii multi. Sed accuratius illud significat mentis conturbationem ac vesaniam, quam *percussa*, quod aut de dolore aliquo aut de acri cupiditate rectius usurpes. — *Timore deorum* (*δεισιδαιμονία*) utique reiciendo, cum laudetur *metus deorum*, ut Livius 21, 4 de Hannibale: *nullus deum metus, nullum ius iurandum, nulla religio.*

296-299. *octavus*] comice, ut Iuven. 2, 40: *Tertius e caelo decidit Cato;* grata contra hyperbola Sappho Graecis est decima Musa. — *ne compellarer*] „ne iniuriosis verbis me adorirentur iniqui mei." — *totidem*] „quot ille mihi ingesserit verba insaniam significantia: insane, delire, cerrite cet., totidem rursus regeram. Sic eum docebo

Respicere ignoto discet pendentia tergo.'
Stoice, post damnum vic vendas omnia pluris, 300
Qua me stultitia, quoniam non est genus unum,
Insanire putas? Ego nam videor mihi sanus.
'Quid, caput abscisum manibus cum portat Agaue
Gnati infelicis, sibi tum furiosa videtur?'
Stultum me fateor, liceat concedere veris, 305
Atque etiam insanum; tantum hoc edissere, quo me
Aegrotare putes animi vitio. 'Accipe: primum

301. *Qua me stultitia* codices, ut videtur, omnes. *Quam me stultitiam* Bentleius, Meineke. — 303. *abscisum* codices fere omnes *abscissum* Bentley, L. Müller, Haupt, Vahlen, *manibus* Blandin. vetustissimus, Gothanus, optimus Pullmanni, Bentley, L. Müller, Haupt, Vahlen, *demens* ceteri codices, Holder, Keller, *cum portat* Argent., Leidens., *γφψλ*, *portavit* Bland. vetust.

sua ipsius vitia respicere atque agnoscere." Nota est fabella Aesopica (Phaedr. 4, 10, Babr. 66), duas peras s. manticas nobis esse datas, unam e pectore, alteram e tergo suspensam; in illa aliena vitia, in hac propria asservari. Alii collatis versibus 52 sq. de cauda a tergo suspensa cogitarunt. — *ignoto*] „quod numquam videmus." Catull. 22, 20: *Suus quoique attributus est error: Sed non videmus manticae quod in tergo est.*

300-302. *sic*] Hac particula utuntur, ubi optant aliquid a dis precantes. Vid. ad Od. 1, 3, 1. „Opto verum mihi dicas; sic, ubi hoc feceris, contingat tibi, ut post rei familiaris naufragium rursus lucrum facias in vendendis hortis, tabulis, signis, et quidem maius etiam quam antea, quo iactura illa cito compensetur." — *pluris*] „quam priusquam decoxisti." — *Qua me stultitia*] Hanc lectionem praetuli propter Codicum auctoritatem. „Propter quam stultitiam tua ex doctrina me insanis adnumeras? quod quidem mihi nimis severum iudicium videtur." — *quoniam non est genus unum*] Vid. v. 53 sqq. — *Ego nam* cet.] Vid. ad v. 20.

303. 304. „Nil mirum", inquit Damasippus, „quod tu tibi sanus videris. Haec ipsa enim mali ignoratio insaniae est propria." — *caput abscisum* cet.] Hygin. F. 184: *Pentheus, Echionis et Agaues filius, (rex Thebarum), Liberum negavit deum esse nec mysteria eius accipere voluit. Ob hoc eum Agaue mater cum sororibus Ino et Autonoë per insaniam a Libero obiectam membratim laniavit.* De eadem re Ovid. Met. 3, 727; *Avolsumque caput digitis complexa* (Agave) *cruentis Clamat 'Io comites, opus haec victoria nostrum est!'* — *manibus-portat*] Haec lectio „atrocitatem foeditatemque facinoris mirifice auget. -- Sic Euripides Bacch. v. 967 de hac ipsa re: *Φερόμενος ἥξεις -- ἐν χερσὶ μητρός.* -- Illud *demens* non modo otiosum hic est, sed sententiam plane onerat et gravat, immo putidam reddit et inficetam." BENTL.

305-311. *veris*] ut supra v. 223: *cruentis*, v. 244: *parvorum-amore*, Sat. 2, 8, 83: *fictis rerum.* — *longos*] „Divites aemulatus in villula

Aedificas, hoc est, longos imitaris, ab imo
Ad summum totus moduli bipedalis; et idem
Corpore maiorem rides Turbonis in armis 310
Spiritum et incessum: qui ridiculus minus illo?
An quodcumque facit Maecenas, te quoque verum est
Tantum dissimilem et tanto certare minorem?
Absentis ranae pullis vituli pede pressis
Unus ubi effugit, matri denarrat, ut ingens 315
Belua cognatos eliserit. Illa rogare,
Quantane, num tantum, sufflans se, magna fuisset.
'Maior dimidio.' Num tantum? Cum magis atque

313. *Tantum dissimilem* Bentleius e cod. Blandin. antiquissimo et Tonsano coll. Sat. 2, 5, 92. Ep. 1, 10, 3. probantibus Krüger, L. Müller, Haupt, Vahlen; *tanto* cet. cod. rec. Holder et Keller. — 317. *tantum* Blandin. antiquissimus, Monacensis, Porphyr., *tandem* Leidensis, Lipsiensis, Dessauiensis, Gothanus, Argentor. corr., OSbcγφψlv. — 318. *Maior dimidio* codices, *Pernimio* Bentl., *Ait nimio* Hamacher. — *tanto* codices plerique prob. Heindorf, L. Müller, Eckstein, Holder et Keller, *tantum* cod. Leidensis et collegii Trinitatis apud Bentleium, inde Bentl., Orelli, Haupt, Vahlen.

tua domum vel porticus nunc ipsum exstruis, id quod curtae tuae rei parum convenit, nec minus ridiculum est, quam si tu, prope pumilio, longos statu atque incessu imitari velis." — *moduli bipedalis*] per iocum. *Corporis exiqui* se vocat Ep. 1, 20, 24. — „*Turbo* gladiator fuit exiguo corpore, sed animosus pugna." PORPH. — *Corpore maiorem*] „maiorem quam convenire videtur homini tam pusillo."

312-316. *verum est*] Construe cum Bentleio: rectum et iustum est facere te quoque tam dissimilem et tanto minorem v. inferiorem *certare* i. e. in certando cum Maecenate?" Sic Sil. Ital. 5, 77: *heu fatis superi certasse minores!* — *Tantum dissimilem*] Volgata lectio *tanto dissimilem* orta ex seq. *tanto* Latinitati repugnat. — *ranae pullis*] Cfr. Babrii fab. 28. Phaedr. 1, 24. — *denarrat*] „ordine et plene narrat." Cfr. Terent. Phorm. 944: *Haec adeo ego illi iam denarrabo.*

317-319. *Quantane?*] Vid. ad v. 295. — *tantum - - magna*] ut v. 313: *Tantum dissimilem.* Apud Babrium l. 1 v. 5 ἡ δὲ φρύνος ἠρώτα φυσῶσ' ἑαυτὴν, ἐν τοσοῦτον (cod. τοιοῦτον) ἢν ὄγκῳ τὸ ζῷον. — *sufflans se*] Verbum *sufflare* hac in re usitatissimum erat. Plaut. Stich. 722: *Suffla celeriter tibi buccas quasi proserpens bestia.* — *'Maior dimidio.' Num tantum?*] Phaedr. 1, 24, 4: *Rugosam* (rana) *inflavit pellem: tum natos suos Interrogavit, an bove esset latior. Illi negarunt. Rursus intendit cutem Maiore nisu et simili quaesivit modo, Quis maior esset. Illi dixerunt, bovem.* Iam ranunculus matri respondet: „*Maior dimidio*, quam tu, fuit belua illa;" accuratius enim quanto ille maior fuisset significare noluit nec potuit. Iterum mater, ut antea, v. 317,

Se magis inflaret, 'Non, si te ruperis' inquit,
'Par eris.' Haec a te non multum abludit imago. 320
Adde poëmata nunc, hoc est, oleum adde camino;
Quae si quis sanus fecit, sanus facis et tu.
Non dico horrendam rabiem.' Iam desine. 'Cultum
Maiorem censu.' Teneas, Damasippe, tuis te.
'Mille puellarum, puerorum mille furores.' 325
O maior tandem parcas insane minori!

SATIRA IV.

Unde et quo Catius? 'Non est mihi tempus aventi

322. *fecit, sanus facis et tu* Bland. vetust. Leidensis, Monacensis, Dessauiensis, Gothanus, OSc*γφψλν*, Bentl., L. Müller, Haupt, Vahlen, Holder, Keller, *facit, et sanus facies tu* tres Blandinii, Argentoratensis, b paucique alii, Orelli, L. Müller.

quaerit: *num tantum?* Sic enim legendum esse censeo, quod eundem Blandinium, etsi tacet Cruquius, *tantum* habuisse arbitror.

320-326. *abludit*] „abhorret, discrepat, *ἀπᾴδει*. — *Adde* cet.] „Aliam nimio aedificandi studio" (quod videlicet poëta in semet ipso per ironiam dumtaxat reprehendit) „adiungis insaniam poëmata componendo; et sic malum auges, quasi ignem oleo exstinguere velles." (Sic Graeci *πίττῃ καὶ ἐλαίῳ πῦρ καταβεννύναι*. Lucian. Tim. 44.) — *sanus*] Cic. de Divin. 1, 37, 80: *Negat sine furore Democritus quemquam poëtam magnum esse posse; quod idem dicit Plato.* A. P. 296: *excludit sanos Helicone poëtas Democritus.* — *horrendam rabiem*] praesertim in servos neglegentiores. Ep. 1, 20, 25: *Irasci celerem, tamen ut placabilis essem.* — *Teneas-tuis te*] Non tam „vitiis tuis", ut nonnulli explicant, sed generatim: „Contine te iis, quae ad te pertinent; cura temet ipsum; alios missos fac." — *furores*] „vehementes amores." — *maior--insane*] „tu magis insane parce minus insano."

IV. De Catio, quem sibi Horatius fingit artis culinariae et mensae struendae praecepta summa cum gravitate et tamquam ex tripode tradentem, atque ita quidem, ut prae nimio docendi ardore naturalem rerum ordinem interdum confundat ac perturbet. Commentat. Cruq. haec refert: „Sub persona Catii risurus est poëta Epicureos, ut in proxima Stoicos. Fuit autem M. Catius Epicureus, qui quattuor libros scripsit de rerum natura et de summo bono; quod cum Epicurei in voluptate ponerent, hoc est, in gulae et corporis libidine,--rogat Catium Horatius, ut sibi dicat cenae parandae et ordinandae magistrum eiusque praecepta." Sane Catium Insubrem, Epicureum, ut scriptorem nuper admodum mortuum commemorat Cicero Ep. ad Fam. 15, 16, 1 (a. u. c. 709) cfr. Quintil. 10, 1, 124: *In Epicureis levis quidem, sed non iniucundus tamen auctor est Catius.* Sed difficile est intellectu, cur Ho-

Ponere signa novis praeceptis, qualia vincent
Pythagoran Anytique reum doctumque Platona.'

Sat. IV. 2. *vincent* cod. Bland. antiquiss., Dessauiensis pr., Gothanus pr. *φψλ*, Haupt 2, 3, Vahlen, *vincunt* tres Blandinii, Argentorat., Leidensis, Lipsiensis, Monacensis, OSb*γ*, Krüger, Holder et Keller, *vincant* cum perpaucis Bentl., Orelli, Haupt ed. 1, L. Müller.

ratius, si re vera consilium habuit Epicureos deridendi, hunc potissimum Catium iam diu mortuum (scripta enim videtur haec satira circiter a. u. c. 722-724) quasi ex inferis ad hunc sermonem habendum excitaverit, hominem, qui certe, etsi *levis*, non tamen tam ridiculus fuisse videtur, ut sine nimia exaggeratione potuisset derideri tali sub persona, id est, tamquam merus vicarius et *ὑποδιδάσκαλος* incogniti alicuius artis coquinariae magistri. Procul dubio nomen Catii atque ipse locus huius satirae Stoicum Damasippi philosophi sermonem excipientis veteres interpretes ad miram hanc opinionem adduxit. Sed nullus interpretum praeter Cruquium et Dacierium animadvertit ad id, quod tradit Comm. Cruq. ad v. 47: „Irridet eum, quod de opere pistorio in suo libro scribit de se ipso: *Haec primus invenit et cognovit Catius Miltiades*: id quod prorsus convenit cum v. 74, ubi fictus Catii magister cum magno sui amore repetit *Primus et invenior*. Et unde, quaeso, nugator aliquis arripuisset *Miltiadis* cognomen, nisi traditum fuisset ab antiquissimis interpretibus? Fuerit igitur Catius Miltiades libertus Catii a Cicerone commemorati, etiam tunc circiter a. 722 vivus, scriptor de arte coquinaria, persona ridicula per totam Urbem nota. Videbis in annotationibus plura tradi a Catio, quibus prorsus contraria sunt, quae apud alios scriptores serio docentur: unde insignis malitia huius satirae in eo contineri videtur, quod Horatius praecepta aliquot artis culinariae a solitis abhorrentia et prorsus falsa cum aliis veris, sed omnibus iamdiu notis, permiscuerit, hoc admodum perfido consilio, ut volgum Epicureorum Romanorum huiusmodi culinae, ut rebantur, Maecenatianae arcanis mire ludificaretur, risum autem moveret Maecenati ipsi ceterisque amicis, edito deinde libro lectoribus omnibus.

1-3. *Unde et quo*] Cfr. Sat. 1, 9, 62. — *Catius*] Sic Plato Menex. initio: *Ἐξ ἀγορᾶς ἦ πόθεν Μενέξενος*; Utrobique non est positum pro vocativo, sed cum quadam admiratione hoc dicunt: „Unde et quo venit hic homo, in quo Menexenum, Catium agnoscere nobis videmur.“ — *Ponere signa*] Haec vv. referenda videntur ad artem mnemonicam, qua utebantur et oratores et philosophi antiqui. Festinat igitur Catius *ponere*, referre, *signa*, voc. proprio *imagines* sententiarum suarum in *locis* a se captis, ut, quandocumque velit, earum accurate recordari possit. Vide v. 6. Cfr. Script. ad Herenn. 3, 28 sq. Cic. de Or. 2, 350 sq., ubi §. 359 ipse quoque verbo *ponere* utitur: *Rerum memoria propria est oratoris; eam singulis personis bene positis notare possumus, ut sententias imaginibus, ordinem locis comprehendamus.* — *vincent*] Recte sic optimus codex aliique satis boni; Orelli ex deterioribus scripsit *vincant* et interpretatus est: „qualia facile palmam ferre possint Pythagoricis comparata.“ Conf. Ep. 1, 4, 3: *Scribere quod Cassi Parmensis opuscula vincat.* Egregie poëta exprimit Athenaei illud 7, 36: *Ἀλαζονικόν ἐστι πᾶν τὸ τῶν μαγείρων*

Peccatum fateor, cum te sic tempore laevo
Interpellarim; sed des veniam bonus oro. 5
Quodsi interciderit tibi nunc aliquid, repetes mox,
Sive est naturae hoc sive artis, mirus utroque.
'Quin id erat curae, quo pacto cuncta tenerem,
Utpote res tenuis tenui sermone peractas.'
Ede hominis nomen, simul et, Romanus an hospes. 10
'Ipsa memor praecepta canam, celabitur auctor.
Longa quibus facies ovis erit, illa memento,
Ut suci melioris et ut magis alba rotundis,

11. *Ipsa* Leid., Monac., Dessauiensis, Gothanus, Lipsiensis pr. Oγλ, *Ipse* Argentor., S cum paucis. — 13. *alba* cod., *alma* Bentl. coni., (sed cf. eiusdem curae noviss. II pg. 171), prob. Meineke, L. Müller, Haupt ed. 1, *alta* (a v. *alere*) Cuningham, *ampla* Clericus.

φῦλον. — *Anytique reum*] Socratem accusatum a Meleto huiusque subscriptoribus (συνηγόροις) Lycone et *Anyto*, qui quidem Socratis adversariorum longe fuit acerrimus, Plat. Apol. Socr. p. 23 E.

4-9. *tempore laevo*] Oppositum Sat. 2, 1, 18: *dextro tempore*. — *bonus*] Non est pro vocativo, sed: „pro animi tui bonitate optime mihi nota." — *interciderit*] „exciderit e memoria propter interpellationem meam." — *repetes*] „facile recordabere." — *artis*] „memoriae artificialis a Simonide inventae", propter quam scientiam a Catio affectatam malitiose eum irridet Horatius. — *tenuis*] h. l. „λεπτάς, subtiles atque subtili sermone accurate expositas." Cic. Acad. 2, 43: *tenuis et acuta distinctio*.

10-11. *Ede hominis nomen*] Seneca Epist. 14: *Ede, inquis, auctorem*. — *canam*] quasi alter Empedocles vel etiam Pythagoras: *Magna - - Quaeque diu latuere, canam*. (Ovid. Met. 15, 146.) — *auctor*] Quis fuerit, exputare non possumus. Haud prorsus improbabile est, Catium ipsum in libro suo significasse pleraque se debere viro alicui conspicuo simulque artis coquinariae peritissimo, cuius nomen tamen celandum fuerit, ne dignitas eius quoquo modo minueretur. Cui hoc a Scholiastis temere confictum videbitur, is dicat heluonem aliquem nobis ignotum describi, vel talem auctorem ab Horatio suo iure prorsus fictum esse. Quidquid horum est, admodum festivam esse Catii reticentiam quisque facile sentit. Atque prorsus sic ap. Lucianum περὶ Παρασίτου 4. Simon parasitus artis suae σύστημα exponit σοφοῦ τινὸς ἀκούσας.

12—14. *Longa*] „Bene ab ovis coepit, id est, ab initio cenae, ut alibi (Sat. 1, 3, 7): *ab ovo Usque ad mala* cet." ACR. — *suci melioris*] Plerique explicant „εὐχυμότερα, quae facilius concoquuntur salubriusque nutrimentum praebent." Celsus 2, 20: *Boni suci sunt triticum, siligo, alica, oryza, - - ovum sorbile*. At aliter sane et, ut opinor, rectius intellexit Plin. H. N. 10 §. 74: *Quae oblonga sint ova, gratioris saporis putat Horatius Flaccus*. — *magis alba*] Neque artificiose explicanda videtur haec lectio (alii enim interpretantur „pura, quorum vitellus ab albu-

Ponere; namque marem cohibent callosa vitellum.
Cole surburbano, qui siccis crevit in agris, 15
Dulcior; irriguo nihil est elutius horto.
Si vespertinus subito te oppresserit hospes,
Ne gallina malum responset dura palato,
Doctus eris vivam mixto mersare Falerno;

15. *Cole* Blandin. antiquissimus cum plerisque, pauci *Colle* vel *Caule*. — 19. *mixto* cod. plerique, *misto* pauci, *musto* Bentl. coni. prob. Meineke, L. Müller, Haupt, Vahlen, *mulso* Landinus.

mine prorsus separatus est", alii „quae magis abundant albumine", alii denique de vitelli colore albicante) neque cum Bentleio aliisque mutanda; sed audiendus est Dacier: *„M. Bentlei, qui a pris ce précepte très sérieusement, ne peut souffrir que Catius dise que les œufs longs sont plus blancs que les ronds, car cela est faux. Et il trouve plus impertinent encore qu'il dise qu'ils sont plus blancs, parce qu'ils font les poulets mâles. C'est pourquoi il a corrigé* et ut magis alma rotundis *Et il explique* magis alma, plus nourrissans (*ut* alma ubera, alma nutrix, almus ager, alia). *Mais malheureusement pour lui,* alma *est un mot qui va toujours seul et qui ne reçoit ni le plus ni le moins. Jamais les Latins n'ont dit* magis alma, *ni* minus alma. *Il ne faut rien changer, Horace ne donne ce sentiment à Catius que pour le ridicule, et plus il est ridicule, plus il sert au but d'Horace, qui veut se moquer de lui. La plupart des préceptes qui suivent, ne sont pas meilleurs."* — *Ponere*] „apponere in mensa." Vid. Sat. 2, 2, 23. — *marem* cet.] Utique ex opinione rusticorum Romanorum. Colum. 8, 5, 11: *Cum quis volet quam plurimos mares excludi, longissima quaeque et acutissima ova subiciet; et rursus cum feminas, quam rotundissima.* — *cohibent callosa*] „circumdant, et propter id ipsum, quod *callosa*, „spissae ac firmae materiae", sunt, haud facile cum albumine miscetur vitellus."

15. 16. *Cole*] Notabile est codices antiquissimos, *cole* pro *caule* exhibere; sic *caupo* et *copo* cet. aeque usitatum erat. Memorabile item est, quod iam Acron hic reperit scripturam *cole* annotans: *„Cole*] hoc est, *caule*, ut *clode* pro *claude*, *sorices* pro *saurices*, *coda* pro *cauda*." — *suburbano--dulcior*] quia in hortis suburbanis praeter piscinas rivi et euripi amoenitatis causa inducti nimis humectant solum, unde brassica fit insipida. — *elutius*] Plin. H. N. 34, 13 de spodo: *huius elutior vis est.*

17-19. *vespertinus--hospes*] Epod. 16, 51: *Nec vespertinus circumgemit ursus ovile.* Verg. Ge. 3, 537: *Non lupus--gregibus nocturnus obambulat.* — *oppresserit*] „imparatum occupaverit." Terent. Andr. 227: *ne de hac re pater imprudentem opprimat.* Cf. ib. v. 181. Plaut. Mercat. 223. 593. Cic. ad Att. 13, 38, 2: *vereor maxime, ne in Tusculano opprimar.* — *malum responset*] Comparari potest Od. 2, 19, 6: *turbidum Laetatur.* Od. 3, 27, 67: *Perfidum ridens.* Ep. 2, 2, 9: *canet indoctum.* Esset igitur, ut ait Bothius, concise dictum pro eo quod est: „malum dare palato dure responsando;" vel simplicius: „ingrate, *unangenehm widerstehen.*" — *Doctus eris*] verbum, non adiectivum: „Docebere, docetor a me." — *mixto*] „aqua diluto", ut gr. *οἶνος κεκραμένος, ἄκρατος.*

Hoc teneram faciet. Pratensibus optima fungis 20
Natura est; aliis male creditur. Ille salubris
Aestates peraget, qui nigris prandia moris
Finiet, ante gravem quae legerit arbore solem.
Aufidius forti miscebat mella Falerno:
Mendose, quoniam vacuis committere venis 25
Nil nisi lene decet; leni praecordia mulso
Prolueris melius. Si dura morabitur alvus,
Mitulus et viles pellent obstantia conchae
Et lapathi brevis herba, sed albo non sine Coo.

Servavi librorum scripturam, utpote in re tam incerta. Ceterum ingeniosam esse coniecturam *musto* ultro fateor; prorsus enim singulari, ut ita dicam, medicamine ad illud quod volt efficiendum opus esse, manifesto significat magister. Mustum autem dulce conservabant usque in annum, ita ut quovis mense praesto esset coquo. Cato RR. 120. Colum. 12, 29. — *Falerno*] Conf. v. 24.

20. 21. *Pratensibus* cet.] Sane morchella edulis, agaricus deliciosus, lycoperdon tuber (nam de his quoque, non solum de boletis hic cogitandum est, cum tuberibus *(Trüffeln)* aeque delectarentur Romani. Iuven. 5, 116) in pratis, contra nocentissimus ille agaricus muscarius in silvis aliisque locis opacis reperitur. — *aliis*] in silvis ac paludibus natis. — *male creditur*] *Inutiles* vocat Celsus 5, 27, 17; *noxios* item *tutis* opponit Plinius H. N. 22, 23. (Verg. Ecl. 3, 94: *non bene ripae Creditur.)*

22. 23. *prandia*] Proprie accipe, non de gustatione initio coenae. Contrarium rursus docet Plinius H. N. 23, 7: *Ipsa poma* (mori) *ad praesens stomacho utilia refrigerant, sitim faciunt; si non superveniat alius cibus, intumescunt.* Sed hic de coenis loquitur. — *ante gravem - - solem*] „mane igitur, ne nimis a sole cocta aestum moveant, sed potius stomachum salubriter refrigerent.“ Quem hic *gravem* appellat solem, eum supra Sat. 1, 6, 125 *acriorem* vocavit.

24-27. *Aufidius*] Utrum sit M. Aufidius Lucro, qui primus pavones saginare instituit (Plin. H. N. 10, 20), necne, nobis parum compertum est. — *forti miscebat mella Falerno*] Martial. 4, 13, 4: *Massica Theseïs tam bene* (miscentur) *vina favis.* Loquitur de promulside. Plinius H. N. 22, 53: *Semper mulsum ex vetere vino utilissimum facillimeque cum melle concorporatur, quod in dulci numquam evenit. Ex austero factum non implet stomachum. - - Appetendi quoque revocat aviditatem cibi.* Conf. Sat. 2, 2, 15. Falernum, quod h. l. *forte* vocatur, *severum* dicitur Od. 1, 27, 9, *ardens* Od. 2, 11, 19. — *vacuis venis*] „ieiuno stomacho.“ — *praecordia*] intestina, in primis ventriculum. Epod. 3, 5: *Quid hoc veneni saevit in praecordiis? — Prolueris*] Sat. 1, 5, 16: *Multa prolutus vappa.*

28-30. *Mitulus* cet.] Athen. 3, 31: *τὴν τελλίναν - -, ἣν Ῥωμαῖοι μίτλον ὀνομάζουσι.* Est conchula esculenta. Celsus 2, 29: *Alvum movent - - lapathum - - cochleae - - ostrea, pelorides, echini, musculi et omnes fere conchulae maximeque ius earum.* — *lapathi*] rumicis. Cfr. Epod. 2, 57. — *brevis herba*] „hu-

Lubrica nascentes implent conchylia lunae; 30
Sed non omne mare est generosae fertile testae.
Murice Baiano melior Lucrina peloris,
Ostrea Circeiis, Miseno oriuntur echini,
Pectinibus patulis iactat se molle Tarentum.
Nec sibi cenarum quivis temere adroget artem, 35
Non prius exacta tenui ratione saporum.
Nec satis 'est cara piscis averrere mensa,
Ignarum, quibus est ius aptius et quibus assis

36. *Non prius* plerique, *Ni prius* pauci. — 37. *averrere* Blandinii, Leidensis, Lipsiensis, Dessauiensis Oγφψλ, Bentl., Meineke, L. Müller, Haupt, Vahlen, *avertere* Argentorat., Gothanus Sbc, Heindorf, Orelli.

milis.“ Dioscor. 2, 140: *τρίτον δὲ (γένος λαπάθου) ἐστιν ἄγριον, μικρόν, - - μαλακόν, ταπεινόν.* — *albo - - Coo*] Etiam Celsus l. l. ad alvum movendam commendat *vinum dulce vel salsum.* Plin. H. N. 14, 10: *Coi marinam aquam largiorem miscent* (vino): - - *idque translatum in album mustum leucocoum appellatur.* — *Lubrica*] Intellige de succo et pulpa *(schleimig).* — *nascentes - - lunae*] „Luna crescens.“ Lucilius apud Gell. 20, 8: *Luna alit ostrea et implet echinos.* Plin. H. N. 2, 41: *Lunari potestate ostreorum conchyliorumque et concharum omnium corpora augeri ac rursus minui - - exquisivere diligentiores.*

32 34. *Circeiis*] oppido et promuntorio Latii. Plin. H. N. 32, 21: *His* (Circeiensibus ostreis) *neque dulciora neque teneriora esse ulla compertum est.* Iuven. 4, 140: *Circeis nata forent an Lucrinum ad saxum Rutupinove edita fundo Ostrea, callebat* (Montanus) *primo deprendere morsu.* — *Miseno*] oppido et promuntorio Campaniae. — *patulis*] *ἀναπτύχοις* „quae facile conchas aperiunt et claudunt.“ Aristot. Hist. Anim. 4, 4: *τῶν δ' ἄλλων (ὀστρακοδέρμων) τὰ μέν ἐστι δίθυρα, τὰ δὲ μονόθυρα· - - τῶν δὲ διθύρων τὰ μέν ἐστιν ἀνάπτυχα, οἷον οἱ κτένες καὶ οἱ μύες· ἅπαντα γὰρ τὰ τοιαῦτα τῇ μὲν συμπέφυκε, τῇ δὲ διαλέλυται, ὥστε συγκλείεσθαι καὶ ἀνοίγεσθαι.* — *molle Tarentum*] Cfr. Ep. 1, 7, 45: *imbelle Tarentum.*

35-39. *Nec*] ut interdum etiam in prosa oratione pro *nec vero, nec tamen;* itaque Heindorfii et unius cod. Feae *Ne sibi* supervacaneum est. — *exacta*] „explorata.“ Verg. Aen. 1, 305: *At pius Aeneas - - exire locosque Explorare novos - - constituit sociisque exacta referre.* — *tenui*] Pers. 6, 24: *tenuem* („subtiliter tantum ac difficulter diiudicandam“) *turdarum nosse salivam.* — *averrere*] Multi ex bonis cod. praeferunt *avertere*, ut dicunt *pecuniam avertere* pro „intervertere, fraudulenter intercipere“, vel etiam „vi“, ut Caesar B. C. 3, 59: *praedam omnem domum avertebant;* ut sit sententia: „a mensa piscatoria carissimos quosque pisces cupide et quovis pretio auferre atque celeriter aliis praeripere emptoribus.“ Sed quod melioribus codicibus traditum est *averrere* multo fortius impetum et aviditatem ementium declarat: ut pisces everriculo capiuntur, sic pretio dato a mensa piscatoria (Porphyr.) averruntur. — *Ignarum, quibus est*] „semper in omnibus conviviis;“

Languidus in cubitum iam se conviva reponet.
Umber et iligna nutritus glande rotundas 40
Curvat aper lancis carnem vitantis inertem;
Nam Laurens malus est, ulvis et arundine pinguis.
Vinea submittit capreas non semper edulis.
Fecundae leporis sapiens sectabitur armos.
Piscibus atque avibus quae natura et foret aetas, 45
Ante meum nulli patuit quaesita palatum.
Sunt, quorum ingenium nova tantum crustula promit.

hinc indicativus. — *ius aptius*] „qui elixi apponendi sunt", quos *patinarios* vocat Plaut. Asin. 178: *Quasi piscis itidemst amator lenae: nequamst nisi recens. Is habet sucum, is suavitatem: eum quovis pacto condias Vel patinarium, vel assum vorses quo pacto lubet.* — *quibus assis*] dativus, non ablativus. — *Languidus*] „fatigatus edendo." — *in cubitum - se - reponet*] „suavitate condimenti ad edendum revocabitur." COMM. CRUQ. Cubito sinistro innixi et paulum se attollentes, cum comedebant, in toro se fulciebant; saturi in cervical se reclinabant.

41. 42. *Curvat*] Sic meliores codices, non *curvet*. Indicativus est approbantis quod recte fit, ut in aphorismo. Curvat autem aper lances gravitate sua. — *carnem vitantis inertem*] Catii igitur magister praeferebat apros in Umbria, maxime in Apennini saltibus, ilicis glandibus pastos illis, qui in paludibus Laurentinis ad mare Tuscum inter Ardeam et ostium Tiberis capiebantur, quia horum caro *iners*, insipida et fatua, esset. Fea: „Etiamnunc volgo notum, apros et sues glande saginatos duriore et solidiore carne esse, quae saliturae et omnibus salsamentis et condituris aptior et durabilior." Contra Statius Silv. 4, 6, 10: *Tuscus aper generosior Umbro.* (*Lucanum* aprum laudat Horatius Sat. 2, 3, 234. 2, 8, 6. *Marsum* Od. 1, 1, 28.) *arundine pinguis*] De his Verg. Aen. 10, 708: *aper - -, quem - Defendit - palus Laurentia, silva Pastus arundinea.*

43. 44. *Vinea* cet.] „Propter foliorum vitis amaritudinem caprearum his pastarum caro non semper placet palato; quocirca quaerendae potius capreae in saltibus captae, quae gramen ac segetes depascuntur." — *submittit*] „suppeditat." — *Fecundae*] Minime reicienda Porphyrionis et Comm. Cr. explicatio: „Quia dicuntur semper praegnantes esse lepores." (Scilicet ex veterum atque etiam recentiorum nonnullorum doctrina lepores superfetant.) — *sapiens sectabitur armos*] „Peritus γαστρονομίας conviva non temere aliud leporis frustum seliget nisi *armos* quippe qui optimi sint saporis." Cfr. Sat. 2, 8, 89: *Et leporum avolsos, ut multo suavius, armos.*

45-48. *quae natura* cet.] „quo modo stomachum afficiant, qui cibi facile, qui difficulter concoquantur, qui non facile corrumpantur, qui vel simul et alant et ventrem molliant vel leniter eundem adstringant", ut Celsianis φράσεσιν utar. Alii explicant de singulorum origine; minus recte puto. — *aetas*] „pro qua caro tenerior vel iam durior facta diversum in modum praeparari debeat, ut recte in mensis apponantur." — *crustula*] „dul-

Nequaquam satis in re una consumere curam;
Ut si quis solum hoc, mala ne sint vina, laboret,
Quali perfundat piscis securus olivo. 50
Massica si caelo suppones vina sereno,
Nocturna, si quid crassi est, tenuabitur aura,
Et decedet odor nervis inimicus; at illa
Integrum perdunt lino vitiata saporem.
Surrentina vafer qui miscet faece Falerna 55
Vina, columbino limum bene colligit ovo,
Quatenus ima petit volvens aliena vitellus.
Tostis marcentem squillis recreabis et Afra

48. *Nequaquam* codices paene omnes, *Nec quemquam* Dessauiensis pr. cum paucis. Nonnulli codices inserunt *est* vel ante vel post voc. *satis* vel post *curam*. Inde Bentl. coniecit: *Nequaquam satis est in rem unam insumere curam*. — 51. *suppones* cod. maior pars, *supponas* Sb.

ciaria", quorum inventio longe minus ingenii requirit. — *satis*] Sane in multis illis exemplis Horatianis a Bentleio allatis semper reperitur *satis est*, numquam *satis* dumtaxat. Attamen omnes coniecturae adhuc propositae prorsus sunt supervacaneae.

51-57. *Massica*] ex Campania, tertii ordinis vinum teste Plinio H. N. 14, 8. Cfr. Od. 1, 1, 19. — *crassi*] „spissi et acerbi, atque propterea bibenti minus grati." — *tenuabitur*] Plin. H. N. 14, 27: *Campaniae nobilissima* (vina) *exposita sub dio in cadis verberari sole, luna, imbre, ventis aptissimum videtur*. Cfr. Athen. 1, 59. — *odor nervis inimicus*] „vis illa vini aromatica quae nimis cito potorem ebrium reddit." Hoc igitur modo Massica extenuanda sunt, neutiquam, ut, cum ex doliis in cados diffunduntur, vel etiam demum ante ipsam compotationem per saccum lineum colentur. Apud plerosque tamen invaluerat contraria opinio de sacco adhibendo. Plinius H. N. 14, 22: *Ut plus (vino) capiamus, sacco frangimus vires*. 19, 19: *Ferendum sane - - inveterari vina saccisque castrari*. — *Surrentina*] a Surrento, oppido Campaniae in sinu Puteolano; haec leviora erant nec facile ante annum XV. probabantur. Plin. H. N. 14, 8: *Ad tertiam palmam venere - - Surrentina in vineis tantum nascentia, convalescentibus maxime probata propter tenuitatem salubritatemque*. — *faece Falerna*] ut eius saporem combibat Surrentinum. Colum. 12, 30: *Si qua vina erunt duriora aut minus bona, - - sumito faecem vini boni et panes facito et in sole arefacito et coquito in igne; postea terito et pondo quadrantem amphoris singulis infricato et oblinito*. — *columbino* cet.] „Ubi faex illa melius reddiderit vinum Surrentinum, hoc ovo columbino rursus defaecato, quoniam vitellus materias alienas secum ad dolii fundum devolvit."

58-62. *marcentem*] „ad cibos concoquendos non iam aptum." — *squillis*] *Squillae* animalia marina sunt, quas Graeci καρίδας nominant aut καμμάρους. — *Afra-*

Potorem cochlea; nam lactuca innatat acri
Post vinum stomacho; perna magis ac magis hillis 60
Flagitat immorsus refici; quin omnia malit,
Quaecumque immundis fervent allata popinis.
Est operae pretium duplicis pernoscere iuris
Naturam. Simplex e dulci constat olivo,
Quod pingui miscere mero muriaque decebit 65
Non alia quam qua Byzantia putuit orca.

61. *malit* cod. et ed. fere omnes, Bentl. e duobus cod. *mavolt.* — 65. *At pingui* e cod. Bosii Bentleius.

cochlea] Dioscor. 2, 11: *Κοχλίας χερσαῖος εὐστόμαχος, δύςφθαρτος· ἄριστος δὲ ὅ τε ἐν Σαρδῶνι καὶ Λιβύῃ.* Etiam Celsus, 2, 20 et 24 *cochleas boni succi et stomacho aptas* dicit. — *lactuca* cet.] Rursus contra Romanorum consuetudinem pugnat, qui lactuca cum aceto cenas claudebant, ut vini vim frangerent. Plin. H. N. 19, 38: (*Lactucae*) *aestate gratae stomacho fastidium auferunt cibique appetentiam faciunt.* — *innatat*] „supernatat, non subsidet (Sat. 2, 2, 73: *escae, Quae simplex olim tibi sederit.*) *stomacho acri* aestuanti“, ut Senecae Epist. 95: *nivem rodunt, solatium stomachi aestuantis.* Plin. H. N. 23, 22: *Dulce* (*vinum*) *minus inebriat, sed stomacho innatat; austerum facilius concoquitur.* — *hillis*] *hilla* deminutive dicta ab *hira*, quod est intestinum ieiunum, farciminis genus. — *immorsus*] „vellicatus, excitatus.“ Loquitur de iis gulae irritamentis, quae *pervellunt stomachum*, Sat. 2, 8, 9. — *malit*] *βούλοιτ' ἄν.* Propter v. *Flagitat* pauci scripserunt *mavolt.* Supple „quam lactucam aliaque refrigerantia.“ — *immundis*] ut erant Romae haec infimae plebeculae receptacula. Ep. 1, 14, 21: *uncta popina.* Mart. 7, 61, 8: *nigra popina.* — *fervent*] „Tunc (quod alias vix faceret immundam praeparationem nauseans) appetit conviva vile aliquod ferculum, sed bene piperatum salsumque et fumans, qualia plebeii sibi ex popinis arcessunt.“ Sic prorsus faciebat Vitellius. Sueton. Vitell. 13: *ne in itinere quidem ullo temperavit, quin--manderet circa viarum popinas fumantia opsonia vel pridiana atque semesa.* Simile est etiam Sat. 2, 7, 102: *si ducor libo fumante.*

63-66. *duplicis-iuris*] „duorum iurium, simplicis et compositi.“ — *Simplex*] Apicius 8, 1: *Aliter in aprum assum iura ferventia (facies sic): Piper, ligusticum, apii semen, mentham, thymum, nucleos tostos, vinum, acetum, liquamen, oleum modice. Cum ius simplex bullierit, tunc triturae globum mittes, et agitas cepa et rutae fasciculo.* — *pingui*] opponitur tenui, estque idem, quod Celso 1, 6: *plenius.* — *muria*] „liquamine praecipue thynnorum, ut garum scombrorum.“ — *Non alia* cet.] Optima habebatur, quae ex thynnis ad Byzantium captis praeparabatur. Euthydemus apud Athen. 3, 84: *Θύννων ὡραίων Βυζάντιον ἔπλετο μήτηρ.* — *putuit*] „cuius gravi odore imbuta est orca Byzantia, *ὕρχη*, vas fictile, salsamentis servandis aptum.“ Athen. 3, 88: *Τάριχος--Βυζαντίας δὲ θυννίδος Ὀσμαῖσι χαίρει.*

Hoc ubi confusum sectis inferbuit herbis
Corycioque croco sparsum stetit, insuper addes
Pressa Venafranae quod baca remisit olivae.
Picenis cedunt pomis Tiburtia suco; 70
Nam facie praestant. Venucula convenit ollis;
Rectius Albanam fumo duraveris uvam.
Hanc ego cum malis, ego faecem primus et allec,
Primus et invenior piper album cum sale nigro

71. *Venucula* Gothanus bv Bentl., Krüger, Haupt, Vahlen, *Vennuncula* Argentor., Monacens., *φψ*, Holder, L. Müller. — 74. *invenior* Bland. vetust., Argentor. Leidensis, Monac. corr. *γφψλ*, ceteri vel *inveni* vel *inventor*.

67-69. *Hoc ubi* cet.] Simplex igitur ius non constabat ex oleo solo, ut nonnullorum interpretum est opinio, etsi oleum per se sapore prope caret; sed ex oleo, vino, muria: compositum autem ex hoc, quod *simplex* vocat, decocto cum herbis aromaticis, ut solent etiamnunc Itali, *erucis*, *inulis* (Sat. 2, 8, 51), thymo, coriandro, mentha, cumino fricto. Deinde, ubi steterat, inspergebatur crocus rursusque admiscebatur oleum Venafranum frigidum, optimum illud ex Campania. Od. 2, 6, 15 seq. — *Corycioque croco*] Plin. H. N. 21, 17: *Prima nobilitas Cilicio* (croco) *et ibi in Coryco monte.* — *stetit*] „per aliquantum temporis desiit fervere atque intepuit.“

70-75. *Picenis-pomis*] Cfr. Sat. 2, 3, 272. Iam ad ea transit, quae secundis mensis apponebantur. — *Tiburtia*] Tiburtina *pomaria* nota iam ex Od. 1, 7, 14. — *Venucula*] Plin. H. N. 14, 2, 34: *Veniculam* (uvam) -- *ollis* (vasis, in quibus condebantur) *aptissimam Campani malunt sirculam vocare, alii staculam.* — *fumo duraveris*] „servaveris.“ COMM. CR. Plin. H. N. 14, 3, 16: *Aliis* (uvis) *gratiam, qui et vinis fumus affert fabrilis.* — *Hanc* cet.] „Uvam Albanam passam et fumigatam comedere institui cum malis recentibus, quo utriusque sapor prorsus diversus, scite iam permixtus, palatum titillaret.“ (Fumigare Itali nunc castaneas solent.) — *ego cum malis, ego*] Primum suum inventum uvae Albanae fumigatae una cum malis appositae cum memorasset, gloriola incensus continuo alterum faecis et allecis cet. addit, quod utrum ad primas, an ad secundas mensas pertineat, non liquet; utrobique autem, quae hic memorantur, ad excitandam continuam sitim destinata erant. — *faecem*] „liquamen et condimentum ex vini faece paratum.“ Cfr. Sat. 2, 8, 9: *faecula Coa.* — *primus--Primus*] Cfr. v. 46 et Hegesippi illud apud Athen. 7, 36: *τὸ πέρας τῆς μαγειρικῆς, Σύρε, Εὐρηκέναι πάντων νόμιζε μόνον ἐμέ.* — *allec*] Plin. H. N. 31, 8: *Vitium huius* (gari) *est alex imperfecta nec colata faex.* -- *Transiit deinde in luxuriam creveruntque genera ad infinitum.* -- *Sic alex pervenit ad ostreas, echinos, urticas, camaros, mullorum iecinora, innumerisque generibus ad saporem gulae coepit sal tabescere.* — *piper album*] Plin. H. N. 12, 7. *candidum* vocat *leniusque nigro.* — *sale nigro*] Opponitur Tigellii *sali puro.* (Sat. 1, 3, 14.) Plin. H. N. 31, 7, 40: *Quicumque ligno*

Incretum puris circumposuisse catillis. 75
Immane est vitium dare milia terna macello
Angustoque vagos piscis urgere catino.
Magna movet stomacho fastidia, seu puer unctis
Tractavit calicem manibus, dum furta ligurrit,
Sive gravis veteri creterrae limus adhaesit. 80
Vilibus in scopis, in mappis, in scobe quantus
Consistit sumptus? Neglectis, flagitium ingens.
Ten lapides varios lutulenta radere palma

78. *movet* quinque Torrentii, sex Bentlei cod., Gothanus, Sφψλ, Bentl. eumque secuti sunt editores plerique, *movent* Argentor., Monac., Dessauiensis, Leidensis, Lips. Oγν. — 79. *furta* cod. et ed. plerique, *frusta* ex paucis Fea, Meineke, L. Müller. — 80. *creterrae* Bland. vetust. Gothanus, Dessauiensis φψ, Haupt ed. 2, 3, Vahlen; ceteri *craterae* Bentley, Meineke, Orelli, Haupt ed. 1, L. Müller.

confit sal, niger est. — *Incretum*] „per incerniculum s. cribrum inspersum.“ Alii interpretantur „haud cretum“. — *puris*] „ideoque elegantiam grato sapori addentibus.“ — *circumposuisse*] „circum mensam rotundam convivis apposuisse, vel singulis vel binis“, ut certe est apud Lucian. Conv. 38: *προὔκειτο δὲ οὐχ ἓν ἑκάστῳ πινάκιον, ἀλλ' Ἀριστανέτῳ μὲν καὶ Εὐκρίτῳ ἐπὶ μιᾶς τραπέζης κοινόν.*

76-80. „Non in cibis tantum sumptus faciendus, sed toti cenae apparatui cura adhibenda.“ — *dare milia terna*] „in singula convivia impendere tria milia sestertium. — *macello*] in foro piscario. Cfr. Ep. 1, 15, 31. — *vagos*] „in catino quoque ut in mari libere natare quasi cupientes.“ — *moves*] absolute et impersonaliter. — *unctis*] „quas ungit, dum furtim ius aliquod deglutit;“ *schmierig*. Arrian. Epictet. 2, 4, 8: *ἐὰν μὴ δύνῃ τοῦ κρέως ἀποσπάσαι, λίπαινε τοὺς δακτύλους καὶ περίλειχε.* *ligurrit*] cf. ad. Sat. 1, 3, 81. — *gravis*] „nauseam faciens. — *veteri craterae*] „diutino usu attritae, cuique vel propter hanc ipsam vetustatem facilius limus adhaeret.“ Ceterum *creterrarum* etiam cod. Medic. Cic. ad Fam. 7, 1, 2. Cfr. Nonius p. 547 M.: *Creterra, quam nunc situlam vocant.* — *adhaesit*] „a verbo *adhaerescere* i. q. *adhaeret.*“ HEIND.

81. 82. *mappis*] voc. Punicum. Quintil. 1, 5, 57: *mappam circo quoque usitatum nomen Poeni sibi vindicant.* Cfr. Becker *Gallus* III. p. 213 sq. Apud Horatium a convivatore praebentur (conf. Ep. 1, 5, 22); apud Martialem 12, 29 secum afferunt convivae, v. 21: *Ad cenam Hermogenes mappam non attulit umquam, A cena semper rettulit Hermogenes.* — „Praeterea *scopis* et *scobe* purgamenta cenae a pavimento everrenda sunt. Plin. H. N. 36, 25, 60: *Sosus-Pergami stravit quem vocant ἀσάρωτον οἶκον, quoniam purgamenta cenae in pavimento quaeque everri solent veluti relicta fecerat parvis e testulis tinctisque in varios colores.* — *quantus*] „quantulus, quantillus.“ — *flagitium ingens*] „Maximum dedecus haec in rebus vilissimis negligentia tibi afferet.“

83-87. *lapides varios*] „pavimentum *λιθόστρωτον*, tessellatum, ver-

Et Tyrias dare circum inluta toralia vestis,
Oblitum, quanto curam sumptumque minorem 85
Haec habeant, tanto reprehendi iustius illis,
Quae nisi divitibus nequeant contingere mensis?'
Docte Cati, per amicitiam divosque rogatus,
Ducere me auditum, perges quocumque, memento.
Nam quamvis memori referas mihi pectore cuncta, 90
Non tamen interpres tantundem iuveris. Adde
Voltum habitumque hominis, quem tu vidisse beatus
Non magni pendis, quia contigit; at mihi cura
Non mediocris inest, fontis ut adire remotos
Atque haurire queam vitae praecepta beatae. 95

84. *inluta* Monac., Lips., Dessauiensis, Argent. pr. OSbγ, *inlota* Leidensis paucique alii prob. Bentl., Meineke, Haupt, Vahlen, L. Müller. — 87. *nequeant* Bentley ex Lambini suisque cod., prob. Meineke, Haupt, Vahlen, *nequeunt* ex plerisque cod. suis Holder et Keller.

miculatum, sectile." Cfr. Ep. 1, 10, 19. — *palma*] „scopis e palmarum foliis confectis." SCHOL. Martial. 14, 82: *In pretio scopas testatur palma fuisse, Otia sed scopis nunc analecta* (ἀναλέκτης) *dabit.* — *inluta toralia* cet.] Construe: *dare inluta toralia circum Tyrias vestes* (purpureum torum). Longae perpetuaeque mappae sunt *toralia* Isidoro Orig. 19, 26. Locus primarius est Petron. 40: *donec advenerunt ministri ac toralia proposuerunt toris* cet. Becker *Gallus* II. p. 248. *Tyriae* autem *vestes* sunt purpura, qua cervicalia torique tomentis farti erant cooperti. Sat. 2, 6, 102: *rubro ubi cocco Tincta super lectos canderet vestis eburnos. --Ergo ubi purpurea porrectum in veste locavit* cet. Convivis autem ingratum esse debebat, si animadvertebant toros ipsos quidem splendida purpura esse coopertos, toralibus vero sordidis instratos. Ep. 1, 5, 22: *ne turpe toral, ne sordida mappa Corruget naris.* — *tanto reprehendi* cet.] „Sensus est: iustius reprehenderis, si non habueris domi omnia munda, quae minoris constant, quam si defuerint tibi pretiosi pisces et optima vina, quae non solent habere nisi mensae divitum." COMM. CRUQ. Constructio autem est: *tanto iustius reprehendi haec* neglecta *illis* neglectis, *quae* cet.

90-95. *memori--pectore*] Lucret. 2, 582: *memori mandatum mente tenere.* 3, 858: *Nec memori tamen id quimus reprendere mente.* Horat. Sat. 2, 6, 31. — *interpres*] quasi ὑποφήτης Sapientis illius ignoti. (v. 10.) — *tantundem*] „quantum ipse praeceptor tuus." — *habitumque*] „omnem praeter voltum formam exteriorem atque cultum." — *fontes*] Festiva est parodia Lucretiani illius 1, 927: *iuvat integros accedere fontis Atque haurire.*

SATIRA V.

Hoc quoque, Tiresia, praeter narrata petenti
Responde, quibus amissas reparare queam res
Artibus atque modis. Quid rides? 'Iamne doloso

Sat. V. 3. *dolose* (vocat.) e cod. Petrensi et N. Heinsio auctore Bentleius.

V. In eo populo, apud quem ingentes opes per plura saecula coacervatae, neque eae per mercaturam aut opificiorum et artium industria laboriose conquisitae, sed ex toto terrarum orbe bellorum rapinis coactae et summam avaritiam et, Livio teste, *desiderium per luxum atque libidinem pereundi perdendique omnia* peperissent; in eo igitur populo ea ars rem augendi, quae in hac Satira describitur, plurimis utique innoxia atque adeo honesta videri debuit. Per bellorum enim civilium turbas magna civium pars omnem prope honestatis et decoris sensum amiserat; atque cum satis exemplorum Horatius aliique scriptores nobis praebeant, Romanos eius aetatis, ut divitias conquirerent, nullum legibus vetitum facinus neque periurii nec parricidii, ut de immani fenore sileamus, detrectasse, quanto minus hoc artificium reformidaverint, quod neque leges vetarent, et quod tam in proclivi esset, quoniam in his perditis moribus caelibes et orbi avari in dies augerentur, atque consuetudo Romanis frequentata maiores amicos ac potentiores cives omni genere officiorum prosequendi eo faciliorem aditum ad eiusmodi homines praeberet? Ita tandem factum est, ut fortasse in nullo alio populo magis quam apud Romanos hoc testamentorum captandorum studium ab heredipetis tamquam singularis quaedam ars et proprius quaestus exerceretur. Cfr. Hor. Ep. 1, 1, 77. Cicero Parad. 5, 2. Plin. H. N. 14. Prooem.: *Coepit orbitas in auctoritate summa et potentia esse.* Petron. Sat. 124: *Amplioris fortunae domum quaerentes incidimus in turbam heredipetarum sciscitantium, quod genus hominum, aut unde veniremus?* Vide Friedländer, Sittengeschichte I [5] pg. 367—373.

Contra hos igitur, qui vocabantur, captatores haec Satira conscripta est, omnes dolos, artificia, insidias describens, quibus homines isti uti solebant. ZELL ex HEINDORFIO. Ex festiva autem parodia Homerica Ulixes pergit interrogare de vicissitudinibus futurae suae vitae, imprimis de certissimo opes amissas recuperandi modo, vatis Thebani umbram, continuans quasi vv. Odyss. λ 137. Lepidissime sane per totam Satiram heroicam Ulixis personam resque ab eo ad Troiam gestas corruptis Romanorum moribus continuo ita immiscet, ut mira quaedam novae vitae, ita si dicere licet, satiricae et φανταστικῆς species inde oriatur.

1-5. *Tiresia*] In marmore Etrusco apud Inghirami *Gall. Omer.* III. p. 182. Tab. LIII. Tiresias ab Ulixe consultus sedet in saxo quadrato, prope ut in solio sedere solebant ICti Romani. — *praeter narrata*] „praeter ea, quae mihi dicta sunt a te.“ ACR. — *amissas*] „naufragio et per procos.“ COMM. CRUQ. Odyss. λ 112: *τότε τοι τεκμαίρομ' ὄλεθρον Νηΐ τε καὶ ἑτάροις. -- δήεις δ' ἐν πήματα οἴκῳ, Ἄνδρας ὑπερφιάλους, οἵ τοι βίοτον κατέδουσιν.* — *Quid rides?*] Verba haec manifesto

Non satis est Ithacam revehi patriosque penatis
Adspicere?' O nulli quicquam mentite, vides ut 5
Nudus inopsque domum redeam, te vate; neque illic
Aut apotheca procis intacta est aut pecus. Atqui
Et genus et virtus nisi cum re vilior alga est.
'Quando pauperiem missis ambagibus horres,
Accipe, qua ratione queas ditescere. Turdus 10
Sive aliud privum dabitur tibi, devolet illuc,
Res ubi magna nitet domino sene; dulcia poma

sunt Ulixis ad vatem de miro herois postulato ridentem. Similiter Lucianus Necyom. 21: *τῷ Τειρεσίᾳ προσελθὼν ἱκέτευον αὐτὸν εἰπεῖν πρός με, ποῖόν τινα ἡγεῖται τὸν ἄριστον βίον. Ὁ δὲ γελάσας (ἔστι δὲ τυφλόν τι γερόντιον καὶ ὠχρὸν καὶ λεπτόφωνον) Ὦ τέκνον, φησί, κτλ.* — *Iamne* cet.] Haec Tiresiae sunt. „Fierine potest ut, postquam ultra omnem spem tuam tibi reditum in Ithacam vaticinatus sum, tu nuntio tam laeto nondum contentus plura iam appetas?" Etenim antea longe modestior fuerat, ut est Odyss. α 57: *αὐτὰρ Ὀδυσσεύς, Ἱέμενος καὶ καπνὸν ἀποθρώσκοντα νοῆσαι Ἧς γαίης, θανέειν ἱμείρεται.* — *doloso*] „homini tam cato atque ingenioso." Odyss. ν 291. Minerva ad Ulixem: *Κερδαλέος κ' εἴη καὶ ἐπίκλοπος, ὅς σε παρέλθοι Ἐν πάντεσσι δόλοισι.* Allocutio haec obliqua sane urbanior est, quam si dixisset *tibi doloso* vel *dolose*. — *nulli quidquam mentite*] Soph. Antig. v. 1092. Chorus de Tiresia: *Ἐπιστάμεσθα δὲ -- Μὴ πώποτ' αὐτὸν ψεῦδος ἐς πόλιν λακεῖν.*

7-12. *apotheca*] unde *bottega, boutique, Bude,* cella vinaria in superiore aedium parte, supra fumarium, asservandis vinis generosioribus destinata ac diversa a cella vinaria proprie dicta, ubi viliora genera condebantur. Vid. ad Od. 3, 8, 11. — *vilior alga*] Proverbium. Cfr. Od. 3, 17, 10: *alga inutili.* Verg. Ecl. 7, 42: *proiecta vilior alga.* — *Quando*] Eadem particula utuntur iuris consulti, velut in form. Prob. (Grammatici lat. ed. Keil IV. pg. 274): *quando in iure te conspicio, postulo* cet. *Cic. pro Murena* 26. — *missis ambagibus horres*] i. e. aperte, sine ulla dissimulatione horres: *ambages* sunt eius qui ne dicat quae sentit in diversas *(ἀμφί)* partes agitur, se iactat, tergiversatur; epist. 1, 7, 82: *ne te longis ambagibus ultra, Quam satis est, morer.* Non recte quidam prava Commentatoris Cruquiani auctoritate permoti iungunt: *missis ambagibus accipe.* — *Turdus*] Ovid. A. A. 2, 269: *Quin etiam turdoque licet missaque columba Te memorem dominae testificere tuae.* — *privum*] „proprium", hinc *privilegium.* Gell. 10, 20: *Veteres priva dixerunt, quae nos singula dicimus. Quo verbo Lucilius in primo Satirarum* v. 34 L. M. (v. 21 Lchm.) usus est: *ad cenam adducam et primum hisce abdomina thunni adventientibus priva dabo cephalaeaque acharnae.* „Si quid ab amico tibi donatur ea quasi condicione eoque consilio, ut tu solus eo fruare, non alius aliquis, nihilominus tu donato diviti." — *devolet*] „cito deferatur;" metaphora sumpta a *turdo.* — *dulcia poma* cet.] Ep. 1, 1, 77: *Sunt qui Crustis et pomis viduas venentur avaras Excipiantque senes.*

Et quoscumque feret cultus tibi fundus honores,
Ante Larem gustet venerabilior Lare dives;
Qui quamvis periurus erit, sine gente, cruentus 15
Sanguine fraterno, fugitivus, ne tamen illi
Tu comes exterior, si postulet, ire recuses.'
Utne tegam spurco Damae latus? Haud ita Troiae
Me gessi certans semper melioribus. 'Ergo
Pauper eris.' Fortem hoc animum tolerare iubebo, 20
Et quondam maiora tuli. Tu protinus, unde
Divitias aerisque ruam, dic augur, acervos.

13-19. *honores*] ut Od. 1, 17, 16: *Ruris honorum*, „fructus laetos." — *Ante Larem*] „Consuetudo fuit, ut rerum primitiae dis Laribus ponerent." PORPH. Tibull. 1, 1, 13: *Et quodcumque mihi pomum novus educat annus, Libatum agricolae ponitur ante deo.* — *sine gente*] „ignobilis aut peregrinus" PORPHYR. Cic. Top. 6, 29: *Gentiles sunt inter se, qui eodem nomine sunt* (Titius, Sempronius, Cornelius); *qui ab ingenuis oriundi sunt; quorum maiorum nemo servitutem servivit; qui capite non sunt deminuti.* — *fugitivus*] „olim, cum servitutem serviret." — *exterior*] „sinisterior, in sinistra parte positus." ACR. — *si postulet*] „si domi suae te iubeat secum in publicum prodire, ubi aliter prope fieri nequit, quam ut simul intelligas, te comitem exteriorem esse debere; alioquin enim animadverti non poterat, uter priorem locum in ambulando occuparet." — *Utne* cet.] in prosa or. „egone ut tegam?" Terent. Andr. 263: *Eine ego ut advorser? ei mihi;* non sine aliqua retractatione Tiresiae exhortationibus Ulixes aurem praebet. — *tegam - - latus*] Iuven. 3, 131: *Divitis hic servi claudit latus ingenuorum Filius:* ubi Schol.: „in sinistra ambulat." Sueton. Claud. 24: *Plautio ovationem decrevit* (Claudius) *ingressoque urbem obviam progressus et in Capitolium eunti et inde rursus revertenti latus texit.* Eutrop. 7, 13: *Tam civilis circa quosdam amicos exstitit* (Claudius), *ut etiam Plautium triumphantem ipse sequeretur et conscendenti Capitolium laevus incederet. Tegere latus* dicebant, quia laevum latus infirmius et aggressioni magis expositum est. — *Damae*] „homini alicui vili ac perdito, qualem tu descripsisti." Non videtur persona certa, quae tunc in vivis fuerit, sed nomen commune hominis servilis loci atque indolis, ut mox v. 101 et apud Persium 5, 78: *momento turbinis exit Marcus Dama. „Eine verworfene Sclavenseele."* Cfr. Sat. 1, 6, 38. — *certans*] „aemulatus semper Achillem et Aiacem."

20-26. *hoc*] „hanc ipsam ignominiam, ut homini improbo atque infami latus tegam, patienter tolerabo." — *tolerare iubebo*] Parodia Homerica, Od. *v* 18: *Τέτλαθι δή, κραδίη· καὶ κύντερον ἄλλο ποτ' ἔτλης.* Ceterum quod L. Müller ad h. l. dixit 'Verissime Crato *tulit* ad similitudinem Homerici exempli — et apparet finalem insequente eadem littera esse haustam' non videtur probabile, quod apud Horat. antecedit *iubebo.* — *ruam*] „eruam, propere mihi parem." V. *ruere* transitive usur-

'Dixi equidem et dico: captes astutus ubique
Testamenta senum, neu, si vafer unus et alter
Insidiatorem praeroso fugerit hamo, 25
Aut spem deponas aut artem illusus omittas.
Magna minorve foro si res certabitur olim,
Vivet uter locuples sine gnatis, improbus, ultro
Qui meliorem audax vocet in ius, illius esto
Defensor; fama civem causaque priorem 30
Sperne, domi si gnatus erit fecundave coniunx.
'Quinte,' puta, aut 'Publi,' — gaudent praenomine molles
Auriculae — 'tibi me virtus tua fecit amicum;
Ius anceps novi, causas defendere possum;
Eripiet quivis oculos citius mihi, quam te 35

patum est, ut Plaut. Rud. 542: *Ibi me conruere posse aiebas ditias.* Verg. Ge. 1, 105: *cumulosque ruit male pinguis arenae.* Aen. 11, 211: *et confusa ruebant* (celeriter colligebant) *Ossa focis.* — *praeroso-hamo*] esca praerosa alium fecerit heredem. ACR. Martial. 6, 63, 5: *Munera magna quidem misit, sed misit in hamo.* Lucian. D. M. 6, 4 heredipeta de sene: ὁ δὲ τοσοῦτόν μοι δέλεαρ καταπιὼν ἐφειστήκει θαπτομένῳ πρῴην ἐπιγελῶν. — *artem*] Lucian. ibid. 3: (Vos, captatores), καινήν τινα ταύτην τέχνην ἐπινενοήκατε γραῶν καὶ γερόντων ἐρῶντες, καὶ μάλιστα εἰ ἄτεκνοι εἶεν. Seneca de Benef. 6, 38: *Arruntium et Haterium et ceteros, qui captandorum testamentorum artem professi sunt.*

27-37. *si res certabitur*] Cfr. Sat. 2, 1, 49. Liv. 25, 3: *cui* (multae) *certandae cum dies advenisset.* — *olim*] „aliquando, certo tempore." — *Vivet - - improbus*] Refertur praesertim ad litium iniustarum calumniarumque studium. — *puta*] „exempli causa"; qui Imperativus, ubi quasi adverbii vices gerit, ultimam syllabam corripit. Antiquissimum huius usus exemplum in prosa oratione videtur esse Rhet. ad Herenn. 2, 11, 16: *Si ambiguum est scriptum, ut, puta, quod in duas aut plures sententias trahi possit, hoc modo tractandum est.* Pers. 4, 9 *Hoc, puta, non iustum est.* Pluries sic reperitur apud Celsum. Cfr. Colum. 5, 2, 4: *Sin autem cuneatus ager fuerit, ut puta, longus pede centum* cet., ubi paulo ante est *exempli causa.* — *praenomine*] Praenomen civi libero proprium et inter cognatos familiaresque usitatum. Cfr. Sat. 2, 6, 37. Cic. ad Fam. 1, 9, 19. Q. Cicero de Pet. Cons. 7, 28: *Qui incipiat Antonius adiungere atque invitare ad amicitiam, quos per se suo nomine adpellare non possit?* Pers. 5, 79: *Marcus Dama.* — *molles*] „quae blanditiis permulceri amant et, si non permulcentur, offenduntur." Plin. Paneg. 68: *Scires mollissimis istis auribus parci.* Variavit Persius 1, 107: *teneras - - auriculas.* — *Ius anceps*] „plerumque controversum." Iuven. 8, 50: *Qui iuris nodos et legum aenigmata solvat.* Conf. Sat. 2, 2, 131. — *Eripiet*] Terent. Phorm. 989: *Vel oculum exsculpe; est ubi vos ulciscar probe.* — *citius-*

Contemptum quassa nuce pauperet; haec mea cura est,
Ne quid tu perdas, neu sis iocus.' Ire domum atque
Pelliculam curare iube; fi cognitur ipse;
Persta atque obdura, seu rubra Canicula findet
Infantis statuas, seu pingui tentus omaso 40
Furius hibernas cana nive conspuet Alpis.

36. *quassa* Blandinii ceterique codices exceptis paucis qui habent *cassa*. — 38. *fi* Blandinii, ceterorum maior pars, perpauci *si* vel *sis*. — 40. *Infantis* cod., *Infamis* coni. H. Blümner. (Mus. Rhen. vol. 34 pg. 166 sq.)

quam] id est, *facilius quam*. — *Contemptum*] ab homine improbo, qui te nec revereatur nec timeat. 'ne quis tibi minimum quid auferat aut te contemnat.' PORPHYR. Ceterum quod plerique (Bentley, Orelli, Haupt, Vahlen, L. Müller, Krüger alii) scribunt *cassa*, hoc idem significabat quod *quassa*, velut Acilius = Aquilius multaque alia. — *pauperet*] „spoliet, privet." Verbum est Plautinum, ut ICtorum *pauperiem facere, dare;* velut in XII tab. (VIII 5 Schöll.) *Animalium nomine quae ratione carent si quidem — pauperiem fecerint.* — *iocus*] „aliis ludibrio." Petron. 57: *Nunc spero me sic vivere, ut nemini iocus sim.* Similiter usurpatur *risus* Sat. 2, 2, 107.

38. *Pelliculam curare*] „corporis sui habere curam." ACR. Ep. 1, 2, 29: *In cute curanda plus aequo operata iuventus.* 1, 4, 15: *pinguem et nitidum bene curata cute.* — *fi cognitor ipse; Persta*] Sic interpungendum: „nemini alii, ut hoc officio erga Publium fungatur, concedito." Minus recte Bentleius et Heindorfius dispescunt vv.: *fi cognitor; ipse Persta.* Imperativum autem Plautinum *fi* (Curc. 87: *sequere-fi mi obsequens.* Persa 38: *Age fi benignus.*) optimi codices, item consuetudo, ex qua dicebant *cognitorem fieri* (Cic. pro Roscio Com. 53; in Verr. 2, 106. Liv. 39, 5), satis tutantur adversus corruptelas *si, sis.* — *Cognitor est, qui defendit alterum in iudicio, si praesentis causam novit, et sic tuetur ut suam.* Pseudascon. in Cic. Divin. §. 11. *Cognitor est qui litem alterius suscipit coram eo, cui datus est.* Festus. Postquam autem in locum domini litis substitutus erat cognitor, ille in iudicio non iam comparere necesse habebat.

39-41. *Persta atque obdura*] Ipsa soni asperitate summam pertinaciam exprimit; contra quam Ovid. Trist. 5, 11, 7: *Perfer et obdura; multo graviora tulisti.* — *seu rubra* cet.] „Heredipetae obdurandus est et solis aestus flagrantissimus et frigus rigidissimum." Salsissime hic irridet triplici, ut mihi saltem videtur, parodia M. Furium Bibaculum, quem *turgidum Alpinum* appellat Sat. 1, 10, 36; alios eius locos servavit Gellius 18, 11 veluti: *Sanguine diluitur tellus. - - Omnia noctescunt tenebris caliginis atrae* cet. Is igitur, ut ait Commentator Cruquii (cfr. Quintil. 8, 6, 17), Pragmatiam (narrationem) belli Gallici (a Iulio Caesare gesti) hoc versu exorsus erat: *Iuppiter hibernas cana nive conspuit Alpes,* eadem cacozelia usus, qua Hegesias apud Dionys. Halic. de Compos. p. 29. Goell.: *Οὐ γὰρ μικρὰν* (f. *μακρὰν*) *εἰς Θηβαίων ὕδωρ ἔπτυσεν ὁ Διόνυσος κτλ.* Iam

'Nonne vides' — aliquis cubito stantem prope tangens
Inquiet —, 'ut patiens, ut amicis aptus, ut acer?'
Plures adnabunt thunni et cetaria crescent.
Si cui praeterea validus male filius in re 45
Praeclara sublatus aletur, ne manifestum
Caelibis obsequium nudet te, leniter in spem

Iovi festive irrisor substituit Furium ipsum; tota autem reprehensio cadit in unam illam *duram et a longinqua similitudine ductam*, ut ait Quintil. l. l., immo putidam metaphoram *conspuit;* nam *canas pruinas* ipse dixit Od. 1, 4, 4 et *hibernas Alpes* Tacit. Hist. 1, 70. De hoc igitur constat: iam vel ipsae particulae *seu-seu* satis demonstrant Furii fuisse etiam illa aeque inepta *rubra Canicula findet Infantis statuas.* Praeterea perquam inconcinne Horatii ipsius imagine (ut plerique arbitrantur) *rubra* cet. opponeretur parodia Furiana: *Furius conspuet Alpis.* Ridet igitur duo illa mira ἐπίθετα *rubra* pro *flagrans* (Od. 3, 13, 9), *fervens, ignea* et statuas *infantis* dictas, quo, nisi magnopere fallor, Furius exprimere voluerat omnium statuarum ποιότητα et, cum in proverbio esset *statua taciturnius* (Ep. 2, 2, 83), mirifice se loqui opinatus erat, ubi *infantis*, ἀγλώττους, ἀναύδους, mutas illas denominasset. Cumulus autem accedet parodiae, ubi statuerimus etiam tertium illud *pingui tentus omaso* Furii fuisse, ut, puta, cum de Ariovisto aliove hostium duce ageret eumque, quo gratificaretur Caesari, propter voracitatem barbaro dignam deprimeret. Cacozelia autem cum insit in toto membro, augetur epitheto prope otioso *pingui*, pro quo *vili* dicturum fuisse Horatium suspicor (cfr. Ep. 1, 15, 34: *patinas cenabat omasi, Vilis et agninae.*); verum propter hunc ipsum ineptiarum cumulum melius inservit Furio propter edacitatem quoque irridendo; is enim *Bibaculus et erat et vocabatur* (Plin. H. N. Praefat.), quidni altero etiam vitio laborarit? Plin. Paneg. 49 de Domitiano: *ante medium diem distentus solitaria cena.* Ceterum *statuas infantis* Bentley dictas esse arbitratur ut homo recens natus vocatur infans, quod nuper factae sunt, ligneae, quae aestivo calore rimas plerumque agunt et finduntur praesertim recente et viridi materia. Quod cum displiceret, coniectura proposita est *infamis statuas* scil. Priapi, cf. Priapea 26, 3. 35, 5.

42-44. *cubito stantem prope tangens*] Pers. 4, 34: *Est prope te ignotus, cubito qui tangat.* — *thunni*] catervatim natant. Oppian. Halieut. 3, 631: *Πολλὴ δ' ἔκπαγλός τε παρίσταται ἰχθυβόλοισιν Ἄγρη, ὅτ' εἰαρινὸς θύννων στρατὸς ὁρμήσωνται.* His igitur comparat senes stultos, qui heredipetarum veluti hamis capiuntur: qua imagine usus est etiam Lucian. Tim. 22: *οἷος αὐτοὺς* (captatores) *ὁ θύννος ἐκ μυχοῦ τῆς σαγήνης διέφυγεν, οὐκ ὀλίγον τὸ δέλεαρ καταπιών.* — *cetaria*] „receptacula prope maris litus, ubi thunni vere (Oppian. l. l.: *εἰαρινοῦ μετὰ λύσσαν ὅτ' οἰστρήσωσι γάμοιο*) capti saliebantur.

45-50. *sublatus*] „Patres, si filios sibi natos alere vellent, eos humi iacentes (in genua) tollere et complecti solebant; si nollent, exponi iubebant. -- Verg. Aen. 9, 201: *Non ita me genitor - - Sublatum eruditit.*" LAMB. — *Caelibis-nudet te*] Caelebs non solum is est qui

Adrepe officiosus, ut et scribare secundus
Heres et, si quis casus puerum egerit Orco,
In vacuum venias; parraro haec alea fallit. 50
Qui testamentum tradet tibi cumque legendum,
Abnuere et tabulas a te removere memento,
Sic tamen, ut limis rapias, quid prima secundo
Cera velit versu; solus multisne coheres,
Veloci percurre oculo. Plerumque recoctus 55

48. *uti scribare* malebat Heindorfius.

uxorem non duxit, sed etiam qui eam vel morte amisit vel repudio misso dimisit. Pergit igitur Tiresias ad aliud captandae hereditatis genus monetque ne nimio officio manifestus fiat et coarguatur (nudetur). Quam sententiam improbans H. Blümner l. supra laudato totum hunc locum exstirpandum esse censuit. — *in spem*] „hereditatis.“ Tac. Ann. 1, 8: *in spem secundam* (Augustus) *nepotes pronepotesque, tertio gradu primores civitatis scripserat.* — *Adrepe*] „sensim et caute in senis familiaritatem te insinua.“ Cic. Verr. 2, 68: *non sensim atque moderate ad istius amicitiam adrepserat.* — *ut et scribare*] Duplici *et* duplex optatum captatoris recte distinguitur, alterum, ut ante omnia secundus heres scribatur, alterum, ut puer moriatur itaque ipse in huius locum heres succedat. Non erat igitur, cur Heindorfius proponeret *uti scribare.* — *egerit Orco*] Od. 1, 42, 18: *Nigro compulerit Mercurius gregi.* Od. 1, 28, 10: *Orco Demissum.* — *In vacuum*] „ut in possessionem vacuam herede succedas et ex asse heres fias.“ Est ICtorum verbum; *vacans* et *vacua possessio* aliquoties reperitur apud Gaium, ut 2, 51. 4, 131.

51-57. *limis rapias*] „obliquis oculis raptim legas.“ ACR. Terent. Eun. 601: *ego limis specto Sic per flabellum clanculum.* — *primaCera*] V. *cera* ut homonymum v. *tabulae* coniungebatur in nuncupatione testamenti. Gaius 2, 104: *Testator tabulas testamenti tenens ita dicit: Haec ita, ut in his tabulis cerisque scripta sunt, ita do, ita lego, ita testor, itaque vos, Quirites, testimonium mihi perhibetote.* Hoc igitur dicit: „lege occulte, quid scriptum sit secundo versu inde ab initio testamenti;“ nam primo versu cum nominatus esset testator, plerumque continuo ad heredis institutionem transibant. Apuleius de magica c. 100: *Lege potius testamentum; -- hic reperies, et quidem mox a principio:* SICINIUS PUDENS FILIUS MIHI HERES ESTO. — *solus*] heres igitur ex asse. — *Plerumque* cet.] Haud raro alii quoque aeque infelices casus in hereditatibus frustra captatis experiuntur, qualem nuper Nasica, cuius calamitas tunc videtur derisui fuisse civitati; ac fortasse eadem induxit Horatium ad describendos hac satira heredipetas. — *recoctus*] V. *recoquere* saepius usurpatur pro „in alios formare usus“, ut Flor. 3, 20, 6: (Spartaci socii) *e ferro ergastulorum recocto gladios ac tela fecerunt.* Est igitur, „mutata priore condicione factus quaesticuli causa scriba ex quinqueviro.“ Cuius autem generis quinquevir hic intelligatur, utrum mensarius an municipalis (qui persaepe in In-

Scriba ex quinqueviro corvum deludet hiantem,
Captatorque dabit risus Nasica Corano.'
Num furis? an prudens ludis me obscura canendo?
'O Laërtiade, quidquid dicam, aut erit aut non:
Divinare etenim magnus mihi donat Apollo.' 60
Quid tamen ista velit sibi fabula, si licet, ede.
'Tempore quo iuvenis Parthis horrendus, ab alto
Demissum genus Aenea, tellure marique
Magnus erit, forti nubet procera Corano
Filia Nasicae, metuentis reddere soldum. 65

59. 60. *aut erit aut non: Divinare etenim magnus donavit Apollo* cod. Petrensis, prob. Bentleio, *aut erit, aut non Divinare mihi magnus donavit Apollo* Haberfeldtius vel potius Eichstadius, *aut erit, aut non Divinare etiam magnus mihi donat Apollo* Bothe, *aut erit, aut non Divinare tibi magnus mihi donat Apollo* Ioannes a Deo Fröhlich.

scriptt. memorantur), non liquet. — *hiantem*] Lucian. Tim. 22 de eo, qui captatores similiter testamento decepit: *τοὺς μάτην κεχηνότας ἐκείνους ἐς ἀλλήλους ἀποβλέποντας καταλιπὼν ἀληθῶς ἄγοντας τὸ πένθος.*

58-60. *Num* cet.] Ulixis haec verba sunt. — *an-ludis?*] Non est interrogatio disiunctiva, sed haec altera per se cogitanda 'neque enim tu ludis.' Confer Dräger syntax I ² pg. 343. — *aut erit aut non*] Salsissima dilogia utitur poëta; nam ex Tiresiae mente simpliciter atque optima fide dicere videtur: „Prout dixero fore aliquid, erit, non fore, non erit; divinare enim pariter ea quae evenient ut ea quae non evenient Apollo mihi concessit.“ Ex poëtae vero sententia eadem verba hoc significant: „Vaticinia mea, ut assolet, aut eventum habebunt aut eo carebunt; artem enim divinandi“ (quae semper coniecturalis atque fallax est) „mihi donavit Apollo.“ *Apollo donat* i. e. donavit ac nunc etiam donat, de quo usu cf. Dräger synt. lat. I ² pg. 229 sq. Itaque abstinendum erat coniecturis.

61-69. *Quid tamen* cet.] „De eo, quod dicis, equidem minime dubito, sed velim *tamen*, ut his omissis prius solvas mihi, si tibi per deos inferos licet, illud aenigma.“ — *iuvenis*] Octavianus, qui (natus a. u. c. 691) a. u. c. 724 annum trigesimum tertium agebat. — *Parthis horrendus*] quem reformidant Parthi; suarumque rerum arbitrum faciunt; cf. ad Od. 1, 26. — *Demissum genus*] Verg. Aen. 1, 288: *Iulius, a magno demissum nomen Iulo.* Tacit. Ann. 12, 58: *Nero-- Romanum Troia demissum et Iuliae stirpis auctorem Aeneam aliaque haud procul fabulis vetera facunde exsecutus.* — *procera*] Quemadmodum *forti*, sic haec quoque ambigua laus est, ut Catull. 86, 1: *Quinctia-longa, Recta est.* — *Corano*] homini diviti, cui Nasica, ut in eius hereditatem irreperet, filiam suam in matrimonium dedit. — *metuentis* cet.] „qui propter angustias domesticas nolebat restituere aes alienum, *solidum*, integram illam summam, quam a

Tum gener hoc faciet: tabulas socero dabit atque
Ut legat orabit; multum Nasica negatas
Accipiet tandem et tacitus leget, invenietque
Nil sibi legatum praeter plorare suisque.
Illud ad haec iubeo: mulier si forte dolosa 70
Libertusve senem delirum temperet, illis
Accedas socius; laudes, lauderis ut absens.
Adiuvat hoc quoque, sed vincit longe prius ipsum
Expugnare caput. Scribet mala carmina vecors:
Laudato. Scortator erit: cave te roget; ultro 75
Penelopam facilis potiori trade.' Putasne?
Perduci poterit tam frugi tamque pudica,
Quam nequiere proci recto depellere cursu?
'Venit enim magnum donandi parca iuventus,

76. *Penelopam* codices et editores plerique, pauci *Penelopem* vel *Penelopen.*

Corano mutuam sumpserat." — *praeter plorare*] *χωρὶς τοῦ κλαίειν, οἰμώζειν.* V. *praeter* h. l., ut interdum, est pro adverbio. Ovid. Heroid. 17, 162: *Nil illi potui dicere praeter erit.* Sententia est: Nihil omnino cum iis legasset, eos exheredavit maloque affecit." Similiter Polystratus captatores delusit apud Lucian. Dial. Mort. 9, 3: *ἄλλας δὲ τὰς ἀληθεῖς διαθήκας ἔχων ἐκείνας κατέλιπον οἰμώζειν ἅπασι φράσας.*

70-78. *mulier*] „concubina." — *temperet*] ad arbitrium suum regat. — *laudes*] „praesentes, ut tibi benevoli fiant." — *vincit*] „praestat", *κρατεῖ.* — *prius*] „id quod" vel „utpote quod *prius* i. e. efficacius est", *κρεῖττον ὄν.* — *ipsum Expugnare caput*] quasi regni, divitem ipsum, blanditiis atque obsequio. — *vecors*] „vecordia quadam ad carmina componenda actus." — *cave*] ultima brevi. Vid. ad Sat. 2, 3, 38. — *Penelopam*] „Observavi in Iambis, Sermonibus et Epistolis Latinas declinationes libentius adhibere Nostrum, in Carminibus Graecas." BENTL. Conf. tamen v. 81: *Penelope.* Ep. 1, 7, 41: *Ithace.* Quam rationem Horatius in graecis nominibus secutus sit, H. Schütz in excursu ad Carminum editionem scripto demonstravit. — *potiori*] „tibimet ipsi praeferendo." Cfr. Od. 3, 9, 2. — *Putasne?* cet.] *„Ulysse ne marque pas la moindre répugnance, et toute son inquiétude est que sa femme ne se rende trop difficile, elle qui a résisté à toutes les poursuites de tant d'amants.* DACIER. — *Perduci*] Verbum proprium de iis, qui mulieres ad stupra atque adulteria corruptas ad moechos ducunt, unde subst. *perductor.* Cic. Verr. Acc. 1, 33: *lenonum, aleatorum, perductorum nulla mentio fiat.* Est Graecorum *προαγωγεύειν, προαγωγεία,* „lenocinium.

79-83. *Venit enim* cet.] „Pudica adhuc est, fateor; nam proci, qui domum tuam venerunt, id quisque causatus se eam in matrimo-

Nec tantum veneris, quantum studiosa culinae. 80
Sic tibi Penelope frugi est; quae si semel uno
De sene gustarit tecum partita lucellum,
Ut canis a corio numquam absterrebitur uncto.
Me sene quod dicam factum est: anus improba Thebis
Ex testamento sic est elata: cadaver 85
Unctum oleo largo nudis umeris tulit heres,
Scilicet elabi si posset mortua: credo,
Quod nimium institerat viventi. Cautus adito,
Neu desis operae, neve immoderatus abundes;

81. *Penelopa* Bentl. invitis codicibus.

nium ducere velle, propter nimiam parsimoniam minime propensi sunt ad eam magnis donis corrumpendam cet." — *magnum donandi*] Mundum muliebrem ei sane obtulerant (Odyss. σ 291), munuscula tamen", inquit Tiresias, „haud sufficientia ad conciliandam sibi tuam uxorem." — *De sene gustarit*] Figura etiam Graecis usitata. Aeschyl. Fragm. 224. Dind.: *οὔ με μὴ λάθῃ φλέγων Ὀφθαλμός, ἥτις ἀνδρὸς ᾖ γεγευμένη.* — *tecum partita lucellum*] Seneca Epist. 5: *ut huius quoque diei lucellum tecum communicem.* — *Ut canis* cet.] Proverbium erat apud Graecos. Theocr. 10, 11: *χαλεπὸν χορίῳ κύνα γεῦσαι.* Lucian. adv. Indoct. 25: *οὐδὲ γὰρ κύων ἅπαξ παύσαιτ' ἂν σκυτοτραγεῖν μαθοῦσα.* — *numquam absterrebitur*] „Numquam, dicit, ab impenso illo hereditatum captandarum studio deduci poterit." — *uncto*] adipe videlicet, non oleo, ut alii supplent.

84-89. *improba*] „astuta, quae petulanter ludificata est heredem." — *Thebis* cet.] Videtur haec narratiuncula ducta esse vel ex mimo aliquo vel ex ioco populari; etenim ullam umquam testamentum vel Thebis, ut lepide fingit, vel Romae sic conceptum esse, prorsus incredibile est. Sane atrocius etiam est Eumolpi testamentum apud Petron. 141 rem ita exaggerantem: *Omnes qui in testamento meo legata habent, praeter libertos meos, hac condicione percipient, quae dedi, si corpus meum in partes conciderint et adstante populo comederint.* Memorant huiusmodi inepta testamenta ICti. Fr. 115. §. 5. De legatis I. (30): *Ineptas voluntates defunctorum circa sepulturam (veluti vestes aut si qua alia supervacua) ut in funus impendantur (non valere) Papinianus Lib. III. Responsorum scribit.* Fr. 27. pr. D. de Cond. inst. (28, 7): *Modestinus Lib. III. Responsor. Quidam in suo testamento heredem scripsit sub tali condicione, si reliquias eius in mare abiciat. Quaerebatur, cum heres institutus condicioni non paruisset, an expellendus est ab hereditate? Modestinus respondit: Laudandus est magis quam accusandus heres, qui reliquias testatoris non in mare secundum ipsius voluntatem abiecit, sed memoriam humanae condicionis sepulturae tradidit.* — *Scilicet*] *δηλονότι*, „hoc tentans, an fortasse posset elabi, quo facto heres molestus excidisset hereditate." — *immoderatus*] Ep. 1, 13, 5: *Sedulus - opera vehemente minister.* — *abundes*] „prope nimia facias."

Difficilem et morosum offendet garrulus; ultra 90
Non etiam sileas. Davus sis comicus atque
Stes capite obstipo, multum similis metuenti.
Obsequio grassare; mone, si increbruit aura,
Cautus uti velet carum caput; extrahe turba

90. *offendet* codicum maior pars, *offendit* perpauci, *offendes* Bentleius coni. prob. Meineke, L. Müller, Haupt. — *ultra* Blandinii multique alii *ultro* Leidensis, Sby correcti. *garrulus ultro. Non* Bentley, Haupt, *garrulus; ultro* Orelli. Ut nos Holder, L. Müller, Vahlen, Blümner coniecit *ultra* Nolit; *iam sileas* (i. e. si nolit te garrire). — 93. *increbruit* Blandin. vetustissimus, Argentoratensis, Gothanus, S corr. γ, ceteri vel *increbuit* vel *increpuit.*

90-92. *Difficilem et morosum*] Etiam Cic. Orat. 104 iungit haec duo Epitheta; *difficilis* (δύσκολος) est, cui vix quidquam placet omnisque comitas deest; *morosus*, qui pro lubitu ac fastidiose modo hoc, modo illud volt, iubet, vetat. — *ultra Non etiam sileas.*] Sic iunge: „neque vero tu alio tempore, cum ille tecum colloqui volet sine ulla causa taciturnus sis, quasi taedio affectus aut ira percitus.“ — *Non-sileas*] De locis, ubi *non* pro *ne* positum videtur (velut A. P. 460: *non sit, qui tollere curet.* Ep. 1, 18, 72: *Non ancilla tuum iecur ulceret.* Ovid. A. A. 3, 129: *Vos quoque non caris aures onerate lapillis.*), cfr. Hand Turs. IV. p. 264 sqq. Wagner ad Verg. Aen. 12, 78. *(Non Teucros agat in Rutulos.)*: „*Non* proprium habet locum in distinguendis oppositis et contrariis, tum in enumerando. -- Male *non* pro *ne* accipitur apud Horat. Sat. 2, 5, 91, cum haec praecedant: *Difficilem et morosum offendet garrulus.* — *Davus*] Servi comici instar, qui summum erga erum obsequium simulat timideque cum eo loquitur. Cfr. Sat. 1, 10, 40. — *obstipo*] *Obstipus* est „stipitis instar, sive rigida immotaque ratione aliquo inclinatus;“ h. l. „deorsum inclinatus.“ Cfr. Persius 3, 80: *Obstipo capite et figentes lumine terram.* Significat τὸ ἀνελεύθερον καὶ δουλοπρεπές. Anonymus apud Meinek. Fr. Com. IV. p. 611: *Τὸ δ' ὅλον οὐκ ἐπίσταμαι Ἐγὼ ψιθυρίζειν, οὐδὲ κατακεκλασμένως Πλάγιον ποιήσας τὸν τράχηλον περιπατεῖν.* — *multum*] Hoc adv. equidem iungo cum v. *similis*, „prorsus similis;“ quam explicationem confirmant ipsi numeri vv. *multum similis metuenti*, praecedentibus vv. certe aptissimi; alii vero cum v. *metuenti.* Cfr. Ep. 1, 10, 3: *Multum dissimiles.*

93-95. *Obsequio grassare*] dictum est ut apud Liv. 3, 44: *se iure grassari*, *non vi.* 10, 14: *consilio grassari*, 45, 23: *etiam apud vos fuisse audivi, qui assentando multitudini grassarentur.* — *increbruit*] „gliscit, augescit“, ut Verg. Ge. 1, 359: *nemorum increbrescere murmur*, etiam in prosa orat. Cic. ad Fam. 7, 20, 3: *Ventus increbrescit.* Optimum codicem secuti scripsimus *increbruit*, quod factum est a *crebr-o.* Videtur autem haec forma optimis scriptoribus usitatior fuisse quam altera *increbuit*, quae paullatim codices occupavit. Confer Neue Formenlehre II² 505; Bücheler in Fleckeiseni annal. 1872 pg. 115 sq. — *uti velet*] toga superiecta. —

Oppositis umeris; aurem substringe loquaci. 95
Importunus amat laudari; donec 'Ohe iam!'
Ad caelum manibus sublatis dixerit, urge,
Crescentem tumidis infla sermonibus utrem.
Cum te servitio longo curaque levarit,
Et certum vigilans, Quartae sit partis Ulixes, 100
Audieris, heres: 'Ergo nunc Dama sodalis
Nusquam est? Unde mihi tam fortem tamque fidelem?'

97. *urge* codices, ut videtur, omnes *urge et* Aldina, inde Lambinus, Cruquius, Bentley, Haupt, Vahlen, L. Müller, O. Keller (Holder in utraque ed. *et* omisit). — 100. *sit* codicum multo maior pars *esto* pauci cod. Lambini, Bentlei, ex Parisinis duo deteriores prob. Bentl., Haupt, Vahlen, Meineke, L. Müller.

substringe] *substringere* est aliquid in inferiore parte sic ligare, ut superior arrigatur acutiorque fiat, idem fere igitur h. l. atque „arrige", *„aure sublata* (Epod. 6, 7) ausculta."

96-98. *Importunus*] „Si quovis tempore et loco etiam minus apto laudes captat, adeo ut ei, quocum loquitur, perquam molestus fiat." — *Ohe iam*] Sat. 1, 5, 12: *Ohe? Iam satis est.* — *manibus sublatis*] Hic est signum precantis, ut tandem laudare desistat; admirationis contra Cic. Acad. 2, 63: *Hortensius autem vehementer admirans, quod quidem perpetuo Lucullo loquente fecerat, ut etiam manus saepe tolleret.*

99—104. *levarit*] morte sua. — *certum vigilans*] *„ὕπαρ, οὐκ ὄναρ,* pro certo, adeo ut ne minimae quidem dubitationi iam locus sit." Opponitur Ovid. Her. 10, 9: *Incertum vigilans, a somno languida.* — *sit - - heres*] Formulam ipsam restituere voluit Bentleius, scribens *esto.* (Gaius 2, 117: *„Sollemnis institutio haec est:* Titus heres esto. *Sed et illa iam comprobata videtur:* Titium heredem esse iubeo. *At illa non est comprobata:* Titium heredem esse volo. *Sed et illae a plerisque improbatae sunt:* Titium heredem instituo, *item* Heredem facio." Sic in Dasumii testamento apud Cardinali *Diplomi militari* p. 217: *Amicus si se nomen meum laturum promiserit, mearum fortunarum ex unica heres esto cernitoque in diebus centum proximis quibus scierit poteritque.*) At formula iuris contra optimorum codicum auctoritatem poëtae obtrudenda non videtur, qui si integram formulam referre voluisset, etiam pro *quartae partis* dixisset *ex quadrante* (Sueton. Caes. 83) vel *ex teruncio.* (Cic. ad Att. 7, 2, 3.) — *Audieris*] „vel ipsa magna voce legens vel testamento per puerum a manu recitato." — *Ergo*] Cf. ad Od. 1, 24, 5. — *Dama*] Cfr. v. 18. — *Nusquam est*] *οὐκέτ' ἔστιν.* Hand Turs. IV. p. 349. — *Unde mihi tam fortem*] „petam, parabo?" Sat. 2, 7, 116: *Unde mihi lapidem?* Cf. ad Epist. 1, 5, 12. — *Sparge subinde*] „Frequenter dicito." ACRON. Accuratius explices: „passim inicito, quasi sincerus dolor te hoc facere iubeat." — *illacrimare*] Sane est imperativus v. deponentis, qua forma usus est etiam Cic. de N. D. 3, 82. Iustin. 11, 12, 6 *eius mortem*

Sparge subinde et, si paullum potes, illacrimare; est
Gaudia prodentem voltum celare. Sepulcrum
Permissum arbitrio sine sordibus exstrue; funus 105
Egregie factum laudet vicinia. Si quis
Forte coheredum senior male tussiet, huic tu
Dic, ex parte tua seu fundi sive domus sit
Emptor, gaudentem nummo te addicere. Sed me
Imperiosa trahit Proserpina; vive valeque.' 110

103. 104. *illacrimare; est - celare* codices paene omnes; *est* del. S alt. m. et v. *celare* superscr. *celato; illacrima; e re est* Praedicow coni. probantibus Meineke, Lachmanno, Haupt, Vahlen, L. Müller; *illacrimare. Gaudia pertendes voltu celare.* Bentley coni. vel *et sic paulum potes illacrimare, et Gaudia prodentem voltum,* vel *et sic paulum potes illacrimare et Gaudia prudenter voltu celare.*

illacrimatum Alexandrum. Cfr. Publii versum ap. Gell. 17, 14, 4: *Heredis fletus sub persona risus est.* — *est*] „ἔστιν, ἔνι, ἔξεστι, licet." Cfr. Epod. 17, 25. Sat. 1, 2, 101. 1, 5, 87; epist. 1, 1, 32. „Facile est nec multam artem requirit, tunc ipsum, cum inibi est, ut voltus gaudium prodat, verum effectum celare."

105—110. *arbitrio*] Inscriptio Aquileiae reperta (C. I. L. vol V. 976): P. CAESIN. P. F. ROM AEDILIS. SORAE PVBLICANVS ROMAE ARBITRIO ARRI. PAEDATIS et HILARI cet. Plura exempla collegit G. Wilmanns II 691. — *sine sordibus*] immo eleganter, ex marmore, cum anaglyphis et honorifico titulo. — *laudet*] „Nic. Heinsius in margine sui libri, *Lege*, ait, *laudent.* Nempe quia *vicinia* est nomen collectivum, ideo numero singulari verbum hic plurale subiungi voluit. At Noster singularem numerum praetulit, tam hic, quam alibi. Ep. 1, 17, 62: *vicinia rauca reclamat.* Ep. 1, 16, 44: *Sed videt hunc omnis domus et vicinia tota.*" BENTL. — *sit Emptor*] „ex quarte parta tibi legata si quid emere cupiat, libenter te ei donaturum." — *nummo addicere*] „donare." Recordare hic emptionis summam, qua utebantur coram testibus, ubi inter vivos aliquid donabant, quo minus ea ex donatione lites orirentur. Cic. pro Rab. Post. 45: *Ecquis est ex tanto populo, qui bona C. Rabirii Postumi nummo sestertio sibi addici velit?* Livii Epit. 55: *C. Matienus* (desertor) - - *sestertio nummo veniit.* — *Imperiosa*] ἐπαινή. Od. 1, 28, 20: *Saeva - Proserpina.* — *trahit*] Proserpina umbras mittit et abripit. Vid. Hom. Odyss. λ 226, 632 sqq. — *vive valeque*] solita formula. Ep. 1, 6, 67: *Vive, vale.* Ep. 1, 7, 3: *Si me vivere vis sanum recteque valentem.*

SATIRA VI.

Hoc erat in votis: modus agri non ità magnus,
Hortus ubi et tecto vicinus iugis aquae fons
Et paullum silvae super his foret. Auctius atque
Di melius fecere. Bene est. Nil ampliùs oro,

Sat. VI. 4. *Nil* Lipsiensis, Leidensis, Gothanus Sb*φψλν*, *nihil* Dessauiensis O*γ*.

VI. Quod maxime in votis habuerat Horatius, ut liber aliquando ab omni negotiorum cura et verae vitae impedimentis sibimet ipsi ruri viveret atque otio suo frueretur, id iam villae Sabinae a Maecenate sibi donatae possessione erat assecutus; neque tamen tam assidue quam vellet ibi degere ei licebat. Consuetudo enim et familiaritas Maecenatis saepius eum Romae et in his urbanae vitae turbis detinebat, ubi quidem nulla alia res maiorem ei molestiam exhibebat, quam eorum importunitas, qui Maecenatis non minus quam poëtae animum et mores ignorantes vel propter invidiam eum iniquis sermonibus traducebant, vel, ut ipsos resque suas potenti Octaviani amico commendaret, pertinaci sedulitate rogare numquam desinebant. Huiusmodi igitur suam cum Maecenate necessitudinem nequaquam esse nec talia se quaerere affirmat, consulto amicitiam suam cum illo extenuans, quatenus sine amici offensione fieri poterat, ac salsissime irridens partim invidos atque iniquos, partim molestum scribarum genus (in quorum decuria aliqua quaestoria ipse olim fuerat) aliosque horum similes; summa simul cum venustate vitae rusticae bona extollit. ZELL. Scripta videtur haec satira a. ineunte a. Chr. uno et tricesimo paucis annis postquam a Maecenate Sabinum acceperat; v. tab. chron.

1-5. *in votis*] „in optatis.“ (Cic. ad Fam. 2, 13, 2). Pers. 3, 48: *quid dexter senio ferret, Scire erat in voto.* Etiam in prosa or. Cic. Accus. Verr. 5, 142: *nocturna vota cupiditatum suarum.* — *modus*] de agri spatio s. mensura etiam Plaut. Aul. Prol. 13: *Agri reliquit ei non magnum modum.* Cic. pro Flacco 80: *voluisti magnum agri modum censeri.* — *ita*] „admodum, valde;“ sic saepe post negationem. Cic. Orat. 25: *non ita lato interiecto mari.* S. Rosc. 64 *non ita multis annis.* Verr. 2, 49 *non ita tecum multum fuit.* — *Hortus* cet.] Plin. H. N. 19, 20: *Hortos villae iungendos non est dubium riguosque maxime habendos, si contingat, praefluo amne.* — *iugis aquae fons*] Conf. Epist. 1, 15, 15: *collectosne bibant imbris puteosne perennis iugis aquae.* Cic. divin. 2, 31 *etiamne futurum esse aquae iugis colore praesentiunt?* Sallust. b. Iug. 89 *Capsenses una modo atque ea intra oppidum iugi aqua, cetera pluvia utebantur.* Inde elucet voc. *iugis* (id quod *vivus*) non cum v. *fons* iungendum esse. — *paullum silvae*] Conf. Od. 3, 16, 29 sq. Ep. 1, 16, 5 sqq. Ep. 1, 18, 104. — *super his*] „ἐπὶ τούτοις, praeter haec.“ Sic prorsus *his super* apud Silium 1, 60. In prosa quidem or. requireretur *super haec;* ut Plin. Paneg. 75, 6: *super ea, quae sum - - precatus.* — *Bene est*] Formula est contenti bono eventu

Maia nate, nisi ut propria haec mihi munera faxis. 5
Si neque maiorem feci ratione mala rem
Nec sum facturus vitio culpave minorem;
Sic veneror stultus nihil horum: 'O si angulus ille
Proximus accedat, qui nunc denormat agellum!
O si urnam argenti fors quae mihi monstret, ut illi, 10
Thesauro invento qui mercennarius agrum
Illum ipsum mercatus aravit, dives amico
Hercule!' si, quod adest, gratum iuvat, hac prece te oro:
Pingue pecus domino facias et cetera praeter
Ingenium, utque soles, custos mihi maximus adsis. 15

7. *culpave* Leidensis, Dessauiensis bφψv, *culpaque* Lips., Gothanus, OSγλ.

animi, pro qua aeque frequenter Latini dicunt *bene habet.* Iuven. 10, 72: *Bene habet; nil plus interrogo.* — *Maia nate*] Od. 1, 2, 43. Invocat Mercurium lucri datorem, κερδῶον, ἐριούνιον. Cfr. Sat. 2, 2, 68. Quomodo Romani Mercurium coluerint, expositum est in Mythol. Romana Prelleri et Iordani II 229 sqq. — *propria*] „stabilia." Cfr. Sat. 2, 2, 129. Verg. Aen. 6, 872: *propria haec si dona fuissent.*

6-11. *Si neque* cet.] „Hac condicione exaudi preces meas, si neque" cet., frequenti in precando formula. Cfr. Od. 1, 32, 1. 3, 18. 5. Carm. Saec. 37. Apodosis sequitur demum v. 13: *hac prece te oro.* — *ratione mala*] ut tunc complures periurio, falsis testamentis, rapinis rem familiarem augere nihil pensi habebant. — *rem*] familiarem. — *vitio*] „vitiosa libidine, luxuria." — *culpa*] „segnitia et negligentia." — *veneror*] „deos venerans ab iis precor." Cfr. Carm. Saec. 49. Sat. 2, 2, 124. Caecina apud Cic. ad Fam. 6, 7: *qui multa deos venerati sint.* — *denormat*] „denormem, inaequalem reddit, adeo ut contra agrimensorum regulas quadratus non sit." — *fors quae*] Construe: *O si quae* (aliqua) *fors* cet. Alteram lectionem *quâ* explicabant vel „aliqua ratione" vel „aliqua in parte." — *mercennarius*] Conf. Sat. 2, 2, 115: *fortem mercede colonum.* Verba autem *illi, -- qui mercennarius* cet. posita sunt pro *illi mercennario qui* cet. eadem attractione, qua Sat. 2, 2, 59. *Cuius odorem olei* cet. pro *oleum, cuius odorem* cet.

12-13. *dives amico Hercule*] „Ut Mercurius apertis lucris et negotiationi praeerat, sic Hercules opertis lucris sive thesauris. Sunt qui eundem incubam seu incubonem esse velint (id est, δαίμονα thesauris velut incubantem)." SCHOL. Pers. 2, 10: *O si Sub rastro crepet argenti mihi seria, dextro Hercule!* Conf. Preller et Iordan Mythol. Rom. II pg. 282. — *quod adest*] τὸ παρόν, „praesens fortuna; quae nunc possideo." Cfr. Od. 3, 29, 32. — *gratum iuvat*] „ita iuvat, ut gratum sit animo meo." Nolim accipere de grato erga deos animo, neque est generis masculini.

14-19. *Pingue* cet.] Iocatur in ambigua significatione v. *pingue,* quod ad ingenium relatum significat „crassum, tardum." — *cetera*] ut arva, prata, similia. — *utque*

Ergo ubi me in montis et in arcem ex urbe removi,
Quid prius illustrem satiris musaque pedestri?
Nec mala me ambitio perdit nec plumbeus Auster
Autumnusque gravis, Libitinae quaestus acerbae.
Matutine pater, seu Iane libentius audis, 20
Unde homines operum primos vitaeque labores

soles] „uti grato animo agnosco, te semper mihi propitium esse.“ Conf. Od. 2, 14, 15 sq. — *custos*] *Ἑρμῆς λόγιος*, poëtarum semper custos, unde hos vocat *viros Mercurialis* Od. 2, 17, 29. — *in montis* cet.] „in Sabinos montes et in villam meam,“, *arcem*, quia in loco edito, in radicibus *Usticae cubantis* (Od. 1, 17, 11), aedificata erat. — *Quid prius* cet.] Supple „quam hanc felicitatem, qua in rustica solitudine utor.“ Scripsit enim haec aut scripsisse se fingit ruri, quocirca hoc dicit: „Nunc cum in Sabinum meum ex Urbe me recepi, Satirae, quam componere fert animus, argumentum longe aptissimum id erit, ut laeto animo praedicem rusticationis insignia bona;“ eaque statim enumerat: „Hic enim nec prava ambitio me vexat“ cet. — *musaque pedestri*] Cfr. Sat. 1, 4, 47. Od. 2, 12, 9. A. P. 95. Ep. 2, 1, 250: *sermones -- Repentis per humum.* Quintil. 10, 1, 81: *multum enim supra prosam orationem et quam pedestrem* (*πεζὸν λόγον*) *Graeci vocant surgit* (Plato). — *Nec mala me ambitio perdit*] Cfr. Ovid. Metam, 11, 765: *Secretos montes et inambitiosa colebat Rura.* Ambitio autem *mala* vocatur etiam Sat. 2, 3, 78, *prava* Sat. 1, 6, 51, *misera* Sat. 1, 4, 26. 1, 6, 129, *inanis* Ep. 2, 2, 207. — *plumbeus Auster*] (*Scirocco*) „aestu suo corpus aggravans, vireque ita extenuans, ut nihil moliri possim neque studiis vacare.“ Vid. ad Od. 2, 14, 15 seq. — *Autumnusque gravis*] „pestilentiam secum afferens.“ Cfr. Od. 3, 23, 8: *Pomifero grave tempus anno.* Autumnum *letiferum* nominat Iuven. 4, 56. — *Libitina*] funerum dea Italica modo cum Proserpinae modo cum Veneris numine a doctioribus coniuncta, in cuius templum pro quoque funere nummus inferebatur; item, quaecumque ad funera pertinebant, ibi locabantur et venibant; quo igitur plures moriebantur, eo maior et ipsius deae et libitinariorum, qui funera curabant, quaestus erat. Liv. 40, 19: *Pestilentia in agris forisque et conciliabulis et in urbe tanta erat, ut Libitina ad funera vix sufficeret.* id. 41, 21. Suet. Ner. 39: *Pestilentia unius autumni triginta funerum milia in rationem Libitinae venerunt.* Conf. Od. 3, 30, 7. Ep. 1, 7, 5 sq. Preller-Iordan Mythol. Rom. 1, 440 sq.

20-24. *Matutine pater*] Descriptionem incommodorum vitae urbanae scite orditur ab invocatione Iani, qui omnia initia fortunat, vitae anni, h. l. negotiorum per singulos dies capessendorum. Hoc loco solo *patris matutini* cognomen habet, ut Martialis 4, 8, 12 *matutinum Iovem* vocat, qui primo mane salutatur. Ep. 1, 16, 59: *Iane pater.* Macrob. 1, 9, 9: *Ianum quidem Solem demonstrari volunt et ideo geminum, quasi utriusque ianuae caelestis potentem, qui exoriens aperiat diem, occidens claudat.* Accuratius de Iano egerunt Preller et Iordan l. l. 1, 168 sqq. — *seu* cet.] Cfr. ad Carm. Saec. 14: *Ilithyia, -- Sive tu Lucina probas vocari Seu Genitalis.* —

Instituunt — sic dis placitum —, tu carminis esto
Principium. Romae sponsorem me rapis. 'Eia,
Ne prior officio quisquam respondeat, urge.'
Sive Aquilo radit terras seu bruma nivalem 25
Interiore diem gyro trahit, ire necesse est.
Postmodo, quod mi obsit, clare certumque locuto

Iane-audis] „ἀκούεις, κλύεις, appellaris." Ep. 1, 7, 37: *rexque paterque Audisti coram nec verbo parcius absens.* — *Unde*] „a quo." Vid. ad Od. 1, 12, 17. — *operum-vitaeque*] „omnium operum, quae vitae nostrae condicio nobis imponit." — *sic dis placitum*] Cfr. Od. 1, 33, 10: *Sic visum Veneri.* Epod. 9, 3: *sic Iovi gratum*, sollemni in his formulis verbi substantivi omissione. „Iam enim haec deorum est voluntas, ut praeside te plena laborum sit vita humana." — *Romae*] „Cum Romae sum, mane me rapis sponsum in forum" (Ep. 2, 2, 67: *Hic sponsum vocat.*); i. e. „Romae necessitatem mihi impositam sentio pro hoc vel illo amico confestim spondendi, nisi insuavis et negligentior haberi velim." — *Eia--urge*] His verbis Ianus Horatium ad forum rapere fingitur: „ἐπειγε, propera, ne quis in hoc officio recipiendo te praeveniat." Cfr. Pers. 5, 132: *Surge, inquit Avaritia, eia Surge!* Alii (coll. Philon. Leg. ad Caium 26, ubi Helicon ad semet ipsum: *Νῦν ὁ καιρός ἐστιν, Ἑλικών· ἐπέγειρε σεαυτόν.*) haec vv. Horatio tribuunt semet ipsum excitanti. — *officio*] *officium* i. e. opificium proprie significat *opem*, operam, quam alteri praestamus, ut fere semper antequam illos de *Officiis* libros scripsit apud Ciceronem: pro Sulla 26: *si ille labor-si officia, si operae, si vigiliae deserviunt amicis, praesto sunt omnibus;* id. pro Murena 71: *nulla est poena, ruae possit observantiam tenuioqum ab hoc vetere instituto officiorum excludere.* Neque ab eo usu abhorret Horatius: Ep. 1, 7, 47. 17, 21 al.

25. 26. *radit*] „flat, terrae superficiem *radens*, perstringens", ut *radere litus.* — *Interiore-gyro*] „solstitium hiemale lente ducit diem, qui iam breviorem horarum, quibus sol lucet, circulum describit," ut inter plures circulos, quibus idem est centrum, interiores semper brevius spatium circumscribunt. Cic. de N. D. 2, 106 ex Arateis suis de Cynosura: *Nam cursu interiore brevi convertitur orbe.* — *trahit*] „lente ducit quasi ingratum, qui vix ire videatur", etsi multo breviorem aestivo.

27. 28. *Postmodo* cet.] „Statim, cum e foro discessi, incidere rursus soleo in turbam molestissimam." — *quod mi obsit.--locuto*] „Cum pronuntiaro sponsionis formulam, quae fortasse, ubi creditori a me satisfaciendum erit, si debitor ipse solvendo non fuerit, mihi noxam afferet;" ex Thaletis vel, ut alii volunt, Biantis illa sententia, quae in proverbium abiit: *Ἐγγύα πάρα δ' ἄτα.* (*Sponde; noxa praesto esto.*) — *clare certumque*] Est hoc ex formularum sermone, ex quo apud ICtos *certa verba* eadem sunt ac sollemnia et legitima; utrumque autem v. ita iungitur in formula apud Liv. 1, 18: *Iuppiter,--tu signa nobis certa adclarassis;* et prorsus ut h. l. apud Senec. Lud. 1: *quaecumque audivi, certa claraque affero.* — *Luctandum*] „summo labore penetrandum est per turbam, ita ut in tardiores impingam eosque pulsem, atque

Luctandum in turba et facienda iniuria tardis.
'Quid vis, insane, et quas res agis?' improbus urget
Iratis precibus; 'tu pulses omne quod obstat, 30
Ad Maecenatem memori si mente recurras.'
Hoc iuvat et melli est; non mentiar. At simul atras
Ventum est Esquilias, aliena negotia centum
Per caput et circa saliunt latus. 'Ante secundam
Roscius orabat sibi adesses ad Puteal cras. 35

29. *Quid vis, insane* pauci cod. (Leid. pr. in ras., Lips. pr. in ras., Parisinus 8213, Basil. Kirchneri alii perpauci); *Quid tibi vis, insane* cod. plerique, in his OSγφψλ, Gothanus, Kirchneri Dresdenses 1, 2, 3, Bentlei omnes; *Quid tibi vis, quas res agis, insane, improbus urget* tres cod. Torrentii. Bentleius coni.: *Quid tibi vis, insane, et quam rem agis*, seq. Heindorf.

adeo etsi invitus iniuria eos afficiam." Plaut. Mercat. 118: *Et currendumst et pugnandum et iurigandum autem in via.*

29-31. *Quid vis, insane*] Vv. haec quasi in formulam transierunt. Propert. 1, 5, 3: *Quid tibi vis, insane?* Conf. Sat. 1, 2, 69. — *improbus urget Iratis precibus*] „sine ullo pudore ac modo me insectatur diris imprecationibus." Cfr. Epod. 5, 86: *Thyesteae preces.* Od. 1, 28, 33: *precibus non linquar inultis;* apud Tacit. annal. 2, 57: *precibus contumacibus.* — *tu pulses*] „Quomodo, malum, (inquit pulsatus,) audes impingere in omnes qui tibi obstant eosque de via deturbare?" Cfr. Sat. 2, 7, 40: *Tu--ultro Insectere?* Plin. Paneg. 63, 5: *Averseris tu suffragia?--liberae civitati ne simulationem quidem serves?* — *si-recurras*] „ubi ex foro ad Maecenatem, quasi apud eum habitares, festinanter redeas." — *memori*] „dum amicus tibi semper ante oculos versatur."

32-35. *Hoc*] „ad Maecenatem memori mente recurrere;" neutiquam vero, ut alii explicant: „pulsare et pulsari maleque insuper audire." — *melli est*] ex usu quotidiano sumptum; Plaut. Casin. 2, 8, 22: *mel mi videor lingere.* — *non mentiar*] „libere fatebor;" hoc quoque sermonis quotidiani. Cic. ad Fam. 3, 4, 2: *Quod scribis--id mihi, ne mentiar, gratum est.* — *atras*] quia olim fuerat plebis infimae sepulcretum, cuius ipsa memoria *atras*, id est, funestas cogitationes excitabat; etsi tunc turris Maecenatiana cum horto ibi exstructa erat, certe iam inde ab a. u. c. 718. Vide Sat. 1, 8, 14. Epod. 5, 100. — *centum*] „sescenta negotia ab omni parte me vexant et quasi *circumvallant.*" (Terent. Ad. 302.) — *secundam*] nobis ex variis anni temporibus vel sextam vel septimam, Horatio utique satis incommodam; argentarii contra tunc negotiis vacare incipiebant. Cic. pro Quinctio 25: *Naevius--ipse suos necessarios--corrogat, ut ad tabulam Sextiam sibi adsint hora secunda postridie.* — *Roscius orabat*] Verba sunt non servi alicuius, sed ipsius Horatii, cuius per caput hoc Roscii et alterum scribarum negotium saliebat. — *Puteal*] Cfr. Ep. 1, 19, 8: *Forum putealque Libonis.* PVTEAL SCRIBON — *ianum* inscriptum est denariis gen-

De re communi scribae magna atque nova te
Orabant hodie meminisses, Quinte, reverti.
Imprimat his, cura, Maecenas signa tabellis.'
Dixeris, Experiar: 'Si vis, potes' addit et instat.
Septimus octavo propior iam fugerit annus, 40
Ex quo Maecenas me coepit habere suorum
In numero, dumtaxat ad hoc, quem tollere reda

tis Scriboniae (Eckhel D. N. 5. p. 301), in quibus arae lyris et encarpis ornatae, quae, ut videtur, iuxta ipsum Puteal posita erat, forma exhibetur. Dicebatur autem *Puteal*, quia veri putealis (*περιστομίον*), saepti puteo circumdati, habebat formam atque ad eam rem destinatum erat, ne locus sacer, in quo fulgurita condita essent, hominum accessu profanaretur. *Fecit* autem *Scribonius* Libo aliquis, *cui negotium datum a senatu fuerat, ut conquireret sacella attacta; - - semper foramine ibi aperto caelum patet.* FESTUS Müll. p. 333 in v. *Scribonianum.* „*Puteal*, locus Romae, ad quem conveniebant feneratores. Alii dicunt, in quo tribunal solebat esse praetoris.“ ACR. Accuratius de situ Putealis egit Iordan in Topograph. Rom. 1, 2, 1 §. 3. — *adesses*] ad testimonium dicendum. Cfr. Cic. pro Quinctio 25.

36. 37. *De re communi* cet.] Post aciem Philippensem Horatius, quo se patrimonio maxima ex parte spoliatum sustentaret, scriptum quaestorium comparaverat. Conf. vitam Suetonii, vol. I pg. 1 init. Atqui Porphyr. 'hoc loco significat se Horatius decuriam habuisse' — ergo cum hanc satiram scripsit, non iam videtur a muneribus scribarum se removisse: quae qualia fuerint, docet Mommsen R. St. R. I² 332 sqq. — Verbis *de re communi* utebantur alter alterum attentiorem reddituri. Sic Plaut. Aul. 199: *est quod te volo De communi re appellare mea et tua.* — *Quinte*] Semet ipsum appellare videtur Horatius, memoria repetens collegarum negotium. Plerique hic, ut supra de Roscii servo, de scribarum servo cogitant, cui parum convenit praenominis usurpatio. — *reverti*] „rursus adesse in collegio, ubi de re gravi atque inexspectata“ (videlicet scribis, cum Horatio, ut re vera erat, levis atque exigua videretur, sibi tamen molesta) „quaeque ad ipsum quoque cum ceteris pertineret, consultandum esset.“

38. 39. *Imprimat* cet.] Hoc rogat tertius aliquis homo negotiosus. Maecenas autem circa tempus pugnae Actiacae a. u. c. 723. Italiae praefectus Caesaris Octaviani anulum signatorium habuit. Mense demum decembri Agrippa ei adiunctus est atque itidem anulum accepit. Dio Cass. 51, 3. — *tabellis*] Quales hae fuerint, divinare non possumus: fuitne diploma, quod dicebant (Tacit. Hist. 2, 54 et 69), quod ut ratum fieret, a Maecenate obsignandum erat? Ea certe a principe, tunc ab eius tamquam vicario, signabantur. Cfr. Sueton. Octav. 50. — *Dixeris*] „Si ego ei respondero“ cet.

40-44. *Septimus*] Praeterierant igitur sex anni septimique maior pars; itaque si quid temporis accessisset, octavi anni initium advenisset. Inde licet colligere cum haec satira scripta sit a. fere exeunte 723 vel ineunte proximo, Horatium in amicitiam Maecenatis exceptum esse a. 716 vel ineunte a. 717. — *dumtaxat ad hoc* cet.] Con-

Vellet iter faciens et cui concredere nugas
Hoc genus: 'Hora quota est? Thraex est Gallina Syro par?
Matutina parum cautos iam frigora mordent,' 45
Et quae rimosa bene deponuntur in aure.
Per totum hoc tempus subiectior in diem et horam
Invidiae noster. Ludos spectaverat una,

44. *Thraex* duo Blandinii (sic habet in ed. 1597, 1611 Cruquius, cum a. 1573, 1579 scripsisset: Blandinii), Oγφψ multique alii, Bentl., Haupt ed. 2, 3, Vahlen, Holder, Keller; *Thrax* Leidensis, Gothanus, S1, Orelli, Haupt ed. 1, L. Müller. — 48. *Invidiae noster*. Sic cum cod. nonnullis (Leid., Gothanus, φψ) interp. Bentl., Haupt, L. Müller ceterique, *invidiae. Noster* codices plerique. — *spectaverat luserat* maior pars cod. et ed. *spectaverit* ex perpaucis cod. Bentl., Meineke, Haupt ed. 1, 2, 3.

sulto extenuat suam cum potente amico necessitudinem, significans se ab ambitione longe remotum esse neque umquam negotiis civilibus ab illo administrandis sese ingerere solitum. Ceterum haec omnia *κατ' εἰρωνείαν* dici apparet; etenim de aliis ac gravioribus rebus, praesertim ad poësin et litteras spectantibus, eos inter se plerumque collocutos esse consentaneum est. Verum tales sermones hic exponere ineptum ac putidum fuisset. — *tollere reda*] „recipere comitem in redam." Liv. 45, 6: *appellat, ut se sublatum in lembum ad Cotym deveheret.* Ceterum *reda*, voc. ex Gallia petitum, currum quattuor rotarum significat, quo Romani ad iter faciendum aeque atque cisiis quae duarum erant rotarum, utebantur: cf. Sat. 1, 5, 86. — *Hoc genus*] Cic. ad Att. 13, 12, 3: *Scis me antea orationes aut aliquid id genus solitum scribere.* — *Gallina*] nomen gladiatoris per se ridiculum, qui parma Thraecidica et gladio incurvo (*ἅρπη*) armatus componi solebat in arena cum *Syro* mirmillone, id est, gladiatore armatura Gallica inducto et piscis (*μορμύλον* s. *μορμύρον*) imaginem in galea habente. Cic. Philipp. 7, 17: *Mirmillo in Asia depugnavit* (L. Antonius). *Cum ornasset Thraecidicis comitem et familiarem suum, illum miserum fugientem iugulavit. Thraeces* autem gladiatores plerumque nominari, non Thraces, demonstrant inscriptiones, v. Orell. 2576. 2579.

45-49. *parum cautos* cet.] „paenulis et lacernis non satis munitos laedunt frigora." Quemadmodum *urere*, sic etiam *mordere* de frigore usurpabant. Martial. 8, 14, 1: *ne -- Mordeat et tenerum fortior aura nemus.* Aestus *mordere* dicitur Ep. 1, 8, 5. — *rimosa*] „quae nihil secreti retinet, sed in huiusmodi sermonibus sane sine ullo incommodo aut periculo alterius!" ex Terentiano illo Eun. 105: *Plenus rimarum sum, hac atque illac perfluo.* Conf. Ep. 1, 18, 70: *Nec retinent patulae commissa fideliter aures.* — *Per totum* cet.] „Ex eo inde tempore, quo in Maecenatis amicitiam admissus sum, in dies ac prope in singulas horas magis expositus sum invidiae hominum contracti ac pusilli animi." — *noster*] comice pro *ego*, quasi excepto vocabulo *noster* ex ore servorum, h. l. ex ore volgi Horatium sibi consociantis. Plaut. Rud. 1245: Daemones: *minime istuc faciet*

Luserat in campo: 'Fortunae filius' omnes.
Frigidus a rostris manat per compita rumor: 50
Quicumque obvius est, me consulit: 'O bone, nam te
Scire, deos quoniam propius contingis, oportet;
Numquid de Dacis audisti?' Nil equidem. 'Ut tu
Semper eris derisor!' At omnes di exagitent me,
Si quidquam. 'Quid? militibus promissa Triquetra 55
Praedia Caesar an est Itala tellure daturus?'

noster Daemones. Amphitr. 399: MERC. *Tu me vivos hodie numquam facies quin sim Sosia.* SOSIA. *Certe edepol tu me alienabis numquam quin noster siem: Nec nobis praeter med alius quisquamst servos Sosia.* Epidicus 147 *novi ego nostros: mihi dolet quom ego vapulo.* — *spectaverat - Luserat*] Haec plusquamperfecta in *spectaverit* et *luserit* mutare nihil attinebat, cum sit velut species interrogationis directae pro hypothetico: *si quando spectarat, postea omnes exclamabant;* prorsus ut Sat. 2, 7, 68: *Evasti* pro *si evasisti.* Cfr. Sat. 1, 3, 56 sq. — *Fortunae filius*] Graeci παῖς τῆς τύχης (Soph. Oed. Tyr. 1080.)

50-56. *Frigidus* cet.] „qui frigus et timorem incutit." Cfr. Ep. 1, 3, 26: *Frigida curarum fomenta.* „Si sinister aliquis ac formidolosus rumor per singula bivia spargitur a rostris ab Iulio Caesare in medio foro collocatis, unde primum emanavit, omnes me verum scire opinantur, utpote qui principibus viris proximus sim." — *per compita*] quae *frequentia*] vocat Sat. 2, 3, 25. — *Dacis*] Cum his M. Antonii sociis, ipso illo anno 723, quo haec Satira composita est, bellum gerebatur; ad quod a. 724. M. Crassus, illius, qui a Parthis occisus est, filius, missus est. (Cfr. Od. 3, 6, 14.) — *eris derisor*] „quemadmodum nunc es, sic etiam, ut mihi videris, in perpetuum eris-εἴρων." De derisore, „simulatore ac dissimulatore (Sallust. Catil. 5)", conf. Ep. 1, 18, 11. A. P. 438: *Derisor vero plus laudatore movetur.* — *omnes di exagitent me, Si quidquam*] „audivi" vel „scio." Cfr. Tac. Ann. 6, 6 in Tiberii epistula: *di me deaeque peius perdant, quam perire me cotidie sentio, si scio.* — *Quid?*] Novae personae altera haec interrogatio tribuenda est. — *militibus promissa*] Hic quoque eodem tempore (a. u. c. 723 exeunte) quotidianus civitatis sermo erat. Etenim non de alia agrorum divisione h. l. agi potest, quam de ea, quae facta est post pugnam Actiacam media hieme a. 723-724; cum Caesar ex Asia, ubi tum morabatur, repente Brundisium profectus esset ad seditionem veteranorum, quos sine donis dimiserat, compescendam. Dio 51, 4. Qua occasione militibus suis partim pecuniam dedit, aliis, qui omnia secum bella gessissent, agros etiam assignavit eorum Italorum, qui Antonii partes secuti erant. Quo tempore haec scripsit, etiamtunc ambigebatur, utrumne in Sicilia an in Italia veteranis tumultuantibus Caesar agros daturus esset. — *Triquetra*] „tellure", non „praedia." *Triquetra* pro *triangula* dicta est Sicilia a forma triangulari, tribus promuntoriis, Pachyno, Lilybaeo, Peloro finita. Cfr. Quintil 1, 6, 30. *Trisulcam* eandem appellat Claudian. R. P. 1, 145.

Iurantem me scire nihil mirantur ut unum
Scilicet egregii mortalem altique silenti.
Perditur haec inter misero lux non sine votis:
O rus, quando ego te adspiciam? quandoque licebit 60
Nunc veterum libris, nunc somno et inertibus horis
Ducere sollicitae iucunda oblivia vitae?
O quando faba Pythagorae cognata simulque
Uncta satis pingui ponentur oluscula lardo?

57. *mirantur* codices et editores plerique, *miratur* pauci Parisini ($\varphi\psi$), nonnulli Bentl. probantibus Bentleio, Meinekio. — 59. *Perditur* codices, *Porgitur* Lachmannus coniecit prob. Haupt, Vahlen, *Mergitur* Madvigius; *Deperit* L. Müller.

57-64. *unum*] „praecipuum omnium, quotquot sunt." Ut Cicero: *unus gladiator M. Antonius*, Catullus: *unus caprimulgus*. — *Perditur*] Codicum omnium auctoritatem negligere dubitavimus, etsi recte Lachmannus (ad Lucret. pg. 121) *vendi perdi* Latinos non dixisse docuit coniecitque *Porgitur*, ut Ovidius met. IV 199 solem Leuconoës amore captum *horas brumales porrexisse* fingit. — *lux*] „dies." Cfr. Sat. 1, 5, 39. Sat. 2, 2, 116. — *non sine votis*] „non sine huiusmodi optatis", qualia sequuntur. — *veterum*] scriptorum ante Alexandrum M. Similiter, sed κατ' εἰρωνείαν, Lucian. Rhet. Praec. 17: ἀναγίγνωσκε τὰ παλαιὰ μὲν μὴ σύ γε, Isocratem, Demosthenem, Platonem subiungens. Conf. Sat. 2, 3, 11: *Quorsum pertinuit stipare Platona Menandro, Eupolin, Archilochum, comites* (rus) *educere tantos?* Ep. 1, 2, 1: *Troiani belli scriptorem - - Praeneste relegi.* — *somno*] meridiano, *siesta*, quod Varro R. R. 1, 2, 5 dicit: *aestivum diem si non diffinderem insititio somno meridie, vivere non possem.* Ep. 1, 14, 35: *Cena brevis iuvat et prope rivum somnus in herba.* — *inertibus horis*] Tibull. 1, 1, 5: *Me mea paupertas vitae traducat inerti.* — *Ducere*] ἕλκειν, quasi vinum „obsorbere, haurire." Od. 1, 17, 21: *Hic innocentis pocula Lesbii Duces sub umbra.* Verg. Aen. 6, 713: *Animae - - Lethaei ad fluminis undam Securos latices et longa oblivia potant.* — *faba Pythagorae cognata*] Serenus Samon. v. 741: *Pythagorae cognata* (faba) *levi condita cumino Proderit.* „Dubitabat enim Pythagoras, an in eo corpore lateret anima patris sui an alterius propinqui, qua de re ridet eum Horatius et eius sequaces." COMM. CRUQ. Pythagoreis interdictum esse, ne κυάμοις vescerentur, refert Cicero de Divin. 1, 62, *quod habet inflationem magnam is cibus, tranquillitati mentis quaerentis vera contrariam;* alii alias caussas afferunt. (Cfr. Aristot. ap. Diog. Laërt. 8, 34.) Prorsus contraria est Aristoxeni narratiuncula, qui apud Gell. 4, 11: *nullo saepius legumento Pythagoram* dicit *usum quam fabis, quoniam is cibus et subduceret sensim alvum et levigaret.* Volgarem narrationem hic manifesto secutus est Horatius. Locus est prorsus similis Ep. 2, 1, 52: *et somnia Pythagorea.* Hoc igitur dicit: „Nobile illud legumen, quod volgus quidem spernere solet, sed pro cognato sibi habuit vel ipse Pythagoras." Utique utitur lepida ironia, sed nulla inest

O noctes cenaeque deum! quibus ipse meique 65
Ante Larem proprium vescor vernasque procacis
Pasco libatis dapibus. Prout cuique libido est,
Siccat inaequalis calices conviva solutus
Legibus insanis, seu quis capit acria fortis
Pocula seu modicis uvescit laetius. Ergo 70
Sermo oritur, non de villis domibusve alienis,

67. *Prout* cod., Bentl. coni. *Cum ut* prob. L. Müller.

virulentia in Pythagoreos. — *Uncta satis*] Sic iunge, non *satis pingui*, ex quo errore nata sunt *παραδιορθώματα* Bentlei *focis*, Meinekii *fabis*. Videlicet „oluscula coquuntur una cum larido, quo illa unguntur, quod satis sit.“ — *ponentur*] „apponentur.“ Vid. Sat. 2, 2, 23. — *oluscula lardo*] Sat. 2, 2, 116: *Non ego-temere edi luce profesta Quidquam praeter olus fumosae cum pede pernae.*

65-67. *O-cenae*] „simplicissimae quidem, sed simul aeque securae et iucundae ac si *conviva deorum* essem (Od. 1, 28, 7), in noctem usque productae!“ Manifesto verba facit de cenis laetissimis quidem, sed rusticis et quotidianis vv. 63. 64. — *meique*] non „servi“, sed, ut patet ex seqq. et ex v. 41 *suorum*, „amici atque familiares, qui in lectis mecum accumbunt, et quidem ex rusticantium more, ante Lares in foco collocatus, dum servi domi meae nati nutritique, alacres, ut solent, atque petulantes mensam circumstant et mox cena peracta reliquias ciborum a nobis quantum libet degustatorum comedunt.“ — *Ante Larem*] Vid. ad Epod. 2, 66. — *vernasque procacis*] Seneca de Providentia 1, 6: *Cogita filiorum nos modestia dilectari, vernularum licentia; illos disciplina tristiori contineri, horum ali audaciam.* Vernis, donec adolevissent, homines elegantiores, ut Horatius etsi „pauper“, varia ad ministeria uti solebant, ad iocos convivales, ad epistulas huc illuc mittendas, quos *tabellarios* vocabant, ad opsonia aliasque res ex urbe arcessendas; his carmina dictabant Ep. 1, 10, 49; quin etiam „canebant *indoctum sed dulce bibenti*“ Ep. 2, 2, 9. — *libatis*] „temperanter degustatis.“ Cfr. Verg. Aen. 5, 90: *Ille--inter pateras et levia pocula serpens Libavit-dapes.*

67-76. *Prout cuique libido est*] Honestus in Anthol. Palat. II. p. 333: *τὸ δ' ὁππόσον ἡδὺ ποθῆναι Μέτρον ἐμοὶ πάσης ἄρκιον εὐφροσύνης.* — *Prout*] monosyllabon: quae synizesis dura illa quidem, verum non inaudita, cf. supra sat. 2, 3, 91 *quoad;* sat. 2, 2, 21 *ostrea;* itaque non opus erat Bentlei coniectura *cum ut.* — *Siccat* cet.] „Suo quisque arbitratu ebibit pocula minora aut maiora, liber a molestis illis legibus, quas *συμποσιάρχης* (rex bibendi) de numero ac mensura poculorum alias convivis dictat.“—*Legibus insanis*] Cic. Verr. Acc. 5, 28: *Iste enim praetor severus ac diligens, qui populi R. legibus numquam paruisset, illis legibus, quae in poculis ponebantur, diligenter obtemperabat.* Conf. Sat. 2, 2, 123. — *capit*] „sumit, eligit.“ — *acria*] „grandia“; alii simul referunt ad vinum meracius, cum timidiores dilutius sumerent. Similiter *acres potores* dixit, qui *calices* poscunt *maiores*, Sat. 2, 8, 35 sq. — *fortis*] „confidens se inebriatum non iri.“ — *uvescit*] „paullatim *uvidus* fit (Od. 2, 19, 18. 4,

Nec male necne Lepos saltet; sed quod magis ad nos
Pertinet et nescire malum est, agitamus: utrumne
Divitiis homines, an sint virtute beati;
Quidve ad amicitias, usus rectumne, trahat nos; 75
Et quae sit natura boni summumque quid eius.
Cervius haec inter vicinus garrit anilis
Ex re fabellas. Si quis nam laudat Arelli
Sollicitas ignarus opes, sic incipit: 'Olim
Rusticus urbanum murem mus paupere fertur 80
Accepisse cavo, veterem vetus hospes amicum,
Asper et attentus quaesitis, ut tamen artum
Solveret hospitiis animum. Quid multa? neque ille
Sepositi ciceris nec longae invidit avenae,
Aridum et ore ferens acinum semesaque lardi 85

5, 39), bene potus." — *Lepos*] „nomen insignis saltatoris Caesari grati, archimimi, qui sic appellatus est, quod iucunde et molliter saltaret eloquereturque." COMM. CRUQ. — *sed quod magis* cet.] „sed Socratici generis sunt nostri sermones." — *utrumne*] Conf. Epod. 1, 7. — *usus rectumne*] „utrum utile an honestum amicitias contrahere debeat." — *summumque* cet.] „*τὸ τέλος τῶν ἀγαθῶν, ἡδονὴ ἢ ἀρετή*, perpetua illa controversia inter Stoicos et Epicureos, nos quoque agitat."

77-79. *Cervius*] lepidus ac facetus Horatii vicinus, cuius nomen posteritati tradere placuit poëtae; *Arellius* contra avarus, item in vicinia habitans. Ut nomina haec pro fictis habeamus, nihil profecto causae est. — *garrit*] „comiter narrat fabellas Aesopias *aniles*, omnibus iam per nutricum narrationes inde a pueritia notas, nec tamen umquam iniucundas, si facete narrentur." Cfr. Sat. 1, 10, 41: *garrire libellos*. — *Ex re*] „pro commodo, id est, quae cum re proposita conveniant." Cfr. Hand Turs. II. p. 660. — *Sollicitas ignarus*] „nescius, quantam sollicitudinem Arellio isti afferant."

79—87. *Olim*] *Olim* et *quondam* frequens fabellarum et exemplorum initium. Cfr. Ep. 1, 1, 73. Ovid. Fast. 2, 799: *ut quondam stabulis deprensa relictis - - agna*. — *Asper*] „laboriosus, et minime luxuriosus." — *attentus*] „parcus", ut Terent. Ad. 954: *nimium ad rem in senecta attenti sumus*. Ep. 1, 7, 91: *Durus, ait, Voltei, nimis attentusque videris Esse mihi*. — *ut tamen* cet.] „ita tamen, ut animum alias contractum ac prope anxium laxaret *hospitiis*" (dativus, ut Iuven. 4, 67: *propera stomachum laxare saginis.*), „se exhilararet interdum hospites invitando." — *ille*] „ut qui tam benignus esset." — *longae*] „Habet enim glumam (grani folliculum) longam." COMM. CRUQ. — *invidit avenae*] constructione Graeca (Quintil. 9, 3, 17), ut *φθονεῖν τινί τινος*. Verg. Aen. 11, 126: *Iustitiaene prius mirer belline laborum?* Latinam constructionem vide Sat. 1, 6, 49: *honorem Iure mihi invideat quivis*. Cfr. Ep. 1, 14, 41. — *acinum*] uvae passae.

Frusta dedit, cupiens varia fastidia cena
Vincere tangentis male singula dente superbo;
Cum pater ipse domus palea porrectus in horna
Esset ador loliumque, dapis meliora relinquens.
Tandem urbanus ad hunc: 'Quid te iuvat,' inquit, 'amice, 90
Praerupti nemoris patientem vivere dorso?
Vis tu homines urbemque feris praeponere silvis?
Carpe viam, mihi crede, comes; terrestria quando
Mortalis animas vivunt sortita, neque ulla est
Aut magno aut parvo leti fuga: quo, bone, circa 95
Dum licet, in rebus iucundis vive beatus;
Vive memor, quam sis aevi brevis.' Haec ubi dicta
Agrestem pepulere, domo levis exsilit; inde
Ambo propositum peragunt iter, urbis aventes
Moenia nocturni subrepere. Iamque tenebat 100
Nox medium caeli spatium, cum ponit uterque

— *tangentis male*] „vix ac fastidiose contingentis.“ COMM. CRUQ.

88-92. *Cum pater ipse* cet.] Non sine festiva stili gravitate patremfamilias facit stratum esse in palea hornotina atque edere cibos longe viliores, *ador* et *lolium*. Qui hic *pater domus* vocatur, *cenae pater* dicitur Sat. 2, 8, 7. — *patientem*] „καρτερροῦντα, dum parcam ac duram vitam agis.“ Cfr. Od. 1, 7, 10. Verg. Ecl. 10, 52: *Certumst in silvis, inter spelaea ferarum Malle pati.* — *Vis tu*] Vid. ad Sat. 1, 9, 69.

93-100. *Carpe viam*] Cfr. Sat. 1, 5, 95. Ovid. Trist. 1, 10, 4 de nave celerrima: *Sive opus est remo, remige carpit iter.* — *mihi crede*] „Sequere, quaeso, fidum meum consilium;“ non, ut alii: „Crede te meae fidei atque praesidio.“ Cfr. Sat. 2, 3, 75. — *terrestria quando* cet.] Satis festive hic mus urbanus philosophum Epicureum agit, omnibus terrestribus (animalibus) fato contingere animas mortales docens. — *neque ulla est* cet.] Od. 1, 4, 13: *Pallida Mors aequo pulsat pede pauperum tabernas Regumque turris.* Videtur parodia Euripidis Alcest. 782: *Βροτοῖς ἅπασι κατθανεῖν ὀφείλεται. -- Ταῦτ' οὖν ἀκούσας καὶ μαθὼν ἐμοῦ πάρα, Εὔφραινε σαυτόν, πῖνε, τὸν καθ' ἡμέραν Βίον λογίζου σόν, τὰ δ' ἄλλα τῆς τύχης.* — *Vive memor* cet.] „Et quidem ita vive, ut decet eum, qui vitam brevem esse semper meminerit.“ Pers. 5, 153: *Vive memor leti, fugit hora.* — *pepulere*] „impulerunt, commoverunt.“ Etiam in prosa orat. Cic. de Off. 3, 41: *Species utilitatis animum pepulit eius.* — *aventes - - subrepere*] „cupientes, quo tempore nemo eos animadverteret nec disturbaret, rependo moenia subire ac per aperturam aliquam clanculum intrare.“ — *nocturni*] Cfr. Epod. 16, 51. Sat. 1, 3, 117.

100-105. *Iamque tenebat* cet.] Parodia epica, ut Sat. 1, 5, 9: *Iam nox inducere terris Umbras et caelo diffundere signa parabat.* — *Nox*] dea caelum curru pervehitur, ut

In locuplete domo vestigia, rubro ubi cocco
Tincta super lectos canderet vestis eburnos,
Multaque de magna superessent fercula cena,
Quae procul exstructis inerant hesterna canistris. 105
Ergo, ubi purpurea porrectum in veste locavit
Agrestem, veluti succinctus cursitat hospes
Continuatque dapes nec non verniliter ipsis
Fungitur officiis, praelambens omne quod affert.
Ille cubans gaudet mutata sorte bonisque 110
Rebus agit laetum convivam, cum subito ingens
Valvarum strepitus lectis excussit utrumque.
Currere per totum pavidi conclave, magisque

108. *verniliter* Blandinii et ceterorum maior pars, *vernaliter* pauci eique in rasura. — 109. *praelibans* e duobus cod. Bentleius.

Aurora et Sol. — *ponit - - vestigia*] „ingreditur.“ Conf. Ep. 1, 19, 21. Cic. Philipp. 3, 31: *ubicumque posuit vestigium.* — *cocco*] nomine mire corrupto ex *Galatia*, qua ex regione optimum coccum importabatur. — *canderet*] „splenderet“, rarissime de alio atque albo colore, excepto ferro, carbone, favilla *candente*, in quibus notioni fulgoris rutilantis accedit notio ardoris. Cfr. ad Od. 4, 1, 10. — *vestis*] stragula. (Sat. 2, 3, 118.) Cfr. Sat. 2, 4, 84. — *procul*] „prope.“ Gloss. Cod. Sangall. Volgo explicant: „in altum“, nullo tamen huius usus exemplo allato; sed *procul* cum distantiam nulla certa mensura definitam significet, interdum explicari debet *iuxta*, vel accuratius: „exigua distantia.“ Sic Ep. 1, 7, 32: *Cui mustela procul--ait.* Plaut. Curc. 111: *Quoia vox sonat procul?* Verg. Ecl. 6, 16: *Serta procul, tantum capiti delapsa, iacebant.* — *canistris*] ut primo mane a servis amoverentur purgaretur-que triclinium.

106-109. *succinctus*] uti solebant esse structores, cenae ministri. Cfr. Sat. 2, 8, 10. — *Continuat*] „unum post alterum cibum assidue apponit.“ — *nec non*] Hac particularum compositione Cicero abstinet, utitur Varro. — *verniliter*] „ipse, cum servos non haberet, in modum vernae alacris et prompti ministrat.“ *Verniliter* autem rectior scriptura, ut in v. *vernilitas; vernalis* est „vernus.“ Manil. 3, 258. — *officiis*] Officia opponuntur dapibus; hinc adiungit *ipsis*, „quae necessaria erant in ferculis apponendis.“ — *praelambens*] Aptum v. de mure pro eo, quod de homine foret *praegustans*, „ut alteri significaret, quam lauti essent cibi.“

111-117. *agit*] „praebet se hilarem convivam;“ non, ut alii, „fingit se, simulat.“ — *subito ingens* cet.] Cogitandum de servis, qui sub diluculum conclave scopis spongiisque purgaturi erant; quorum strepitu simul excitantur molossi, domus custodes. Mercurius apud Lucian. Dial. Deor. 24, 1: *ἔωθεν μὲν γὰρ ἐξαναστάντα σαίρειν τὸ συμπόσιον δεῖ καὶ διαστρώσαντα τὴν κλισίαν εὐθετίσαντά τε ἕκαστα παρεστάναι τῷ Διί.* — *Currere* cet.] „Primum trepidus

Exanimes trepidare, simul domus alta Molossis
Personuit canibus. Tum rusticus: 'Haud mihi vita 115
Est opus hac,' ait, et 'valeas; me silva cavusque
Tutus ab insidiis tenui solabitur ervo.'

SATIRA VII.

'Iamdudum ausculto et cupiens tibi dicere servus
Pauca reformido.' Davusne? 'Ita, Davus, amicum
Mancipium domino et frugi quod sit satis, hoc est,
Vt vitale putes.' Age, libertate decembri,
Quando ita maiores voluerunt, utere; narra. 5
'Pars hominum vitiis gaudet constanter et urget

Sat. VII. Continuant priori cod. Blandinii, ex Parisinis φψ.

per conclave discurrit uterque mus; mox se in antiquum urbani latibulum condunt; denique, ubi a servis purgatum est triclinium, rusticus se proripit." — *Molossis*] Cfr. Epod. 6, 5. — *Haud mihi vita Est opus hac*] „Hanc tam infelicem vitam ego respuo."

VII. Vide Excursum.

1. 2. *Iamdudum ausculto*] „Iamdiu auribus capto et veluti venor opportunitatem loquendi." GESN. Nimirum cogita Horatium antea alta voce legisse librum vel inter scribendum subinde secum locutum esse: vaferrimus autem servus scit quidem hodie Saturnalia celebrari, itaque plenam sibi libertatem loquendi atque adeo erum interpellandi concessam esse, qua usurus se velut ulcisci aliquatenus possit de molestiis, quibus per totum annum obnoxius fuerit; nec tamen protervius in cubiculum irrumpere audet, metuens, ne forte ab ero illam libertatem minus reverente male mulcetur. — *reformido*] memor sane proverbii apud M. Antonin. 11, 30: *Δοῦλος πέφυκας, οὐ μέτεστί σοι λόγου.* — *Ita*] „In colloquiis unum *ita* totam sententiam affirmat responsione: *ja.*" HAND TURS. III. p. 493. — *amicum*] „domini studiosum eique fidum."

3-8. *frugi*] „*χρηστόν*, frugale atque obedientiae plenum, ab omnique furto abstinens," saepe de servis. Terent. Ad. 959. Demea ad Syrum: *Frugi homo es.* Opponitur *nequam.* Cic. Tusc. 3, 16. — *quod sit satis*] „In tantum sum frugi, quam satis sit pro captu ac modulo servulorum; gloriari enim non est meum, neque talem me haberi postulo, cui prae immodicis virtutibus metuant homines, ne cito moriatur." Seneca Controv. 1, 1 de Alfio Flavo: *Semper de illius ingenio Cestius et praedicavit et timuit. Aiebat tam immature magnum ingenium non esse vitale.* — *libertate decembri*] In perpetuo illo quasi bello inter dominos ac servos hi, ut ait Arrian. Epict. 4, 1, 58, Saturnalibus *ἀνοχάς* (inducias) habebant. Cfr. Sat. 2, 3, 5. — *constanter*] „aequabiliter, ita ut in pravitate saltem sibi constet." — *urget*] „naviter

Propositum; pars multa natat, modo recta capessens,
Interdum pravis obnoxia. Saepe notatus
Cum tribus anellís, modo laeva Priscus inani,
Vixit inaequalis, clavum ut mutaret in horas, 10
Aedibus ex magnis subito se conderet, unde
Mundior exiret vix libertinus honeste;
Iam moechus Romae, iam mallet doctus Athenis
Vivere, Vertumnis, quotquot sunt, natus iniquis.
Scurra Volanerius, postquam illi iusta cheragra 15
Contudit articulos, qui pro se tolleret atque

13. *doctus* Leidensis, Monacensis, O corr. Sγ cum paucis; ceteri, etiam Blandinii *doctor*. — 15. *cheragra* perpauci, *chiragra* maior codicum pars.

persequitur." Tib. 1, 9, 8: *Et durum terrae rusticus urget opus.* — *natat*] „titubat, huc atque illuc fertur." Seneca Epist. 35: *Mutatio voluntatis indicat animum natare.*

9-14. *Priscus*] homo ignotus, ordinis tamen senatorii. Iam, qui huic occurrebant, mirabantur eum modo tres anulos gestare, modo nullum omnino. Trium autem Horatii temporibus iam nimius numerus erat, qui postea semper crevit. Seneca Nat. Quaest. 7, 31: *Exornamus anulis digitos: in omni articulo gemma disponitur.* — *inaequalis*] Cfr. Sat. 1, 3, 9. 18 sq. — *clavum ut mutaret*] „Modo ut senator erat indutus tunica laticlavia, modo ut eques Ro. cum angusto (purpurae) clavo prodibat." — *in horas*] Conf. A. P. 160: *mutatur in horas.* — *Aedibus* cet.] „Modo magnas aedes conducebat et emebat, modo cenaculum vel domum tugurio similem, ubi ne libertinum quidem paulo honestiorem atque elegantiorem habitare deceret." — *doctus*] „philosophus", qui comice opponitur *moecho.* — *Vertumnis*] Vertumnus maxime olim ab Etruscis cultus, inde Romam translatus, deus anni fertilitatisque variae per temporum vices, deinde generatim deus omnium invertendarum rerum, omnium mutationum ac vicissitudinum. Cfr. Tibull. 4, 2, 13: *Talis in aeterno felix Vertumnus Olympo Mille habet ornatus, mille decenter habet.* Conf. Ovid. Metam. 14, 642 sqq. — *quotquot sunt*] „quotquot habet simulacra, quorum unum quodque symbolum est perpetuae inconstantiae." Sine imagine: „ad id prorsus destinatus esse videbatur miser ille, ut quotquot ad mutationes hominem inducere potest summa inconstantia, eas subiret." — *iniquis*] Irati erant Prisco Vertumni, quatenus poenam ei imposuerunt in singulas prope horas et mores et habitum ridiculum in modum mutandi.

15-20. *Scurra Volanerius*] Nihil de hoc homine tradunt scholiastae, quibus *scurra* est „urbanus." Eum talorum ludo perdite deditum fuisse ex iis patet, quae de eo narrat poëta. — *iusta cheragra*] „nequitiam eius merito puniens;" non, ut alii volunt: „magna et gravis." Pers. 5, 58: *cum lapidosa cheragra. Fregerit articulos.* Utrobique metri causa scribendum est *cheragra*, non *chiragra*. Conf. Ep. 1, 1, 31. —

Mitteret in phimum talos, mercede diurna
Conductum pavit; quanto constantior isdem
In vitiis, tanto levius miser ac prior ille,
Qui iam contento, iam laxo fune laborat.' 20
Non dices hodie quorsum haec tam putida tendant,
Furcifer? 'Ad te, inquam.' Quo pacto, pessime? 'Laudas
Fortunam et mores antiquae plebis, et idem,

17. *in phimum* (Blandinii *phymum*) Vossianus, Monacensis, Dessauiensis, Einsidlensis, Holderi O (saec. X. ineuntis) γ, *in fimum* Leid., Lips., φψλ, *in pirgum* Gothanus paucique Bernenses. — 19. *ille* codices paene omnes, etiam Blandinii, *illo* pauci deteriores, Orelli.

Contudit] „debilitavit nodis in digitorum articulis contractis." — *Mitteret in phimum*] Admodum diverse statuitur de his instrumentis usurpatis ab aleatoribus: 1) Salmasius doctissima disputatione ad Histor. Aug. II. p. 755 seqq. demonstratum ivit *phimum* esse infundibulum, κημόν, ex quo et tesserae et tali mitterentur in pyrgum sive fritillum; duplex enim nomen idem significare. 2) Alii, ut Becker *Gallus* III. p. 253 sq., fritillum idem esse ac *phimum*, sensu Salmasino, uti docet Schol. Iuven. ad Sat. 14, 5: „*Fritillus*, pyxis cornea, qui *fimus* dicitur Graece;" id quod mihi probabile videtur. 3) *Phimum* idem instrumentum esse ac pyrgum contendunt Scholiastae Horatii ad h. l. De pyrgo quidem satis constat fuisse turriculam s. cylindrum cavum, qui trochleatim effictus erat certosque habebat intus gradus excisos, ex quibus effundebantur tali in alveolum sive tabulam lusoriam, in cuius media parte statuebatur turricula. H. l. igitur homo ad hoc conductus talos manibus sublatos mittit in phimum atque ex hoc effundit in pyrgum altera manu rursus concutiendum. — *levius miser*] Minus usitate sic dixit, cum frequentissimus sit positivus *leviter saucius* cet. — *Qui iam contento* cet.] Imago ἀμετρίας in utramque partem, desumpta a nautis modo ita funes contendentibus, ut periculum sit, ne rumpantur, modo nimis laxantibus, ita ut vela concidant. Lucian. Dial. meretr. 3, extr.: ὅρα, μὴ κατὰ τὴν παροιμίαν ἀποῤῥήξωμεν πάνυ τείνουσαι τὸ καλῶδιον. Sensus clarus: „qui modo nimis adstricte et severe, modo nimis laxe ac negligenter vivit."

21-27. *hodie*] pr. „antequam hic dies transeat", id est, „illico, statim." Sic Plaut. Cas. 4, 1, 7: *Quin agitis hodie? --- Properate.* Titinius in Iuris perita: *Numquamne mihi licebit hodie dicere?* (Maii Interpr. ad Aen. 2, 670.) Rectius autem voc. *hodie* ad proxima refertur cum L. Müller et ita explicatur: 'quaerit H. cum indignatione cur hoc die sive, ut ait Catullus, saturnalibus optimo dierum nugas illas et quisquilias proferat Davus. — *quorsum haec - - tendant?*] „Quamdiu me, scelus, tam inepto (φορτικῷ) sermone obtundes, haud dicens, qui tibi velis?" — *Furcifer*] Donatus ad Terent. Andr. 3, 5, 12, (618): „*Furciferi* dicebantur, qui ob leve delictum cogebantur a dominis ignominiae magis quam supplicii causa circa vicinos furcam (V) in collo ferre subligatis ad eam manibus, et praedicare peccatum suum

Si quis ad illa deus subito te agat, usque recuses,
Aut quia non sentis, quod clamas, rectius esse, 25
Aut quia non firmus rectum defendis et haeres,
Nequiquam caeno cupiens evellere plantam.
Romae rus optas, absentem rusticus urbem
Tollis ad astra levis. Si nusquam es forte vocatus
Ad cenam, laudas securum olus ac, velut usquam 30
Vinctus eas, ita te felicem dicis amasque,
Quod nusquam tibi sit potandum. Iusserit ad se
Maecenas serum sub lumina prima venire
Convivam: "Nemon oleum fert ocius? Ecquis

27. *Nequiquam* Vossianus, Leidensis, Lipsiensis, Monacensis, Dessauiensis, Sbψψλ ed. plerique. *Nequicquam* γ cum paucis Holder. — 34. *fert* Monac., Leidensis, S, prob. Bentl., Haupt, Vahlen, L. Müller al., plerique *feret*, quod recepit Holder.

simulque summonere ceteros, ne quid simile admittant." — *agat*] „adigat ad priscam maiorum nostrorum vitam sequendam." Similis est sententia Sat. 1, 1, 15 sqq. — *quia non sentis*] „Quia non ex animi tui sententia credis rectius esse illud vitae genus, quod tamquam declamator alta voce dilaudas." — *defendis*] non tam adversus alios, quam „pro virili tua parte in temet ipso servas et tueris." — *et haeres*] Terent. Phorm. 780: *in eodem luto haesitas*, „in eadem difficultate;" h. l. „intricatus remanes in priore pravitate." — *caeno*] Figurate etiam Catullus 17, 25: *Et supinum animum in gravi derelinquere caeno.* — *Nequiquam*] sic scripsimus, non solum Horatianorum verum etiam ceterorum codicum auctoritatem secuti, ut supra Od. 1, 3, 21. 15, 13. 16 et Epist. 1, 3, 32.

28-35. *Romae rus optas*] Conf. Sat. 2, 6, 60: *O rus, quando ego te adspiciam?* Ep. 1, 8, 12: *Romae Tibur amem ventosus, Tibure Romam.* — *absentem*] „a te relictam." — *securum olus*] „cenulam ab omni sollicitudine liberam." De olere conf. Sat. 2, 1, 74. 2, 2, 117. 2, 6, 64. — *Vinctus eas*] „quasi vinculis oneratus in carcerem pertractus ad cenas eas, cum contra libentissime omnes invitationes accipias." — *amasque*] ut Sat. 1, 2, 54. „tecum contentus es idque praedicas." Cic. ad Att. 4, 16, 10: *in eo me valde amo.* — *serum convivam*] Festive ludit inter haec: 1) „ubi sero Maecenati venerit in mentem, te quoque invitandum esse;" 2) „ubi post multas diei negotiorum pleni molestias dilectus tuus Maecenas te opus habuerit, quo adiutore illas dispellat." — *sub lumina prima*] Macrob. Saturn. 1, 3: *ab hoc tempore* (a vespera) *prima fax dicitur.* Graeci περὶ λύχνων ἀφάς. „Est quod Censorinus c. 24 vocat *prima face*, quod antiquam vocem populi fuisse ad primordia noctis designanda, cum olim facibus uterentur, ut Homerica aetas δᾷδας habebat. Postea dictum *luminibus accensis;* serior denique locutio erat *lucernalis hora* notata a Lobeckio ad Soph. Aiac. 285." DISSEN. Cfr. Ep. 2, 2, 98. — *Nemon oleum fert ocius*] „oleum lucernae, qua uti volt nocturno

Audit?" cum magno blateras clamore fugisque. 35
Mulvius et scurrae tibi non referenda precati
Discedunt. "Etenim fateor me," dixerit ille,
"Duci ventre levem, nasum nidore supinor,
Imbecillus, iners, si quid vis, adde, popino.
Tu, cum sis quod ego et fortassis nequior, ultro 40
Insectere velut melior verbisque decoris
Obvolvas vitium?" Quid, si me stultior ipso

35. *fugisque* cod. maior pars, *furisque* Blandinius antiquissimus, Lipsiensis paucique probante Meinekio. — *Mulvius* cod. plerique, *Milvius* Leidensis cum paucis.

tempore ad amicum properans." Terent. Phorm. 152: *Puer heus! Nemon huc prodit? — blateras*] „cum trepidatione et furore verba effutis." Festus: *Blaterare est stulte et praecupide loqui.* Varro apud Non. 1. 168: *Quid est? quid blateras? quid rabis? quid vis tibi? — fugisque*] „quasi hostes te insequerentur, celerrime te proripis, lucernam non exspectans." Longe festivius hoc quam aliorum *furisque*, quod et *ταυτολογίαν* sapit, etsi a codd. non minorem habet auctoritatem. Recte Acron: „Expressit velocitatem hominis festinantis ad cenam." Adde, quod lectio *fugis* novam verbo *blaterandi* adicit notionem, altera non item.

33-39. *Mulvius* cet.] „Iam fuga tua, id est, praeceps tuus abitus ex domo, in causa est, ut Mulvius et alii scurrae, qui venerant spe illecti fore, ut ad cenam eos adhiberes, cena frustrati diras tibi imprecentur, quas nos servuli tibi referre non audemus, timentes, ne tergo eas expiare debeamus." — *dixerit ille*] „Facile suam causam adversus te ita defenderit Mulvius scurra." — *Duci ventre levem* cet.] Libere igitur fatetur scurra, „se utpote hominem levem gulâ ad te convivatorem deduci;" (nam tales quoque homines animi causa interdum excipiebat conviviis Horatius, ut ex ipsorum et moribus et sermonibus materiam satiris suis pararet;) „ciborum nidore nasum sibi *supinari*, attolli, ut cupide eum olfaciat." „Facile patior", inquit Mulvius, „me a te nominari *imbecillum*, cupidinibus obnoxium et turpis otii appetentem; etiam, si vis, peiora adde, esse me hominem nequam, qui semper in popinis versetur." (*Fornix* et *uncta popina* iunguntur Ep. 1, 14, 21. ut loci aeque inhonesti.) Verum cum tu eodem gulae vitio tenearis et sis fortasse me nequior, cur tandem *ultro*, a me non lacessitus, sed quasi tuo iure insuper mihi probra ingeris?" — *iners*] Sic Luciani Parasitus C. 1 libere fatetur se nullam artem, cui quidem consuetudo hoc nomen tribuat, callere, nihilominus magnum se esse artificem cenarum rite captandarum. — *si quid vis*] Male olim edebant *si quidvis*. Cic. ad Att. 7, 2, 3: *Tironem Patris aegrum reliqui adolescentem, ut nosti, et adde, si quid vis, probum.*

40-45. *verbis decoris*] „Cum tu dicis amicitia te duci, hoc obvolucro usus te parasitum esse negabis?" — *Quid, si* cet.] Hinc usque ad v. 45. Davus de se ipso

Quingentis empto drachmis deprenderis? Aufer
Me voltu terrere; manum stomachumque teneto,
Dum quae Crispini docuit me ianitor, edo. 45
Te coniunx aliena capit, meretricula Davum:
Peccat uter nostrum cruce dignius? Acris ubi me
Natura intendit, sub clara nuda lucerna
Quaecumque excepit turgentis verbera caudae,
Clunibus aut agitavit equum lasciva supinum, 50
Dimittit neque famosum neque sollicitum, ne
Ditior aut formae melioris meiat eodem.
Tu, cum proiectis insignibus, anulo equestri

48. *intendit* cod. plerique, in his etiam Blandinii, *incendit* Lipsiensis, Gothanus al., Bentleio prob.

iam loquitur; sed occulta arte vafer servus in haec delabitur. — *Quingentis - drachmis*] 400 M. G. = 500 Fr. Gall. qua summa viliora tantum mancipia emebantur. — *Aufer*] „Abstine, noli;“ ex usu quotidiano. Plaut. Curcul. 245: *Aufer, quaeso, ista atque hoc responde, quod rogo.* — *manum stomachumque teneto* „iram compesce.“ Etenim hic fingitur frontem contrahere ac torvo voltu minacem manum extollere Horatius. — *Crispini*] Conf. Sat. 1, 1, 120. — *ianitor*] Ex servis vilioribus erant ianitores, ostiarii, atrienses, catena interdum alligati. Hic igitur quotidie cum audiret domini declamatiunculas, ipse quoque semiphilosophus factus erat talemque effecerat etiam Davum sodalem, cui Crispinum ipsum audire denegatum erat. Iam sapiens ille ianitor obiurgat virum conspicuum et locupletem de illorum numero, *qui Curios simulant et Bacchanalia vivunt.* (Iuven. 2, 3.)

47—52. *cruce*] supplicio servili. Cfr. Sat. 1, 3, 82. Ep. 1, 16, 48. — *Natura intendit*] „tentigine vexat.“ Conf. Sat. 1, 2, 118: *malis tentigine rumpi?* — *sub clara nuda lucerna*] in lupanaris cella. Iuven. 6, 121 de Messalina: *Intravit calidum veteri centone lupanar Et cellam vacuam atque suam, tum nuda papillis Constitit auratis.* Utrumque autem *clara lucerna* et *nuda* significat vilissimum prostibulum, quod omnem pudorem, quem saltem simulat matrona moecha et cultior libertina, exuerit. — *verbera caudae*] Iuven. 6, 126: *Et resupina iacens multorum absorbuit ictus.* Iam Sophocles *οὐρὰν* dixit *τὸ αἰδοῖον*, teste Photio Lex. p. 361, 16. — *Clunibus* cet.] veneris figura, femina virum supinum inscendente et coxim veluti equum agitante, *κελητίζειν*. Ovid. A. A. 3, 778: *Parva vehatur equo: quod erat longissima, numquam Thebais* (Andromache) *Hectoreo nupta resedit equo.* — *Dimittit* cet.] „Cum ex fornice discedo, nulla me, utpote qui servus sim, mala fama sequitur, neque quidquam curo, quod alius ditior aut formosior cum eadem meretrice rem habeat; omnibus enim aeque prostat.“ — *meiat*] verniliter loquitur.

53-57. *Tu cum* cet.] „Tu cum deposito anulo equestri et toga domo prodis ex iudice selecto (Sat. 1, 4, 123), quo munere tamquam eques Ro. fungeris, factus *Dama*, vilis

Romanoque habitu, prodis ex iudice Dama
Turpis, odoratum caput obscurante lacerna, 55
Non es, quod simulas? Metuens induceris atque
Altercante libidinibus tremis ossa pavore.
Quid refert, uri, virgis ferroque necari
Auctoratus eas, an turpi clausus in arca,
Quo te demisit peccati conscia erilis, 60
Contractum genibus tangas caput? Estne marito
Matronae peccantis in ambo iusta potestas?
In corruptorem vel iustior. Illa tamen se

servus, lacerna crassa cum cucullo (militum et servorum pallio) coopertus, ne agnoscare." Lambinus: „Non sunt haec ita accipienda, quasi Horatius significet se equitem esse Romanum, sed eo dicuntur tantum, quo intelligamus, plerosque dominos servis suis esse deteriores et nequiores. Haec igitur verba pertinent ad omnes dominos nobiles et honoratos." — *odoratum*] Cum ceteroqui sit habitu servili, unguentorum tamen odore placere volt moechae. — *Non es* cet.] „Nonne tunc reapse es, quod te esse simulas, servus nequam?" — *Altercante* cet.] „pugnante identidem pavore cum libidine, cui resistere non quis, usque ad ossa tremis." — *tremis ossa*] Verg. Georg. 3, 84: *micat auribus* (pullus) *et tremit artus.*

58—60. *Quid refert* cet.] „Quid interest, utrum gladiatorio sacramento addictus sis lanistae, cui te auctoraveris, an cet.?" „Inter gladiatorem moechumque nihil interest. Et haec verba sunt verba eorum, qui gladiatores emunt, condiciones proponentium quibus se vendant; cautiones enim huiusmodi faciebant: *uri flammis, virgis secari, ferro necari.*" ACRO. Petron. 117: *In verba Eumolpi sacramentum iuravimus, uri, vinciri, verberari ferroque necari.* Seneca Epist. 37: *illius turpissimi auctoramenti verba sunt: uri, vinciri, ferroque necari.* (Iuven. 11, 8: *leges et regia verba lanistae.*) — *uri*] imprimis lamina candente. Alii coll. Ep. 1, 16, 47 iungunt *uri virgis.* — *virgis-necari*] „prope ad mortem verberari." Infinitivi pendent a. v. *auctoratus*, „pretio accepto sponte hoc iuratus." — *eas*] = incedas, pro *sis.* — *turpi--arca*] „cista, quae anxie quaerentibus, ubi te occulant, prima se obtulit, vili fortasse usui destinata." Sic apud Apul. Metam. 9, 5 moecha adulterum *dolio, quod erat in angulo semiobrutum sed alias vacuum, dissimulanter abscondit.* — *demisit* cet.] „detrusit ita, ut capite *contracto*, curvato, genua tangas."

61-64. *Estne* cet.] „Nonne potestas est marito necandi et uxorem et moechum in adulterio deprehensos?" Ex antiquo certe iure Romano ante legem Iuliam de adulterio latam. M. Cato apud Gell. 10, 23, 5: *In adulterio uxorem tuam si deprehendisses, sine iudicio impune necares.* „Tamen hoc fateor, eo severo iure perquam raro maritos *usos;* moribusque receptum videtur, ut adulteram apud cognatos convictam domo saltem exigerent multarentque dote." LIPSIUS ad Tac. Ann. 4, 42. — *Illa* cet.] „Moecha certe non habitum matronalem cum servili mutat, neque aedibus clanculum exit, ut te domi

Non habitu mutatve loco, peccatve superne.
Cum te formidet mulier neque credat amanti, 65
Ibis sub furcam prudens dominoque furenti
Committes rem omnem et vitam et cum corpore famam.
Evasti: credo, metues doctusque cavebis;
Quaeres, quando iterum paveas iterumque perire
Possis, o totiens servus! Quae belua ruptis, 70
Cum semel effugit, reddit se prava catenis?
"Non sum moechus," ais. Neque ego, hercule, fur, ubi vasa
Praetereo sapiens argentea: tolle periclum,
Iam vaga prosiliet frenis natura remotis.
Tune mihi dominus, rerum imperiis hominumque 75
Tot tantisque minor, quem ter vindicta quaterque

tuae conveniat, et morem tantummodo tibi gerit, dum te non init, sed muliebri patientia sese supinat tibi superne patranti (βινοῦντι)." — *peccatve superne*] „neque resupinat adulterum."

65-67. *Cum te formidet* cet.] „Eo quoque nomine illa minus est te noxia quod tamquam mulier infirma te etsi ipsius amatorem semper formidine percita recipit, nec confidit promissis, sed timet semper, ne a te decipiatur ac mala fama primum inter sodales, mox apud volgum laedatur. Tu contra prudens ac sciens te turpissimis exponis poenis." — *Ibis*] Omissum a poëta pronomen *tu* Heindorfius recte defendit ex Sat. 1, 2, 90. 2, 3, 212 et 234. Ep. 1, 14, 40. — *sub furcam* cet.] „in turpissimam servitutem, adeo, ut si marito a te laeso placeret, sicut mancipium nequam te sub furca vinciret ac verberaret." — *rem*] „familiarem, ex qua multam ei pendes, ne te castrari iubeat." Conf. Sat. 1, 2, 41—46. 132 sq.

68-71. *Evasti* cet.] „Ne tum quidem, cum fortuna favente evasisti poenae periculum, experientia edoctus cavebis. Immo, quae tua est perversitas, novam occasionem investigabis periculi illius tibi iterum contrahendi. Quoties autem moecharis, toties libidinis tuae servus es." De forma *evasti* vid. ad Sat. 1, 5, 79. Omissa particula *si* vel *cum* nervosiorem reddit orationem. Conf. Sat. 2, 6, 48. — *credo*] ironice. — *Quae belua* cet.] Proverbium erat: Ἀλλ' οὐκ αὖθις ἁλώσῃ (πάγαις ἁλώσεται). Zenob. 1, 67.

72—77. *Non sum* cet.] Inde ab hoc versu declamandi fervore magis magisque abreptus Davus sensim oblitus se ianitoris Crispini partes recitare, propius semper eum ipsum urget. Hic maxime autem noli oblivisci servum uti Saturnaliorum libertate sibi concessa. — *vaga prosiliet*] „impetum suum *vaga*, libera, sequetur." — *minor*] „obnoxius." — *quem ter vindicta* cet.] „homo adeo servus cupiditatibus ac formidini, ut ne saepius quidem repetita manumissio per vindictam te vere liberum reddere queat." (Reapse in servis una dumtaxat vindicta locum habebat.) Forma autem legitima manumissionis temporibus antiquioribus haec fuisse videtur: Compare-

Imposita haud umquam misera formidine privet?
Adde super dictis, quod non levius valeat: nam
Sive vicarius est, qui servo paret, uti mos
Vester ait, seu conservus; tibi quid sum ego? Nempe 80
Tu, mihi qui imperitas, alii servis miser atque
Duceris ut nervis alienis mobile lignum.

81. *alii* cod. Bland. antiquiss. et alii duo Cruquii, item Vossianus, Monacensis, Lipsiensis pr, Spr, bpr, Holder, *aliis* Leidensis, Gothanus, Lipsiensis corr. *γφψλ*, Bentl., Haupt, Vahlen, Meineke, L. Müller.

bat coram praetore urbano dominus cum servo amicusque domini, assertor in libertatem; dominus servum vindicta (virgula) vel festuca dicis causa percutiebat, quo suam in eum potestatem manifestaret; tum assertor in libertatem hanc formulam pronuntiabat: *Hunc hominem liberum esse aio ex iure Quiritium.* Dominus velut cedens adversario ficto: *Hunc hominem liberum esse volo:* vel: *Liber esto atque abito, quo voles;* dein eum circumagebat et manu emittebat; postea praetor edicebat, *eum hominem liberum esse ex iure Quiritium.* Posterioribus temporibus domini loco lictor coram praetore vindicta tangebat servum manumittendum. Conf. Pers. Sat. 5, 75 sq. cum Scholiasta. Sententia autem Horatiana petita est ex Stoicorum scholis. Pers. 5, 124: *Liber ego. Unde datum hoc sumis, tot subdite rebus? Ad dominum ignoras, nisi quem vindicta relaxat?* — *privet*] „liberet.“ Cic. de Fin. 1, 37: *Cum privamur dolore, ipsa liberatione et vacuitate omnis molestiae gaudemus.*

78-80. *super dictis*] *πρὸς τοῖς εἰρημένοις.* Conf. Sat. 2, 6, 3. — *vicarius*] Servus vicarius is erat, quem servus ordinarius suo ex peculio ad eum finem emerat, ut vice sua fungeretur in officiis servilibus exsequendis. At cum peculium semper esset in domini potestate, etiam servi servus (*ὁ τοῦ οἰκέτου οἰκέτης* Theophilo) in eadem manebat; adeoque *vicarius* simul erat *conservus* servi ordinarii. Inscr. Orelli Lat. N. 362: *Donato Caesaris Augusti Salviano* (non liberto, sed servo Augusti, huic a Salvio quodam legato) *exactori tributorum in Helvetia Communis* (nom. pr.) *vicarius.* Servus *vicarius* memoratur iam a Plauto Asin. 434. — *mos Vester*] civium Romanorum, ingenuorum, quibus se non sine certa quadam amaritudine animi opponit miserum mancipium, sine patre, sine gente, sine civitate. — *seu conservus*] Paulo cautius loquitur, cum proprie hoc velit: „Quid aliud es tu mihi, quam conservus?“ Ceterum de toto hoc loco maximeque de v. *paret* (de apparitoribus) diligenter disseruit H. Usener in museo rhenano vol. 24, 348.

81—88. *alii*] domino, libidini et cupiditati. Conf. v. 93. „Ut mihi erus es tu, sic alius tibi.“ — *lignum*] Quasi contemptim sic vocat, adeoque longe aptior est librorum lectio quam Douzae illud *signum*, v. nimis utique infinitum. Significat *νευρόσπαστα*, quas Apuleius de Mundo c. 27 vocat *ligneolas hominum figuras*, a circulatore aliquo fidiculis in hanc vel illam partem tractas, ut quasi gesticulari videantur. Comparatio haec tralaticia erat in Stoicorum scholis. M. Antonin. 10, 38: *Μέμνησο, ὅτι τὸ νευροσπαστοῦν ἐστιν ἐκεῖνο τὸ*

Quisnam igitur liber? Sapiens, sibi qui imperiosus,
Quem neque pauperies neque mors neque vincula terrent,
Responsare cupidinibus, contemnere honores 85
Fortis, et in se ipso totus, teres atque rotundus,
Externi ne quid valeat per leve morari,
In quem manca ruit semper fortuna. Potesne
Ex his ut proprium quid noscere? Quinque talenta
Poscit te mulier, vexat foribusque repulsum 90
Perfundit gelida, rursus vocat; eripe turpi
Colla iugo; "Liber, liber sum," dic age. Non quis;
Urget enim dominus mentem non lenis et acris
Subiectat lasso stimulos versatque negantem.
Vel cum Pausiaca torpes, insane, tabella, 95

88. *In quem* cod., *in quo* L. Müller.

ἔνδον ἐγκεκρυμμένον· ἐκεῖνο ῥητορεία, ἐκεῖνο ζωή, ἐκεῖνο, εἰ δεῖ εἰπεῖν, ἄνθρωπος. — *sibi-imperiosus*] *ἄρχων, ἐγκρατὴς ἑαυτοῦ*, qua genit. constructione usus est Plin. H. N. 34, 8: *Tiberius-imperiosus sui.* Od. 3, 29, 41: *potens sui.* Commentarii loco est Seneca de Benef. 5, 7: *Quem magis admiraberis quam qui imperat sibi, quam qui se habet in potestate?* — *Responsare*] obsistere, „cupiditatum illecebras aspernari." Conf. v. 103. Sat. 2, 4, 18. Ep. 1, 1, 68. — *contemnere-Fortis*] eadem constructione, qua Od. 1, 37, 26. Conf. Od. 1, 3, 25: *Audax omnia perpeti.* — *in se ipso totus*] „nullius indigens, qui omnia sua in se reposuit, omnia sua in se collegit, nihil extra se sui ponit;" ut diversis locis ait Seneca. Cic. Parad. 2: *Nemo potest non beatissimus esse, qui est totus aptus ex sese, quique in se uno sua posuit omnia.* — *teres atque rotundus*] Globus perfectissima est forma ex antiquorum sententia (Plat. Tim. p. 33 B.); quae cum levis sit nullique in ea anguli emineant, nihil, quod extrinsecus impingat, in ea *morari* (haerere) eamve laedere potest. Ausonius nostrum locum manifesto imitatus Id. 16, 4 de viro bono et sapiente: *Quid proceres vanique ferat quid opinio volgi, Securus, mundi instar habens, teres atque rotundus, Externae ne quid labis per levia sidat.* — *manca*] „quasi manibus debilis, ita ut impetum in sapientem facere nequeat."

89-94. *ut proprium*] „quod vere tibi tribuere possis." — *Quinque talenta*] „pro levissima voluptate summam ingentem." (21000 M. Germ. = 26000 Fr. Gall.) — *non quis*] Sic Cicero saepius *non queo*, quam *nequeo.* — *Subiectat* cet.] „Amor quasi auriga stimulos subicit etiam *lasso*, iamiam amicae valedicturo, ac te impellit, dum morem gerere non vis."

95—97. *Vel cum* cet.] Ad aliud exemplum transit poëta; tertium sequitur v. 102 sqq. — *Pausiaca*] Pausias Sicyonius floruit circiter a. ante Chr. 370. Pingebat parvas tabellas encausticas maximeque pueros. Celebrabatur imprimis eius Stephanoplocos a Lucullo Athenis duobus talentis empta. Plin. H. N. 35, 40. — *torpes-*

Qui peccas minus atque ego, cum Fulvi Rutubaeque
Aut Pacideiani contento poplite miror
Proelia rubrica picta aut carbone, velut si
Re vera pugnent, feriant vitentque moventes
Arma viri? Nequam et cessator Davus; at ipse 100
Subtilis veterum iudex et callidus audis.
Nil ego, si ducor libo fumante: tibi ingens
Virtus atque animus cenis responsat opimis?
Obsequium ventris mihi perniciosius est cur?

97. *Pacideiani* Ciceronis codices, Porphyrionis cod. Monacensis, unus Blandinius, Gothanus, *φψ*, L. Müller, Krüger, Holder, Schütz; *Placideiani* Leidensis, Vossianus, Lipsiensis, Dessauiensis, Monacensis, *γλν*, Bentley, Meineke, Haupt, Vahlen.

tabella] Sat. 1, 4, 28: *stupet Alpius aere.* Cic. Parad. 5, 2: *Echionis tabula te stupidum detinet aut signum aliquod Polycleti. Mitto, unde sustuleris, quomodo habeas. Intuentem te, admirantem, clamores tollentem cum video, servum te esse ineptiarum omnium iudico. — minus atque ego*] Cfr. Sat. 1, 6, 130. — *Fulvi Rutubaeque* cet.] Nomina gladiatorum; *Pacideianus* (sic enim cod. meliores apud Cic. Opt. gen. or. 17. Tusc. 4, 48. Ep. ad Q. Fr. 3, 4, 2) iam a Lucilio memorabatur. Etenim credibilius est hoc quoque loco, ubi qualecumque gladiatoris nomen proferri sufficiebat, Horatium persona Luciliana usum esse, ut fecerat Cicero locis l. atque ipse in Maenio aliquoties, quam alterum Pacideianum iuniorem, itidem gladiatorem, tunc vixisse. — *contento poplite-Proelia*] Explica: „certamina, quae committunt inter se gladiatores isti contento poplite, proiecto pede;“ non: *„miror contento poplite.“* — *miror*] „mirando tempus perdo, cesso.“

98-104. *rubrica picta* cet.] Huiusmodi picturae rudes atque informes ad alliciendum popellum ante ludos exponebantur ab iis, qui munera edebant, vel tantum a lanistis; et tales etiam Pompeiis repertae sunt, nec valde diversus fuisse videtur *Laenatis* ille *gladiatorius ludus* apud Petronium 29. Plin. H. N. 35, 33: *Libertus eius* (Neronis) *cum daret Antii munus gladiatorium, publicas porticus investivit pictura, ut constat, gladiatorum ministrorumque omnium veris imaginibus redditis -- Pingi gladiatoria munera atque in publico exponi coepta a C. Terentio Lucano. Is avo suo -- triginta paria in Foro per triduum dedit tabulamque pictam in memore Dianae posuit.* Satis ridicule suam *ἀβελτερίαν* prodit Davus prius illud genus admirans. — *cessator*] „qui non statim apparet domino vocanti, vel aliquo missus sero domum redit.“ Cfr. Ep. 2, 2, 14: *Semel hic cessavit et, ut fit, In scalis latuit metuens pendentis habenae.* — *veterum*] aetatis inde a Pericle usque ad Alexandrum M. — *callidus*] i. e. intellegens artificiorum, Sat. 2, 3, 23: *Callidus huic signo ponebam milia centum.* — *Nil ego*] *„ἐγὼ οὐδέν εἰμι,* nequam audio.“ *tibi ingens* cet.] „tantane tua est virtus, ut libenter careas cenis

Tergo plector enim. Qui tu impunitior illa, 105
Quae parvo sumi nequeunt, obsonia captas?
Nempe inâmarescunt epulae sine fine petitae,
Illusique pedes vitiosum ferre recusant
Corpus. An hic peccat, sub noctem qui puer uvam
Furtiva mutat strigili: qui praedia vendit, 110
Nil servile gulae parens habet? Adde, quod idem
Non horam tecum esse potes, non otia recte
Ponere, teque ipsum vitas, fugitivus et erro,
Iam vino quaerens, iam somno fallere curam:
Frustra; nam comes atra premit sequiturque fugacem.' 115
Unde mihi lapidem? 'Quorsum est opus?' Unde sagittas?

opiparis easque devites?" — *responsat*] Cfr. v. 85.

105-108. *Qui tu impunitior* cet.] „Quo tandem iure naturae minus dignus es poena quam ego, ubi sumptuosa obsonia cupidius emis? Quamquam tu quoque ex naturae lege iustas gulositatis poenas pendis, nimio cibo et cruditate debilitatus atque morbis tentatus." — *inamarescunt*] „in ventriculo eumque corrumpunt." Cfr. Sat. 2, 2, 75: *Dulcia se in bilem vertent.* — *Illusique pedes*] „qui dum ut antea stare se posse credunt et volunt, vacillant vel propter podagram vel propter totius corporis imbecillitatem." — *vitiosum*] cruditate et aqua inter cutem.

109-115. *An hic peccat* cet.] Simili denuo exemplo propositum suum, paria esse et domini et servi peccata, demonstrat. Hoc enim uno similitudinis vinculo nectuntur sententiae: „Uva contentus est verna propter eam furax: dominus gulosus ita heluatur, ut propter gulam omnia sua profundat." — *An hic peccat* cet.] „An, cum (ut vos domini ad minima etiam attenti dicitis, neque ego servus nego) hic puer peccet, qui strigilem, rem prope nihili, domino furatus, sub noctem domo erili clam egressus illam apud pomarium cum uva permutat, ut semel palatum oblectet, contra expers culpae servilis est, qui vel sua praedia paterna vendit, ut gulae satisfaciat?" — *uvam-mutat*] De constructione verbi *mutare* cfr. ad Od. 1, 17, 2. 3, 1, 47. — *strigili*] Strigilium aerearum post balneum sudatorium usus erat ad sordes aut humores in cute residuos deradendos. — *Non horam tecum esse*] „ne per unam quidem horam tranquille tecum versari et sine continua animi agitatione meditari potes sapientium praecepta." „Intellegamus eum, qui libidine et rerum deliciis distractus non secum agit, sed aliena et externa captat." HAND Turs. II. p. 165. — *erro*] Ulpian. Dig. 21, 1, 17: *Erronem sic definimus, qui non quidem fugit, sed frequenter sine causa vagatur et temporibus in res nugatorias consumptis serius ad dominum redit.* Inter servos igitur *fugitivi* et *errones* distinguebantur ut inter milites *desertores* et *emansores*, qui diu vagati ad castra regrediuntur. — *comes atra*] Cfr. Od. 2, 16, 21. 3, 1, 40: *Post equitem sedet atra cura.*

116—118. *Unde mihi lapidem?*] „sumam tibi iniciendum?" Davus:

'Aut insanit homo aut versus facit.' Ocius hinc te
Ni rapis, accedes opera agro nona Sabino.

„Nil opus." Exprimit poëta atque festive imitatur his versibus dominum cerebrosum, in servos, ubi verum dicere audent, desaevientem. — *Unde sagittas?*] Quasi tragoedias movet. — *aut versus facit*] id quod ex opinione volgi et Davi alterum nec levius genus est insaniae. Significat se antea quoque furorem eri versus componentis expertum esse, ut aliquando scriptores Ser. Galbae orationem meditantis male mulcati e testudine cum eo exierunt, narrante Cicerone Brut. 88. — *te Ni rapis*] Sic Vellei. 2, 85: *cum se Canidius praecipiti fuga rapuisset ad Antonium.* In prosa or. usitatius: *te proripis.* — *accedes* cet.] „Mittam te tamquam ergastulo dignum in Sabinum meum, ubi cum octo aliis servis (tot igitur erant in Horatii familia rustica) eris fossor ac caprimulgus et, quae poena tuae protervitatis erit, urbis amoenitatibus in perpetuum carebis;" solitae dominorum minae. Plaut. Mostell. 18: *Cis hercle paucas tempestates, Tranio, Augebis ruri numero genus ferratile.*

EXCURSUS

Vis comica huius Satirae in eo maxime cernitur, quod fingit Davi servi Saturnaliorum licentia abutentis sermonem Stoicum magnam partem Crispini aretalogi ianitori sublectum esse. Et miras rursus Stoicorum exaggerationes irridet, et simul ut optimus pictor hic atque Ep. 1, 14 servorum indolem moresque, uti ab ingenuorum natura necessario discrepabant, salse ac facete exprimit. Veluitne etiam *ὡς ἐν παρέργῳ* significare ridiculo exemplo adeo importunum hunc esse philosophandi quasi morbum, quo verbis illis magnificis ex scholarum locis communibus petitis abutebantur, ut, si dicere fas sit, iam prope servulos, nedum tot ingenuos invaserit? Certe omnes, qui tunc Romae degebant, noverant totum Crispini disputandi genus molestum, putidum, rude. (Sat. 1, 1, 120. 1, 3, 139. 1, 4, 14.) Iam quid exspectandum erat, ubi Crispiniana sapientia a servo traderetur? a servo domini semper clamantis: *Ποῦ εἰμι; Ἐν σχολῇ. Καὶ ἀκούουσί μου τίνες; Λέγω μετὰ τῶν φιλοσόφων.* (Arrian. Epictet. 4, 1, 138.) Verum ecce summa cum elegantia ac festivitate tractatur *παράδοξον* Stoicum homines voluptarios, luxuriosos, signorum tabularumque pictarum cupiditate abreptos, avaros, adulatores non minus servos esse, quam qui proprie sic dicantur, et propterea ex iure saltem naturae non minoribus nequitiae ac stultitiae poenis teneri sive *μικροδούλους* sive *μεγαλοδούλους.* (Arrian. Epict. 4, 1, 55.) Aeque vero ac servuli sapientia lectorem delectat eiusdem petulantia, ita, ut *κατ' εἰρωνείαν* quidem in mentem nobis veniat illius, quod serio dixit Plutarchus de cohib. ira 11: *αἴσχιστον - - φαίνεσθαι δικαιότερα τοῦ δεσπότου λέγοντα τὸν οἰκέτην*, cum mancipii asperis, sed veracibus monitis opponantur eri talia sibi obici indignati rabies atque graves minae.

Nihilominus, dum in semet ipsum opprobria larga manu ingerere videtur, hominum volgo atque imprimis adversariis suis signifi-

cat, talium de se iudicia partim iniquiora, partim prorsus falsa minime distare ab iis, quae a quovis servulo fieri et possint et soleant; indignos igitur esse suos obtrectatores, quibus directo respondeat, omnique confutatione longe praestare lepidam stultorum derisionem. De talibus enim suo iure dicere poterat: *Ἀνδράποδα ταῦτα οὐκ οἶδεν οὐδὲ τίς εἰμι, οὐδὲ ποῦ μου τὸ ἀγαθὸν καὶ το κακόν, ὅτι οὐ πρόσοδος αὐτοῖς πρὸς τὰ ἐμά.* (Arrian. Epict. 4, 5, 24.) Haud inscita est Düntzeri opinio, prima illa veluti a Damasippo Saturnalibus diatriba habita (Sat. 2, 3) adversarios aliquot excitatos esse, quibus non sine urbana quadam malitia Horatius hic alteram strenam Saturnalem offerat. Scripta videtur a. u. c. 724.

SATIRA VIII.

Ut Nasidieni iuvit te cena beati?
Nam mihi quaerenti convivam dictus here illic

Sat. VIII. 2. *quaerenti convivam* cod. plerique, *convivam quaerenti*

VIII. Mirificam Nasidieni cenam narrat Horatio Fundanius. Illud autem quamvis magno studio ageret huius convivii dominus, ut coram Maecenate, in cuius honorem dabatur, divitias suas, magnificentiam atque elegans iudicium ostentaret, tamen operam tam misere perdidit, ut vix quidquam ineptius, agrestius, magis ridiculum cogitari posset, quam haec ipsa cena et qui eam praebuit Nasidienus ex infima fortuna, ut omnia arguunt, locuples factus. Aliter vix fieri potest, nisi ut Nasidieni nomen finxerit poëta; minime enim conveniebat, ut vero nomine traduceret hominem etiamtunc vivum, cui aliqua saltem cum Maecenate necessitudo intercedebat. Sin verum est nomen, ut volunt Scholiastae, non ita multo antea mortem obierit Nasidienus, necesse est. Singularis autem et ars et urbanitas in eo cernitur, quod nulla vox, nullus gestus Maecenatis memoratur, utpote qui comitibus iocantibus atque *parochum* salse irridentibus, ipse etiam convivio tam inepto maximopere exhilaratus, suam dignitatem illaesam servarit. Nasidieni autem ipsius persona a cenae initio usque ad finem inter summam beatitudinem summamque miseriam continuo nutans, ultra quam credibile est, ridicula manet. Fundanio item, egregio poëtae comico (Sat. 1, 10, 40 sqq.), convenientissime totam narrationem tribuit.

1. *Ut* cet.] Hic usus particulae *ut* in interrogatione directa videtur sermonis quotidiani proprius. Ep. 1, 3, 12: *Ut valet? ut meminit nostri?* Saepius ap. Plaut. et Terent., velut Trinum. 51. — *Nasidieni*] Pronuntia quattuor syllabis quasi *Nasidjeni*. Cfr. v. 75 et 84. Od. 3, 4, 41. Sat. 1, 7, 30. Verg. Aen. 6. 33: *omnja*. 7, 237: *precantja*. Iuven. 6, 82: *ludjum*. Catull. 62, 57: *conubjum*. Nasidienus Rufus testibus Scholiastis fuit eques Romanus, fortasse publicanus, ut Porcius (v. 23), cui utilis esse poterat in his illisve negotiis adiuvandis et in conducendis vectigalibus Maecenas, quem propterea lauto, ut opinabatur, convivio excepit. — *beati*] „divitis“, ut Od. 3, 7, 3.

2-6. *dictus*] ex sermone quoti-

De medio potare die. 'Sic, ut mihi numquam
In vita fuerit melius.' Da, si grave non est,
Quae prima iratum ventrem placaverit esca. 5
'In primis Lucanus aper; leni fuit Austro
Captus, ut aiebat cenae pater; acria circum

Prisc. XV. 14 H. prob. Bentl., Meineke, Haupt, Vahlen. — *here* cod. plerique, *heri* perpauci. — 4. *Da* Vossianus, Parisini *φψλν* aliique, L. Müller, Holder et Keller. *Dic* Monacensis, Leidensis, Lipsiensis, Gothanus, Dessauiensis Sb*γ*, Bentl., Haupt, Vahlen. — 5. *placaverit* Vossianus, Gothanus, Dessauiensis, Bernensis b*φψλ*, *pacaverit* Monacensis, Leidensis, c*vγ*.

diano pro *dictus es*, ut saepe apud Plautum et Terentium, apud quos nonnulli edunt *dictu's;* id quod Horatio equidem tribuere nolim. — *here*] Quintil. 1, 7, 22: *here nunc E littera terminamus; at veterum comicorum adhuc libris invenio heri ad me venit, quod idem in epistulis Augusti, quas sua manu scripsit aut emendavit, deprehenditur.* — *De medio-die*] Ep. 1, 14, 34: *media de luce.* Solita cenae hora fuit nona. Ep. 1, 7, 71: *Post nonam venies* (ad cenam). Cic. ad Fam. 9, 26, 1: *Accubueram hora nona.* Martial. 4, 8, 6: *Imperat exstructos frangere nona toros.* Censorinus 34 docet quadripartito divisum fuisse diem: *mane, ad meridiem, de meridie* (ἐκ s. ἀπὸ μεσημβρίας), *suprema.* Iam in hoc inficeta Nasidieni luxuries cernitur, quod contra morem a principibus viris servatum ad tempestivum convivium invitarat Maecenatem. — *Da*] Haec lectio firmatur ab aliquot bonis codd., nec *dic* (quod defendunt Torrentius et Bentleius, etsi patet vel ex Comm. Cruq. hoc glossema esse), ex suis etiam notavit Holder. Videtur omnino referre sermonem quotidianum. Cfr. v. 80: *illa Redde.* Verg. Ecl. 1, 19: *Sed tamen iste deus qui sit, da, Tityre, nobis.* Val. Flacc. 5, 219: *Thessalici da bella ducis.* — *si grave non est*] Cic. ad Att. 13, 42, 1: *Si grave non est, velim scire, quid sit causae.* — *Quae prima* cet.] Gustationis sive promulsidis, quoniam insoliti vel ridiculi nihil habebat, sed ex solito more praebita erat, nullam mentionem facit, ut recte notavit iam Heindorfius. — *iratum*] „famelicum." Cfr. Sat. 2, 2, 18. Ovid. Met. 8, 845: *implacataeque vigebat Flamma gulae;* qui locus facit contra multorum codd. lectionem *pacaverit.* — *Lucanus*] Sat. 2, 3, 234. 2, 4, 40. Caput cenae (cfr. Cic. Tusc. 5, 98) hoc videtur fuisse, aper integer, sed inepte primo appositus, ut coniectare licet e Cena Trimalchionis Petronii, cap. 36-40; nisi potius grus ille sparsus sale multo (v. 87) ferculum primarium fuit, ut arbitratur Becker. — *leni-Austro*] „non nimis fervido", quo facile in putredinem abisset, sed *leni*, ad hoc dumtaxat sufficiente, ut caro lassa fieret, id est, *requieta*, ut recte est in Porphyrionis ed. principe Veneta 1481 idemque ex cod. Monac. scripsit W. Meyer. Madvig advers. crit. 2, 61 interpunctionem post *aper* delet et explicat: *in primis* (prima esca) *fuit aper, captus leni Austro.*

7—9. *cenae pater*] ut apud Gr. πατὴρ λόγου, δόγματος, „cenae dominus, convivis significat optimam nunc ipsum esse hanc aprugnam", dum re vera excusare conatur rancidulum iam eius sapo-

Rapula, lactucae, radices, qualia lassum
Pervellunt stomachum, siser, allec, faecula Coa.
His ubi sublatis puer alte cinctus acernam 10
Gausape purpureo mensam pertersit, et alter
Sublegit quodcumque iaceret inutile quodque
Posset cenantis offendere, ut Attica virgo
Cum sacris Cereris, procedit fuscus Hydaspes,
Caecuba vina ferens, Alcon Chium maris expers. 15

rem ob eamque ipsam causam tot cinctam rebus apponit, quae quidem non cenae initio, sed lassato iam ventriculo apud alios praeberi solitae erant, quo acrius biberent convivae. — *circum*] in catillis posita. Conf. Sat. 2, 4, 73 sqq. — *qualia* cet.] „et qualia similiter famem excitant.“ — *Pervellunt*] „cum quadam delectatione pungunt, suscitant.“ ACR. — *siser*] Plin. H. N. 20, 17: *siser--stomachum excitat, fastidium absterget, ex aceto laserpitiato sumptum aut ex pipere et mulso vel ex garo.* — *faecula Coa*] „liquamen et condimentum ex Coi vini faece paratum.“ Conf. Sat. 2, 4, 73. Etiam haec stomachum excitantia nimis cumularat homo scaevus.

10. 11. *alte cinctus*] Sic Phaedr. 2, 5, 11: *Ex alticinctis unus atriensibus.* Sueton. Calig. 26: *togatos--ad pedes stare succinctos linteo passus est.* Significat igitur ministros cinctos fuisse tunicis linteis prope *inguen ad obscenum subductis* (Sat. 1, 2, 26), qua de re ridet Servilius v. 70. Etenim in hoc quoque ineptiebat Nasidienus, quod isto habitu voluptario Maecenatem volebat delectare. — *acernam*] „Et hoc notat eius sorditiem, quod pro divitiis non habuerit mensam citream aut vermiculatam.“ COMM. CRUQ. Plin. H. N. 16, 26: *Acer-operum elegantia ac subtilitate citro secundum.* — *Gausape*] pr. linteum villosum. Lucilius apud Prisc. 9, 9, 50: *Purpureo tersit tunc latas gausape mensas.* Ridiculum inesse videtur in mensa viliore purpureo tamen gausape pertersa. — *pertersit*] Etenim acerna illa, apud alios citrea mensa ex Horatiani temporis more nullo tapete inter cenandum cooperta erat, quo scilicet ipsa quoque nitore suo convivas oblectaret.

12-17. *Sublegit*] quaecumque abiecerant convivae, ossa, putamina cet. Qui talia sublegebat, ἀναλέκτης, *analecta* vocabatur. Martialis 7, 20, 16: *Colligere longa turpe nec putat dextra Analecta quidquid et canes reliquerunt.* Sic Calvisio (Sen. Ep. 27) suasit Satellius Quadratus, *ut grammaticos haberet analectas.* Ridiculum inest in mira analectarum sedulitate, cui opponitur pocillatorum lente accedentium aeque mira gravitas. — *ut Attica virgo* cet.] lento ingressu, quemadmodum κανηφόροι. Conf. Sat. 1, 3, 9: *saepe velut qui Currebat fugiens hostem, persaepe velut qui Iunonis sacra ferret.* — *Hydaspes*] Indos vel Aethiopes in familia urbana habere tunc pars luxuriae erat. Hic a flumine patrio nomen habet. — *Caecuba vina*] ex Latio prope Campaniae fines. Inter generosissima refert Horatius. (Od. 1, 20, 9. 1, 37, 5. 2, 14, 25. 3, 28, 3. Epod. 9, 36.) Videtur Nasidieni pravitas in eo versari, quod unum tantum vinum Italicum unumque Graecum afferri iusserat, non simul Falernum et Lesbium. Sordes autem ipse ridicule prodit

Hic erus: "Albanum, Maecenas, sive Falernum
Te magis appositis delectat, habemus utrumque."
Divitias miseras! Sed quîs cenantibus una,
Fundani, pulchre fuerit tibi, nosse laboro."
'Summus ego et prope me Viscus Thurinus, et infra, 20
Si memini, Varius; cum Servilio Balatrone
Vibidius, quas Maecenas adduxerat umbras.

22. *quas* Vossianus, Dessauiensis, Gothanus, cod. Porphyr. Monacensis, L. Müller, Haupt, Vahlen; *quos* Monacensis, Leidensis, Lipsiensis, *γφψλ* Bentley, Holder prob. Kellero.

alia vina generosa offerens dumtaxat, quae a Maecenate petitum non iri pro certo sciebat; quo quidem renuente nec ceteri convivae ea poscere poterant, nisi inurbanitatis culpam in se admittere vellent. — *maris expers*] *οὐ τεθαλασσωμένον*, cui opponitur vinum Graecum salsum. Iam in hoc quoque perversi aliquid latet: hoc puto: „erat igitur nimis dulce, cum salsum praelaturi fuissent convivae, utpote ad irritandam sitim aptius quam dulce." — *Albanum*] Cfr. Od. 4, 11, 2. Athen. 1, 59: *τῶν δ' οἴνων χαριέστατος ὁ κατὰ τὴν Ἰταλίαν Ἀλβανὸς καὶ ὁ Φαληρνίτης.*

18. 19. *Divitias miseras!*] Horatii sane haec est exclamatio. Alii eadem verba Nasidieni sermoni annectenda censent, reculas suas ita extenuantis; idque, etsi a Bentleio tamquam ineptissimum reiectum, Heindorfius patrocinio suo dignum censuit eiusque causam tam acriter egit, ut verba, si ab Horatio quocumque sensu prolata acciperentur, valde ieiuna et inepta duceret, contra a Nasidieno adiecta, quibus divitiarum suarum ostentationem, quamquam insulse admodum, quasi corrigere studeret, maxima vi et efficacia pollere contenderet. Verum si Nasidieni sunt, non corrigunt istam ostentationem, sed simulato divitiarum contemptu novam produnt. Rectius itaque agunt, qui Nasidienum, dum lautus ac liberalis videri volt, hac ipsa iactata liberalitate sordidam avaritiam prodentem ab Horatio derideri existimant. Vel illud *Sed*, quod statim sequitur, proxime antecedentia Horatio adiudicat. Mitscherlichio *miserae* sunt *divitiae*, quae possessori miserias creant ac sollicitudinem, ut Sat. 2, 6, 79: *Sollicitas-opes*. Verum malim ex sermone quotidiano interpretari: „divitias prope ridiculas, maxime propter sordes, quae eas continuo comitantur neque umquam felicem reddunt possessorem!" — *pulchre fuerit*] Cfr. Sat. 2, 2, 120. — *laboro*] h. l. „cupio, aveo."

20-24. *Summus*] De ordine convivarum vide Excursum ad h. l. Novem autem sunt convivae ex solito apud Romanos more. (Plaut. Stich. 487. Varro apud Gell. 13, 11, 2.) — *Viscus Thurinus*] Thuriis, Calabriae oppido, oriundus, quo cognomine distinguitur a Viscis fratribus, Horatii amicis. Sat. 1, 10, 83. — *Varius*] poëta. Vid. Sat. 1, 5, 40. — *Servilio*] tribus syllabis pronuntiandum. Syllaba enim antepenultima producitur. In nummis est: C. SERVEILI. Horatiano, ut scurrae, volgo dabatur cognomentum *Balatro*. Cfr. Sat. 1, 2, 2. — *Vibidius*] homo ignotus. Ecce hic, ut

Nomentanus erat super ipsum, Porcius infra,
Ridiculus totas semel absorbere placentas;
Nomentanus ad hoc, qui, si quid forte lateret, 25
Indice monstraret digito: nam cetera turba,
Nos, inquam, cenamus avis, conchylia, piscis,
Longe dissimilem noto celantia sucum;
Ut vel continuo patuit, cum passeris atque

24. *semel* unus Blandinius, Monacensis, Vossianus, Leidensis, Lipsiensis, Dessauiensis, Gothanus, *simul* Scylv cum aliis prob. Bentl., Meineke, L. Müller, Haupt, Vahlen, Holder (improbante O. Keller). — *absorbere* maior pars cod., *obsorbere* Vossianus, duo Blandinii paucique alii, Orelli.

Sat. 1, 5, 52. *Sarmentus* ac *Messius Cicirrus*, homines de *parasitica* Maecenatis *mensa*, quam iocabundus ei exprobrat Augustus in Epistula apud Sueton. Vit. Horatii; cf. vol. I. pg. 1. — *quas*] Haec lectio praestat alteri *quos* ex consuetudine Latina (Sallust. Catil. 58: *Est in carcere locus, quod Tullianum adpellatur.*), et facilius fem. in masc. mutabant quam contra. — *umbras*] „convivas ab ipso domino cenae non invitatos, sed quos comites secum duceret eorum aliquis, qui invitati erant.“ Plut. Quaestt. Conviv. 7, 6. Ep. 1, 5, 28. — *Nomentanus*] Videtur idem cum nepote illo Satirae 1, 1, 102. „Decumanum“, id est, decumarum in Sicilia redemptorem, dicit Commentator Cruquii. — *super*] Lambinus malebat *supra*, ut est apud Cic. ad Fam. 9, 26, 1: *supra me Atticus, infra Verrius.* Sed alterum aeque rectum est et h. l. soni gratioris. Sallust. Fr. Hist. 3, 43: *Igitur discubuere, Sertorius inferior in medio, super eum L. Fabius.* Tacit. Ann. 3, 14: *in convivio Germanici, cum super eum Piso discumberet.* — *ipsum*] dominum, ut servis Graecis αὐτὸς est erus. — *Porcius*] „publicanus.“ COMM. CRUQ. — *semel*] Recte dicitur: *totas semel*, „uno haustu“, contra *plures simul*, id quod fieri vix potest. — *absorbere*] De hoc verbo cfr. Sat. 2, 3, 240. Plerumque de liquidis usurpatur, h. l. pro *celeriter deglutire, devorare*, non sine ridiculi specie, quasi vero helluo ille deglutisset placentas, ut alius vinum aut ius.

25-28. *ad hoc*] „ad hoc aderat, ut *nomenclatorem* (Petron. 47) ageret, si cibi aliquod genus nos minus periti non agnosceremus.“ Parasiti enim erat *τὸ ἐπίστασθαι τας ἀρετὰς καὶ κακίας τῶν σιτίων καὶ τῶν ὄψων.* Lucian. Paras. 5. — *Indice-digito*] „Certis nominibus singuli digiti nominantur: *pollex, index, famosus* (vel *medius*, vel *infamis*, Pers. 2, 33, qui irrisioni inserviebat. Arrian. Epict. 3, 2, 11, vel *impudicus* Martial. 6, 70, 5) *medicus* (in quo anulum ferebant), *minimus.*“ PORPH. — *Nos*] „talium deliciarum rudes praeter Nasidienum cenae dominum, Nomentanum, et si qui praeterea in mysteria mensae Nasidie, nianae initiati erant.“ Vv. *cetera turba* sane Maecenatem excludunt. — *celantia*] Hoc ipsum utique volebat Nasidienus, ut novos atque insolitos cibos demirarentur Maecenas eiusque amici.

29. 30. *Ut vel continuo patuit*] „Apparuit Nomentano a patrono

Ingustata mihi porrexerat ilia rhombi. 30
Post hoc me docuit melimela rubere minorem
Ad lunam delecta: quid hoc intersit, ab ipso
Audieris melius. Tum Vibidius Balatroni:
"Nos nisi damnose bibimus, moriemur inulti;"
Et calices poscit maiores. Vertere pallor 35
Tum parochi faciem nil sic metuentis ut acris
Potores, vel quod maledicunt liberius vel
Fervida quod subtile exsurdant vina palatum.
Invertunt Allifanis vinaria tota
Vibidius Balatroque, secutis omnibus; imi 40

30. *porrexerat* Vossianus, S paucique alii, *porrexerit* cod. plerique, *porrexit is* L. Müller.

γαστρονομίας doctoris munus scite scilicet! et pro commodo nostro impositum esse; nam is nisi affuisset, ilia passeris marini non agnossem, fortasse nec tetigissem." Omnia haec κατ' εἰρωνείαν. — *passeris*] Est pleuronectes, hodie platesca flesus. — *atque*] Lectio *assi et* profecto non est nisi petulans nescio cuius interpolatio ducta ex Sat. 2, 4, 38. — *Ingustata*] „Quae quia alibi apponi non solent, ego numquam ante gustaram." — *ilia*] „intestina, iecur potissimum."

31-34. *melimela*] Varro R. R. 1, 59: *Quae antea mustea vocabant, nunc melimela appellant.* — *minorem*] „decrescentem." — *ab ipso* cet.] „Tam subtilia scilicet erant eius argumenta physica, ut ea retinere non potuerim." — *damnose*] Videtur locutio sermonis convivalis: „immodice, ita ut damnum sentiat, qui convivium praebet." — *moriemur inulti*] Epica φράσις (Verg. Aen. 2, 670: *Numquam omnes hodie moriemur inulti.* Cfr. 4, 659.) Sic autem ultio sumenda erat de cena putida atque alioqui taedii plena.

35-41. *calices - maiores*] Ex more acrium potorum. Conf. Epod. 9, 33. Cic. Verr. Accus. 1, 66: *discumbitur: fit sermo inter eos et invitatio, ut Graeco more biberetur, hortatur hospes: poscunt maioribus poculis.* — *parochi*] Cfr. Sat. 1, 5, 46. Hic festive ita vocat cenae praebitorem. — *Fervida* cet.] „Acria vina hebetant subtiliorem palati gustum, itaque convivae talis cenae delicias minus persentiscent." — *exsurdant*] tralatio ab auditu ad gustatum. Neutram autem rationem proferre poterat ipse Nasidienus, sed manifestum est utramque a Fundanio malitiose suggeri homini subito expallescenti atque silenti. Vera videlicet ratio in eius inerat parcimonia: etenim tales homines tenui loco orti, sed casu repente divites facti *(parvenus)*, mira temperatione plerumque magna cum profusione sordes coniungunt. — *Invertunt*] κατὰ κεφαλῆς τρέπονται. COMM. CRUQ. „Inclinant *vinaria* (lagenas; Glossae: *vinarium οἰνοφορεῖον.*) ad infundendum merum in calices." Od. 3, 29, 2. Lucilius: *Vertitur oenophoris fundus, sententia nobis.* Verg. Aen. 9, 165: *vertunt crateras aënos.* — *Allifanis*] dativus: „maioribus scyphis;" ab

Convivae lecti nihilum nocuere lagenis.
Affertur squillas inter muraena natantis
In patina porrecta. Sub hoc erus: "Haec gravida," inquit,
"Capta est, deterior post partum carne futura.
His mixtum ius est: oleo, quod prima Venafri 45
Pressit cella; garo de sucis piscis Hiberi;
Vino quinquenni, verum citra mare nato,
Dum coquitur — cocto Chium sic convenit, ut non
Hoc magis ullum aliud —; pipere albo, non sine aceto,
Quod Methymnaeam vitio mutaverit uvam. 50

Allifis, Samnii oppido, „ubi fictiles et latiores calices fiebant." COMM. CRUQ. — *imi Convivae lecti*] Nomentanus et Porcius, Nasidieni parasiti, prudenter cavebant, ne eum offenderent largius bibendo; patronus ipse ob avaritiam sibi temperabat a potu. Cfr. Ep. 1, 18, 10: *imi Derisor lecti.*

42-50. *squillas*] Conf. Sat. 2, 4, 58. — *muraena*] Romanorum deliciae. Macrobius Saturn. 2, 11: *L. Crassus vir censorius, cum supra ceteros disertus haberetur, essetque inter clarissimos cives princeps, tamen muraenam in piscina domus suae mortuam atratus tamquam filiam luxit. - - Arcessebantur autem muraenae ad piscinas nostrae urbis ab usque freto Siculo. - - Illic enim optimae a prodigis esse creduntur.* — *porrecta*] Cfr. Sat. 2, 2, 39. — *erus*] Iam ipse, ut de Calvisio Sabino ait Seneca Epist. 27: *incipit convivas suos inquietare*, laudes videlicet captans. — *deterior* cet.] Utrum haec volgaris sit doctrina, an nova, non satis liquet; inventionis certe gloriola cernitur in illis v. 51 *ego primus.* — *carne*] „quod ad carnem attinet." — *His mixtum ius est*] „His rebus, quae vv. 45-53 enumerantur, conditum est ius." Cfr. Sat. 2, 4, 63 sqq. Male Dacierius explicat: „his squillis affusum est ius;" quod *mixtum* significare non potest. — *oleo, quod prima Venafri* cet.] „eo oleo Venafrano ex Campania, quod in cellis, ubi torcularia erant, ex olivis trapeto suppositis primum manavit et propterea primae notae, omnium dulcissimum ac purissimum est. Conf. Od. 2, 6, 16. — *garo*] Plin. H. N. 31, 7, 43: *Aliud etiamnum liquoris exquisiti genus, quod* garon *vocavere intestinis piscium ceterisque, quae abicienda essent, sale maceratis, ut sit illa putrescentium sanies. Hoc olim conficiebatur ex pisce, quem Graeci* garon *vocabant; - - nunc e scombro pisce laudatissimum in Karthaginis Spartariae cetariis: sociorum id appellatur, singulis milibus nummum permutantibus congios fere binos. Oenogaro* praeter alia immiscenda docet piper et oleum Apicius 1, 31. — *piscis Hiberi*] scombri ad Karthaginem, Hispaniae urbem, capti. — *citra mare nato*] „Italico." — *cocto Chium* cet.] Coctum cum est ius, affundi debet vinum Chium, quod, mixtum cum priore illo Italico, insolito, sed grato sapore excitabit palatum." — *Methymnaeam*] a Methymna, Lesbi oppido. De vino Lesbio cfr. Od. 1, 17, 21. — *vitio mutaverit*] „acetum ex vino Lesbio

Erucas viridis, inulas ego primus amaras
Monstravi incoquere, inlutos Curtillus echinos,
Ut melius muria quod testa marina remittat."
Interea suspensa gravis aulaea ruinas
In patinam fecere, trahentia pulveris atri 55
Quantum non Aquilo Campanis excitat agris.
Nos maius veriti, postquam nihil esse pericli
Sensimus, erigimur: Rufus posito capite, ut si
Filius immaturus obisset, flere. Quis esset
Finis, ni sapiens sic Nomentanus amicum 60
Tolleret: "Heu, Fortuna, quis est crudelior in nos

53. *quod* cod. et edit. plerique, *quo* cod. Bland. vetustissimus, *quam* Vossianus cum paucis aliis Bentl., Meineke. — *remittat* Vossianus, Leidensis, Dessauiensis bcγφψλ, *remittit* Blandinii, in his vetustissimus, Bentl., Meineke.

confectum *vitio*, id est, fermento. Conf. Sat. 2, 2, 58.

51—53. *Erucas*] Est brassica eruca Linn. Has virides apponere se docuisse non sine *φιλαντίᾳ* narrat, cum antea seminibus dumtaxat ad condiendos cibos uterentur. Cfr. Apicium 1, 27. — *inulas - - amaras*] Sat. 2, 2, 44: *acidas - inulas*. — *inlutos*] „non aqua dulci lotos, quo marinae sapor iis decederet, echinos praestantissimo huic iuri muriae loco primus incoquere docuit Curtillus", helluo ignotus, cui gloriolae partem libenter cedit, quo artificium perfecisse ipse videatur. — *Ut melius*] *ὡς κρεῖσσον ὄν*. Cfr. v. 89: *ut multo suavius*. — *quod testa marina remittat*] „Quia melius sit quam muria a cetario praeparata, quam alii huic iuri admiscent, id, quod testa marina, illutus echinus per se ipse remittat (sucus eius naturalis non dilutus aqua dulci)." Volgatam lectionem *quam* varie explicant: 1) „melius muriâ, quae praeparatur ex conchulis marinis;" 2) „muria, quae defunditur ex orca Byzantia."

54-64. *Interea*] Scite duobus versibus heroici soni usus est in argumento ridiculo. — *aulaea*] *περιπετάσματα*. Cfr. Od. 3, 29, 14: *pauperum Cenae sine aulaeis et ostro*. „Consuetudo apud antiquos fuit, ut aulaea sub cameras tenderent, ut, si quid pulveris caderet, ab ipsis exciperetur." PORPH. Servius ad Aen. 1, 697: *Ideo etiam in domibus tendebantur aulaea, ut imitatio tentoriorum fieret: - - unde et in thalamis hoc fieri hodieque conspicimus. Varro tamen dicit vela solere suspendi ad excipiendum pulverem, unde Horatius:* Interea cet. — *maius veriti*] „ruinam domus metuentes." COMM. CRUQ. — *erigimur*] „animum recipimus." — *Rufus*] „Nasidienus; erat enim binominis." COMM. CRUQ. — *posito capite*] „demisso." — *immaturus*] „qui nondum maturus esset morti." Tibull. 2, 6, 29: *Parce, per immatura tuae precor ossa sororis*. — *Tolleret*] „maestum consolatus esset;" pr. de eo, qui cum humi procidit, ab alio erigitur. Ceterum imperfecta coni. pro plusquamperf. saepe sic usurpantur, ubi in ipsum illud tempus, quo quid factum est, revertitur se-

Te deus? Ut semper gaudes illudere rebus
Humanis!" Varius mappa compescere risum
Vix poterat. Balatro suspendens omnia naso,
"Haec est condicio vivendi," aiebat, "eoque 65
Responsura tuo numquam est par fama labori.
Tene, ut ego accipiar laute, torquerier omni
Sollicitudine districtum, ne panis adustus,
Ne male conditum ius apponatur, ut omnes
Praecincti recte pueri comptique ministrent? 70
Adde hos praeterea casus, aulaea ruant si,
Ut modo; si patinam pede lapsus frangat agaso.
Sed convivatoris uti ducis ingenium res
Adversae nudare solent, celare secundae."
Nasidienus ad haec: "Tibi di, quaecumque preceris, 75
Commoda dent! Ita vir bonus es convivaque comis,"

75. *preceris* Monacensis C, Vossianus, Lipsiensis, b*φφλν*, *precaris* Monac. E, Gothanus, c*γ* Bentleiani quinque recentiores.

que, ut ita dicam, transponit scriptor. — *mappa*] Vid. Sat. 2, 4, 81. — *compescere*] „retinere", non, ut alii volunt, „celare." — *suspendens omnia naso*] „omnia irridens." COMM. CRUQ. Cfr. Sat. 1, 6, 5: *naso suspendis adunco.*

66-76. *tuo*] „certa persona pro incerta." BAXTER. „Putabam sermonem directum ad Nasidienum." GESN. Sane hoc simplicius vel propter vv. seqq. — *Tene -- torquerier*] Infinitivus indignationis, ut Sat. 1, 9, 72: *Huncine solem Tam nigrum surrexe mihi!* — *districtum*] Plin. H. N. 18, 26, 65: *innumera rusticos cura distringat.* — *ne panis* cet.] Particulae *ne* et *ut* pendent a v. *sollicitudine.* — *panis adustus*] Videlicet in his omnibus peccarat Nasidienus, pane adusto (*ἡνθρακισμένῳ*), iure prave condito erucis, inulis, illutis echinis, ministris ridicule cinctis et comptis, aulaeis parum fultis cet. Ita si accipias, longe salsior magisque malitiosa fiet Balatronis consolatio, quam si in universum eum de calamitatibus, quibus convivium quodvis forte affici possit, hic loqui statuas. — *agaso*] „servus, qui iumenta curat." ACR. Nasidienus, ut servorum numerum augeret, ipsum quoque agasonem, hominem adeo scaevum, ut amovens aulaea, quae ceciderant, patinam frangeret, illis aggregarat; idque Servilius odoratus erat. — *nudare*] „patefacere, detegere." — *Tibi di* cet.] ex consuetudine quotidiana. Plaut. Asin. 44, et Mil. glor. 1038: *Di tibi dent, quaecumque optes.* Stich. 468: *Bene atque amice dicis. Di dent quae velis.* — *preceris*] Balatroni optat, non quae nunc ipsum deos *precatur* (uihil enim certis verbis precatur), sed quaecumque alio quovis tempore forsitan *precari possit.* Hinc h. l., ut monstrant etiam loci Plautini, coniunctivus praeferendus est haud paucorum codd. indicativo.

Et soleas poscit. Tum in lecto quoque videres
Stridere secreta divisos aure susurros.'
Nullos his mallem ludos spectasse; sed illa
Redde age, quae deinceps risisti. 'Vibidius dum 80
Quaerit de pueris, num sit quoque fracta lagena,
Quod sibi poscenti non dantur pocula, dumque
Ridetur fictis rerum Balatrone secundo,
Nasidiene, redis mutatae frontis, ut arte
Emendaturus fortunam; deinde secuti 85
Mazonomo pueri magno discerpta ferentes
Membra gruis sparsi sale multo, non sine farre,

82. *dantur* Monacensis E, bcγ ed. plerique, *dentur* Vossianus, Lipsiensis, Monacensis C, Gothanus *φψλυ*, prob. Bentl.

77. 78. *soleas poscit*] Foris calceis, domi soleis utebantur viri; easdem in discumbendo deponebant; depositas servum poscit Nasidienus, ut de cena surgat iubeatque praeparari mazonomum, quo, deperditâ pulvere muraenâ, convivas soletur. Plaut. Trucul. 363: *soleas cedo mihi; Properate, auferte mensam.* v. 367: *Iam rediit animus; deme soleas, cedo bibam.* — *in lecto quoque*] Remoto domino cenae non solum Maecenatis comites, verum etiam imi lecti parasiti iocos de ridiculo casu in aurem proximo quisque insusurrabant; quominus in effusos risus erumperent, vetabat Maecenatis praesentia, cuius dignitas ne coram *parochi* servis periclitaretur cavendum erat. — *videres*] Non est positum pro „audires", ut videbatur Lambino, sed: „dum susurrant, *videres* bina capita sibi invicem appropinquare." — *Stridere*] Nota sigmatismum in hoc versu consulto quaesitum ad exprimendos *susurros.* — *secreta-aure*] Pers. 5, 96: *Secretam gannit in aurem.*

80-87. *Redde*] „Refer mihi." — *sit quoque fracta*] ut patina illa muraenae. — *non dantur*] Factum est certum; itaque, etsi praecedit oratio obliqua, rite subiungitur indicativus firmatus a bonis codicibus, ut apud Sallust. Iug. 38: *Iugurtha - - verba facit, tametsi ipsum - - fame et ferro clausum tenet, tamen se - - incolumis omnis sub iugum missurum:* et persaepe apud Tacitum. — *Ridetur fictis rerum*] ut Sat. 2, 2, 25: *vanis rerum.* A. P. 49: *abdita rerum.* Sententia est: „Fingebamus nos de aliis rebus iocosis ridere." — *secundo*] Tralatio sumpta est a vento secundo (Ep. 2, 1, 102); „praeter ceteros nos adiuvante." — *Nasidiene*] Vocativo utitur, ut in locis, ubi *πάθος* praevalet, suos heroas alloquuntur poëtae epici. Iliad. Δ 127: *Οὐδὲ σέθεν, Μενέλαε, θεοὶ μάκαρες λελάθοντο.* — *ut arte* cet.] „ut sapientia tua scite medearis fortunae adversitati." Terent. Ad. 741: *Illud quod cecidit forte, id arte ut corrigas.* — *Mazonomo*] *Μαζονόμος* proprie est lanx ingens, ex qua *μάζα νέμεται*, puls distribuitur, h. l. etiam aliis cibis apponendis destinata. — *discerpta*] Singula iam animalium membra, quae, ut opinabatur Nasidienus, a convivis maxime appeterentur, sub cenae finem afferuntur. — *gruis*] Tunc ciconiae

Pinguibus et ficis pastum iecur anseris albae
Et leporum avolsos, ut multo suavius, armos,
Quam si cum lumbis quis edit; tum pectore adusto 90
Vidimus et merulas poni et sine clune palumbis:
Suavis res, si non causas narraret earum et
Naturas dominus; quem nos sic fugimus ulti,

88. *albae* Bland. vetustissimus, unus ex Pulmannianis optimus, Gothanus (*albe*) Bentl., Meineke, L. Müller, Haupt, Vahlen, *albi* Monacens. C et E, Vossian., Lips., Sbcγφψλυ, Holder et Keller.

praeferebantur, teste Cornelio Nepote apud Plin. H. N. 10, 30.; ergo per se quoque non satis congruum erat ferculum, mire praesertim nimio sale et farre immixto conspersum. Ceterum Plinius l. l. subiungit: *cum haec ales* (grus) *inter primas* (nunc) *expetatur, illam nemo velit attigisse.*

88-90. *Pinguibus-ficis*] Hoc significat Nasidienus convivis, anserem non volgaribus ficis, sed suci melioris et abundantioris saginatam fuisse. — *albae*] Hanc lectionem praetuli, ut praeter colorem indicetur sexus, tenerioraque esse iecinora et feminarum et albarum. Facilius autem a librariis genus feminin. mutabatur in masc. quam contra. Eadem prorsus subtilitate Persius 6, 24 *turdarum salivas* dixit, non *turdorum.* — *ut multo suavius*] Rursus convivatoris est monitum. — *armos*] Conf. Sat. 2, 4, 34. — *Quam si cum lumbis* cet.] „quia lumbi habent aliquid tetri odoris et saporis minus iucundi.“ COMM. CRUQ. — *edit*] Coniunctivus vel optativus antiquus *edim, edis, edit,* ut Epod. 3, 3. — *pectore adusto*] *Τὸ προσκαίειν τοῖψον* in iis enumerat Plutarchus de cohib. ira 11, quae dominorum in servos iram vel maxime concitent; Nasidienus autem in his omnibus caecutiebat. Conf. supra v. 68: *panis adustus.*

91-95. *merulas*] Nunc certe ab Italis non comeduntur, sed tamen olim etiam Athenis. Ap. Aristophanem Av. 1081. Philocrates, avium saginator: *Τοῖς τε κοψίχοισιν εἰς τὰς ῥῖνας ἐγχεῖ τὰ πτερά.* Merulas inassatas dysentericis mederi auctor est Plinius H. N. 30, 7. Apponit igitur ferculum, quod Romae alias medicinae potius loco videtur esse habitum quam lauti cibi. — *poni*] Vid. Sat. 2, 2, 23. — *sine clune*] Quae tamen pars optima habebatur: verum hac in cena omnia vel mira vel perversa esse liquet. Favorinus certe apud Gell. 15, 8: *Praefecti popinae atque luxuriae--negant ullam avem praeter ficedulam totam comesse oportere; ceterarum avium atque altilium nisi tantum apponatur, ut a cluniculis inferiore parte saturi fiant, convivium putant inopia sordere; superiorem partem avium atque altilium qui edint, eos palatum habere.* — *Suaves res*] „etsi mira nec recte apparata quaedam inerant, facile tamen ultimos hos cibos, saltem plerosque, comedere potuissemus, si non cet.“ — *causas*] „Quasi de problemate physico disserendum esset, de cuiusque cibi praeparatione huiusque effectu operose agebat.“ — *Naturas*] *τὰς ποιότητας φυσικὰς πάντων*, bonine suci an mali, cuius aetatis atque originis essent. — *ulti*] Ubi semel in animum induxerat Nasidienus multa et sumptuosa fercula apponere, tali impensa iam facta haud levis offen-

Ut nihil omnino gustaremus, velut illis
Canidia afflasset, peior serpentibus Afris.' 95

95. *Afris* Vossianus, Monac. E, Gothanus, bcγ, ed. plerique, *atris* Monac. C, Lips., Sφψλ, Bentl.

sa erat, cum cibos tam lautos sperni a convivis videret. — *Canidia*] saga et venefica. Vid. Epod. 5 et 17. Sat. 1, 8. — *afflasset*] V. *afflare* etiam dativo iungi, quod addubitabat Bentleius, unde audacius coniecit *veluti si*, monstrat Tibull. 2, 1, 80: *Felix, cui placidus leniter afflat Amor.* Propert. 3, 27, (al. 2, 29,) 17: *Afflabunt tibi non Arabum de gramine odores.* — *peior serpentibus*] Credebant afflatum praesertim basilisci repentinam homini mortem afferre. C. Rabirius ed. Kreyssig p. 226: *Percutit adflatu brevis hunc sine morsibus anguis.* Colum. 8, 5, 18: *Cavendum, ne a serpentibus afflentur (pulli), quarum odor tam pestilens est, ut interimat universos.* — *Afris*] longe teterrimis, ut Od. 3, 10, 18: *Mauris-anguibus.* Lectio *atris* esset simplex ἐπίθετον ornans, ut Od. 3, 4, 17: *atris viperis.*

EXCURSUS

Ad vv. 20 sqq.

Locus memorabilis de locorum in conviviis Romanis ordine exstat apud Plutarchum Quaestt. Convival. 1, 3: *Ἄλλοι (τόποι) γὰρ ἄλλοις ἔντιμοι· Πέρσαις μὲν ὁ μεσαίτατος, ἐφ' οὗ κατακλίνεται ὁ βασιλεύς· Ἕλλησι δὲ ὁ πρῶτος· Ῥωμαίοις δὲ ὁ τῆς μέσης κλίνης τελευταῖος, ὃν ὑπατικὸν προσαγορεύουσιν.* Cur consularis vocitetur, tres affert rationes, quarum secunda haec est: *ὅτι τῶν δυοῖν κλινῶν ἀποδεδομένων τοῖς παρακεκλημένοις ἡ τρίτη καὶ ταύτης ὁ πρῶτος τόπος μάλιστα τοῦ ἑστιῶντός ἐστιν· -- ὁ μὲν γὰρ ὑπ' αὐτὸν ἢ γυναικὸς ἢ παίδων ἐστίν· ὁ δὲ ὑπὲρ αὐτὸν εἰκότως τῷ μάλιστα τιμωμένῳ τῶν κεκλημένων ἀπεδόθη, ἵνα ἐγγὺς ᾖ τοῦ ἑστιῶντος.*

Iam ex hoc praecipue loco Salmasius ad Solinum p. 886 construxit triclinii schema, quod hic exhibemus; ea tamen re nostrum differt a Salmasiano, quod, ut apparet ex v. 23, Nasidienus occupavit imi lecti medium locum, id est, octavum, non, ut est apud Plutarchum et Salmasium, summum, id est, septimum, sive in hoc quoque aberravit a solito more, sive quod arbitratus est Nomentanum scitius cum Maecenate sermocinaturum, quam ipse potuisset hoc officio defungi.


6.
Imus locus
s. consularis.
5.
Medius.
4.
Summus.
I.
Maecenas.
II.
Vibidius.
III.
Servilius Balatro.
Medius lectus.
7.
Summus.
I.
Nomentanus.
8.
Medius.
II.
Nasidienus.
9.
Imus.
III.
Porcius.
Imus lectus.
Mensa.
3.
Imus.
III.
Varius.
2.
Medius.
II.
Viscus Thurinus.
1.
Summus.
I.
Fundanius.
Summus lectus.

Verlag von S. Calvary & Co. in Berlin:

M. Tullii Ciceronis

Opera quae supersunt omnia
ex recensione
J. G. Orellii.
Editio altera emendatior.
Curaverunt
J. Gasp. Orellius, J. Georg Baiterus, Carolus Halmius.
8 volumina Lex. 8°. (87 M. 10 Pf.) 60 M.

A. Textus. 4 Bände in 6 Theilen. 2. Aufl. 1845—61. (48 M. 20 Pf.) 24 M. — vol. I. Libri rhetorici. Editio II. 1845. (8 M.) 6 M. — vol. II. (2 Partes.) Orationes ad Codices ex magna parte aut primum aut iterum collatos emendarunt **J. G. Baiterus** et **C. Halmius.** 2 voll. 1854—1857. (18 M. 80 Pf.) 16 M. Einzeln à 9 M. — vol. III. Epistolae. Accedit Historia critica epistolarum Ciceronis. Editio II. 1845. (8 M.) 7 M. — vol. IV. Libri qui ad Philosophiam et ad Rem Publicam spectant. Ex Libris Manuscriptis partim primum partim iterum excussis emendaverunt **J. G. Baiterus** et **Car. Halmius.** Accedunt Fragmenta **J. C. Orellii** secundis curis recognita. 1861. (13 M. 40 Pf.) 12 M.

B. Scholia. M. Tullii Ciceronis Scholiastae. C. Marius Victorinus, Rufinus, C. Julius Victor, Boethius, Favonius Eulogius, Asconius Pedianus, Scholia Bobiensia, Scholiasta Gronovianus ediderunt **Io. Casp. Orellius** et **Io. Georgius Baiterus.** 2 voll.

C. Onomasticon. Onomasticon Tullianum continens M. Tullii Ciceronis Vitam, Historiam Literarum, Indicem Geographicum et Historicum, Indicem Graecolatinum, Fastos Consulares. Curaverunt **I. C. Orellius** et **I. G. Baiterus.** 3 voll. (27 M.) 24 M.

Inscriptionum latinarum selectarum

amplissima collectio
ad illustrandam Romanae antiquitatis disciplinam accommodata
ac magnarum collectionum supplementa complura
emendationesque exhibens.
Cum ineditis **Jo. Casp. Hagenbuchii** suisque adnotationibus
edidit
Jo. Casp. Orellius.
Insunt lapides Helvetiae omnes.
Accedunt praeter **Faginii** Kalendaria antiqua
Hagenbuchii, Maffei, Ernestii, Reiskii, Seguierii, Steinbuechelii
epistolae aliquot epigraphicae
nunc primum editae.
2 voll. accedit vol. III.:
Collectionis Orellianae supplementa emendationesque exhibens
edidit
Guilielmus Henzen.
Accedunt indices rerum ac notarum, quae in tribus voluminibus inveniuntur.
3 voll. Lex. 8°. (37 M. 50 Pf.) 24 M.

G. Crispi Salustii

Catilina Jugurtha Historiarum Reliquiae.
Incertorum auctorum epistolae ad Caesarem invectivae,
declamatio in Catilinam.
Recensuit adnotatione critica instruxit
F. D. Gerlach.
Accedunt Historicorum vet. Romanorum reliquiae a
Car. Lud. Roth
collectae et dispositae.
Pracht-Ausgabe auf Schweizer Velinpapier. (15 M.) 12 M.

P. Cornelii Taciti

Opera quae supersunt
ad fidem Codicum Mediceorum
ab **Jo. Georgio Baitero** denuo excussorum
ceterorumque optimorum librorum
recensuit atque interpretatus est
Jo. Casp. Orellius.

Vol. I. Annalium ab excessu divi Augusti quae supersunt ad fidem codicum Mediceorum. 10 M. — Vol. II. Germania. Dialogus de claris oratoribus. Agricola. Historiae. Editionem alteram curaverunt H. Schweizer-Sidler, G. Andresen, C. Meiser.

Fasciculus primus: De situ ac populis Germaniae liber. Ad fidem Codicum Vaticanorum, Perizoniani, Neapolitani ceterorumque optimorum librorum denuo recensuit atque interpretatus est H. Schweizer-Sidler. 1877. 4 M. 50 Pf. — Fasciculus secundus: Dialogus de oratoribus ad fidem Codicum optimorum denuo recensuit atque interpretatus est Georgius Andresen. 1877. 3 M. — Fasciculus tertius: De vita et moribus Julii Agricolae liber ad fidem codicum Vaticanorum recensuit atque interpretatus est Georgius Andresen. 1880. 4 M. 50 Pf. — Fasciculus quartus: Historiae recensuit C. Meiser. Lib. I. 1883.

G. Pätz'sche Buchdr. (Otto Hauthal) in Naumburg a/S.

Q. HORATIUS FLACCUS.

RECENSUIT

ATQUE INTERPRETATUS EST

IO. GASPAR ORELLIUS.

EDITIONEM MINOREM SEXTAM

POST

IO. GEORGIUM BAITERUM

CURAVIT

GUILELMUS HIRSCHFELDER.

VOLUMINIS POSTERIORIS

FASCICULUS POSTERIOR.

EPISTULAE. ARS POETICA.

BODLEIAN LIBRARY
26 MAR 84
OXFORD.

BEROLINI

SUMPTUS FECIT S. CALVARY EIUSQUE SOCIUS.

MDCCCLXXXIV.

Q. HORATIUS FLACCUS.

Q. HORATIUS FLACCUS.

RECENSUIT

ATQUE INTERPRETATUS EST

IO. GASPAR ORELLIUS.

EDITIONEM MINOREM SEXTAM

POST

IO. GEORGIUM BAITERUM

CURAVIT

GUILELMUS HIRSCHFELDER.

VOLUMEN ALTERUM.



BEROLINI

SUMPTUS FECIT S. CALVARY EIUSQUE SOCIUS.

MDCCCLXXXIV.

S. Class. Lat. 54 h

Q. HORATII FLACCI

EPISTULARUM

LIBER PRIMUS.

EPISTULA I.

Prima dicte mihi, summa dicende Camena,

Epist. I. Horatius confecto et edito Carminum libro — id quod extremo anno 730 vel ineunte anno 731 nobis quidem videtur fecisse — aliquamdiu lyrico genere abstinuit neque usus est priusquam iussu Augusti carmen saeculare a. 737 composuit pauloque post 'Vindelicam victoriam Tiberii Drusique' (Od. 4, 4. 14) praedicavit. Interim philosophiae litterarumque studio vacavit epistularumque librum primum scripsit, quem ante mensem Decembrem a. 734 editum esse ipse pronunciat ep. 1, 20, 27. Quod epistularum genus quo nomine appellaverit Horatius parum constat. Semel ipse scripsit 2, 2, 22 — *quod epistula nulla rediret*, sed aliis locis (2, 1, 4. 250.) *sermones* dicit epistulas significans; eodem vocabulo cum satiras etiam nominaverit neque Quintilianus ullo loco epistulas Horatii laudaverit, sunt qui hunc primum epistularum librum satirarum (vel sermonum) tertium esse velint tribusque illis sermonum libris prologi causa additam esse censeant epistulam vicesimam. Huic sententiae repugnat quod satirarum nulla post annum 724, epistularum nulla ante annum 730 scripta est, deinde quod in epistulis multis certi quidam homines ut solet fieri in epistulis appellantur, id quod non fit in satiris. Denique sermo et metrica ratio in satiris multo liberior ac sermoni quotidiano propior est, quam in epistulis.

Hanc primam epistulam prologi causa ceteris compositis addit scripsitque anno 734, quo tempore nova ipsius carmina lyrica desiderari coepta sunt. Excusat hoc apud Maecenatem, quem ipsum quoque carmina ab eo expostulavisse consentaneum est, simulque quibus studiis tum deditus sit exponit. Est igitur haec etiam vera epistula amico missa.

1-3. *Prima* cet.] „cuius laudes ut prioribus iam meis carminibus lyricis praedicavi, ita in posterum, dum concessa mihi erit vita, semper praedicabo.“ Est velut prover-

Spectatum satis et donatum iam rude quaeris,
Maecenas, iterum antiquo me includere ludo:
Non eadem est aetas, non mens. Veianius armis
Herculis ad postem fixis latet abditus agro, 5

bialis formula. Hom. Hymn. Apoll. 21, 3: σὲ δ' ἀοιδὸς - - Ἡδυεπὴς πρῶτόν τε καὶ ὕστατον αἰὲν ἀείδει. Theocr. 17, 3: Ἀνδρῶν δ' αὖ Πτολεμαῖος ἐνὶ πρώτοισι λεγέσθω Καὶ πύματος καὶ μέσσος. — *dicte*] A. P. 141: *Dic mihi, Musa, virum.* — *summa*] „ultima", ut Od. 3, 28, 13: *Summo carmine.* Ovid. Trist. 1, 3, 58: *Et quasi discedens oscula summa dedi.* — *Spectatum*] Verbum hoc est proprium de gladiatoribus saepe victoribus atque a populo celebratis, nota *SP.* expressum in tesseris, quae talibus honoris causa dabantur. Vide Wilmanns Exempla I. L. n. 2605, 2824. CIL. VI 631, 632. — *rude*] Gladiatores postulante populo in amphitheatro a ludorum editore accipiebant *rudem* in signum exauctorationis, si liberi erant, si servi, missionis artis gladiatoriae, vocabanturque *rudiarii.* Cic. Philipp. 2, 74: *Tam bonus gladiator rudem tam cito accepisti?* Ovid. Am. 2, 9, 22: *Tutaque deposito poscitur ense rudis.* Martial. ep. 3, 36, 10: *nondum credis me meruisse rudem?* Collatio legum Mosaic. et Rom. 11, 7, 4: *Qui in ludum damnantur, non utique consumuntur, sed etiam pilear et rudem accipere possunt post intervalla; siquidem post quinquennium pileari, post triennium autem rude batuere eis permittitur.* — *quaeris - - includere*] eadem constructione, qua Od. 1, 16, 25: *mitibus Mutare quaero tristia.* Sat. 1, 9, 8: *discedere quaerens.* — *ludo*] „gladiatorio, ubi quasi inclusus in cella sub lanista vivam huiusque arbitratu in arenam descendam." Sine imagine: „Miror te aliumve denuo carmina a me postulare, cum iam et senior factus sim et ante omnia otium quaeram, in quo unice sapientiae vacem; praeterea poëmatis, quae edidi, iustis popularium meorum postulatis iam satisfecisse mihi videor."

4-6. *Non eadem est aetas*] Od. 4, 1, 3: *Non sum qualis eram bonae Sub regno Cinarae.* — *mens*] non: „ingenii vis;" sed: „voluntas studiumque, γνώμη." Od. 4, 10, 7: *Quae mens est hodie, cur eadem non puero fuit?* — *Veianius*] „Veianius, nobilis gladiator, post multas palmas consecratis Herculi Fundano (apud Fundos in Latio culto: Inscr. Or. Lat. N. 1539) armis tandem in agellum se contulit." PORPHYR. Vitruv. 1, 7: *Herculi, in quibus civitatibus non sunt gymnasia neque amphitheatra ad circum* (aedes exstruantur). Herculi, ut nominatur in Inscriptt. CONSERVATORI. DEFENSORI. SALVTIFERO., dedicasse videtur gladium Veianius. Ceterum saepissime in Epigrammatis artium prope omnium instrumenta dis dedicantur ab iis, qui artem desinendi consilium ceperunt. Sic Anthol. Palat. I. pag. 241: Δέξαι μ', Ἡράκλεις, Ἀρχεστράτου ἱερὸν ὅπλον, Ὄφρα ποτὶ ξεστὰν παστάδα κεκλιμένα Γηραλέα τελέθοιμι, χορῷ αἴτουσα καὶ ὕμνον· Ἀρκείτω στυγερὰ δῆρις Ἐνναλίου. Ipse Horatius militia fessus Od. 3, 26, 3 *arma defunctumque bello Barbiton* ad Veneris parietem fixurus erat. — *latet abditus*] Summam solitudinem significat, in quam ille causatus aliquid velut fuga capta se abdiderit. Similiter Cicero Accus. 2, 181: *omnia ita condita fuisse atque ita abdite latuisse.* —

Ne populum extrema totiens exoret arena.
Est mihi purgatam crebro qui personet aurem:
'Solve senescentem mature sanus equum, ne
Peccet ad extremum ridendus et ilia ducat.'

Ep. I. 6, *exoret* cod. plerique, *exornet* Graevianus, Vossianus, Leidensis, duo Blandinii, ex Parisinis *φψλ*.

Ne cet.] „Ut totam rem semel transigat nec fortasse de integro in arenam revocari ipso se patiatur populi plausu vel magno auctoramento inductus." Cfr. Sueton. Tib. 7: *Munus gladiatorium - - dedit, - - rudiariis quoque quibusdam revocatis auctoramento centenum milium.* — *extrema - - arena*] stans ad crepidinem Circi, s. proxime podium, ubi erant primi spectatores et maxime honorati principes civitatis. — *totiens*] „neque idem frustra." Optimis enim quibusque gladiatoribus propter hanc ipsam praestantiam difficilius rudem dare popellus solebat, donec precibus fatigatus tandem vinceretur. Perquam probabile est, quod tradit Acron et Comm. Cruquii: „Quia gladiatores petituri rudem ex media arena consueverunt se ad crepidinem Circi ita conferre proximos, ut possent populum tristi voltu velocius exorare. Stabat autem populus ad podium, unde fere spectabat, ibique consuetudinis erat stantem gladiatorem petere missionem." Cfr. Ep. 1, 18, 66. — Scripsimus *totiens* cum optimis Horatii codicibus, ut C. S. 23. Sat. 2, 3, 194. 7, 70; et *quotiens* Od. 1, 5, 5. 4, 2, 26. 9, 40. 10, 6. Ep. 1, 18, 45. 104. 2, 1, 55. Neque aliter apud Vergilium (cf. Ribb. ind. grammat. IV. pg. 434) aliosque scriptores editum est.

7-9. *Est mihi* cet.] Optimi interpretes sunt Persius 5, 96: *Stat contra ratio et secretam gannit in aurem*, leviter imitatione invertens Horatianum *personet;* Plutarchus *πρὸς ἡγεμόνα ἀπαίδευτον* Cap. 3, 2: *τοῦ πεπαιδευμένου καὶ σωφρονοῦντος ἄρχοντος ἐντός ἐστιν ὁ τοῦτο φθεγγόμενος ἀεὶ καὶ παρακελευόμενος (ἔμψυχος ὢν ἐν αὐτῷ λόγος).* — *personet*] active, ut Cicero ad Fam. 6, 18, 4: *iam tamen personare aures eius huiusmodi vocibus non est inutile.* Verg. Aen. 6, 417: *Cerberus haec ingens latratu regna trifauci Personat.* — *purgatam - - aurem*] Erat velut proverbium de purgatis (etiam aceto Pers. 5, 86) auribus. Plaut. Mil. gl. 774: *tibi operam perpurigatis damus auribus.* — *Solve*] „Si sapis (*sanus*, ut Sat. 1, 5, 44), deiunge in perpetuum a curru equum senescentem vacationemque ei da ab omni opere ac liberum (*ἄνετον*) sine pasci, ubi volt." Antiqua est comparatio. Ennius apud Cic. Cat. mai. 14: *Sicut fortis equus, spatio qui saepe supremo Vicit Olympia, nunc senio confectu' quiescit.* Crates apud Zenobium 4, 41: *Ἵππῳ γηράσκοντι τὰ μείονα κύκλ' ἐπίβαλλε.* Ovid. Trist. 4, 8, 19: *Ne cadat et multas palmas inhonestet adeptas, Languidus in pratis gramina carpit equus.* — *ne Peccet*] „ne continuo in saxa impingat aut humi prolabatur, ita ut eundem illum, cuius vigorem ac velocitatem olim omnes admirabantur, postremo derideant." Alii exponunt: „vincatur, eo quo velit non perveniat." — *ilia ducat*] „aegre spiritum ducat, frequenter anhelet. Verg. Ge. 3, 506: *imaque longo Ilia singultu tendunt.* Plin. H. N. 26, 15: *Verbascum - - iumentis - - ilia trahentibus auxiliatur potu.*

Nunc itaque et versus et cetera ludicra pono: 10
Quid verum atque decens curo et rogo et omnis in hoc sum;
Condo et compono, quae mox depromere possim.
Ac ne forte roges, quo me duce, quo lare tuter:
Nullius addictus iurare in verba magistri,

10-12. *versus*] Festive, dum deponit versus, versus cum amico communicat; ac re vera carmina lyrica, etsi non multa, etiam post Epistulas scriptas composuit; adeo est mera ironia. Ep. 2, 1, 111: *Ipse ego, qui nullos me affirmo scribere versus, Invenior Parthis mendacior.* — *ludicra*] amores, iocos, convivia cet. Ep. 2, 2, 55: *Singula de nobis anni praedantur euntes: Eripuere iocos, venerem, convivia, ludum; Tendunt extorquere poëmata.* — *pono*] „depono, ab eisque in posterum abstinebo.“ — *decens*] „honestum.“ Cic. de Offic. 1, 94: *Et quod decet, honestum est, et quod honestum est, decet.* — *curo et rogo*] „et ipse meditando assequi conor et ex aliis, etiam ex philosophorum libris, quaero.“ — *omnis*] Vid. Sat. 1, 9, 2: *totus in illis.* — *Condo et compono*] „Quae collegi, quasi in horreo vel cella penaria repono et ordino, ut eis, ubi tempus requisierit, facile utar meamque in rem ea transferam.“ *Componere* igitur est „in ordinem confusa digerere.“ Similiter Tibull. 1, 1, 77: *composito securus acervo.* Verg. Aen. 8, 317: *componere opes.* — *depromere*] veluti peritus ac sedulus promus condus.

13-15. *Ac ne forte roges*] Hoc quidem iamdudum noverat Maecenas; ergo potius ceterorum lectorum causa hoc dicit: „Noli autem opinari me, ut plerisque nunc mos est, certam aliquam disciplinam sequi, me esse aut merum Epicureum aut Stoicum aut Academicum.“ — *duce*] „auctore, conditore sectae alicuius.“ Quintil. 5, 13, 59: *inter duos diversarum sectarum velut duces.* — *lare*] Voc. *familia* et *domus* consuetudo Latina pro philosophorum sectis usurpabat. (Cic. de Devin. 2, 3: *Peripateticorum familia.* Acad. 1, 13: *Quid? ergo Antiocho id magis licuerit, remigrare in domum veterem e nova, quam nobis in novam e vetere?* Od. 1, 29, 14: *Socraticam domum.*) Omnis autem *domus Larem* habet, qui *familiam* tuetur: sic Epicureus in tutela est doctrinae magistri sui. — *Nullius* cet.] Ante haec vv. supple cogitatione: „Scito“; „sic habeto, me ἐκλεκτικὸν philosophum esse.“ Conf. ad Sat. 2, 1, 80. Redit autem ad imaginem a re gladiatoria petitam. — *addictus*] proprie, qui ob aes alienum, cum solvendo non sit, ex praetoris edicto traditur creditori, qui in corpus eius ius habeat et tamquam servo utatur, donec solvat. Quintil. 5, 10, 60: *Aliud est servum esse: aliud servire, qualis esse in addictis quaestio solet.* Transfertur ad gladiatores auctoratos et ad eos, qui necessitate quadam constricti sunt. Est igitur *addictus iurare:* „obnoxius et velut vi coactus certam quandam doctrinam amplecti ac ne transversum quidem unguem ab ea discedere;“ „longe igitur differo ab eis, qui, ut ait Cic. Tusc. 2, 5, *certis quibusdam destinatisque sententiis quasi addicti et consecrati sunt eaque necessitate constricti, ut etiam, quae non probare soleant, ea cogantur constantiae causa defendere.*“ — *iurare in verba magistri*] Epod. 15, 4: *In verba iurabas mea.* — *Magister Samnitium* pro lanista familiae gladiatoriae est iam apud Cic. de

Quo me cumque rapit tempestas, deferor hospes. 15
Nunc agilis fio et mersor civilibus undis,
Virtutis verae custos rigidusque satelles;
Nunc in Aristippi furtim praecepta relabor
Et mihi res, non me rebus subiungere conor.

16. *mersor* codices omnes, quorum aliqua est auctoritas, in his omnes Blandinii; *versor* unus Hochederi, tum ed. vet. ut Veneta 1481, Aldus. — 19. *subiungere* plerique codices, in his Blandinii, alii *submittere* vel *subicere*.

Or. 3, 86. In eius verba autem iurabant, qui se auctorabant. Locos attulimus ad Sat. 2, 7, 58. — *tempestas*] Tralatio ducta est a navigantibus, qui modo huc, modo illuc appellunt, quo ventus fert. Hoc igitur dicit: „Hospitis instar, qui certam sedem non habet, sed deverticula semper mutat, nunc hac doctrina utor, nunc illa, prout in hoc illove suo capite maiore probabilitate me allicit et conducere mihi videtur.“

16. 17. *Nunc* cet.] „Modo Stoicorum lectione ita delector, ut ipse quasi Stoicus fiam, quorum id proprium est, ut agiles sint et rem publicam capessant, rigidam virtutem prae se ferentes; modo“ cet. — *agilis*] Non est „facilis, mobilis, versatilis;“ sed: „agendi cupidus, actuosus, πρακτικός“, ut Ep. 1, 18, 90 iungit *agilem gnavumque*. Seneca de Tranq. an. 2: *Natura humanus animus agilis est et pronus ad motus. Πρακτικοὺς* autem esse et πολιτεύεσθαι suos discipulos volebant Stoici (et Peripatetici), cum Epicurei a re publica capessenda abstinerent, hoc praeceptum dantes: *Λάθε βιώσας*. — *mersor civilibus undis*] Res civiles, imprimis contiones et comitia, propter instabilitatem aurae popularis ac multiplices turbas crebro cum fluctibus tempestatibusque comparantur. Cic. p. Plancio 15: *illae undae comitiorum, ut mare profundum et immensum, sic effervescunt quodam quasi aestu, ut ad alios accedant, ab aliis autem recedant.* Ib. 11. pro Mur. 35. pro Sestio 140. de Rep. 1, 4: *qui non dubitaverim me gravissimis tempestatibus ac paene fulminibus ipsis obvium ferre.* Ep. 2, 2, 84: *rerum Fluctibus in mediis et tempestatibus urbis.* Verbum *mersor* habet vim formae mediae, εἰσδύομαι, ἐμαυτὸν ἐμβάλλω, ut Menander Meinek. frgm. Com. IV. p. 88: *Εἰς πέλαγος αὐτὸν ἐμβαλεῖς γὰρ πραγμάτων.* Catull. 68, 13: *Accipe, quis merser fortunae fluctibus ipse.* — *Virtutis verae*] ut nunc dicunt, *idealis*, qualem Stoici informarant, quae propter se coleretur. — *custos-satelles*] Imagines sunt desumptae a *virtute* tamquam regina, ut quasi de dea Ep. 2, 1, 230: *Virtutis aeditui.* Est igitur φύλαξ καὶ δορυφόρος. — *rigidus*] Liv. 39, 40: *M. Porcius Cato--rigidae innocentiae.* Seneca ad Helv. 12: *Stoicorum rigida ac virilis sapientiae.*

18. 19. *Aristippi*] Cic. Acad. 2, 131: *Alii voluptatem finem* (bonorum) *esse voluerunt, quorum princeps Aristippus, qui Socratem audierat, unde Cyrenaici.* Cic. Tusc. 2, 15: *Socraticus Aristippus non dubitavit summum malum dolorem dicere.* Cfr. Sat. 2, 3, 100 sqq. Ep. 1, 17, 13 sqq. 23 sq. — *furtim*] Non tam „clam alios“, quam: „ita ut me illo relabi, quo indoles mea inclinat, vix ipse animadvertam.“ — *Et mihi* cet.] „Et mihi (meae voluntati et

Ut nox longa, quibus mentitur amica, diesque 20
Longa videtur opus debentibus, ut piger annus
Pupillis, quos dura premit custodia matrum:
Sic mihi tarda fluunt ingrataque tempora, quae spem
Consiliumque morantur agendi gnaviter id quod
Aeque pauperibus prodest, locupletibus aeque, 25
Aeque neglectum pueris senibusque nocebit.
Restat, ut his ego me ipse regam solerque elementis.

21. *Longa* cod. plerique, *Lentà* Bentleius e cod. Barthii et sic unus Iaeckii.

constantiae) res externas subiungere, *ὑποζευγνύναι* (gloss. est *submittere*) conor, non me rebus subiungo; in eo igitur elaboro, ut aequo animo omnes fortunae vicissitudines sustineam. *Sapientis est enim*, ut ait Cicero Tusc. 5, 81, *omnia ad suum arbitrium referre, suis stare iudiciis.*

20-26. *nox longa - - diesque Longa videtur*] Eiusdem vocabuli repetitio impatientiam et amatoris, cui puella promissam noctem non praestat, et operarii longe melius exprimit, quam putida illa variatio *longa - - Lenta.* A. P. 292: *carmen reprehendite, quod non Multa dies et multa litura coërcuit. — opus debentibus*] praesertim ancillis, quibus pensum diurnum assignatum est, item mercennariis in *opere* rustico. — *custodia matrum*] Probe haec custodia distinguenda a tutela, quae a matribus aliena erat. Seneca ad Marc. 24: *Pupillus relictus* (filius tuus) *sub tutorum cura usque ad decimum quartum annum fuit, sub matris custodia semper; cum haberet suos penates, relinquere tuos noluit.* Itaque etiam cum *ad suam tutelam pervenissent* (Cic. de Or. 1, 180) sive *suae tutelae facti essent* (Sen. Epist. 33), remanebant sub matrum custodia, saepe, ut opinor, donec ab iis *sèmigrarent.* (Cic. pro Caelio 18.) Praeterea cum raro fieret, ut tutores ipsi pupillorum educationi ac disciplinae domesticae invigilarent, quemadmodum fecerunt Cato et Cicero, Luculli pueri tutores (de Fin. 3, 8. 9), ea cura praecipue ad matres pertinebat. Est igitur: „Omnis annus (non solum, ut alii volunt, pupillatûs ultimus) adolescentibus lascivis solet videri longus, donec severae matris custodiae tandem se subtrahant.“ — *fluunt*] h. l. de lento motu, ut Iuven. 7, 32: *defluit aetas.* — *id, quod* cet.] „verae sapientiae studium, quod omni ordini atque aetati aeque prodest cet.“ Propter vim sententiae, quae nullam admittit exceptionem, ter *aeque* repetitur. Conf. Tacit. Agric. c. 15: *aeque discordiam praepositorum, aeque concordiam subiectis exitiosam.*

27. *Restat* cet.] „Cum etiamnunc impediar, quominus adspirem ad perfectam sapientiam, saltem me ipsum (id quod omnium gravissimum est) regam his, quae ex meis qualibuscumque sapientiae studiis deducere atque colligere potui initiis *(elementis)*, alios sibi ipsos, ut volunt, moderari facile patior; *aliena* enim *negotia* non *curo*, ut facit Damasippus.“ — *soler*] tranquillem,“ non tam in rebus adversis, quarum per totam epistulam nullam mentionem inicit, quam: „ubi minores quam vellem progressus facio in virtute ac sapien-

Non possis oculo quantum contendere Lynceus,
Non tamen idcirco contemnas lippus inungi;
Nec, quia desperes invicti membra Glyconis, 30
Nodosa corpus nolis prohibere cheragra.
Est quadam prodire tenus, si non datur ultra.
Fervet avaritia miseroque cupidine pectus;

28. *oculo* plerique cod., in his omnes Blandinii; *oculos* pauci deteriores prob. Bentleio; alii vel *oculum* vel *oculis*. — 30. *Glyconis* 'alii *Milonis* legunt.' Acron. — 31. *cheragra* cod. boni, in his AOR aliique, *chiragra* Dessauiensis *γλ*, *chyragra* Graevianus, Vossianus, Leidensis, Lipsiensis, *φψ*. — 32. *quadam* 'sic inveni sine ulla litura in antiquissimo Blandinio' Cruquius, AOE*φψ*, *quodam* maior cod. pars, in his Vossianus, Graevianus, Leidensis, R*γλ*.

tia." — *elementis*] Elementa extenuans dicit quasi doctrinas simplicissimas ac minime abstrusas, ut quivis earum veritatem intellegat eisque uti queat.

28-31. *oculo-contendere*] Significat aciem oculorum extendere, dirigere, usque ad certum finem, *σκοπόν*, ultra quem cerni iam nihil potest: collineare. Cic. pro Ligar. 6: *Quantum potero, voce contendam, ut hoc populus Romanus exaudiat.* pro Rosc. Am. 97 *tantum itineris contendere.* de off. 3, 6 *quantum labore contendere potes.* Sic Celsus 1, 4: *voce contendere* pro *vocem intendere* inter corporis exercitia memorat. — *Lynceus*] Sat. 1, 2, 90. — *Non tamen* cet.] „Non tamen adeo desperandum de visu est, ut, si aliquando lippitudine labores, collyria adhibere curarique nolis." Sat. 1, 5, 30 sq.) Sine imagine: „Si experimento facto ad summum profectûs gradum pervenire nequis, noli ideo desperare ac te prorsus neglegere." Cic. Orator §. 4: *Prima enim sequentem honestum est in secundis tertiisque consistere.* Eadem sententia altera statim imagine illustratur apud Stoicos usitata. Arrian. Epict. 1, 2, 36: *Οὐδὲ γὰρ Μίλων ἔσομαι, καὶ ὅμως οὐκ ἀμελῶ τοῦ σώματος· οὐδὲ Κροῖσος, καὶ ὅμως οὐκ ἀμελῶ τῆς κτήσεως· οὐδ' ἁπλῶς ἄλλου τινὸς τῆς ἐπιμελείας διὰ τὴν ἀπόγνωσιν τῶν ἄκρων ἀφιστάμεθα.* — *Glyconis*] athletae robustissimi, poëtae aequalis. Anthol. Pal. I. p. 516: *Γλύκων, τὸ Περγαμηνὸν Ἀσίδι κλέος, Ὁ παμμάχων κεραυνός, ὁ πλατὺς πόδας, Ὁ καινὸς Ἄτλας, αἵ τ' ἀνίκατοι χέρες Ἑῴοντι· τὸν δὲ πρόσθεν οὔτ' ἐν Ἰταλοῖς, Οὔθ' Ἑλλάδι τὸ πρῶτον* (*τροπωτόν* Baiterus.), *οὔτ' ἐν Ἀσίδι Ὁ πάντα νικῶν Ἅιδης ἀνέτραπεν.* — *Nodosa - - cheragra*] „ex qua oriuntur nodi in digitorum articulis." Conf. Sat. 2, 7, 15 sq. — *prohibere*] eadem constructione, qua Ep. 1, 8, 10: *me - - arcere veterno.*

32-35. *Est quadam prodire tenus*] „licet progredi usque ad certum quendam terminum." Vocabulo *quadamtenus* aliquotiens utitur Plinius maior, eadem conformatione feminina, qua sunt *quatenus*, *aliquatenus*, *hactenus*, *eatenus*, *illatenus*. Eadem tmesi Ovid. Metam. 5, 642: *Hac Arethusa tenus.* Altera lect. *quodam-tenus* vereor, ut Latina sit. — *Fervet* cet.] „Remedia praesto sunt etiam adversus vehementissimas animi perturbationes, dummodo eis uti velis." *Fervet* autem velut febri. Similiter Sat. 2, 3, 79: *Quisquis luxuria tristive superstitione Aut alio mentis morbo calet.* — *miseroque cupidine*] Od. 2, 16, 10: *miseros tumultus Mentis.*

Sunt verba et voces, quibus hunc lenire dolorem
Possis et magnam morbi deponere partem. 35
Laudis amore tumes: sunt certa piacula, quae te
Ter pure lecto poterunt recreare libello.
Invidus, iracundus, iners, vinosus, amator,
Nemo adeo ferus est, ut non mitescere possit,

V. *cupido* apud Horatium semper generis est masculini. — *Sunt verba* cet.] Remedia ex philosophiae illa parte, quae ad mores spectat, scite comparat cum ἐπῳδαῖς, incantamentis magicis, quibus etiam medici interdum uti solebant; *voces* (coll. Ep. 1, 2, 23. A. P. 216) magis ad symphonias refero, quibus medici et magi carmina illa arcana comitabantur. Gell. 4, 13: *Creditum hoc a plerisque est et memoriae mandatum: ischiaci cum maxime doleant, tum, si modulis lenibus tibicen incinat, minui dolores.* Sic *Pythagoras* (Seneca de Ira 3, 9) *perturbationes animi lyra componebat.* Eurip. Hippol. 478: *Εἰσὶν δ' ἐπῳδαὶ καὶ λόγοι θελκτήριοι· Φανήσεταί τι τῆςδε φάρμακον νόσου.* Olympiodorus ad Plat. Phaed.: *Θεῖοι λόγοι παραδίδονται καὶ ἐπῳδαὶ μέγισται, δυνάμεναι κατευνάσαι ἡμῶν τὰ πάθη καὶ εἰπεῖν αὐταῖς· Μένετε ἀτρέμας ἐν δεμνίοις.* — *dolorem*] „molestissimas has animi perturbationes.“ — *morbi*] Cic. Tusc. 3, 7: *misereri, invidere, gestire, laetari, haec omnia morbos Graeci appellabant, motus animi, rationi non obtemperantes; nos autem hos eosdem motus concitati animi recte, ut opinor, perturbationes dixerimus; morbos autem non satis usitate.* Cfr. Sat. 2, 3, 27 sq.

36. 37. *Laudis amore tumes:*] De huiusmodi enuntiationibus hypotheticis, post quas olim interrogandi signum ponebant, cfr. Sat. 1, 1, 45. Timocles apud Athen. 6, 2, 15: *Χωλός τίς ἐστι, τὸν Φιλοκτήτην ὁρᾷ.* De verbo autem *tumere* cfr. Sat. 2, 3, 213. — *certa piacula* cet.] „praesentia ac probata remedia.“ Quoniam antiquissimo tempore morbi ad iram deorum immortalium referebantur (Celsus Praef. 1), haec ante omnia *καθάρμασι*, sacrificiis expianda et placanda erat; hinc nove medicamenta ipsa *piacula* vocat. Iam vero haec medicamenta sunt sapientium scripta, quae attentissime et animo a perturbationibus quam maxime vacuo legere ac meditari debemus, eorumque consilia sequi. In huiusmodi ritibus numero ternario permagnam vim tribuebant. Theocr. Idyll. 2, 43: *Ἐς τρὶς ἀποσπένδω καὶ τρὶς τάδε, πότνια, φωνῶ.* Conf. Sat. 2, 1, 7. Tibull. 1, 2, 56: *Ter cane, ter dictis dispue carminibus.* Eosdem ritus praecedebant lustrationes, ablutiones, secubitus. *Pure* igitur (*ἁγνῶς καὶ καθαρῶς*, librum legit ex hac imagine, „qui se lustravit, eadem castimonia ad legendum accedens, ac si rem divinam esset facturus“; proprie vero is, „qui puro et casto est animo.“ Dilogia item inest in v. *libello*, quod v. significat et scriptum philosophum et carmen magicum ex aliquo libello Orphico vel simili ad *τελετὰς* spectante petitum. Iunge autem *ter lecto*, non *ter pure* nec *ter pure* et *ter lecto*.

38-42. *amator*] Donatus ad Terent. Andr. 4, 3, 3: *Amicus animi est, amator vero corporis.* Cic. Tusc. 4, 27: *Aliud est amatorem esse, aliud amantem.* Hoc vitium *mulierositatem* vocat Cic. Tusc. 4, 26. *mitescere*] Verba *mitis et immitis*

Si modo culturae patientem commodet aurem. 40
Virtus est vitium fugere et sapientia prima
Stultitia caruisse. Vides, quae maxima credis
Esse mala, exiguum censum turpemque repulsam,
Quanto devites animi capitisque labore.
Impiger extremos curris mercator ad Indos, 45
Per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignis:
Ne cures ea, quae stulte miraris et optas,

saepissime de animo humano usurpantur. Conf. Accium 684 Rib.: *Nullum est ingenium tantum neque cor tam ferum, Quod non labascat lingua, mitiscat malo.* Liv. 33, 45: *ut feras quasdam nulla mitescere arte, sic immitem et implacabilem eius viri animum esse.* — *culturae*] Cic. Tusc. 2, 13: *Cultura animi philosophia est.* Brunck. P. Gnom. p. 320: *Ἅπαντας ἡ παίδευσις ἡμέρους ποιεῖ.* — *patientem commodet aurem*] „libenter et gratis praebeat.“ Sat. 1, 1, 21: *neque se fore posthac Tam facilem dicat, votis ut praebeat aurem.* — *prima*] iunge etiam cum v. *virtus.* Quintil. 8, 3, 41: *Prima virtus est vitio carere.* Abruptior quae videtur *γνώμη*, ita connectitur cum praecedentibus: „Ac reapse virtutis ac sapientiae primordium illud est, ut vera docentibus aurem praebentes vitia fugiamus praeiudicatasque opiniones deponamus.“ — *Stultitia*] sensu morali „pravis animi affectibus,“ quo solent usurpare Stoici et aliquotiens ipse Horatius, ut Sat. 1, 2, 24: *Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt.* — *caruisse*] *ἀορίστως.* Cfr. ad Od. 1, 1, 4.

42-44. *Vides* cet.] Haec (*Vides - - palmae?* v. 51) eo vinculo cum praecedentibus iunguntur, quod exhibent exemplum huius ipsius *stultitiae* humanae et in pecunia laboriosissime quaerenda et in petendis honoribus; stultitiae ea dumtaxat ratione devitandae, ut sapientiae documenta libenter amplexi accurate eadem sequamur. Sententia est: „Tute sentias necesse est, quanto cet.“ — *turpemque repulsam*] Ubique usurpat verba veteris rei publicae, usu loquendi sane innocenti ad Augusti voluntatem sese componens. Cic. de Offic. 1, 71: *Videntur* (qui sine idonea causa a re publica recesserunt) *labores et molestias, tum offensionum et repulsarum quasi quandam ignominiam timere et infamiam.* — *animi capitisque labore*] „summa cum molestia et animi et corporis;“ sic enim exponendum v. *capitis.*

45-47. *Impiger* cet.] „Eodem labore eisdemque periculis per totam vitam defungeris, quibus mercatores nostri sese exponere solent.“ Od. 3, 24, 36: *neque fervidis Pars inclusa caloribus Mundi nec Boreae finitimum latus Durataeque solo nives Mercatorem abigunt.* — *extremos - - ad Indos*] hyperbolice, „usque ad terras remotissimas;“ nam cum in poëta versemur, hoc non ad vivum resecandum est, ut fecerunt, qui de Ceylone insula cogitarunt. Sen. de brev. vit. 2: *Alium mercandi praeceps cupiditas circa omnes terras, omnia maria spe lucri ducit.* — *Per mare - -, per saxa, per ignes*] „per gravissima quaeque pericula.“ Proverbii habet speciem, ut Od. 4, 14, 14. Sat. 1, 1, 39. 2, 3, 56 sq. Seneca Hippol. 700: *Te vel per ignes, per mare insanum sequar Rupesque et amnes, unda quos torrens rapit.* — *Ne cures* cet.] Vere Lambinus inter-

Discere et audire et meliori credere non vis?
Quis circum pagos et circum compita pugnax
Magna coronari contemnat Olympia, cui spes, 50
Cui sit condicio dulcis sine pulvere palmae?
Vilius argentum est auro, virtutibus aurum.
'O cives, cives, quaerenda pecunia primum est;
Virtus post nummos': haec Ianus summus ab imo

pretatus est, *ut non*, vel si mavis: *Quominus cures -- non vis?* „Quin id facis, quod longe facilius est talibus laboribus, ut verae sapientiae praeceptis aurem praebeas! Quod ubi feceris, opus non habebis curare bona inania." — *miraris*] „magni facis" ut Ep. 1, 6, 1: *Nil admirari.* — *Discere et audire* cet.] Ep. 1, 8, 8: *Nil audire velim, nil discere quod levet aegrum.* — *meliori credere*] „sapientiori fidem tribuere." Ep. 1, 2, 68: *te melioribus offer.* Plat. Apol. Socr. 17: *ἀπειθεῖν τῷ βελτίονι.*

49-51. *Quis* cet.] Aliud proponit stultitiae humanae, facile tamen devitandae, exemplum, hac imagine expressum: „Quis non malit sine ullo certamine Olympionices esse quam in ludis paganalibus et compitaliciis multo cum sudore, exiguo lucro, nullo honore depugnare?" Id est sine imagine: „Sine dubio sanus quisque philosophiae ope mavolt tranquille pervenire ad finem bonorum, quam volgi instar maximo cum labore frustra semper sectari bona externa, fluxa atque inania." — *circum pagos*] Loquitur de festis paganalibus et de Compitalibus, ubi *pugiles catervarii oppidani, inter angustias vicorum pugnantes* (Sueton. Oct. 45), vel *circum foranei lanistae* (Id. Vitell. 12) otiosum popellum suis artibus exigui quaestus causa delectabant. — *pugnax*] „ipse talium certaminum studiosus." — *Magna*] Lucian. Herod. 1: *ἐνίσταται οὖν Ὀλύμπια τὰ μεγάλα*, quo nomine distinguebantur Olympia ad Pisam celebrata ab aliis aliarum urbium Olympiis, veluti Dii in Pieria. — *coronari-Olympia*] Graeco modo, *στεφανοῦσθαι Ὀλύμπια.* Cic. Cat. mai. 14: *vicit Olympia.* — *dulcis*] Ipsa versus caesura nos hoc voc. iungere iubet cum v. *palmae*, non cum vv. *spes* et *condicio.* „Cui veluti certo quodam pacto destinata sit victoria, cum nemo cum robustissimo athleta decertare audeat;" quae quidem erat victoria *sine pulvere*, sine pulveris aspersione, *ἀκονιτὶ καὶ ἀμαχητὶ νικᾶν.* Olympica autem victoria aequiparabatur Romanorum triumpho. — *palmae*] Vitruv. 9 Praef.: *Nobilibus athletis, qui Olympia Pythia, Isthmia, Nemea vicissent, Graecorum maiores ita magnos honores constituerunt, uti non modo in conventu stantes cum palma et corona ferant laudes, sed etiam, cum revertantur in suas civitates cum victoria triumphantes quadrigis in moenia et in patrias invehantur e reque publica perpetua vita constitutis vectigalibus fruantur.*

52—55. *Vilius* cet.] „Ut Olympia sine certamine vincere longe praestat victoriae in Compitalibus partae, ita animus aequus facilius ad summum bonum pervenit, quam aeger ac perturbatus; ut vilius cet., ita virtus longe praestat etiam eis bonis externis, quae prima mortales ducunt." — *Ianus summus ab imo*] i. e. totus, universus, cf. Ov. Ibis 181: Tityos *iugeribus novem qui distat summus ab imo.* Toto illo loco negotiis suis vacabant fene-

Prodocet, haec recinunt iuvenes dictata senesque 55
Laevo suspensi loculos tabulamque lacerto.
Est animus tibi, sunt mores, est lingua fidesque,
Sed quadringentis sex septem milia desunt:

56. Habent hunc versum codices paene omnes; Guyeto aliisque auctoribus eum expunxerunt Meineke, Haupt (ed. 1, 2, 3), Linker, Lehrs, O. Ribbeck, L. Müller aliique; receperunt Keller et Holder (etsi dubitantes), Eckstein, Vahlen. — 57. 58. hoc ordine utuntur cod. E Kelleri, Gothanus, Buslidianus Cruquii, editiones pleraeque. — *est lingua* E, Bentlei alter collegii Trinitatis, optimus Pullmanni, Bentl., Meineke, L. Müller, Haupt, Vahlen; *et lingua* cod. plerique, Orelli, Keller. — 58. *Sed-desunt* cod. plerique, *Sed-desint* Leidensis, Lipsiensis λφψ, *Si-desunt* pauci.

ratores. Cfr. Sat. 2, 3, 18. Epist. 1, 20, 1. Iordan topogr. urbis Romae 1, 2 pg. 217. Hic lepida prosopopoeia ipse Ianus deus magistri partes suscipit. — *Prodocet*] Nunc est ἅπαξ λεγόμενον: „alta voce et palam docet (sine retractatione aut pudore).“ Verbum προδιδάσκειν (Sophocl. Aiac. 163. Trach. 681. Philoct. 1015) callide ad Latinitatem videtur deflexisse poëta. — *recinunt*] Ep. 1, 18, 13: *Ut puerum saevo credas dictata magistro Reddere;* ubi v. proprio usus est. Cfr. Cic. de N. D. 1, 72; sed idem de Fin. 4, 10: *dictata decantare.*

56. *Laevo* cet.] Idem versus legitur Sat. 1, 6, 74, ubi vide. Nisi omnia me fallunt, versus illius bene tornati fortuito ei venit in mentem, quo aliquando centurionum Venusinorum filios, aequales suos, in Flavii ludum cum irent, nullis capsariis eis loculos (librorum chartaeque stilique repositoria) portantibus, sed ipsos haec puerilis disciplinae instrumenta gestantes, festive descripserat. Iam cum haec imago senum ac iuvenum ad Ianum medium velut in schola falsae sapientiae dictata magistro reddentium ei ante oculos versaretur, statim vidit nova hac et callida iunctura imaginem illam ita absolvi, nihil ut festivius magisve ridiculum excogitari posset. Ceterum h. l. C. F. Hermannus in loculis non calculos conditos esse, sed pecuniam ipsam recte statuit. Sic autem inter se aptae sunt sententiae: „Argentarii, dum fenus suum exercent, veluti docent omnes reliquos cives nummos ante virtutem quaerendos esse; talem doctrinam cupide arripientes et iuvenes et senes haec tamquam discipuli magistro dictata reddunt, ac profecto mihi nequaquam diversi videntur a puerulis in ludum litterarium a paedagogo deductis, quos olim sic descripsi: *Laevo* cet. Ceterum suos versus non repetiit nisi data opera Horatius: Sat. 1, 2, 13 et A. P. 421. Sat. 1, 2, 27 et 1, 4, 92. Ibid. 2, 3, 163 et Ep. 1, 6, 28. Ep. 1, 14, 34 et Ep. 1, 18, 91. Od. 1, 19, 1 et 4, 1, 5. [Od. 3, 25, 20 et 4, 8, 33.]

57. 58. *Est animus -- Sed quadringentis*] Hunc versuum ordinem lectionesque *et lingua*, *Sed -- desunt* ideo praetuli, quod cum toto huius epistulae charactere rhetorico melius concinere videbantur. Rursus enim habes sententiam abruptam *Est -- fidesque* cum parenthesi *Sed -- desunt*, et brevissimam apodosin *Plebs eris;* unde, quae horum sit iunctura et cum praecedentibus et cum sequentibus, aliquantisper meditari debet lector. — *ani-*

Plebs eris. At pueri ludentes 'Rex eris' aiunt,
'Si recte facies.' Hic murus aëneus esto: 60
Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.
Roscia, dic sodes, melior lex, an puerorum est
Nenia, quae regnum recte facientibus offert,

mus] „ingenium praestans atque erectum, laudabilium et magnanimorum inceptorum capax." — *lingua*] „facundia." — *fidesque*] Est, ut recte iam significavit Lambinus, „bona fama et propter honestatem et propter aliquantum pecuniae, quamvis ad equestrem dignitatem non sufficiat." Cfr. Pompei epist. in Sallustii Hist. pg. 118 J.: *Ego non rem familiarem modo, verum etiam fidem consumpsi.* Horat. Ep. 1, 6, 36: *Scilicet uxorem cum dote fidemque et amicos Et genus et formam regina Pecunia donat.* — *quadringentis*] Quadringenta milia sestertium census erat equester. Conf. A. P. 383. Qui aliquanto plus etiam possidebant et quorum iam avus ingenuus fuerat, equites *illustres, splendidi, insignes* vocabantur, quibus *tenues* opponebantur. — *sex septem*] Est proverbialis formula. Terent. Eun. 331: *Illum liquet mihi deierare his mensibus Sex septem prorsum non vidisse proximis.* Cic. ad Att. 10, 8, 6: *sex septem diebus.*

59-61. *Plebs eris*] „Contemneris, inter plebem reputaberis et in XIV. ordinibus non sedebis." — *pueri ludentes* cet.] Sic explicandum videtur: „Pueri ubi inter se ludunt, qui plurium vel omnium iudicio inter omnes dexterrimus est, rex declarabitur." Dio Chrysostomus de regno or. 4, 157 R.: *Οὐδὲ γὰρ τῶν παίδων ὁ νικήσας, ὅταν παίζωσιν, ὡς αὐτοί φασι βασιλέα, τῷ ὄντι βασιλεύς ἐστιν.* Comparavit Cobet Dionis Cassii locum, 43, 20 quo de iocis militaribus narrat: *ἀναβοήσαντες εἶπον ὅτι· ἂν μὲν καλῶς ποιήσῃς κολασθήσῃ, ἂν δὲ κακῶς βασιλεύσεις*, pergitque 'Erat perantiqua nenia (cantilena) puerilis iam olim a Curiis et Camillis decantata, nam vivacissimae hae neniae sunt et per multa saecula eaedem pueris sunt in ore: *si male faxis vapulabis, si bene faxis rex eris;* milites autem Romani transponebant adverbia.' — *Si recte facies*] Addunt Schol. et Isidorus Orig. 9, 3, 4: *si non facies, non eris.* Pueri sic intellegunt: „Si facies optime inter omnes, quae ludi lex poscit." Hac autem voce velut perculsus *παθητικῶς* exclamat poëta: „Nonne haec verba reconditiorem etiam habent sensum, ubi eadem ad totam hominum vitam applicaris? Ac profecto hoc idem recte facere (*κατορθοῦν* Stoicorum) nulliusque flagitii sibi conscium esse, est illud velut inexpugnabile propugnaculum, quod nos prorsus securos et propterea beatos reddit." — Ad *muri aënei* (Od. 3, 3, 65) imaginem cfr. Pind. fragm. 153. Diss.: *Σχήσει τὸ πεπρωμένον οὐ πῦρ, οὐ σιδάρεον Τεῖχος.* Aeschin. in Ctesiph. §. 84: *χαλκοῖς καὶ ἀδαμαντίνοις τείχεσιν.* Lucian. de cal. non tem. cr. 20: *ἀδαμάντινον τεῖχος τῆς ψυχῆς προβεβλημένος.* Seneca Epist. 82: *Philosophia circumdanda est, inexpugnabilis murus, quem fortuna multis machinis lacessitum non transit.*

62-67. *Roscia--lex*] Vid. ad Epod. 4, 16. — *melior*] „rationi magis consentanea." — *Nenia*] pr. „carmen funebre praeficarum," deinde „omnis cantilena popularis" (Od. 3, 28, 16. Phaedrus 3. Prol. 10 fabulas suas vocat *viles nenias*), etiam „nutricum" (Arnob. 7, p. 237. Lugd.: *lenes nenias*, unde Italorum *ninnare*); h. l. puerorum illud *Rex*

Et maribus Curiis et decantata Camillis?
Isne tibi melius suadet, qui, rem facias, rem, 65
Si possis, recte, si non, quocumque modo rem,
Ut propius spectes lacrimosa poemata Pupi,
An qui Fortunae te responsare superbae
Liberum et erectum praesens hortatur et aptat?

eris cet. „Eadem profecto," pergit, „erat sententia M'. Curii Dentati, qui Sabinos et Pyrrhum devicit, M. Furii Camilli, Gallorum victoris, alterius Romuli aliorumque antiquorum his similium; hac vitae norma utebantur, ut virtus honori esset, non divitiae." Cfr. Od. 1, 12, 41 sqq. — *decantata*] Permanet in neniae imagine: „hoc semper et in animo et in ore habebant." Cic. de Orat. 2, 140: *ita modicae et paucae sunt* (causae). *ut eas omnes diligentes et memores et sobrii oratores percursas et prope dicam decantatas habere debeant.* — *rem-rem--rem*] Multa cum vi ter idem vocabulum, quod notionem principalem exprimit, repetiit poëta. Vis autem eo augetur, quod bis in fine versus positum est. — *ut propius spectes* cet.] „quo tantum habeas, ut in XIV. ordinibus inter equites, vel etiam in orchestra inter senatores, fabulas spectes." — *quocumque modo*] Seneca Epist. 115: *Non quare et unde; quid habeas, tantum rogant.* — *lacrimosa poëmata Pupi*] Perquam salse ὡς ἐν παρόδῳ ridet Pupii futiles tragoedias, quibus ille se spectatorum affectus movisse vel opinabatur tantummodo, vel reapse imperitum popellum sibi afflere coëgerat. Quis fuerit, quando vixerit, ignoramus; nisi quod videtur Horatii aequalis fuisse, nulla tamen cum eo iunctus familiaritate. Scholiastae quidem narrant, eum sibi hunc composuisse titulum: *Flebunt amici et bene noti mortem meam: Nam populus in me vivo lacrimatust* (al. *lacrimavit*) *satis*: quod tamen potius videtur iocosum in eum a nescio quo conscriptum epigramma. Ceterum ne de scriptura quidem satis constat; Feae enim diversae videntur gentes fuisse *Pupia* (*A. Pupius Rufus* Eckhel D. N. 5 p. 290) et *Puppia* (Cenot. Pis. L. Caesaris Noris. Tab. I.), id quod alii negant. — *lacrimosa*] θρηνώδη, lacrimas excitantia, ut Sat. 1, 5, 80: *lacrimoso--fumo.*

68. 69. *Fortunae-responsare*] Vid. Sat. 2, 7, 85: *Responsare cupidinibus.* Cfr. Epicuri illud apud Diog. L. 10, 120: (τὸν σοφὸν) τύχῃ ἀντιτάξεσθαι. Seneca Epist. 16, 5: *Haec* (philosophia) *adhortabitur, ut deo libenter pareamus, ut fortunae contumaciter resistamus.* — *superbae*] Sic *Victoria* apud Tibull. 2, 5, 46: *diva superba.* — *erectum*] Cic. pro Deiotaro 36: *Magno animo et erecto est nec umquam succumbet inimicis, ne fortunae quidem.* Seneca de Vita beata 4 beatam vitam definit *liberum animum et erectum et interritum ac stabilem, extra metum, extra cupiditatem positum.* — *praesens*] „numquam te deserens, semper promptus ad te adiutandum." — *aptat*] „aptum ad responsandum, idoneum ad hoc certamen reddit, vires tuas acuens atque augens." Constructio *responsare-aptat* occultatur vel mitigatur interposito v. *hortatur*, quod ipsum in prosa oratione rarius cum infinitivo componitur, velut Cic. pro Sest. 7 *res publica haec minora relinquere hortatur.*

Quodsi me populus Romanus forte roget, cur 70
Non, ut porticibus, sic iudiciis fruar isdem,
Nec sequar aut fugiam, quae diligit ipse vel odit,
Olim quod volpes aegroto cauta leoni
Respondit, referam: 'Quia me vestigia terrent,
Omnia te adversum spectantia, nulla retrorsum.' 75
Belua multorum es capitum. Nam quid sequar aut quem?
Pars hominum gestit conducere publica; sunt qui
Crustis et pomis viduas venentur avaras
Excipiantque senes, quos in vivaria mittant;

78. *Crustis* S Petropolitanus, *Frustis* ceteri codices.

70-75. *Quodsi* cet.] „Ultro fateor meum iudicium praesertim in eis, quae ad opes honoresque spectant, longe distare ab eo, quod solet sequi stulta multitudo, meaeque sententiae rationem sine mora reddere paratus sum. Nam si forte populus" (addita v. *Romanus* ironiae inservit) „me roget, cur inter ipsum verser quidem quotidie easdemque cum ceteris civibus porticus perambulare soleam, sed cet." — *fruar*] „et porticibus et iudiciis populi R. cum delectatione utar." — *sequar aut fugiam*] Ep. 1, 8, 11: *Quae nocuere sequar, fugiam quae profore credam.* — *Olim*] solita in fabellis exemplisque particula. Cfr. Sat. 2, 6, 79. Ep. 1, 10, 42. — *referam*] „Responsi loco narrabo notam illam fabellam Aesopiam (Babr. 103) qua similem in modum usus erat iam Lucilius XXX, 80 L. M., v. 920 Lchm. *Leonem aegrotum ac lassum* * * *deducta* (demissa) *tunc voce leo: 'Cur tu ipsa venire Non vis huc?'* ** *Quid sibi volt, quare fit, ut introversus et ad te Spectent atque ferant vestigia se omnia prosus?* Cfr. Plat. Alcib. I. p. 123 A.

76-80. *Belua* cet.] „Volgi pleraque iudicia (v. 71) ac studia partim sunt tam diversa atque inconstantia, partim etiam tam sordida cum lucrum quovis modo unice appetit, ut equidem ea sequi neque velim nec queam." — *multorum-capitum*] Saepe multitudo, tyranni, animi perturbationes comparantur cum monstris *πολυκεφάλοις*. Plato de Rep. 9 p. 588. C. de tyranno: *Πλάττε τοίνυν μίαν μὲν ἰδέαν θηρίου ποικίλου καὶ πολυκεφάλου, ἡμέρων δὲ θηρίων ἔχοντος κεφαλὰς κύκλῳ καὶ ἀγρίων.* Proverbium: Quot capita, tot sensus." GLOSS. — *Pars hominum* cet.] „Varia enim sunt hominum volgarium studia, omnia tamen quaesticuli causa suscepta; ad hoc in ipsis suis studiis numquam sibi constant, novarum semper voluptatum avidi; quam quidem duplicem perversitatem ego vitare conor." — *gestit conducere publica*] Primos producit publicanos, summa cupiditate scripturam, portoria ceterosque publicos reditus *conducentes*. — *sunt qui* cet.] Satis amare cum publicanis, equestris ordinis viris, committit viles captatores (heredipetas), qui anus viduas senesque caelibes et orbos donis parvi pretii, sed palato gratis, ut *crustulis* (Sat. 1, 1, 25, opere dulciario, *mustaceis* Iuven. 6, 202) et *pomis* (omnium arborum fructibus, qui pulpam habent, Sat. 2, 5, 12) alliciebant. — *Excipiant*] verbum venatorium. Od. 3, 12, 12: *excipere aprum*, *ἐκδέχεσθαι*, *abfangen*. — *quos in vivaria mittant*]

Multis occulto crescit res fenore. Verum 80
Esto aliis alios rebus studiisque teneri:
Idem eadem possunt horam durare probantes?
'Nullus in orbe sinus Baiis praelucet amoenis,'
Si dixit dives, lacus et mare sentit amorem
Festinantis eri; cui si vitiosa libido 85
Fecerit auspicium: Cras ferramenta Teanum
Tolletis, fabri. Lectus genialis in aula est:

Vivaria sunt receptacula vel saepta, ubi servantur et saginantur omnis generis animalia viva, lepores, apri, glires, aves, pisces, ostrea. Est igitur: „quorum hereditates aliquando devorent." — *occulto--fenore*] „dum viros bonos se esse simulant, illegitimum fenus clam exercent, partim maius quam unciarium partim, adversus legem Plaetoriam credita pecunia adolescentibus XXV annis minoribus." (Cfr. Cic. pro Flacco 51. Sat. 1, 2, 14 sqq.)

81. 82. *Esto*] Cfr. Ep. 1, 16, 56. Cic. Verr. Accus. 2, 150: *Verum esto: alio loco de oratorum animo et iniuriis videro.* Ibid. 3, 28. Ut fere εἰεν, significat, satis de aliqua re cum iam dictum sit, ad aliam novam transeundum esse. „Verum, ut hanc ipsam studiorum minus honestorum varietatem multitudini condonem, hac perversitate prope magis indignor, quod in illis ipsis summam inconstantiam mentisque mutabilitatem monstrant." — *durare*] „sustinere," ex usu haud nimis raro. Propert. 1, 6, 11: *His ego non horam possum durare querelis.*

83-87. *Baiis*] Campaniae oppido inter Misenum et Puteolos. Cfr. Od. 2, 18, 20. — *sinus*] maris, significatione propria, quasi dixisset: „nullus est sinus prior Baiano;" non, ut alii: „angulus, receptaculum." — *dives*] „qui propter opulentiam repentinum consilium illic aedificandi statim exsequi potest." — *lacus*] Lucrinus prope Baias. Cfr. Od. 2, 15, 3. — *et mare*] quod insanis substructionibus occupat. — *sentit amorem*] „mox experitur, quanta cupiditate flagret *dives* ille, multorum mancipiorum *erus*." *Sentire* de re ingrata, ut Od. 3, 1, 33: *Contracta pisces aequora sentiunt;* h. l. propter moles, quibus coartatur. Cfr. Od. 2, 15, 1 sqq. 2, 18, 20 sqq. — *Festinantis*] Cato Censorius apud Gell. 16, 14: *Qui unum quid mature transigit, is properat; qui multa simul incipit neque perficit, is festinat.* — *vitiosa*] Cic. Tusc. 4, 29: *Vitiositas est habitus aut affectio in tota vita inconstans et a se ipsa dissentiens.* — *libido*] „quaelibet voluntas temere suscepta." — *Fecerit auspicium*] „Dives iste caecam et morbi similem libidinem suam ita sequitur, ac si esset auspicium divinitus datum numinisve alicuius iussum." (Verg. Aen. 9, 185: *an sua cuique deus fit dira cupido?*) Forcellinus: „Si eum incitarit et velut avis auspicium laetum obtulerit," quo moneatur, ut Teani potius villam aedificet. — *ferramenta Teanum*] „Provideo fore, ut Teanum Sidicinum, XXX. M. P. a Baiis remotum, fabros iubeat instrumenta deferre ibique aliam villam exstruere." „Primum gaudet maritimis locis, continuo post mediterraneis." COMM. CRUQ. — *Tolletis*] Arguta breviloquentia ipsis divitis verbis utitur.

87-90. *Lectus genialis*] „qui nup-

Nil ait esse prius, melius nil caelibe vita;
Si non est, iurat bene solis esse maritis.
Quo teneam voltus mutantem Protea nodo? 90
Quid pauper? Ride: mutat cenacula, lectos,
Balnea, tonsores, conducto navigio aeque

tiis sternitur in honorem Genii." Cum eius locus in atrio sit adversus portam, *lectus adversus* dicitur a Propertio 5, 11, 85, *lectulus adversus* ab Asconio p. 43 ed. Bait. Arnobius L. 2 p. 91 Lugd.: *Cum in matrimonia convenitis, toga sternitis lectulos et maritorum Genios advocatis.* In eo etiam fetae dicis causa aliquantisper cubabant. Laberius in Compitalibus (in Com. Lat. ed. Rib. pg. 283): *Nunc tu lentu's, nunc tu susque deque fers: Mater familias tua in lecto adverso sedet.* Genialis hic lectus cuique domum intranti signum erat coniugum par in ea habitare; nam muliere mortua vel post divortium cum ea factum tollebatur. — De enuntiatione hypothetica sine particula *si* vid. supra ad v. 36. — *in aula*] „in atrio." — *melius nil caelibe vita*] „Adeo solent inconstantes esse homines, ut qui uxorem habeat, praeferat caelibatum, caelebs matrimonium." Cfr. Cic. ad Att. 14, 13, 5 de Quinto fratre: *A ducenda uxore sic abhorret, ut libero lectulo neget esse quidquam iucundius.*" — *bene-esse*] Vid. ad Od. 3, 16, 43. — *Protea*] Socrates in Orellii Opusc. sent. I. p. 16: *Ὁ μὲν Πρωτεὺς τῇ μορφῇ, ὁ δὲ ἀπαίδευτος τῇ ψυχῇ παρ' ἕκαστον ἀλλοιοῦται.* Plat. Euthyphr. p. 15 D.: *οὐκ ἀφετέος εἶ, ὥσπερ ὁ Πρωτεύς, πρὶν ἂν εἴπῃς.* Conf. Sat. 2, 3, 71.

91—93. *Quid pauper?*] „Quid, quod vel pauperes haud minus inconstantes sunt in toto vitae tenore, quam locupletes?" — *Ride*] Prava ista pauperiorum sedulitas in mutando semper victu cultuque non sine propria molestia elaborantium, cum ad vitam tolerandam longe alia eis agenda essent, ridicula, ut consentaneum est, videri debet divitibus etiam illis, qui pecuniae suae illudentes aeque inconstanter vivunt. Est igitur: „Et tu, Maecenas, et quicumque haec leget, habet, cur rideat" cet. — *cenacula*] Varro L. L. 5. p. 162. Speng.: *Ubi cenabant, cenaculum vocitabant.--Posteaquam in superiore parte cenitare coeperunt, superioris domus universa cenacula dicta.* Talia autem *cenacula meritoria* (Sueton. Vitell. 7) conducebant homines tenuiores. — *lectos*] et cubiculi et triclinii. — *Balnea*] „In hoc quoque vitiositatem atque inconstantiam suam patefacit, quod sine idonea causa modo his, modo illis utitur balneis publicis ac tonstrinis." — *conducto navigio*] „Navem interdum conducit, locupletes, qui proprias habent, in eo saltem aemulaturus, ut ipse quoque in locum aliquem amoenum, veluti Baias, vehatur, cum eo tamen incommodo, ut aeque atque illi *nauseet*, propria significatione, *ναυτιᾷν*. In hunc corporis ingratum affectum exit tandem utrique sperata itineris voluptas, cuius uterque aequo mox afficitur fastidio." Conf. etiam Plutarchi locum nostri similem, iam a Cruquio allatum, de Tranq. animi c. 3: *ὥσπερ οἱ δειλοὶ καὶ ναυτιῶντες ἐν τῷ πλεῖν, εἶτα ῥᾷον οἰόμενοι διάξειν, ἐὰν εἰς γαῦλον ἐξ ἀκάτου, καὶ πάλιν ἐὰν εἰς τριήρη μεταβῶσιν, οὐδὲν περαίνουσι, τὴν χολὴν καὶ τὴν δειλίαν συμμεταφέ-*

Nauseat ac locuples, quem ducit priva triremis.
Si curatus inaequali tonsore capillos
Occurri, rides; si forte subucula pexae 95
Trita subest tunicae vel si toga dissidet impar,
Rides: quid, mea cum pugnat sententia secum,
Quod petiit spernit, repetit quod nuper omisit,

94. *curatus* codices paene omnes, in eis etiam Blandinii, *curtatus* perpauci deteriores. — 95. *Occurri* codicum maior pars, *Occurro* Bentlei codices Reginensis et Zulichemianus, Dessauiensis, prob. Bentleio, Meinekio, Hauptio, Vahleno. — 97. *secum* AOEγφψ aliique boni codices, *mecum* Graevianus, Vossianus, Dessauiensis, Rπ.

ροντες ἑαυτοῖς. — *priva*] „uni propria.“ „Privos privasque antiqui dicebant pro singulis. Ob quam causam et *privata* dicuntur, quae uniuscuiusque sunt; hinc et *privilegium.*“ FESTUS. Cfr. Sat. 2, 5, 11. — *triremis*] pro qualibet nave maiore. Cic. Verr. Accus. 5, 44: *navem cybaeam maximam, triremis instar, pulcherrimam atque ornatissimam.* Haec autem Horatium ex parte saltem a se deprompsisse, frequentem balneorum, tonsorum mutationem cet., mihi perquam probabile est. Ioci enim hic semper comitantur veram et vitae aptam philosophiam; et quidni in talibus luserit in semet ipsum?

94-97. „Quid, quod tu quoque, dilecte Maecenas, ipse interdum iudicia facis minus recta? Velut cum me rides propter levem aliquam ac fortuitam in habitu cultuque neglegentiam, nec vero longe maiora vitia, in quae subinde incido, reprehendis et castigas, id quod tamen tuum est officium, cum sis *praesidium columenque* meum (Od. 1, 1, 2. 2, 17, 4) itaque cordi tibi esse debeat, ut illa deponam.“ — *curatus*] *Curationem capitis* pro *comptu* dixit etiam Petron. 107. Val. Flacc. 8, 238. Lectio *curtatus* est omnino ab interpolatore, qui illam significationem ignoraret. — *inaequali tonsore*] „qui propter imperitiam inaequaliter tondet dexterum et laevum capitis latus.“ De constructione *curatus inaequali tonsore* cfr. Od. 1, 6, 2; est idem quod: „cum inaequalis esset tonsor meus“, et Ep. 1, 19, 13: *Exiguaeque togae simulet textore Catonem.* — *Occurri*] ἀορίστως, „quoties forte tali habitu neglecto coram te versor.“ Ne vero offendamus in repetita syllaba *ri*, vetant similes soni. Od. 3, 4, 68: *Omne nefas animo moventes.* Sat. 1, 3, 121: *esse pares res.* Verg. Aen. 2, 27: *Dorica castra.* — *subucula* cet.] tunica interior linea vel byssina. Varro ap. Non. p. 542. Merc.: *Posteaquam binas tunicas habere coeperunt, instituerunt vocare subuculam* (virorum) *et indusium* (feminarum). „Haec interdum, quia minus eam curo, detrita est, *tunica* contra *pexa*, id est, recens et spissa, villis planis et politis texturam tegentibus (*togam pexam* Mart. 2, 44, 1), talisque discrepantia ridiculum sane praebet aspectum, et similiter ubi toga minus eleganter, quam nunc solent, qui ornatui student, amictus sum, ita ut male mihi sedeat, ex unaque parte magis defluat quam ex altera.“ (Sat. 1, 3, 31.) — *Rides*] „ita videlicet, ut ego una tecum rideam.“ Martial. 2, 51, 1: *Pexatus pulchre rides mea, Zoile, trita.*

Aestuat et vitae disconvenit ordine toto,
Diruit, aedificat, mutat quadrata rotundis? 100
Insanire putas sollemnia me neque rides,
Nec medici credis nec curatoris egere
A praetore dati, rerum tutela mearum
Cum sis et prave sectum stomacheris ob unguem
De te pendentis, te respicientis amici. 105
Ad summam: sapiens uno minor est Iove, dives,

105. *suspicientis* de N. Heinsii coniectura Bentleius.

99-103. *Aestuat*] Verbum *aestuare* a fluctibus maris ad animum transfert etiam Cic. Verr. Accus. 2, 74: *Itaque aestuabat dubitatione; versabat se in utramque partem non solum mente, verum etiam corpore.* — *disconvenit*] verbum Horatianum, ut videtur, etiam Ep. 1, 14, 18 pro: „discordat, discrepat.“ — *Diruit, aedificat* cet.] Sallust. Catil. 20: *nova diruunt, alia aedificant.* Haec et sequentia *mutat quadrata rotundis* („ipse, cur hoc faciat, sibi haud conscius“) speciem habent proverbiorum de hominibus parum sibi constantibus semperque alia ac rursus alia mente versantibus. — *Insanire-sollemnia*] „delirare solito errore, quemadmodum faciunt omnes alii, adeo ut neque castigatio nec singularis aliqua cura mihi adhibenda sit.“ Cfr. Sat. 2, 3, 120 sq. Cic. ad Att. 7, 6: *Tantum igitur nostrum illud sollemne teneamus.* Talia (*crebra ferire, μέγιστα εὐεργετῶν* cet.), in quibus adiectiva pro adverbiis usurpantur, etiam scriptores habent: Cic. Brut. 259 *sonabat contrarium Catulo.* Cfr. Sat. 2, 3, 63: *similem* (errorem) *insanire.* — *curatoris - A praetore dati*] Cfr. Sat. 2, 3, 217 sq. Tutor datur impuberi, curator puberi usque ad XXV. annum. XII. Tab. 5, 7: *Si furiosus escit, agnatorum gentiliumque in eo pecuniaque eius potestas esto.* „Furioso et dementi curator isque per praetorem deficiente legitimo dabatur ex lege XII. Tabularum, *insano* vel *stulto* solo praetoris edicto.“ OBBAR. — *rerum tutela mearum*] non „tutor“, ut multi volunt, sed „praesidium.“

104. 105. *et - - stomacheris*] Reiecta lect. *stomacheris*, quae idonea auctoritate caret, sententiae sic iungendae atque explicandae sunt: „Quamquam es meum praesidium atque alioquin ex animi tui sententia meaque causa, ne deridear ab aliis, aegre fers, si vel in re levissimi momenti a vitae elegantia recedo et decorem neglego.“ — *De te pendentis*] „qui libera electione usus tuae voluntati sese applicare studet unice propter mutuum sincerae amicitiae fructum;“ — *te respicientis*] „cui in dictis factisque, tuos sensus ne umquam laedat, immo ut tibi honeste gratificetur, propositum est, quique simul in omni vitae condicione spem suam in te reponit.“ Caesar B. C. 1, 1: *sin Caesarem respiciant atque eius gratiam sequantur.* Quod ad sonum attinet cfr. Verg. Aen. 10, 554: *Tum caput orantis nequiquam et multa parantis.*

106-108. *Ad summam*] Sat. 1, 3, 137: *Ne longum faciam.* — Iocatur: „Sed ut aliquando philosophari desinam, Stoicorum παρά-

Liber, honoratus, pulcher, rex denique regum,
Praecipue sanus, nisi cum pituita molesta est.

EPISTULA II.

Troiani belli scriptorem, Maxime Lolli,

Ep. II. 1. *Maxime* Meineke quem postea secuti sunt paene omnes, cod. *maxime*.

δοξον meum faciam." Sic in conclusione etiam Cic. de Offic. 1, 149: *Ad summam, ne agam de singulis, communem totius generis hominum conciliationem et consociationem colere, tueri, servare debemus.* — *minor-Iove*] „Sententia Stoicorum: *In hoc sapiens minor est Iove, quia moritur.*" ACRON. Ceterum commune erat παράδοξον et Stoicorum et Epicuri. Stob. Ecl. ph. 2, 7. p. 198. H.: τὴν τῶν ἀγαθῶν εὐδαιμονίαν μὴ διαφέρειν τῆς θείας εὐδαιμονίας, μηδὲ τὴν ἀμεριμνίαν ὁ Χρύσιππός φησι διαφέρειν τῆς τοῦ Διὸς εὐδαιμονίας. Seneca Epist. 73: *Solebat Sextius* (Pythagoreus) *dicere, Iovem plus non posse quam bonum virum.* Aelian. V. H. 4, 13: Ἐπίκουρος ἔλεγεν ἑτοίμως ἔχειν καὶ τῷ Διὶ περὶ εὐδαιμονίας διαγωνίζεσθαι, μάζαν ἔχων καὶ ὕδωρ. Lucianus eadem atque Horatius ironia usus Vit. auct. 20 de Stoico: μόνος οὗτος σοφός, μόνος καλός, μόνος δίκαιος, ἀνδρεῖος, βασιλεύς, ῥήτωρ, πλούσιος, νομοθέτης καὶ τἆλλα, ὅπόσα ἐστίν. Cfr. Sat. 1, 3, 124 sq. — *honoratus*] „ad honores evectus." — *pulcher*] „etsi externa fortasse specie deformis, animi pulchritudine inter omnes eminet." — *rex-regum*] ut Persarum rex. — *Praecipue sanus*] „*Praecipue* per se stat, significans *quod maximum est.* Errant igitur interpretes, qui reddunt *vollkommen gesund.*" HAND Turs. IV. p. 528. „Id vero ante omnia cuncti tibi concedent, eum sanum esse, nisi ubi forte pituita (κόρυζα, κατάῤῥους) ei molesta est." Grata dilogia inest in v. *sanus*, quod cum h. l. usurpetur de corpore, tamen vix aliter fieri potest, quam ut simul referamus ad Stoicorum usum loquendi, qui sapientem suum unice *sanum*, ceteros mortales *insanos* et *stultos* vocitabant. Sed fugit adhuc interpretes mihi notos etiam *pituitam* (h. l. trisyll.) e Stoicorum scholis petitam esse: obiciebant enim sibimet ipsi, hoc incommodum interdum obstare videri perfectae beatitudini; eo scilicet consilio, ut facili opera talem obiectionem confutarent. Hanc ipsam ratiunculam salse ridet: „nisi cum pituita molesta est et tibi, et nobis auditoribus." Arrian. Epict. 1, 6, 30: Ναί (ἐπέτυχον εὐδαιμονίας)· ἀλλ' αἱ μύξαι (*mucus et mala pituita nasi*, Catull. 23, 17) μου ῥέουσι. Τίνος οὖν ἕνεκα χεῖρας ἔχεις, ἀνδράποδον; οὐχ ἵνα καὶ ἀπομύσσῃς σεαυτόν; Τοῦτο οὖν εὔλογον μύξας γίνεσθαι ἐν τῷ κόσμῳ; Καὶ πόσῳ κρεῖττον ἀπομύξασθαι σε ἢ ἐγκαλεῖν; Ad eandem putidam imaginem revertitur 2, 16, 13. 4, 11, 9.

II. Lollius, ad quem haec epistula data est, filius plerisque M. Lollii cos. a. u. c. 733 (ad quem Horatius scripsit Od. 4, 9) videtur fuisse. Nobili loco natus, dives, iuvenis generosae indolis et elegantis ingenii erat, quantum quidem ex hac epistula et huius libri

Dum tu declamas Romae, Praeneste relegi:
Qui quid sit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non,
Planius ac melius Chrysippo et Crantore dicit.

4. *Planius* AOEγSb, Lipsiensis, Gothanus, Bentl., Haupt, Vahlen aliique, *Plenius* Blandinii, Dessauiensis, Rφλ, Lambin., Cruquius, Obbarius.

epist. 18 conicere licet. Ei igitur poëta hac epistula saluberrimis consiliis viam, qua perveniatur ad honestatem et felicitatem, monstrat eamque ut alacri animo ingrediatur adolescentem monet. Atque cum eo ipso tempore Horatius Praeneste degens Homeri carmina relegisset, hac scribendi occasione utens primum ostendit inde tamquam ex vita ipsa posse aptissima in utramque partem exempla a nobis peti. Post hanc egregiam de Homero sententiam pluribus vv. explicatam (vv. 1-31) tradit potissima praeceptorum capita, quibus vita iuvenis regenda sit tam vere, tam nervose, tam ad persuadendum apte, ut quemlibet adolescentem, qui plane abiecto animo non sit, excitare et ad optima quaeque accendere debeant. ZELL. Ceterum est schola Stoica ex interpretatione Homeri morali, quam praeiverant Antisthenes, Zeno, Persaeus. Vide Dionem Chrysost. Orat. 53 et 55. Ac perquam similis est maximi Tyrii Diss. 32 veluti p. 126 R.: *Αὐτίκα πεποίηται αὐτῷ ἐν τοῖς λόγοις μειράκιον Θετταλικὸν καὶ ἀνὴρ βασιλικός, Ἀχιλλεὺς καὶ Ἀγαμέμνων· ὁ μὲν ὑπ' ὀργῆς εἰς ὕβριν προφερόμενος ὁ Ἀγαμέμνων, ὁ δὲ Ἀχιλλεὺς προπηλακισθεὶς μηνιῶν· εἰκόνες παθῶν, νεότητος καὶ ἐξουσίας. Ἀντίθες τοι ἑκατέρῳ τὸν Νέστορα, παλαιὸν τῷ χρόνῳ, ἀγαθὸν φρονεῖν, δεινὸν εἰπεῖν.*

1-3. *Maxime*] cognomen esse vidit Meineke: nam ad aetatem non magis referri potest quam ad dignitatem; idem est nominum ordo qui Od. 2, 2, 3: *Crispe Sallusti,* Od. 2, 11, 2: *Hirpine Quinti.* — *declamas*] „declamando de fictis thematis (quorum benignam copiam habet Seneca et Quintilianus in Decl.) duce rhetore aliquo, domestico potius quam publico, te exercere soles.“ Sic Cic. Brut. 310: *Commentabar declamitans (sic enim nunc loquuntur) saepe cum M. Pisone et cum Q. Pompeio aut cum aliquo quotidie.* Cfr. Sueton. de Rhet. 1. Seneca Controv. 1, 13 ed. K.: *Declamare est domesticae exercitationis. Iudiciorum imaginem* has exercitationes vocat Quintil. 2, 10, 12, quia fictae causae tractari solebant. — *Praeneste*] Vid. Od. 3, 4, 22: *frigidum Praeneste.* Flor. 1, 11, 7: *aestivae Praeneste deliciae.* Non autem ibi villam habebat poëta, sed apud amicum aliquem degebat vel domum conduxerat. — *Qui* cet.] Hoc Homeri elogium in mentem nobis revocat eius *Ἀποθέωσιν*, satis ingeniosum Archelai opus, in quo *Οἰκουμένη* eum coronat et *Χρόνος* eius conservat volumina, eumque adorant *Φύσις, Ἀρετή, Πίστις, Σοφία.* Inghirami *Gall. Om.* I. T. 2. — *pulchrum*] Iam ab Aristotele (Ethic. Nicom. 2, 2), deinde etiam a Panaetio ita dividebatur deliberatio de officio: *Honestumne factu sit an turpe dubitant id, quod in deliberationem cadit. - - Tum autem aut anquirunt aut consultant, ad vitae commoditatem iucunditatemque, ad facultates rerum atque copias, ad opes, ad potentiam, quibus et se possint iuvare et suos, conducat id necne, de quo deliberant. - - Tertium dubitandi genus est, cum pugnare videtur*

Cur ita crediderim, nisi quid te detinet, audi. 5
Fabula, qua Paridis propter narratur amorem
Graecia barbariae lento collisa duello,
Stultorum regum et populorum continet aestus.
Antenor censet belli praecidere causam.

cum honesto id, quod videtur esse utile. Cic. de Offic. 1, 9. Horatius igitur duo priora capita doctrinae *περὶ τοῦ καθήκοντος* memorat.

4. *Planius*] Acron „apertius", et Porphyrio „manifestius" explicant; *plenius* est „uberius, copiosius." Illud praeferendum est propter spinosum atque abstrusum scribendi genus Stoicis complacitum, cum contra Homerus *planius*, ut poëta, qui exemplis propositis multo maiore *ἐναργείᾳ* docet quam quivis philosophus, qui, cum Ethicen ex professo tractet, *plenius* praecepta tradit. In nullo autem scriptore maiorem esse vim *ἐναργείας* et *σαφηνείας* quam in Homero, omnes uno ore affirmant. Prorsus vero diversus fuit Chrysippus, saepissime obscurus atque difficillimus intellectu. Epict. Enchir. 49: *Ὅταν τις ἐπὶ τῷ νοεῖν καὶ ἐξηγεῖσθαι δύνασθαι τὰ Χρυσίππου βιβλία σεμνύνηται, λέγε αὐτὸς πρὸς ἑαυτόν ὅτι Εἰ μὴ Χρύσιππος ἀσαφῶς ἐγεγράφει, οὐδὲν ἂν εἶχεν οὗτος, ἐφ' ᾧ ἐσεμνύνετο.* Etiam Hieron. Epist. 57 notat *contorta Chrysippi acumina.* — *melius*] „ad veram hominis naturam accommodatius atque ad emendandos mores efficacius quam fit philosophorum tricis et ambagibus." — *Chrysippo*] Cfr. Sat. 1, 3, 126 sq. — *Crantore*] Crantor, ut Chrysippus, Solensis, Xenocratis fuit discipulus et Platonis auditor. Cic. Tusc. 3, 12: *Crantor ille, qui in nostra Academia vel imprimis fuit nobilis.* Acad. 2, 135: *Legimus omnes Crantoris, veteris Academici, de luctu. Est enim non magnus, verum aureolus, et, ut Tuberoni Panaetius praecipit, ad verbum ediscendus libellus;* quem secutus est Cicero in Tuscul. libro primo et Plutarchus in Consolatione ad Apollonium.

5-8. *detinet*] V. *detinere* significat aliquem longius solito tenere apud se, ut Od. 1, 33, 13: *Ipsum me -- Grata detinuit compede Myrtale.* Contra *distineri* dicuntur, qui ab aliqua re separantur, ut Od. 4, 7, 11: *Cunctantem* (iuvenem Notus) *spatio longius annuo Dulci distinet a domo.* — *Fabula*] ut *μῦθος*, totum poëmatis heroici, h. l. Iliadis, argumentum. — *Barbariae*] Phrygiae, ut saepe. Ennius in Andromacha v. 83 Rib.: *adstante ope barbarica*, id est, Phrygia. Od. 2, 4, 9: *Barbarae postquam cecidere turmae.* Cfr. quae adnotavimus ad Epod. 9, 6. — *lento collisa duello*] „longo bello conflictata, violenter commissa." Ep. 2, 2, 98: *Lento Samnites ad lumina prima duello.* Stat. Theb. 6, 435: *Ambitiosa pios collidit gloria fratres.* Sic *συγκρούειν.* — *Stultorum*] propter perversitatem, quae eos transversos egit. — *aestus*] animi perturbationes vehementiores." Cfr. Sat. 1, 2, 110. Max. Tyr. 1, 1: *τὸν τῆς ψυχῆς σάλον.* Verg. Cir. 340: *sollicitos animi relevaverat aestus.*

9-12. *Antenor* cet.] Cfr. Hom. Il. *H* 437 sqq. Liv. 1, 1: *duobus Aeneae Antenorique, -- quia pacis reddendaeque Helenae semper auctores fuerant, omne ius belli Achivos abstinuisse* (constat). — *praecidere*] ut nautae ancorae funem securi. Cic. Verr. Acc. 5, 88: *Princeps Cleomenes in quadriremi Cen-*

Quid Paris? Ut salvus regnet vivatque beatus, 10
Cogi posse negat. Nestor componere litis
Inter Peliden festinat et inter Atriden:
Hunc amor, ira quidem communiter urit utrumque.
Quidquid delirant reges, plectuntur Achivi.
Seditione, dolis, scelere atque libidine et ira 15
Iliacos intra muros peccatur et extra.
Rursus quid virtus et quid sapientia possit,
Utile proposuit nobis exemplar Ulixen,

10. *Quid Paris? Ut* AOERSbcdγ cum aliis rec. Keller et Holder. *Quod Paris, ut* Graevianus, Vossianus, Leidensis, Dessauiensis, Reginensis aliique Bentlei, φψλ; prob. Bentl., Meineke, L. Müller, Haupt, Vahlen, alii, — 18. *Ulixen* maior pars codicum, *Ulixem* vel *Ulyxem* pauci; cf. ad Od. 1, 6, 7.

turipina malum erigi, vela fieri, praecidi ancoras imperavit. — *Quid Paris?*] „Quid contra facit Paris?“ Terent. Andr. 88: *Quid Pamphilus? quid? Symbolam dedit, cenavit.* Respondet l. l. v. 362: „Ἀντικρὺ δ' ἀπόφημι, γυναῖκα μὲν οὐκ ἀποδώσω, sed opes cum illa asportatas.“ *Κατ' εἰρωνείαν* eius responsum ita convertit ac si dixisset: „Equidem ego nulla vi cogi possum, ut optione mihi data prae interitu eligam vitam beatam regnumque securum;“ proprie: „Ipse suum exitium temere atque inconsulto saluti anteponit.“ — *posse negat*] Eadem constructione (graeca) omisso pronomine *se* Vergil. Aen. 3, 201: *Ipse diem noctemque negat discernere caelo.* — *Nestor* cet.] Cfr. Hom. Iliad. *A* 254 sq. Duplex *inter*, in quo hic quoque offendit Bentleius, ut Sat. 1, 7, 11, ex consuetudine est Latina vel apud Ciceronem. Lael. 95: *Quid intersit inter popularem, id est, assentatorem et levem civem, et inter constantem, severum et gravem.*

13-16. *Hunc*] Agamemnonem, qui propter Chryseïdem (quam, inquit, *καὶ Κλυταιμνήστρης προβέβουλα* Il. *A* 113) sibi Calchantis responso ereptam iratus Briseïdem ab Achille abduxit nec tamen eam tetigit. — *urit*] ut similia (*ardere, fervere, inflammare, incendere, flagrare*) de violentis animi perturbationibus. Sat. 1, 9, 66: *meum iecur urere bilis*, „quod verbum de ardentissimo, qui hominem cruciat, vel amore vel ira usurpatur.“ OBBAR. *plectuntur*] „poenas luunt“; *plecti* proprie „verberibus puniri.“ Sat. 2, 7, 105: *Tergo plector.* — *Achivi*] Miro acumine hoc voc. *populos* universe significari eoque etiam *Troianos* comprehendi ratus est Dacierius; immo poëta respicit pestilentiam Achivis ab Apolline propter Chrysen ab Agamemnone reiectum irato immissam ceterasque calamitates ex regum ira ortas.

17-26. *Rursus*] Sic codices habent omnes nec cum Bentleio scribendum *rursum*, quamquam 'antiquior lingua eam terminationem quae fit in *-um* ut plurimum probavit, ad eam autem, quae est — *us* citius in aliis (*prorsus* et *adversus*), in aliis lentius progressa est et diutius haesit in *rursum*.' Ritschl Opusc. 2, 262. — *Utile--exemplar*] „dignum quod imitemur.“ Sic iam Alcidamas reprehensus propter figurae insolentiam ab Aristotele Rhet. 3, 3, 4. *τὴν*

Qui domitor Troiae multorum providus urbis
Et mores hominum inspexit, latumque per aequor, 20
Dum sibi, dum sociis reditum parat, aspera multa
Pertulit, adversis rerum immersabilis undis.
Sirenum voces et Circae pocula nosti:
Quae si cum sociis stultus cupidusque bibisset,
Sub domina meretrice fuisset turpis et excors 25
Vixisset canis immundus vel amica luto sus.

Ὀδύσσειαν καλὸν ἀνθρωπίνου βίου κάτοπτρον appellarat. — *Qui domitor Troiae* cet.] Libere in Latinum convertit Odysseae exordium, ut rursus aliter A. P. 141: *Dic mihi, Musa, virum, captae post tempora Troiae Qui mores hominum multorum vidit et urbes.* — *providus*] respondet aliquatenus vocabulo *πολύτροπος*. — *Et mores -inspexit*] *καὶ νόον ἔγνω*. Non est simpliciter „videre", sed „cognoscere atque accurate examinare." — *latumque per aequor*] *ἐπ' εὐρέα νῶτα θαλάσσης*. — *Dum sibi* cet.] *Ἀρνύμενος ἥν τε ψυχὴν καὶ νόστον ἑταίρων*. — *aspera multa Pertulit*] *πολλὰ δ' ὅγ' ἐν πόντῳ μάθεν ἄλγεα*. — *immersabilis*] „quem res adversae *demergere* in *δυσχείμερόν γε πέλαγος ἀτηρᾶς δύης* (Aeschyl. Prom. 746), opprimere numquam potuerunt." Od. 4, 4, 65: *Merses profundo: pulchrior exiet.* Pind. Pyth. 2, 80: *ἀβάπτιστός εἰμι, φελλὸς ὡς ὑπὲρ ἕρκος, ἅλμας*. — *Sirenum*] Od. *μ* 39 sqq., ubi Scholiasta earum nomina affert: Aglaopheme, Thelxiepea, Pisinoe, Ligea. Duas tantum agnoscit Homerus v. 52 et Sophocl. Fragm. 407 D.: *Σειρῆνας εἰσαφικόμην, Φόρκον* (aliis Acheloi) *κόρας, θροοῦντε τοὺς Ἅιδου νόμους*. Tres ab artificibus finguntur. Vide Inghirami *Gal. Om.* III. T. 94, 95, 96, in qua unius earum est nomen *ΙΜΕΡΟΙΙΑ*, item T. 97. — *Circae*] Od. *κ* 230 sqq. Frequenter autem et Sirenum et Circae exemplis in scholis utebantur, ut significarent voluptatum illecebras fugiendas esse. — *pocula*] *φάρμακα λυγρά*. (v. 236.) — *cum sociis*] qui in tabula Rondiniana (Inghirami III, p. 173) vocantur *ἑταῖροι τεθηριωμένοι*. Sed digna imprimis, quae spectetur, est ibid. T. 51, ubi Circe ipsa, rapide sese ab illis avertens, poculum medicatum manu tenet. Ep. 1, 6, 63: *remigium vitiosum Ithacensis Ulixei, Cui potior patria fuit interdicta voluptas.* — *bibisset* cet.] Bibit utique magae cinnum, sed caute et praemunitus insuper antidoto illo (*μῶλυ*) a Mercurio accepto. Quodsi hausisset venenum eadem qua comites imprudentia atque aviditate, ipse quoque factus esset *turpis*, quod ad formam spectat, mutatus in canem vel suem, et *excors*, *ἄνους*, brutus, prorsus privatus esset ratione atque intellegentia. Cic. Tusc. 1, 18: *Aliis cor ipsum animus videtur, ex quo* excordes, vecordes concordesque *dicuntur.* — *Sub domina meretrice*] „sub meretrice contemnenda, quae tamen eius in bestiam mutati domina fuisset." Festive sic vocat deam, quia postea sui copiam fecit Ulixi. Plut. Coniug. Praec. 5: *Οὐδὲ γὰρ τὴν Κίρκην ὤνησαν οἱ καταφαρμακευθέντες, οὐδ' ἐχρήσατο πρὸς οὐδὲν αὐτοῖς ὑσὶ καὶ ὄνοις γενομένοις, τὸν δ' Ὀδυσσέα νόον ἔχοντα φρονίμως ὑπερηγάπησεν.* — *amica luto*] Eadem Ep. 2, 2, 75 vocatur *lutulenta.*

Nos numerus sumus et fruges consumere nati,
Sponsi Penelopae nebulones, Alcinoique
In cute curanda plus aequo operata iuventus,
Cui pulchrum fuit in medios dormire dies et 30
Ad strepitum citharae cessatum ducere curam.
Ut iugulent hominem, surgunt de nocte latrones:

31. *cessatum ducere curam* AORSbcγφψ, Graevianus, Vossianus, Dessauiensis aliique; *cessatum ducere somnum* Blandinii, Gothanus, E; *cessantem ducere somnum* Bentl. coniecit prob. Meineke, Haupt, Vahlen. — 32. *hominem* optimi codices fere omnes, in his Blandinius antiquissimus, *homines* Acorr. Sγ Servius.

27-31. *Nos* cet.] „Ut in Ulixe Homerus sapientiae et temperantiae exemplum proposuit, sic in Penelopae procis et Phaeacibus imaginem adumbravit hominum volgi, cui plurimi nostrum adnumerandi sunt.“ — *numerus*] Proprie ei sunt, quorum capita numerantur, nulla ingenii, virtutis, fortitudinis ratione habita, quibus prorsus carere existimantur. Eurip. Heracl. 997: *Εἰδὼς μὲν οὐκ ἀριθμόν, ἀλλ' ἐτητύμως Ἄνδρ' ὄντα τὸν σὸν παῖδα.* Troad. 475: *Κἀνταῦθ' ἀριστεύοντ' ἐγειναμην τέκν' οὐκ Ἀριθμὸν ἄλλως, ἀλλ' ὑπερτάτους Φρυγῶν.* — *fruges consumere nati*] Lepide detortum est ex Homerico *βροτῶν, οἳ ἀρούρης καρπὸν ἔδουσιν* (Il. Z 142) in eos, qui propter ignaviam et nequitiam ad nihil aliud facti videntur quam ad fruges terrae consumendas. — *Sponsi Penelopae*] „similes sponsis illis“, ut a poëtis haud raro vir, maritus, coniux, gener, dicuntur, qui tales fieri cupiunt vel futuri sunt. — *Alcinoi - - iuventus*] quae semper apud regem suum epulabatur ac saltando se delectabat. Od. ϑ 248: *Αἰεὶ δ' ἡμιν δαίς τε φίλη, κίθαρίς τε χοροί τε·* „novi igitur Phaeaces“, quorum *τρυφή, βίος ἀπολαυστικὸς* in proverbium abierat. Athen. 1, 28. (Cfr. Ep. 1, 15, 24.) — *cute curanda*] Sat. 2, 5, 38: *Pelliculam curare,* „molliter et delicate vivere.“ Iuven. 11, 203: *Nostra bibat vernum curata cuticula solem.* — *operata*] quasi vero haec luxuria opera esset; festivius quam *occupata.* — *Cui pulchrum fuit*] „cui honestum, immo summum bonum videbatur“ cet. — *Ad strepitum*] „ad lenes illos citharae modos, quibus paulatim sopiatur amoveaturque cura.“ De voce *strepitus* vid. ad Od. 4, 3, 18. — *cessatum ducere curam*] In prosa or. „citharae cantu efficere, ut cesset omnis cura, omnem curam abigere, *κοιμίζειν τὰς φροντίδας.*“ Sat. 2, 7, 114: *somno fallere curam.* Iam per prosopopoeian Cura (Od. 2, 16, 11) symphoniis *cessatum,* ad cessandum aliquamdiu, ducitur. (Od. 3, 1, 20: *Non avium citharaeque cantus Somnum reducent.*) Cfr. Plaut. Poen. Prol. 20: *Neu* (designator) *sessum ducat* cet. — Blandinii codices habent *cessatum ducere somnum,* quod haud scio an recipiendum sit: *cessatum* id quod *omissum:* apud Ovid. Met. 10, 669: *cessata tempora.*

32. *Ut iugulent*] „Latrones rapiendi cupiditate tantopere concitantur, ut somno posthabito de nocte surgant et ad homicidia patranda iter capiant; tu contra, ut proci illi Penelopes, in medios dormire dies pergis vel cum aquae intercutis periculo neque prima

Ut te ipsum serves, non expergisceris? Atqui,
Si noles sanus, curres hydropicus; et ni
Posces ante diem librum cum lumine, si non 35
Intendes animum studiis et rebus honestis,
Invidia vel amore vigil torquebere. Nam cur,
Quae laedunt oculum, festinas demere, si quid

33. *Atqui* AOEgγ, *Atque* maior codicum pars, in eis Bland. antiq. — 34. *noles* Bland. antiq., Graevianus, Vossianus. Dessauiensis, AOERSbγ alii, *nolis* Leidensis, Gothanus, dυλ — *curres* Blandinii, Dessauiensis, Gothanus, AOERScγ alii, *cures* Vossianus, Graevianus, Leidensis φψλ. — 38. *oculum* duo Blandinii, Reginensis, Bentlei, Vossianus, Graevianus, Leidensis, Dessauiensis, ERSφψλ; *oculos* duo Bland., Gothanus AOSγ.

diei hora umquam expergiscere?" Proprie enim cum Obbario hoc clausulae membrum accipiendum videtur, quocum deinde satis artificiose committatur sententia moralis v. 34 quasi ex imagine illa deducta. — *hominem*] ita cum cod. scribendum: certum aliquem, quem necandum constituerint. — *de nocte*] pr. „cum nox etiamnunc est, nocturno tempore." Terent. Ad. 840: *Rus cras cum filio cum primo luci ibo hinc.* M. *de nocte censeo.* Cic. pro Murena 22: *vigilas tu de nocte.* id. pro Sestio 75: *cum curiam multa de nocte occupavissent;* et apud Caesarem *de tertia, quarta vigilia.*

34-39. *Si noles* cet.] Sententiae sic explicandae sunt: „Atqui optime tute scis, si corporis exercitationes nunc nimis neglexeris, periculum tibi instare, ne aliquando aqua intercute labores, quocirca prudenti consilio usus numquam illas intermittis; verum similiter prorsus fit in moribus: nisi optimis quibusque philosophiae auctoribus saepe vel ante diem, cum mens est quam maxime vegeta, attente lectis, aurem iam nunc praebebis verae doctrinae et rebus honestis operam dabis, socordiam, propter quam te emendare neglegis, multis et magnis animi aerumnis aliquando lues." Futurum *noles* coniunctivo vel propter sequentia futura *posces--intendes* praeferendum esse recte monuit Obbarius. — *curres*] „Si sudoris impatiens noles sanus cursu interdum vires tuas exercere, sed domi otiosus sedes et graecaris, hydropicus aliquando propter desidiam factus, a medico iussus curres, cum tibi longe molestius erit." Cels. 3, 21: (*Hydropicis*) *multum ambulandum, currendum aliquando est.* — *hydropicus*] exemplum, quo crebro in scholis utebantur. Cfr. Od. 2, 2, 13. Plut. de vit. aer. al. 8: *ὥσπερ εἰ λέγοι πρὸς ἰατρὸν ἄῤῥωστος ὑδρωπιῶν καὶ ᾠδηκώς· Ἰσχνὸς οὖν γένωμαι καὶ κενός; Τί δ' οὐ μέλλεις, ἵνα ὑγιαίνῃς;* — *Intendes animum studiis*] Cfr. Ovid. Trist. 4, 1, 4: *mens intenta malis.* Metam. 6, 5: *animum fatis intendit.* Graeci: *προσέχειν* vel *ἐπέχειν τὸν νοῦν τινί.*" — *studiis* verae sapientiae. — *vigil*] Recte iam Porphyrio: „Si non propter philosophiam vigilaveris, propter invidiam et amorem dormire non poteris." Est igitur: „insomnis, uti fit in animi perturbationibus." — *oculum*] Numerum sing. consentientibus optimis cod. retinui, quia festuca, pulvere, similibusque rebus unus plerumque oculus lae-

Est animum, differs curandi tempus in annum?
Dimidium facti qui coepit habet; sapere aude; 40
Incipe. Qui recte vivendi prorogat horam,
Rusticus exspectat, dum defluat amnis: at ille
Labitur et labetur in omne volubilis aevum.
Quaeritur argentum puerisque beata creandis

41. *Qui recte vivendi* vetustus codex Pulmanni, aliique boni cod. Bentlei, Monacensis E Kelleri, Gothanus; editiones Bentleio auctore paene omnes; *vivendi qui recte* maior codicum pars, in his Graevianus, Vossianus, Leidensis, AORγφψλ.

ditur. — *Est animum*] „edit, consumit.“ Il. Z 202: *Ὃν θυμὸν κατέδων*, quod Cic. Tusc. 3, 63 in Latinum convertit; *Ipse suum cor edens.* Vergil. Aen. 4, 66: *est molles flamma medullas.* — *in annum*] de longo tempore, ut Ep. 1, 11, 23: *neu dulcia differ in annum.*

40-43. *Dimidium* cet.] Vetus proverbium *Ἀρχὴ δέ τοι ἥμισυ παντός*, quod Lucian. Hermot. 3 per errorem tribuit Hesiodo; Iamblichus Vit. Pyth. 29 ad Pythagoram refert, sed, primus qui invenerit, ignoramus. Sophocl. fr. 715 D.: *Ἔργου δὲ παντὸς ἥν τις ἄρχηται καλῶς, Καὶ τὰς τελευτὰς εἰκὸς ἐσθ' οὕτως ἔχειν.* — *sapere aude*] ut graecum *τολμᾶν*, „sustine, abs te impetra.“ Verg. Aen. 8, 364: *Aude, hospes, contemnere opus.* Est philosophorum locus communis. Sic Lucian. Nigr. 27: *παρῄνει δὲ τοῖς συνοῦσι μηδ' ἀναβάλλεσθαι τὸ ἀγαθόν - - ἠξίου γὰρ ἀμέλλητον εἶναι τὴν πρὸς τὸ καλὸν ὁρμήν.* — *Incipe*] „tandem firmo conatu! Noli diutius morari!“ — *Qui recte vivendi*] habet minor cod. pars, maior *vivendi qui recte;* sed ne *recte* referatur ad sequens verbum *prorogat* Lambinus scr. *vivendi recte qui prorogat horam*, haud scio an recte. — *Rusticus* cet.] „Facit ut rusticus ille in fabella, puto, Aesopia, qui, cum otiosus sederet in ripa fluminis, interrogatus a viatore: „Quid tibi hic vis?“ „Exspecto“, respondit, „donec defluat amnis, ut siccatum transeam.“ Cum vero huiusce argumenti fabella inter Aesopias iam non exstet, alii pro imagine excogitata ab Horatio habent, ut rusticus sit „*ἄγροικος*, homo scaevus, ineptus, stultus.“ — *defluat*] coniunctivus rustici exspectationem vanamque spem significat. Ovid. Metam. 9, 94: *neque enim, dum flumina pacem Et placidos habeant lapsus, totaeque residant, Opperiuntur, aquae.* — *volubilis*] Od. 4, 1, 40: *aquae volubiles*, semper ostium versus fluentes.

44. 45. *Quaeritur*] Sententiae hoc modo inter se connectuntur: „Recte vivendi autem tempus differtur a plerisque ob nimium rem faciendi studium; cuius cupiditatis molestiam facile devitat is, qui sua sorte contentus *nihil amplius optat.* Is demum, qui huc pervenit, animum suum excolere et ab animi perturbationibus se liberare poterit.“ — *argentum*] h. l. *pecunia*, ut Sat. 1, 1, 86: *cum tu argento post omnia ponas.* Sat. 2, 6, 10: *O si urnam argenti fors quae mihi monstret.* — *pueris-creandis*] Formula solita in formulis ac tabulis nuptialibus. Plaut. Aul. 146: Eunomia ad fratrem: *Quod*

Uxor, et incultae pacantur vomere silvae. 45
Quod satis est cui contingit, nihil amplius optet.
Non domus et fundus, non aeris acervus et auri
Aegroto domini deduxit corpore febris,
Non animo curas. Valeat possessor oportet,
Si comportatis rebus bene cogitat uti. 50
Qui cupit aut metuit, iuvat illum sic domus et res,
Ut lippum pictae tabulae, fomenta podagram,
Auriculas citharae collecta sorde dolentis.

46. *contingit* codicum maior pars, in his Blandinius antiq., *contigit* sed suprascr. *n* Graevianus, Einsidlensis, duo Blandinii Rbl. — *nihil* Blandin. antiq., Graevianus, Vossianus, Dessauiensis, AORbcγ, *nil* ESφψλ cum perpaucis. — 52. *tomenta* Bouhier prob. L. Müller. — *podagram* codices paene omnes, *podagrum* Bentleius prob. Haupt, Vahlen, L. Müller.

tibi sempiternum Salutare sit liberis procreandis.--Volo te uxorem domum ducere. Gell. 4, 3: *iurare a censoribus coactus erat* (Carvilius) *uxorem se liberum quaerendum gratia habiturum.* — *beata*] „opulenta.“ Cfr. Od. 3, 7, 3. Sat. 2, 8, 1. — *pacantur* „adducuntur ad culturam.“ Quemadmodum Romani *pacata* dicebant regna bello domita et in provinciarum formam redacta, sic silvae aratri ope in arva fertilia mutatae recte dicuntur *pacari; vomer* armorum instar eas domat. Simili imagine Verg. Ge. 2, 239 de terra: *ea nec manuescit arando. „Pacare* opponitur fere *hostili, placare irato.“* Itaque spernendum est quod Wakefield coniecit *placantur.*

48-53. *deduxit*] ἀορίστως de tempore perpetuo; cf. ad Od. 3, 23, 19. Dräger hist. Syntax I² 254. — Ut *decedunt corpore febres* (Lucret. 2, 34. Cels. 3, 5), sic etiam *deduci* possunt; alibi dicuntur *abigi, depelli, tolli.* — *Valeat*] „Sana sit mens in corpore sano.“ — *possessor--uti*] Aristot. Rhet. 1, 5: *τὸ πλουτεῖν ἐστὶν ἐν τῷ χρῆσθαι μᾶλλον ἢ ἐν τῷ κεκτῆσθαι.* — *iuvat illum sic* cet.] „Ut sanos oculos delectant tabulae pictae, lippum, qui eas contemplari nequit, nil iuvant; ut fomenta homini molliori, dummodo bona sit valetudine, grata sunt, minime vero podagra affecto (cuius dolores, addo, interdum augent); ut aures hominis sani symphoniis oblectantur, non item eius, cui dolent, ita hominem paucis contentum iuvat domus et res (etiam modica), insatiabilem nequaquam.“ Fomenta autem etiam a sanis adhiberi solita esse, qua de re adhuc dubitabatur, demonstratur loco Senecae de provid. 4, 9: *Quem specularia semper ab afflatu vindicaverunt, cuius pedes inter fomenta subinde mutata tepuerunt, cuius cenationes subditus et parietibus circumfusus cator temperavit, hunc levis aura non sine periculo stringet.* Conf. Sen. de vita beata 11, 3. Quoniam autem *fomenta* non pedibus tantum, sed toti corpori ad depellendum frigus vel torporem soleant adhiberi, nonnulli substituunt *tomenta* maxime iucunda in lectulo recubantibus. Nonnulli cum paucis cod. *podagrum,* hoc concinnius rati ad v. *lippum:* at variatio magis Hora-

Sincerum est nisi vas, quodcumque infundis, acescit.
Sperne voluptates: nocet empta dolore voluptas. 55
Semper avarus eget: certum voto pete finem.
Invidus alterius macrescit rebus opimis:
Invidia Siculi non invenere tyranni
Maius tormentum. Qui non moderabitur irae,
Infectum volet esse, dolor quod suaserit et mens, 60
Dum poenas odio per vim festinat inulto.
Ira furor brevis est: animum rege; qui nisi paret,

tiana est. *Podager* Ennius dixit (Satir. 8 V. *numquam poëtor nisi si podager*), postea Claudianus aliique extremae aetatis scriptores.

54. 55. *Sincerum*] „mundum." SCHOL. — *vas*] „Allegorice dicit *vas* pro hominis pectore. ACRON. Cfr. Lucret. 6, 17: *Intellegit ibi vitium vas efficere ipsum, Omniaque illius vitio corrumpier intus.* — *Sperne* cet.] Sequuntur γνῶμαι breviores, ad quas proferendas ei occasionem dedit lectio ac meditatio illa, ut ita dicam, moralis Homeri. Aemulari autem, ni fallor, ei placuit elegantes P. Syri et D. Laberii sententias μονοστίχους per mimos sparsas. Fieri quidem potest, ut una alterave ex Graecis poëtis sit deprompta; plerique tamen loci communes sunt, in quibus de imitatione cogitare vix possumus. „Voluptas, inquit, avaritia, invidia, iracundia eae imprimis sunt animi perturbationes, quae verum vitae fructum nobis corrumpunt;" id quod per imaginem significatur versu 54.

56-61. *Semper avarus eget*] Hieron. Epist. 53: *Antiquum dictum est: Avaro tam deest, quod habet, quam quod non habet.* — *certum voto pete finem*] „modum pone cupiditati rei familiaris faciendae, ad quem ubi perveneris, plura quaerere desine bonisque partis fruere ac vive!" Cfr. v. 46: *Quod satis est cui contingit, nihil amplius optet.* Sat. 1, 1, 92: *Denique sit finis quaerendi.* v. 106: *Est modus in rebus, sunt certi denique fines* cet. (Gl. „pone mensuram tuo desiderio.") — *Invidia* cet.] Menander p. 198. Mein.: Ὁ δὲ τὸ κάκιστον τῶν κακῶν πάντων, φθόνος. Isocr. Euag. §. 6: ὁ φθόνος, ᾧ τοῦτο μόνον ἀγαθὸν πρόσεστιν, ὅτι μέγιστον κακὸν τοῖς ἔχουσίν ἐστιν. Hieron. Epist. 45: *O invidia primum mordax tui!* — *Siculi - - tyranni*] Phalaris, Agathocles, Dionysii. Erat quasi proverbium. Cic. Verr. Acc. 5, 145: *tulit enim illa quondam insula* (Sicilia) *multos et crudeles tyrannos.* Iuvenalis 6, 486: *Sicula non mitior aula.* — *Infectum* cet.] Menander p. 247. Mein.: Ἄπανθ' ὅσ' ὀργιζόμενος ἄνθρωπος ποιεῖ, Ταῦθ' ὕστερον λάβοις ἂν ἡμαρτημένα. — *dolor*] „aegritudo crucians, qua quis iniuriam sibi illatam perfert atque ad ulciscendum ardet, indignatio." — *mens*] μένος, θυμός, furor; Catull. 15, 14: *mala mens furorque vecors.* Od. 1, 16, 22: *Compesce mentem.* — *odio - - inulto*] Est dativus pendens a verbis *poenas festinat:* „dum odium nondum satiatum violenter ac praecipitanter ulcisci studet." — *festinat*] „poenas festinanter exigit." Sic Od. 2, 7, 24: *Deproperare - coronas.* Od. 3, 24, 61: *pecuniam - properet.*

62-65. *Ira furor* cet.] Themist. Orat. 1. p. 7. D.: ἐγὼ οἶμαι τὴν ὀργὴν μανίαν ὀλιγοχρόνιον εἶναι.

Imperat: hunc frenis, hunc tu compesce catena.
Fingit equum tenera docilem cervice magister
Ire viam, qua monstret eques: venaticus, ex quo 65
Tempore cervinam pellem latravit in aula,
Militat in silvis catulus. Nunc adbibe puro
Pectore verba, puer, nunc te melioribus offer.

65. *quam monstret* codices plerique, *qua monstret* Leidensis, Bentlei Petrensis, Monac. E, alii perpauci. — *monstret* plerique, *monstrat* pauci deteriores.

Sententia autem manifesto est generalis neque hic rursus de Achillis ira cogitandum est. — *animum*] *τὸν θυμόν.* Plaut. Trin. 310: *Tu si animum vicisti potius quam animus te, est quod gaudeas.* — *qui nisi paret, Imperat*] „Aut servus est aut dominus; nihil enim est tertium.“ BENTL. — *frenis*] ut equum ferocem et indomitum — *tu*] Vid. ad Od. 1, 9, 16. — *Compesce*] Od. 1, 16, 22: *Compesce mentem.* — *catena*] ut canem. — *Fingit equum* cet.] „Verum si cupiditates voluptatemque temperantia frenare tibi propositum est, fac, ut mature, immo statim, dum iuvenis es, hanc *κάθαρσιν* incipias, quemadmodum *magister* (*ἱππο-δαμάστης*, domitor) equum primis iam annis, dum docilis est, *fingit ire* („ad eundum“), „docet ingredi viam“ cet. *Fingere* h. l. „formare, instituere.“ Ad rem cfr. Verg. Georg. 3, 190: *At tribus exactis ubi quarta acceperit aestas, Carpere mox gyrum incipiat* (equus) *gradibusque sonare Compositis* cet. Propter caesuram autem iungo *Ire viam, qua monstret* potius quam *Ire, viam qua monstret.* Verg. Aen. 6, 122: *Itque reditque viam.*

65-68. *venaticus - - catulus*] „quo aliquando ad venatum uti constituit dominus.“ — *cervinam pellem*] In pellem stramine vel musco repletam et ad vivi cervi similitudinem aliquatenus refictam iam catuli a magistris incitabantur. — *latravit*] eadem constructione, qua Epod. 5, 57: *adulterum latrent Suburanae canes.* — *aula*] honestius vocabulum Graecum pro Latino *cohorte, corte,* loco saepto, in quo cuiusvis generis animalia alebantur, canes venatici etiam exercebantur. Gratius Cyneg. 167: *Sed praeceps virtus ipsa venabitur aula.* — *Militat*] „feras sectatur;“ frequenti comparatione inter venationem et militiam. Cfr. ad Sat. 2, 2, 10, ubi venationem vocat *Romanam militiam.* Ovid. Met. 2, 415 de venatrice: *Miles erat Phoebes.* — *Nunc - - nunc*] Cum vi repetitur adverbium praesens tempus denotans: „Noli, quaeso, hoc inceptum differre: fugit irreparabile tempus.“ — *adbibe* cet.] „dum adolescens es, liber adhuc a vitiis, libenti animo sapientiae praecepta ausculta.“ Imago frequens, etiam in prosa oratione. Cic. de fin. 3, 9: *combibere artes.* Od. 2, 13, 31: *Pugnas et exactos tyrannos Densum umeris bibit aure volgus.* Stat. Silv. 5, 2, 58: *Bibe talia pronis Auribus.* — *puer*] „dum puer es.“ Od. 4, 1, 15. Fabius Maximus *centum puer artium* vocatur. Sic enim *ὑποκοριστικῶς* a familiaribus appellabantur adolescentes XX. et plures annos nati. — *melioribus*] „quorum prudentiam ac virtutes tu ultro agnoscis.“ Ep. 1, 1, 48: *meliori credere non vis?* — *offer*] „Roga eos, ut te doceant; noli exspectare, dum te mo-

Quo semel est imbuta recens, servabit odorem
Testa diu. Quodsi cessas aut strenuus anteis, 70
Nec tardum opperior nec praecedentibus insto.

EPISTULA III.

Iuli Flore, quibus terrarum militet oris

neant." SCHOL. „Libenter talibus te trade, ut veram sapientiam te doceant et ad virtutem perducant."

69-71. *imbuta recens*] Frequens imago. Philo Quod liber sit, quisquis virtuti studet p. 671: *ὥσπερ γάρ φασι τὰ κενὰ τῶν ἀγγείων ἀναφέρειν τὰς τῶν πρώτον εἰς αὐτὰ ἐγχυθέντων ὀσμάς, οὕτω καὶ αἱ τῶν νέων ψυχαί.* Hieron. Epist. 10 extr.: *Etiamsi aqua plena sit, tamen eundem odorem lagena servat, quo, dum rudis esset, imbuta est.* — *Testa*] cadus vel amphora; de concha unguentaria, quae fictiles non erant, sed ex onyche, vitro, auro argentove fiebant, nolim accipere. — *Quodsi cessas* cet.] Ut iam aliquot satiris et primae epistulae, sic etiam huic *παρὰ προσδοκίαν* finem imponit. Sententiae sic nectuntur: „Ceterum memento me omnia haec praecepta tibi tua tantum gratia tradidisse; consilium meum habes; nunc tu fac, quod tibi placet: si neglegens eris, tua res agetur; sin propter acerrimum studium velut auriga in certamine me praecesseris, gratum utique mihi erit; ego tamen, cui certam quandam viam ac rationem in omni mea vita regenda tenere propositum est, numquam neglegentior fiam propterea, quod te aliosve differre atque omittere verae sapientiae studia videam, neque ideo quod alii nimio fortasse mentis fervore in ea incumbunt (*ultra quam satis est virtutem si petat ipsam* aliquis. Ep. 1, 6, 16) magis, quam ratio mihi suadet, vires meas contendam ac propter hoc conficiam." Consulto autem, quo omnis offensa devitetur, *praecedentibus* dicit, non *praecedenti*.

III. Iulium Florum, familiarem aetate minorem tunc inter comites Tiberii Neronis a. u. c. 734 in Orientem ab Augusto missi, percontatur, quid Tiberius, quid communes amici, quid ipse agat (vv. 1-25), ad sapientiae studium excitat (vv. 25-30), postremum ut cum Munatio, communi amico, in gratiam redeat, amice hortatur (vv. 30-35). ZELL. „Fuit Saturarum scriptor, cuius sunt electae ex Ennio, Lucilio, Varrone saturae." PORPH. Haud male de Floro disputavit Weichertus Poët. Lat. p. 366 seq., unde seqq. excerpsimus: „Ita Scholiastae verba intellegenda esse puto, ut Florum ex Ennio, Lucilio et Varrone, quos constat scripsisse Saturas, praestantiora carmina elegisse aeque fortasse antiquitatis rigore sordibusque abstersis et emendatiora et elegantiora edidisse statuamus (vel dicam potius in eo elaborasse, ut illorum Saturas sermoni captuique aequalium suorum magis adaptaret). Hinc igitur fortasse factum est, ut Florus ipse Saturarum scriptor appellaretur. Ex iis utique Horatii familiaribus fuit, quos ob ingenium atque studia poëtica haud parvi aestimaret. Cfr. epist. 2, 2 ad eundem missam.

Claudius Augusti privignus, scire laboro.
Thracane vos Hebrusque nivali compede vinctus,
An freta vicinas inter currentia turris,
An pingues Asiae campi collesque morantur? 5
Quid studiosa cohors operum struit? Hoc quoque curo.
Quis sibi res gestas Augusti scribere sumit?

Ep. III. 4. *turris* plerique cod., *terras* e codice Blandin. antiquissimo Bentleius.

2-5. *Claudius*] Augustus Tiberium a. u. c. 734 in Orientem miserat, ut Tigranem in Armeniae regnum ei datum deduceret. Vellei. Paterc. 2, 94. — *Augusti privignus*] Sic honoris causa eum appellat, quippe qui sine dubio hanc epistulam lecturus esset. Nondum nati erant C. et L. Caesares, Agrippae ex Iulia filii, Augusti nepotes; quibus sublatis Tiberius adoptatus est a. 756. Cfr. Tac. Ann. 6, 51. — *scire laboro*] aliquanto plus quam „cupio;“ magnopere studeo. Sat. 2, 8, 19: *nosse laboro*. — *Thraca*] forma poëtica, Θράκη, etiam apud Verg. Aen. 12, 335; cfr. Lachm. ad Lucret. pg. 278. Teste autem Suetonio Tib. 14. Tiberius hanc expeditionem Armeniacam fecit per Macedoniam et Thraciam. — *Hebrusque*] Vid. ad Od. 1, 25, 20. — *nivali*] „hiemali.“ Cfr. Od. 1, 37, 19: *nivalis Haemoniae*. „Ut Horatius aquis glacie adstrictis *compedem* tribuit, ita Vergilius Ge. 4, 136. *frenum* et Sympos. Aenigm. 10, 2, *catenas*.“ OBBAR. — *turris*] „Herus et Leandri. Inter Seston et Abydon medium est Hellesponti fretum.“ PORPHYR. Quae explicatio confirmatur etiam Strabonis 13, 22 loco de utriusque oppidi situ, de duobus πύργοις et cursu aquarum: περὶ τοῦ ῥοῦ τοῦ ἐκ τῆς Προποντίδος. (Catull. 64, 358: *unda Scamandri, Quae passim rapido diffunditur Hellesponto.*) V. *turris* igitur proprie accipiendum, ac suadet etiam poëtica ratio, ut turribus illis omnium sermone celebratis oppida illa designentur, potius quam notione omnibus urbibus communi; neque explicandum aut *turritas urbes* (ut Tibull. 1, 7, 19: *Utque maris vastum prospectet turribus aequor -- Tyros.*) aut *scopulus*. — *currentia*] de fretis, ut Poëta apud Cic. de N. D. 3, 24: *Europam Libyamque rapax ubi dividit unda*. — *pingues Asiae campi*] Iustin. 38, 7: *neque caelo Asiae esse temperatius aliud nec solo fertilius*. — *morantur?*] „nunc vos retinent?“ propter Tiberianae expeditionis finem ac necessitates. Tres tractus praecipui ac Tiberianae expeditionis veluti stationes scite significantur.

6-8. *studiosa*] litterarum, h. l. absolute (ut Od. 2, 20, 19: *peritus*. Od. 3, 4, 58: *avidus*.) — *cohors*] Paulatim mos invaluit, ut sic appellaretur *grex* (Ep. 1, 9, 13) adolescentium nobilium, qui comitabantur proconsulem vel quemcumque alium cum imperio extra urbem missum. Cic. ad Q. Fr. 1, 1, 4: *Quos vero aut ex domesticis convictionibus aut ex necessariis apparitionibus tecum esse voluisti, qui quasi ex cohorte praetoris appellari solent* cet. — *Quid - operum struit?*“ „quae scripta componit?“ SCHOL. — *Hoc quoque curo*] „non solum, ubi terrarum nunc degatis, verum etiam quibus studiis vacetis.“ — *scribere*] ut Od. 1, 6, 1 de carminibus prae-

Bella quis et paces longum diffundit in aevum?
Quid Titius Romana brevi venturus in ora?
Pindarici fontis qui non expalluit haustus, 10
Fastidire lacus et rivos ausus apertos.

sertim panegyricis. — *sumit*] „praedicandas eligit", cum infinitivo, ut Od. 1, 12, 1: *Quem virum-sumis celebrare?* — *Bella quis* cet.] ἐπεξήγησις. „Quis igitur bella, quae gessit, paces illi tam gloriosas, quas victis imposuit, ad posteritatem propagare conatur?" Cfr. Sall. Iug. 31: *bella atque paces--penes paucos erant*, id est, „ius, quandocumque eis libebat, pacem faciendi." Alii coll. Ep. 2, 1, 102 explicant: „res ab Augusto pacis tempore gestas." Ad quod inceptum ipse numquam se induci passus erat, ut panegyricum carmen in Augustum componeret, id satis urbane iuvenibus illis iniungit, quibus huiusmodi scripta, si non diuturnam gloriam, at certe commoda externa et praemia afferre poterant. — *diffundit in aevum*] Ipse explicat Od. 4, 14, 3: *virtutes in aevum--Aeternet.*

9. *Quid Titius* cet.] De toto hoc loco lege egregiam disputationem Iacobsii in Lectt. Venus. p. 340. Refellit eos, qui cum Scholiastis Horatium malitiosa dilogia hic usum esse arbitrati sunt. Immo poëta de iuvenum horum studiis ita festive locutus est, ut nihil omnino eos offendere posset in verbis urbanissimis amici natu maioris, quem ipsi ut *Romanae fidicinem lyrae* suspicerent atque observarent. Id tamen meminerat, hos pueros ipsi nondum esse pares. Eo minus illorum laudibus detrectare, immo eos confirmare voluit. Titius autem fortasse idem poëta fuit qui apud Tibullum 1, 4, 73 sqq. commemoratur: *Haec mihi quae canerem Titio deus edidit ore; Sed Titium coniunx haec meminisse iuvat;* fortasse filius finit M. Titii cons. suff. a. 723, eius qui a. 734 signa a Parthis reddita iussu Augusti accepit. Porphyrio haec tradit: 'Titius poëta hic Pindarum Latino voluit sermone vertere: deridet autem hunc Horatius, quod ausus sit sacrum opus attaminare; potest tamen et vere laudari: nam Tiberii comes et doctissmus fuit et lyrica conscripsit.' Ps.-Acron: 'Titius Septimius coeperat lyrica carmina et tragoedias scribere temporibus Augusti, sed libri eius nulli exstant. Huius insigne monumentum est infra Aritium.' — *brevi venturus in ora*] „nondum quidem notus civibus suis propter poëticas laudes, sed qui, ubi ediderit carmina, brevi nomen vendibilis poëtae merebitur." Propert. 4, 8, 32: *venies tu quoque in ora virum.* Verg. Ge. 3, 9: *victorque virum volitare per ora*, ex Enniano illo: *volito vivu' per ora virum.* Aen. 12, 235: *vivusque per ora feretur.* Prop. 4, 1, 24: *Maius ab exsequiis nomen in ora venit.*

10-14. *expalluit haustus*] Eadem constructione atque Od. 2, 12, 7: *periculum contremuit.* Od. 3, 27, 27: *mediasque fraudes Palluit audax.* Iacobs putat Horatium respexisse ad Callimachi illud Anthol. Pal. II. p. 462: *οὔτ' ἀπὸ κρήνης Πίνω· σικχαίνω πάντα τὰ δημόσια.* „Qui", inquit, „in Pindaro imitando vires suas experitur." („Horatius in his vv. Titii audax Pindarum imitandi studium admiratur, non laudat, neque vituperat." OBBAR. Quid autem ipse de Pindarica imitatione senserit, demonstrat Od. 4, 2.) — *fontis*] Principes poëtae, ex quibus imitatores *hauriunt*, saepe cum fontibus com-

Ut valet? ut meminit nostri? Fidibusne Latinis
Thebanos aptare modos studet auspice Musa,
An tragica desaevit et ampullatur in arte?
Quid mihi Celsus agit? monitus multumque monendus, 15
Privatas ut quaerat opes et tangere vitet

parantur. Ovid. Am. 3, 9, 25: *Adice Maeoniden, a quo ceu fonte perenni Vatum Pieriis ora rigantur aquis.* Lucil. 30, 2 L. M., v. 933 Lchm.: *Quantum haurire animus Musarum e fontibu' gestit.* — *Lacus* et *rivi aperti* significant non poëtas lyricos Pindaro inferiores, sed poësis genera et faciliora et leviora. — *Ut valet?*] Recte Cruquius: „haec plena sunt amoris benevoli.“ (Quem si cum perfida malitia miscuisset, in semet ipse illud edixisset: *Hic niger est, hunc tu, Romane, caveto!*) — *aptare modos*] Cfr. Od. 2, 12, 4: *Aptari citharae modis.* — *auspice Musa*] Sine imagine: „poëtica facultate fretus et felici cum successu Pindarumne aemulatur? an ad tragoedias scribendas magis inclinat?“ Fluctuabat igitur, ut manifesto apparet, iam cum Romae Horatii familiaritate uteretur, Titius inter utrumque genus, modo tragoediam aliquam componens, modo carmina lyrica, incertus interdum, utrum Pindaricum genus propter novitatem primus inter Romanos excoleret, an recentiorem illam tragoediam Latinam, cuius auctor fuisse videtur potius quam Pollio Varius; quem subsecutus est in Medea Ovidius. — *desaevit*] ut Verg. Aen. 4, 52: *Dum pelago desaevit hiems*, pr. „ex alto“, id est, „vehementer saevit.“ Refertur ad violentas animi perturbationes (iram, saevitiam, amorem, furorem), a tragicis expressas; *ampullari* autem, ut Graecorum *ληκυθίζειν*, de amplo et magnifico sermonis tragici ornatu, qui sermo interdum ab exaggeratione haud longe remotus est; figura repetita ex Aristophanis Ranis v. 1208: *ληκύθιον ἀπώλεσεν.* Sic Callimachus teste Schol. ad Hephaestionem p. 36. ed. Lips. tragoediam *Μοῦσαν ληκύθειον* appellavit. A. P. 97: *Proicit ampullas et sesquipedalia verba.* Iam vero non ridet Titium ipsum prae nimio tumore *desaevientem* et *ampullantem*, sed tragicum genus ipsum, et potissimum tragoediam Romanam, quae ipsi, ut aliunde quoque apparet (Ep. 2, 1, 55 sqq. A. P. 258 sqq.), haud nimis placebat.

15. 16. *Quid mihi C. agit?*] Est sermonis quotidiani hoc sensu: „Quid agit? dic mihi; scire enim cupio, quo res eius sint loco;“ ut *quid agis, dulcissime rerum?* (Sat. 1, 9, 4.) De dativo ethico cfr. Cic. ad Att. 8, 8, 2: *At ille tibi pergit Brundisium.* Catull. 24, 4: *Mallem divitias mi dedisses Isti.* — *Celsus*] Videtur idem cum Celso Albinovano, comite scribaque Neronis, ad quem misit epistulam huius libri octavam. — *monitus*] „a me iam antea, cum Romae una essemus.“ Sapienter profecto huius quoque optimi iuvenis patrocinium suscepit Iacobs Lectt. Venus p. 338. Fuit igitur unus ex sescentis illis, qui in benigno illius aetatis poëtarum proventu, studio et ardore animi ad carmina componenda delatus, minus utique audax Titio, exemplaria et Graeca et Latina nimis anxie imitando exprimeret; Horatius autem, qui de amici ingenio meliora etiam sperabat, h. l. eum ex animi sententia denuo monet, ut a vitiosa priorum imitatione desistat atque eiusmodi in poste-

Scripta, Palatinus quaecumque recepit Apollo,
Ne, si forte suas repetitum venerit olim
Grex avium plumas, moveat cornicula risum
Furtivis nudata coloribus. Ipse quid audes? 20
Quae circumvolitas agilis thyma? Non tibi parvum
Ingenium, non incultum est et turpiter hirtum:
Seu linguam causis acuis, seu civica iura
Respondere paras, seu condis amabile carmen,
Prima feres hederae victricis praemia. Quodsi 25

22. *et* plerique codices, *nec* Leidensis, Lipsiensis, *φψλ*.

rum condat carmina, quae iure ipsi tribui possint. Idem igitur ei acclamat quod Pisonibus: *Nec verbum verbo curabis reddere fidus Interpres, nec desilies imitator in artum!* (A. P. 133 sq.) Quo quid innocentius fieri poterat? *Privatas* autem *opes* noli interpretari cum aliis „proprias doctrinae copias;“ unice enim de poëmatis loquitur.

17—20. *Palatinus - - Apollo*] In templo Apollinis Palatini Octavianus a. u. c. 726. condiderat bibliothecam Palatinam publicam, cuius primus curator fuit C. Iulius Hyginus. — *recepit*] velut donaria in suam tutelam; quo minus etiam ea *tangere* (attrectare) licet. — *cornicula*] Nota fabella Aesopia (Babr. 72, Phaedr. 1, 3.) hanc sententiam expressit: „ne facile omnis lector perspiciat Celsum in sententiis, imaginibus, totisque adeo locis imitatum esse, interdum tantum in Latinum convertisse, poëtas Graecos.“ — *coloribus*] „plumis variorum colorum.“ SCHOL. — *quid audes?*] „Habet aliquam fiduciae in animo ob praeclaram eius indolem positae notionem. Alii nescio quid ambiguitatis hic sentiunt.“ OBBAR.

21-25. *circumvolitas*] Ut saepe poëtae apibus comparantur (Od. 4, 2, 27), sic hac imagine *circumvolitandi* atque *agilitatis* significat modo haec, modo illa carminum genera a Floro temptata esse, sane ut opus secundarium, cui per horas subsecivas vacaret: nam severiora studia ad eloquentiam forensem et ius civile converterat. — *incultum* cet.] Ut ager incultus *hirtus* fit, id est, filice vepribusque obducitur, sic ingenium bonis artibus non excultum, fit rude et hebes. Praestat autem lectio *et* alteri *nec;* „neque enim *incultum* et *hirtum* diversas res significant, ut sint disiungenda.“ BENTL. — *turpiter - hirtum*] A. P. 3: *turpiter atrum;* Od. 3, 11, 35 *splendide mendax.* — *causis*] = ad causas dicendas. — *acuis*] significantius quam „praeparas.“ Cic. Brut. 331: *tu illuc* (in forum) *veneras unus, qui non linguam modo acuisses exercitatione dicendi* cet. Significantur declamationes, quibus iuvenes ad eloquentiam iudicialem praeparare se solebant. — *civica iura Respondere*] pro volgari: *ius civile respondere* (Plin. Ep. 6, 15) et *de iure respondere.* Ad iuris prudentiae igitur studium hoc refertur; *civicus* dixit Od. 2, 1, 1. 3, 24, 26; cf. ad Od. 3, 2, 6. — *amabile carmen*] ἐρωτικά, puto, συμποτικά, epigrammata cet.; „venustum atque elegans cuiusvis generis carmen.“ — *hederae-praemia*] Proprie refertur ad poëticam facultatem propter Bacchum, qui Pindaro Dithyr. fr. 3, 7 est κισσο-

Frigida curarum fomenta relinquere posses,
Quo te caelestis sapientia duceret, ires.
Hoc opus, hoc studium parvi properemus et ampli,
Si patriae volumus, si nobis vivere cari.
Debes hoc etiam rescribere, sit tibi curae 30
Quantae conveniat Munatius. An male sarta
Gratia nequiquam coit et rescinditur ac vos

30. *sit* plerique cod., in his Blandinii, edit. fere omnes; *si* Gravianus paucique correcti prob. Bentleio, Orellio. — *curae* cod. *curae est* Bentl. coniecit. — 32 *ac vos* codices paene omnes pro editoribus plerisque, *at* pauci deteriores, quod Orellius interrogationis signo post *rescinditur* posito receperat.

θέτας θεός. Cfr. Od. 1, 1, 29. Tum per zeugma pertinet etiam ad cetera Flori studia, in quibus omnibus eum primas partes laturum pollicetur.

26-29. *Frigida curarum fomenta*] Unum vitium in amico libere reprehendit, quod is quoque, ut aequalium plerique, nimio lucri et quaestus studio indulgebat. *Curarum fomenta* h. l. manifesto sunt ea fomenta, quae curae Floro imponunt, id est, pecuniae cupiditas atque ambitio; hae autem paulatim *refrigerant* ac retardant spiritus generosiores, hebetant ingenium, imminuunt poëticam facultatem. Ceterum in *fomentis frigidis* nullum inest ὀξύμωρον, nam in voc. *fomentum* caloris notio evanuerat, ut Celsus quattuor memoranet genera, calida frigida, sicca umida. — *relinquere posses*] „His a curis", inquit, „si liberare te posses, nihil iam te impediret quo minus *caelestis* (maxime sublimia quaeque appetentis terramque despicientis) philosophiae praeceptis satisfaceres atque obtemperares." — *Hoc opus*] sapientiae; *opus* ad actionem, *studium* ad θεωρίαν refertur. — *parvi et ampli*] „verae sapientiae nos tenuiores operam dare aeque possumus ac divites et honorati." — *properemus*] Cfr. ad Ep. 1, 2, 61. — *nobis cari*] *Sibi carus* est, qui secum ipse non dissidet nec habet, cur quidquam magnopere in se reprehendat cet. Ep. 1, 18, 101: *Quid minuat curas, quid te tibi reddat amicum.*

30-32. *sit tibi curae*] sic cum optimis codicibus scripsimus = *sitne;* minus recte ex paucis libris Bentleius eumque secutus Orellius ediderunt *si tibi curae.* — *Munatius* quis fuerit parum constat; fortasse fuit L. Munatius Plancus cos. a. 766, idem qui legationis ad legiones Germanicas a. 767 missae princeps fuit. Nexus sententiarum hic est: Estne tibi cum Munatio restituta familiaritas, an frustra in gratiam rediistis ac diiuncti estis? — *male sarta*] Imago desumpta a volnere ideo rescisso, quia eius margines non recte consuti sunt a chirurgo. Celsus 5, 6: *assuere acu volnera.* Id. 7, 8: *Tertium est, si quid ibi* (in aure externa, in labris et naribus) *curti est, sarcire.* — *nequiquam*] „ita ut curatio, quam exspectabamus, effectu careat." De scriptura vid. ad Sat. 2, 7, 27. — *coit*] Cels. 8, 10: *potest ea ratione et os coire et volnus sanescere.* Ovid. Trist. 4, 4, 41: *Neve retractando nondum coëuntia rumpam Volnera.* — *rescinditur*] Petron. 113: *credo veritus, ne inter initia*

Seu calidus sanguis seu rerum inscitia vexat
Indomita cervice feros? Ubicumque locorum
Vivitis, indigni fraternum rumpere foedus, 35
Pascitur in vestrum reditum votiva iuvenca.

EPISTULA IV.

Albi, nostrorum sermonum candide iudex,
Quid nunc te dicam facere in regione Pedana?
Scribere quod Cassi Parmensis opuscula vincat,

coëuntis gratiae cicatricem rescinderet.

33-36. *rerum inscitia*] „Cum quae alteruter recte atque ordine fecerat aut dixerat, alter falso interpretatur atque in suam vel contumeliam vel iniuriam facta opinatur.“ — *Indomita cervice feros*] Comparatio repetita ab equis (Ep. 1, 2, 64: *Fingit equum tenera docilem cervice magister.*) et a tauris, quos Graeci σκληραύχενας et ζυγομάχους vocant. — *ubicumque locorum*] Sic redit ad initium epistulae. — *indigni-rumpere*] Graeca attractione: „quos indignum est, non decet, rumpere.“ — *fraternum*] „intimum.“ Cfr. Ep. 1, 10, 4. — *foedus*, *Pascitur*] Per brachylogiam hoc dcit: „Ubicumque nunc vivitis vos, quos minime decet fraternae amicitiae foedus dissolvere, hoc scitote, me, qui vos ambos aeque diligo, unanimem vestrum reditum exoptare et laeto sacrificio celebraturum esse, ut Numidae mei (Od. 1, 36, 2); quocirca etiam mea causa in gratiam inter vos redire, uti spero, maturabitis;“ vel, si mavis cum Obbario: „Quocumque inter vos affecti estis animo, ego vos mutuo dignos amore (quapropter vestrum in gratiam reditum magnopere exopto) amare non desinam.“

IV. 1. Epistolium scriptum ad Albium Tibullum, poëtam suavissimum ipsique amicissimum (cfr. Od. 1, 33), qui natus circiter a. u. c. 700 mortuus est a. 735 aut sequente. Qui quum inter Tibur ac Praeneste ad Pedum (*in regione Pedana*) praedium haberet nec procul abesset ab Horatio, hac epistula Horatius declaravit se candido iudicio non offendi, quod Tibullus de ipsius sermonibus i. e. satiris, tulisset, immo gratiam habere. Scripta videtur haec epistula ut pleraeque a. 734 vel anno ante.

1—3. *Candide*] Martial. 4, 87, 4 de Apollinari amico critico: *Nil exactius eruditiusque est, sed nec candidius benigniusque.* — *Quid nunc te* cet.] Amici memor vitae eius habitum, quem probe norat, una sibi in mentem revocat: „Quid dicam mecum, quid cogitem nunc te facere? Sane, ut soles, modo poësi studebis, modo sapientiae.“ — *in regione Pedana*] Pedum (hodie *Zagarola*, secundum alios *Gallicano*), oppidum inter Tibur, Praeneste, Tusculum et Romam, prope quod erant Tibulli praedia paterna et avita. — *Cassi Parmensis*] „Hic est Cassius, qui in partibus Cassi et Bruti cum Horatio tribunus militum militavit; quibus victis Athenas se contulit. Q. Varus ab Augusto missus, ut eum interficeret, studentem reppe-

An tacitum silvas inter reptare salubris,
Curantem quidquid dignum sapiente bonoque est? 5
Non tu corpus eras sine pectore. Di tibi formam,
Di tibi divitias dederunt artemque fruendi.
Quid voveat dulci nutricula maius alumno,

Ep. IV. 6. *pectus eras sine corpore* Rud. Hanow coniecit. — 7. *dederunt* plerique codices, in his etiam Blandinii; *dederant* Lipsiensis, Gothanus, Dessauiensis, ESd et correctus bc.

rit et perempto eo scrinium cum libris tulit." PORPHYR. Cf. ad Sat. 1, 10, 62. — *opuscula*] Sunt carmina minora, hoc loco, ut consentaneum est, imprimis elegiae, quemadmodum apud Plin. Ep. 8, 21, 4: *Liber* (meus, quem recitavi,) *fuit et opusculis varius et metris.* Admodum ergo fuerunt elegantia ac venusta; aloquin is, qui ea superasset, laudem non meruisset. Cetrum integrum et candidum iudicem se praebet Horatius etiam in eo, quod Cassium, Octaviani inimicum et ab hoc interfectum, tamquam poëtam laudat.

4. 5. *tacitum*] „infixum cogitationi de pulchro et honesto, de vita ad philosophiae praecepta conformanda." — *reptare*] ut ἕρπειν et ἑρπύζειν, „sine certo consilio et tardo incessu perambulare, *schlendern.*" — *salubris*] propter frigus aëremque purum. Cfr. Ep. 2, 2, 77. Tibullus ipse de se 4, 13, 9: *Sic ego secretis possum bene vivere silvis, Qua nulla humano sit via trita pede.*

6. 7. *Non tu* cet.] „Hi versus antecedentibus hunc annectunt sententiarum ordinem: „Et recte quidem; tibi enim est ingenium pulcherrimum diisque accepta refers bona ad bene vivendum idonea, quibus nihil potest addi maius." OBBAR. — *eras*] semper, ex quo inter nos versari coepisti egoque te cognovi." — *sine pectore*] „non eras excors; immo animus tuus et tener erat in amicitia et veri cupidus et pulchri sensu eximie praeditus." Ovid. Her. 16, 305: *Huncine tu speres hominem sine pectore dotes Posse satis formae, Tyndari, nosse tuae? — formam*] Vita antiqua Tibulli: *„insignis fuit forma cultuque corporis observabilis."* — *divitias*] quales mox accuratius designat v. 11 et Tibullus ipse de se 1, 1, 77: *ego composito securus acervo Despiciam dites despiciamque famem.* Etsi eius patrimonium accisum erat per triumvirorum agrariam largitionem, quae a. u. c. 713. Italiam misere perturbavit, vel, ut alii volunt, per eandem calamitatem bellorum civilium devastatum dumtaxat, nihilominus ei restabant tantae facultates, paulatim fortasse prudenti parsimonia aliquantum auctae, ut ad liberaliter vivendum facile contentus esset, ideoque merito *dives* appellari posset. — *dederunt*] penultima brevi, vide ad Sat. 1, 10, 45. Verg. Aen. 2, 774: *Obstupui steteruntque comae et vox faucibus haesit.* Ubique fere scriptores librarii substituerunt plusqpf., ut hic nonnulli. Cfr. Wagner ad Verg. Ge. 4, 393. — *artemque fruendi*] „quia prudens es et eo, quod satis est, contentus vivis."

8. *nutricula*] Totam clausulam sic construxit Lambinus: „Alumno, qui sapere et fari possit quae sentiat, et cui gratia, fama, valetudo contingat abunde et mundus victus cet., quid nutricula optet maius?" Atque equidem in Lambini ratione acquiesco; video enim

Qui sapere et fari possit quae sentiat, et cui
Gratia, fama, valetudo contingat abunde, 10
Et mundus victus non deficiente crumena?
Inter spem curamque, timores inter et iras
Omnem crede diem tibi diluxisse supremum:
Grata superveniet quae non sperabitur hora.
Me pinguem et nitidum bene curata cute vises; 15

9. *Qui* plerique codices, in his Blandinii, edit. paene omnes; *Quin* Lipsiensis, Gothanus, AOScorr. cγφ; *Quam* Dessauiensis, Spr. dν. — 11. *Et mundus victus* Lipsiensis, Dessauiensis, Gothanus, AOERSbcγ, *Et modus et victus* Vossianus, Graevianus, Leidensis, Petrensis Bentlei, φψλ: inde Bentl. coniecit *Et domus et victus.*

lect. *Quin* aperte falsam esse, sed nostrae favere, *Quam* et *Quam ut* iis deberi, qui comparationem desideraverint, quam poëta *callida iunctura* significare quam exprimere maluit.

9-11. *sapere et fari* cet.] „recte cogitare (quocirca etiam rationi convenienter vivet) facundeque sensus suos explicare atque cum aliis communicare.“ Conf. Periclis verba apud Thucyd. 2, 60: *οὐδενὸς ἥσσων οἴομαι εἶναι γνῶναί τε τὰ δέοντα καὶ ἑρμηνεῦσαι ταῦτα.* — *Gratia*] imprimis apud Messallam Corvinum. — *fama*] Ovid. Am. 1, 15, 27: *Donec erunt ignes arcusque Cupidinis arma, Discentur numeri, culte Tibulle, tui.* — *Et mundus victus*] Cfr. Sat. 2, 2, 53 et 65. Cic. de Offic. 1, 130. Corn. Nep. Att. 13, 5: *Omni diligentia munditiam, non affluentiam affectabat.* Adiect. *mundus* est *καθάριος*, *purus* potius *καθαρός*. — *crumena*] „sacculo nummario.“ SCHOL. Cfr. Iuven. 11, 38: *Quis enim te deficiente crumena Et crescente gula manet exitus?*

12—14. *Inter spem* cet.] Addit *γνώμην* s. locum communem, quo tamen nequaquam reprehendit amicum, ut opinati sunt interpretes morosiores. Est descriptio vitae humanae, quae ex natura nostra variis affectibus semper agitatur, ut in mortalibus omnibus, sic etiam in Tibullo, homine quamvis tranquillo neque supervacaneae opulentiae cupido. „*Spes* est futurorum bonorum, *cura* praesentium; *timor* futurorum malorum, *ira* seu dolor praesentium.“ COMM. CRUQ. — *diluxisse*] Est Graecorum *ὑπεμφαίνεσθαι*. In prosa oratione sane usitatius esset *illuxisse*, unde Muretus archaismo in Horatio minime tolerabili volebat *tibid illuxisse*. Ceterum hanc sententiam ita expressit Seneca Epist. 15 extr.: *Ecce hic dies ultimus est: ut non sit, prope ab ultimo est.* — *Grata superveniet* cet.] Plut. de tranq. an. 16: *Ὁ τῆς αὔριον ἥκιστα δεόμενος, ὥς φησιν Ἐπίκουρος, ἥδιστα προσεισι πρὸς τὴν αὔριον.* Terent. Phorm. 251: *Quidquid praeter spem eveniet, omne id deputabo esse in lucro.* — *superveniet*] „insuper atque inexspectata tibi adveniet.“ Cf. Ep. 2, 2, 176: *heres velut unda supervenit undam.*

15. 16. *Me pinguem* cet.] „Haec ipsa praecepta strenue me sequi, sicubi ex regione Pedana in Urbem veneris, videbis vel ex facie mea.“ Sueton. Vit. Horat.: *Habitu corporis brevis fuit atque obesus.* — *nitidum*] propter ipsam pinguedinem. Sat. 2, 2, 128. — *curata cute*] Ep. 1, 2, 29. — *porcum*] Innocenter iocatur in semet ipsum.

Cum ridere voles Epicuri de grege porcum.

EPISTULA V.

Si potes Archiacis conviva recumbere lectis
Nec modica cenare times olus omne patella,
Supremo te sole domi, Torquate, manebo.
Vina bibes iterum Tauro diffusa palustris

Comparatione ista petita *a pecude, cui animus datus est pro sale, ne putescat* (Cic. de fin. 5, 38), invehi solebant Stoici in adversarios suos. Cic. Pison. 37: *Epicure noster, ex hara producte, non ex schola.* Atque omnino in talibus liberiores, vel, si mavis, audaciores nobis fuerunt antiqui; sic Cicero se ipse *asinum germanum* vocat ad Att. 4, 5, 3 et Pisonem 73 ita alloquitur: *Quid nunc te, asine, litteras doceam?*

V. Hac epistula invitat poëta amicum ad cenam frugalem sed laetam, quam proxime ante Caesaris Octaviani diem natalem facturus erat, simulque ad hilarem vitae usum excitat. De Torquato vide ad Od. 4, 7. Quo anno haec epistula scripta sit, incertum est. Hoc unum apparet ex v. 4, eam aliquot annis post T. Statilii Tauri alterum consulatum esse compositam. Nonnulli tamen eam referunt ad a. u. c. 734, „quo ipso anno Augusti dies natalis maiore quam antea apparatu et splendore concelebratus esse videtur.“ FRANKE. F. H. p. 204. Conferantur quae ad v. 11 disseruimus. Ceterum de Caesaris dictatoris et de Augusti diebus natalibus scripsit A. W. Zumpt in Supplem. Fleck. VIII.

1-3. *Si potes* cet.] „Si potes hoc abs te impetrare, ut mecum accumbas. cet.“ Cfr. Epod. 9, 14. — *recumbere*] ut Od. 3, 3, 11 idem quod *accumbere.* — *Archiacis*] „simplicibus quidem, sed simul satis elegantibus (a rusticitate certe affectanda abhorrebat Horatius), quales vendere solet Archias“, faber lectarius Romae tunc notus. Cfr. *Soterici lectos* apud Gell. 12, 2, 11. *Pausiaca tabella* Sat. 2, 7, 95. Ante Bentleium fere legebatur *Archaicis:* sed primum hoc vocabulum Latinis vix usitatum fuit, deinde alterum *a* habet longum, ut τροχᾱικός, Achāicus. — *olus omne*] τὸ ἐπιτυχόν, brassicam, betam, cichorea, legumina cet. Sane est λιτότης. Cfr. Sat. 2, 1, 74. — *Supremo-sole*] „itaque negotia tua ad finem perducere poteris.“ Serius aliquanto, quam plerique cenare solebant (hora nona), et demum ad vesperam, sole iam ad occasum vergente: Romanis inter horam undecimam et duodecimam, nobis mense Septembri exeunte sub horam septimam. Cfr. Sat. 2, 7, 33.

4-8. *iterum*] sc. consule. Iul. Capitol. vita Pertin. 4: *quia ille esset iterum, cum Pertinax factus est.* T. Statilius Taurus II. cum Augusto VIII. cos. a. u. c. 728. — *diffusa*] ex doliis in cados, unde *doliari* opponitur vinum *diffusum.* Contra *defunditur* vinum ex cratere in pocula et pateras. Cfr. Sat. 2, 2, 58. Vinum igitur hoc erat sex annorum, pro Italico satis recens, ita tamen, ut in simplici domo sine nimiae parsimoniae ac sordium reprehensione con-

Inter Minturnas Sinuessanumque Petrinum. 5
Si melius quid habes, arcesse; vel imperium fer.
Iamdudum splendet focus et tibi munda supellex.
Mitte levis spes et certamina divitiarum
Et Moschi causam: cras nato Caesare festus
Dat veniam somnumque dies; impune licebit 10

Ep. V. 6. *Si* codices plerique, in his etiam Blandinii, ed. plerique; *Sin* pauci cod. et ed. —

vivis apponi posset. — *Inter* cet.] *Minturnae*, Auruncorum oppidum ad ostia Liris fl., a quo *Sinuessa* distabat IX. M. P. „*Petrinus* mons est Sinuessanae civitati imminens vel ager Sinuessae vicinus.“ COMM. CRUQ. Hodie *Rocca di monte Ragoni*, ex aliorum sententia *Piedimonte*. Sinuessanum autem vinum melioribus adnumerabatur, non tamen optimis, Falerno, Caecubo, Setino, Formiano. (Martial. 13, 111 sqq.) — *Si*] Bentl. recte cum cod. et ex consuetudine Horatii, qui numquam utitur part. *sin*, sed in oppositionibus duplici *si*. Cfr. Ep. 2, 1, 64 seqq. — *arcesse*] „Si quid melius vini habes, per servulum ad me afferendum cura.“ Recte dici *arcessere rem* patet ex Cic. ad Att. 16, 11, 4: *eius librum arcessivi*. — *imperium fer*] „quod in convivas quodammodo exercebat convivii dominus.“ Est igitur: „Vel eo contentus esto, quod ego mea ex apotheca depromendum curabo.“ — *splendet focus*] Lares tali die tergebantur cera, fuligo foci amovebatur. — *tibi*] „in honorem tuum.“

8-10. *Mitte* cet.] „Omissis paullisper negotiis quotidianis Genio indulgeamus.“ Ipse amicum exhortatur, ut illo certe die laetus sit: nec vero in his quidquam reprehensionis inest, quasi Torquatus ipse homo vel vanus vel avarus fuerit. Idem dicit ac Iuvenalis 11, 181: *Sed nunc dilatis averte negotia curis Et gratam requiem dona tibi*. — *levis spes*] Pind. fr. inc. 131: *ἐλπίδες ἐγεγηγορότων ἐνύπνια*. — *Moschi*] „Hic Pergamenus fuit rhetor notissimus, reus veneficii, cuius causam ex primis tunc oratores egerunt, Torquatus hic, de quo nunc dicit, et Asinius Pollio.“ PORPH. Difficilis ea causa propter magnam hominum exspectationem qui eius exitus esset futurus, magnopere cordi fuisse videtur Torquato gloriam ex absolutione rei appetenti. — Caesarem Augustum natum esse constat a. d. IX kal. Octobres. Atqui Romanis aestatis tempora desierunt mense Sextili medio. Itaque alii cogitaverunt de C. Caesaris dictatoris die natali (a. d. IV id. Iul.), alii ex Meinekii coniectura scripserunt v. 11: *Festivam noctem*, L. Müller hunc versum corruptum esse arbitratur. Sed sub caelo Italico illa quoque nox, quae proprie erat autumnalis, dici poterat *aestiva*, ut Calpurn. 1, 1: *Nondum Solis equos declivis mitigat aestas, Quamvis et madidis incumbant prela racemis Et spument rauco ferventia musta susurro*. Atque *medio Septembri* pro „summo aestu“ dixit Iuven. 14, 129 sq. — *veniam*] et propter Augusti natales et quia erat, ut est in Kal. Maff. l. l. p. 398 et p. 407, *N. P.* (= nefastus prior); priore igitur diei parte ius dici a praetore non poterat. Accedebat quod illo anno, quo hanc epistulam scriptam esse verisimile est, ab aedilibus

Aestivam sermone benigno tendere noctem.
Quo mihi fortunam, si non conceditur uti?
Parcus ob heredis curam nimiumque severus
Assidet insano. Potare et spargere flores
Incipiam patiarque vel inconsultus haberi. 15

11. *Aestivam* codices paene omnes; *Festivam* cod. Berolinensis paucique alii, quod receperunt Meineke, Haupt, Vahlen, improb. L. Müller, Keller, Schütz. — 12. *fortunam* Graevianus, Vossianus, Leidensis, Gothanus, AOEφψλ aliique; *fortuna* Rcdγ; *Quid mihi fortuna* Sb.

sollemnia praecipua instituta sunt, qua de re Dio Cassius 54, 8 ad annum 734 narrat: *βουθυσία τέ τις τοῖς γενεθλίοις Αὐγούστου αἴδιος ἐδόθη. καὶ τοῦτο μὲν ἐκ ψηφίσματος ὥσπερ που καὶ τἄλλα ἐγένετο· ἰδίᾳ δὲ δὴ οἱ ἀγορανόμοι ἱπποδραμίαν τε ἐν τοῖς τοῦ Αὐγούστου γενεθλίοις καὶ θηρίων σφαγὰς ἐποίησαν.* — *somnum*] „licebit ergo etiam tibi in multam lucem dormire.“ — *impune*] „sine rei tuae cuiusquam detrimento.“

11-15. *sermone benigno tendere noctem*] „multo et liberali et faceto sermone noctem *extendere* (ut ex gloss. habent codices multi), id est, „transigere, usque ad eius finem exigere.“ — *Quo mihi fortunam, si* cet.] Solita est haec Latinis exclamatio, velut propter loquentis impatientiam ac festinationem omisso verbo *optem*, *quaeram*, simili. *Quo* est dat. antiq. *quoi*, „quorsum.“ Confer Madvig Advers. crit. 1, 68. Vide supra Sat. 1, 6, 24. Cic. ad Fam. 7, 23, 2: *Martis vero signum quo mihi pacis auctori?* Ovid. Am. 2, 19, 7: *Quo mihi fortunam, quae numquam fallere curet?* Ib. 3, 7, 49: *quo mihi fortunae tantum?* Id. A. A. 1, 303: *quo tibi, Pasiphaë, pretiosas sumere vestes?* Eodem pertinet quod Hor. dixit Sat. 2, 7, 116: *unde mihi lapidem?* Ib. 5, 102: *unde mihi tam fortem tamque fidelem?* Eadem constructione usum esse etiam volgum demonstrat volgata interpretatio Isaiae 1, 11: *Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum?* Atque ita etiam Graeci, saltem posteriores. Philippus Anthol. Palat. II. p. 416: *Ποῖ γὰρ ἐμοὶ ζητεῖν, τίνας ἔδραμεν ἥλιος οἴμους;* Ceterum *fortuna* ponitur pro plur., neque legendum cum Mureto et Lambino *fortunas*. Sic apud Ovid. Am. 3, 7, 49. Corn. Nep. Att. 21, 1: *cum--ad extremam senectutem non minus dignitate quam gratia fortunaque crevisset (multas enim hereditates--consecutus est) tantaque prosperitate usus esset* cet. — *heredis*] Cfr. Od. 4, 7, 19. — *Assidet insano*] „Quasi consulto locum occupat insano proximum, ideoque ei *παραπλήσιος*, simillimus est.“ Hac tropica significatione videtur *ἅπαξ λεγόμενον*, formatum ad analogiam v. *dissidere ab aliquo*. Antiphanes apud Stob. Tit. 99, 27: *Λύπη μανίας ὁμότοιχος εἶναί μοι δοκεῖ.* Cic. de rep. 1, 44: *illi regi--amabili, Cyro, subest--crudelissimus ille Phalaris.* — *spargere flores*] „His verbis non tam communis in compotatione flores inspergendi mos indicatus esse videtur, quam si, quo potatores irrigui fere mero et madidi vel coronas, quibus erant cincti, interdum deripiebant vel flores mensis iniectos ludibrii causa spargebant.“ OBBAR. — *Incipiam*] „Laetitiae effusae ac vere convivalis ego vobis exemplum praebebo.“ — *inconsultus*] „Qui libe-

Quid non ebrietas designat? Operta recludit,
Spes iubet esse ratas, ad proelia trudit inertem;
Sollicitis animis onus eximit, addocet artis.
Fecundi calices quem non fecere disertum?
Contracta quem non in paupertate solutum? 20
Haec ego procurare et idoneus imperor et non

16. *designat* Lipsiensis, Gothanus, SOφ Porphyrion; *dissignat* Leidensis, Graevianus, Vossianus, Dessauiensis, AERγψλ. — 17. *inertem* Blandinii cum paucis aliis, velut ERS; *inermem* AOγλbcd, Gothanus, Leidensis aliique.

rius et dissolutius se laetitiae tradunt, ipsi se *furere* (Od. 2, 7, 28), *desipere* (Od. 4, 12, 28) velle (*μαινῆναι* Anacr. 13, 12) aiunt." DOERING.

16-20. *Quid non* cet.] Exsultat laetitiae, in quam mox cum Torquato se effusurus sit, exspectatione. — *designat*] *designare* „constituere", deinde: „constitutum exsequi, patrare;" quo usu invenitur apud Plaut. Most. 413. Terent. Ad. 87: *nam illa, quae antehac facta sunt, Omitto: modo quid designavit* (id est, „perpetravit)?" ubi Donatus: „*designare* est rem novam (atque insignem) facere in utramque partem, et bonam et malam." Est igitur: „Confidenter ebrius et sentit et facit, quae siccus vix audeat." — *Operta*] „secretos et veros sensus convivae ipsius, qui alias eos difficulter cum aliis communicaverit." Cfr. Od. 3, 21, 15 sq. Epod. 11, 14. Sat. 1, 4, 89. — *Spes* cet.] „Persuadet nobis numquam fore, ut spes nostrae decipiantur." Aristot. Eth. 3, 11: *τοιοῦτον δὲ ποιοῦσι καὶ οἱ μεθυσκόμενοι· εὐέλπιδες γὰρ γίνονται.* — *inertem*] „alioquin ignavum ac timidum; aptius quam aliorum *inermem*, quia hominis ipsius ingenium vino mutari significat: *inermem esse* contra res fortuita est. Cic. Catil. 2, 10: *quis ferre possit inertes homines fortissimis viris insidiari?* Tac. Hist. 1, 46: *Iners pro strenuo in manipulum redibat.* — *addocet artis*] „dum potores exhilarat eorumque ingenium excitat, efficit, ut artes, poësin imprimis atque eloquentiam, pulchre callere sibi videantur; quin etiam eos ad cantum saltationemque provocat." — *Fecundi*] „copiosi et abundantes, qui semper a pincernis repleantur." — *Contracta*] „arta, angusta." SCHOL. Cfr. Od. 3, 2, 1. — *solutum*] „ab omnibus illis quasi vinculis, quibus curae nos onerant." Bene potus enim malorum, quibus alias premitur, omnium obliviscitur; ut Cic. Verr. Accus. 2, 185: *animo semper soluto liberoque erat.* — Diphilus apud Athen. 2, 2: *Ὦ πᾶσι τοῖς φρονοῦσι προσφιλέστατε Διόνυσε καὶ σοφώταθ', ὡς ἡδύς τις εἶ, Ὃς τὸν ταπεινὸν μέγα φρονεῖν ποιεῖς μόνος, Τὸν τὰς ὀφρῦς αἴροντα συμπείθεις γελᾶν, Τόν τ' ἀσθενῆ τολμᾶν τι, τὸν δειλὸν θρασεῖν·* quae Grotius Horatianis verbis usus sic in Latinum convertit Excerpt. Tr. p. 797: *O vere sapiens ac merito sapientibus Amicum Liber numen, quam multum iuvas! Tu namque solus cornua addis pauperi: Ingenio duro lene tormentum admoves, Suppeditas arma inermi, timido audaciam.*

21-25. *ego procurare*] Hoc dicit: „me ipso inspectante servus structor mensam, ut decet, apparabit." Pendet autem v. *procurare*

Invitus, ne turpe toral, ne sordida mappa
Corruget naris, ne non et cantharus et lanx
Ostendat tibi te, ne fidos inter amicos
Sit qui dicta foras eliminet, ut coëat par 25
Iungaturque pari. Butram tibi Septiciumque,
Et nisi cena prior potiorque puella Sabinum
Detinet, assumam; locus est et pluribus umbris:
Sed nimis arta premunt olidae convivia caprae.

et a v. *idoneus* (ad providenda omnia, *ἐπιτήδειος οἰκονομεῖν*) et a v. *imperor*. — *imperor*] „Omnia, quae requirit boni ac laeti convivatoris officium, ego profecto accurate praestabo, veluti si alius, cui ius esset me talia iubendi, id me facere iussisset.“ Iocose hoc dici cuivis manifestum est. Ceterum *imperor* pro *imperatur mihi* dixit ex consuetudine Graeca et ad analogiam v. *iubeor*. Cfr. A. P. 56: *invideor*. — *turpe toral*] Vid. ad Sat. 2, 4, 84: *inluta toralia*. — *mappa*] Cfr. Sat. 2, 8, 63. — *Corruget*] Quintil. 11, 3, 80: *Naribus labrisque--derisus, contemptus, fastidium significari solet. Nam et* corrugare nares, *ut Horatius ait, et inflare--indecorum est*. — *ne non* cet.] „ut pocula et patinae argenteorum speculorum instar splendeant.“ — *eliminet*] „extra limen domus meae cum exierit, propter garrulitatem temere divolget convivarum sermones.“ — *coëat par* cet.] Plato Sympos. p. 105 B: *ὁ παλαιὸς λόγος εὖ ἔχει, ὡς ὅμοιον ὁμοίῳ* (*κατὰ τὸ θεῖον* his ipsis verbis inserit Aristaenetus 1, 10) *ἀεὶ πεγάζει*.

26. 27. *Butram-Septiciumque*] sodales Torquati et Horatii nobis ignotos. Butra Horatianus ex eodem genere facetorum hominum fuisse putandus est, quo *Mulvius et scurrae* Sat. 2, 7, 36, quibuscum animi causa interdum libere iocabatur, eos eadem opera cibans. *Q. Septicius eques Ro.* est etiam apud Cic. Verr. Accus. 3, 36. — *cena prior*] „ad quam prius quam ad meam fortasse invitatus est.“ — *puella*] „sive cenare hodie mavolt cum amica quam nobiscum.“ — *Sabinum*] Sabinum hunc alii volunt esse A. Sabinum, Ovidii amicum (Am. 2, 18, 27), cui olim tribuebant tres Heroides Ovidianis plerumque subiunctas, re vera autem compositas demum circiter a. 1467 ab Angelo Quirino Sabino, grammatico Italo, alii Sabinum Tironem, qui librum Cepuricôn Maecenati dicavit. (Plin. H. N. 19, 10, 57.) Verum certi definiri nihil potest.

28-31. *pluribus umbris*] „convivis a convivatore non invitatis, sed quos qui invitati sunt interdum secum ducunt.“ Cfr. Sat. 2, 8, 22. *Plures* autem dicit ad summum quattuor, quibus solitus novenarius convivarum numerus expletus sit. Varro apud Gell. 13, 11, 2 dicit convivarum numerum incipere a Gratiarum numero et progredi ad Musarum. — *Sed nimis*] „Nolim tamen nimius sit umbrarum tuarum numerus, ne cum arte accumbere cogamur, foetor alarum, quem *caprum* (Catull. 69, 6 et Ovid. A. A. 3, 193: *Quam paene admonui, ne trux caper iret in alas!*) et *hircum* (Epod. 12, 5. Sat. 1, 2, 27) vocabant, nobis molestus fiat.“ Locus nobis haud nimis gratus risum movebat Romanis. Atque omnino delecto gen.

Tu quotus esse velis rescribe et rebus omissis 30
Atria servantem postico falle clientem.

EPISTULA VI.

Nil admirari prope res est una, Numici,

fem. *olidae caprae* putidam rem aliquantum mitigavit ipse Horatius. — *Tu--rescribe*] „Quocirca rescribe, quot cum comitibus ad cenam meam venturus sis.“ SCHOL., quo omnia, uti decet, praeparari possint. Martial. 14, 217: *Dic, quotus et quanti cupias cenare.* — *rebus*] „negotiis iuris civilis ac litibus.“ — *falle clientem*] Iocosa epistulae clausula: „clam subtrahe te clienti qualicumque (non solum Moscho illi), qui vel sub solis occasum, hora minime opportuna, te de causa sua consulere eamque te docere cupit, atque atrium domus tuae *servat*, id est, ibi sedet (Taciti Dial. 12: *sedente ante ostium litigatore.*) vel ambulat, anxie explorans, sicubi tute appareas vel etiam ostiarius aliquis, per quem ad te admittatur, per ostium *posticum* (*ψευδόθυρον* sive *παραθύραν* in posteriore aedium parte) evadens.“ Verg. Aen. 1, 567: *limina Vestae Servantem-Tyndarida.*

VI. De argumento vide Excursum.

1. 2. *Nil admirari*] A ridiculis Horatii obtrectatoribus haec verba data opera in deteriorem partem explicari solent, quasi exhaustis corporis viribus et vitae taedio captus suam *ἀναισθησίαν* Numicio commendans in ea proruperit; sed nihil profecto aliud fecit, nisi ut repeteret antiquam Graecorum doctrinam, quae primum potissimum eo spectabat, ut *φαινόμενα* priscis mortalibus terrorem incutere solita rectius explicaret perterritosque tranquillaret, deinde (in quo elaborabant et Epicurus et Stoici) ut praeterea partim ad nimiam bonorum externorum appetitionem moderandam divitiasque despiciendas, partim ad omnis generis timores forti animo abiciendos graviter exhortaretur. Archilochus 25 (Bgk.): *Οὔ μοι τὰ Γύγεω τοῦ πολυχρύσου μέλει, Οὐδ' εἰλέ πώ με ζῆλος, οὐδ' ἀγαίομαι Θεῶν ἔργα, μεγάλης δ' οὐκ ἐρέω τυραννίδος· Ἀπόπροθεν γάρ ἐστιν ὀφθαλμῶν ἐμῶν.* Polystratus in Vol. Hercul. IV. p. 14: *Ποιεῖ δὲ ἡ φυσιολογία τὸν νοῦν καταγινώσκειν τὰ φυσικὰ πάντα, ἀφ' οὗ τὴν πᾶσαν ὑποψίαν μάταιον ἀφαιρεῖ.* Idem ibid. pag. 43: *Ἐκ γὰρ ταύτης (τῆς φυσιολογίας) μόνης τὸ θαῤῥεῖν βεβαίως καὶ ἀμεταπτώτως γίνεται, καὶ καταφρονεῖν πάλιν καὶ γελᾶν ἀληθινῶς ἐπὶ τοῖς ἀβελτέρως καὶ κενῶς ὑπὸ ἀνοήτων λεγομένοις.* Plut. de audiendo 13: *Ἐκεῖνος* (Pythagoras) *ἐκ φιλοσοφίας ἔφησεν αὐτῷ περιγεγονέναι τὸ μηδὲν θαυμάζειν.* Democritus in Orellii Opp. sent. I. p. 94: *Σοφίη ἄθαμβος ἀξίη πάντων, τιμιωτάτη οὖσα.* Longe autem diversus est neque opponi debet ille, qui nos incitat ad rerum causas investigandas, *θαυμασμὸς φιλόσοφος* Platonis Theaet. p. 155. D.: *μάλα γὰρ φιλοσόφου τοῦτο τὸ πάθος τὸ θαυμάζειν· οὐ γὰρ ἄλλη ἀρχὴ φιλοσοφίας ἢ αὕτη.* — *prope*] „σχεδόν,“ quo addito sententiam *παράδοξον* aliquanto mitigat, prorsus ut Sat. 1, 3, 98: *utilitas iusti prope mater et aequi.* — *Numici*] „Nota gens Numicia, e qua

Solaque, quae possit facere et servare beatum.
Hunc solem et stellas et decedentia certis
Tempora momentis sunt qui formidine nulla
Imbuti spectent. Quid censes munera terrae, 5
Quid maris extremos Arabas ditantis et Indos
Ludicra, quid plausus et amici dona Quiritis,

Ep. VI. 5. *spectent* cod. plerique, *spectant* perpauci.

consul T. Numicius Priscus cum A. Verginio Tricosto a. u. c. 284, dicta a Numico s. Numicio, Latii flumine." TORRENT. — *una Solaque*] *unus* alios non excludit, sed unum ponit praecipuum; *solus* contra omnes alios excludit.

3. 4. *Hunc solem*] δεικτικῶς, „quem omnes admiramur." — *certis-momentis*] „motibus semper aequalibus, circuitu fixo Cic. de N. D. 2, 155: *Circuitus solis et lunae, reliquorumque siderum -- spectaculum hominibus praebent: nulla est enim insatiabilior species, nulla pulchrior.* Solis lunaeque defectus, fulgura, tonitrua, aliaque μετέωρα, quae mortales perterrefaciant, hic significari videntur. Cfr. Democriti locum apud Sextum Emp. 9, 24, ubi, ut consentaneum erat, nominantur formidolosa illa: *ὁρῶντες τὰ ἐν τοῖς μετεώροις παθήματα οἱ παλαιοὶ τῶν ἀνθρώπων, καθάπερ βροντὰς καὶ ἀστραπάς, κεραυνούς τε καὶ ἄστρων συνόδους, ἡλίου τε καὶ σελήνης ἐκλείψεις, ἐδειματοῦντο, θεοὺς οἰόμενοι τούτων αἰτίους εἶναι.* Liberi sunt igitur philosophi veri omnes (nam non de solis Epicureis agit) ab iis timoribus, quos popello superstitioso incutere solet rerum caelestium conspectus. (*Formidinem* intellige religiosam: ut Lucret. 5, 1218: *Praeterea cui non animus formidine divum Contrahitur --?* Tac. Germ. 39: *silvam -- prisca formidine sacram.* Val. Flacc. 2, 431: *Electria tellus* (Samos) *Threïciis arcana sacris; hic numinis ingens Horror.*

5-8. *quid censes* cet.] „Multo minus etiam sapiens ea, quae statim memorat, solet admirari." Ad sententiae conformationem cfr. Cic. de lege agr. 2, 45: *Quid censetis, -- quo periculo miseras nationes futuras?* de Off. 2, 25: *Quid enim censemus, -- Dionysium, quo cruciatu timoris angi solitum?* Solita est igitur consuetudinis formula, qua ei, ex quo aliquid quaerimus, acrius instamus, quam si v. c. languidius sic interrogemus: „Quo periculo miseras nationes futuras censetis?" et breve spatium meditandi quid respondeat ei concedimus, nostrum tamen ea de re iudicium aut clare proponimus, aut saltem significamus, ut hic: „admirabilia non esse." — *munera terrae*] aurum, argentum, marmor. — *maris*] munera, margaritas, purpuram. — *extremos*] ut Od. 1, 35, 29: *ultimos Orbis Britannos.* Praeterea cfr. Od. 3, 24, 1: *Intactis opulentior Thesauris Arabum et divitis Indiae.* Ceterum meliores codices h. l. ut Od. 1, 35, 40 *Arabas*, pauci *Arabes.* — *Ludicra*] Male non nulli interpretes (etiam Orellius) ludos publicos, Circenses et gladiatorios significari putabant. Neque enim apud Livium aut Tacitum hic usus invenitur, nisi quod Livius singulari numero Graecorum ludos Olympiorum, Isthmiorum, vel *edito ludicro omnis generis* (45,

Quo spectanda modo, quo sensu credis et ore?
Qui timet his adversa, fere miratur eodem,
Quo cupiens pacto: pavor est utrobique molestus, 10
Improvisa simul species exterret utrumque.
Gaudeat an doleat, cupiat metuatne, quid ad rem,
Si, quidquid vidit melius peiusve sua spe,
Defixis oculis animoque et corpore torpet?
Insani sapiens nomen ferat, aequus iniqui, 15

11. *exterret utrumque* maior codicum pars, unde vitia orta sunt *exterrit utrumque, exterruit utrum; exercet* Markland cum duobus cod., *externat* Fr. Iacobs coniecit, probavit Lachm. ad Lucr. 4, 1024, receperunt Meineke, Linker, Haupt, Vahlen, L. Müller. — 13. *peiusve* paene omnes cod. et ed., *peiusque* Vossianus, Meineke, Haupt, Vahlen, *peiusne* Graevianus et R paucique.

33, 1) significat et Horatius (ut Liv. 45, 32, 8 *ab seriis rebus ludicrum*) ceteris locis ludicrum graviori opponit: Ep. 1, 1, 10. 2, 1, 180. Itaque Madvigio (Advers. crit. 2, 62) et L. Müller (lect. Horat. 709) assentior, qui *ludicra* h. l. quisquilias, res nullius momenti, francogallice *des bijoux*, germ. *spielsachen* declarare et ad versum superiorem referendum esse aibitrantur. Quod autem v. 8 Müller cum A. Nauckio delendum esse censet, mihi non persuasit. — *Quo spectanda modo*] id est, quae moderatio in eis spectandis tenenda sit. *ore*] „voltu et oculis." SCHOL.

9-14. *fere*] *ὡς ἔπος εἰπεῖν, σχεδόν*. Plato Legg. I. p. 644. A.: *οἵ γε πεπαιδευμένοι σχεδὸν ἀγαθοὶ γίγνονται* — *miratur*] „Stupet;" etiam in malis, ut Lucan. 2, 27: *Necdum est ille dolor, sed iam metus; incubat amens Miraturque malum.* — *pavor*] Cic. Tusc. 4, 19: *pavorem, metum mentem loco moventem:* quemadmodum novimus hereditate aliqua inexspectata vel publica pecuniae sortitione subito ditatos interdum linqui animo. — *utrobique*] „et in timore amittendi et in spe consequendi, ex quibus aut dolor aut gaudium contingit." COMM. CRUQ. — *species*] Seneca de Ira 2, 1, 3: *Iram quin species oblata iniuriae moveat, non est dubium.* — *exterret*] *ἐκπλήττει*. Cic. Tusc. 4, 19: *terrorem, metum concutientem.* Iam non sine arte per totum locum utitur vocabulis mediis et cupidini et metui aeque convenientibus; nam etiam qui vehementer cupit, necopinata boni specie subito oblata *exterretur*, concutitur: eius mens ex sede sua et statu demovetur. Ita Liv. 7, 39: *insignia honoris exterrito subitae rei miraculo deferunt.* — *spe*] Spes est opinio cuiuslibet rei futurae. — *Defixis oculis*] non „demissis et deiectis", ut opinatur Torrentius, sed immobilibus, stupidis." Externum stuporis signum nominat, quo totius hominis (*animoque et corpore*) affectio sese prodit.

15. 16. *Insani* cet.] Sententiae sic nectuntur: „Neque id, quod dixi, de rebus externis dumtaxat valet. Quid, quod etiam ipsius virtutis studium nimis ardens omnemque modum excedens, quod affectant Stoici, iusta reprehensione stultitiae atque nescio cuius in alios iniquitatis non caret? Nam, ut ait

Ultra quam satis est virtutem si petat ipsam.
I nunc, argentum et marmor vetus aeraque et artis
Suspice, cum gemmis Tyrios mirare colores;
Gaude, quod spectant oculi te mille loquentem;
Navus mane forum et vespertinus pete tectum, 20
Ne plus frumenti dotalibus emetat agris
Mutus et (indignum, quod sit peioribus ortus)

16. *petat* codicum maior pars, *petet* AOγbcd, Lipsiensis, Gothanus, duo Blandinii, *petit* S. — 20. *Navus* cod. plerique, in his Blandinii, *Gnavus* Lipsiensis cum paucis, recep. Bentleius (sed in curis novissimis *Navus* scribi iubet), Obbarius, Ribbeck. — 22. *Mutus et* cod. paene omnes, in his Blandinii, *Mucius* pauci incertae auctoritatis.

Cic. Tusc. 4, 55: *Studia vel optimarum rerum - - sedata tamen et tranquilla esse debent.*" — *aequus iniqui*] quia talis homo haud raro nimis severe atque iniuste de aliis iudicat.

17-23. *I nunc* cet.] Argumentum a maiore ad minus. „Quodsi ne virtus quidem nimio studio appetenda est, nihil profecto est quod viliores res tantopere secteris, quod argentea et aënea artificia conquiras, quod laudem oratoriam appetas, quod quaestui per totum diem inhies, ne alius quis obscuro fortasse loco natus, uxoris dote i. e. sine ullo suo negotio te ditior sit." DILLENB. Formula autem *i nunc* (ut bene monuit Lambinus) concessio est dissimulationis et irrisionis plena, qua utuntur Latini, cum vel a re quapiam deterrent vel aliquid improbant vel fieri non posse significant, ut Ep. 2, 2, 76: *I nunc et versus tecum meditare canoros.* Verg. Aen. 7, 425: *I nunc, ingratis offer te, irrise, periclis.* Iuven. 6. 306: *I nunc et dubita.* 12, 57: *I nunc et ventis animam committe.* Similiter iam Hom. Il. Γ 432: *Ἀλλ' ἴθι νῦν προκάλεσσαι Ἀρηΐφιλον Μενέλαον.* — *argentum*] factum, imprimis caelatum. — *marmor vetus*] anaglypha et statuas ab egregiis meliorum temporum inde a Pericle ad Alexandrum M. artificibus confectas. Adiectivum *vetus* etiam cum v. *argentum* iungit Obbarius; pluris enim aestimabatur *argentum vetus* (Iuven. 1, 76), quam caelaturae aetatis Horatianae. — *aera*] vasa praesertim Corinthia. Cfr. Od. 4, 8, 2. — *artis*] cetera artificum opera illustria (ut Od. 4, 8, 5), quo vocabulo significat etiam tabulas pictas. — *cum gemmis* cet.] „Admirare et gemmas et dibapha." V. *gemmis* complectitur et lapides pretiosos, maxime vel incisos vel anaglyphos, et uniones. — *Tyrios-colores*] „vestem stragulam purpuream." Cfr. Sat. 2, 4, 84. Eadem coniungit Verg. Ge. 2, 506: *Ut gemma bibat et Sarrano dormiat ostro.* — *Navus mane* cet.] Plerique homines negotiis gestis sub meridiem domum redisse videntur: hic vero lucri praeter modum cupidus vesperi demum domum reverti iubetur. — *vespertinus*] Cfr. Epod. 16, 51. — *Ne plus* cet.] „Naviter corripe undique pecunias, ne Mutus ille, cui invides, ditior sit te, cum partim opes suas non assiduitati neque sollertiae, sed tantummodo coniugis doti, id est, caeco casui debeat, partim (de qua re iure indignaris) tenuiore loco sit ortus." — *Mutus*] homo ignotus; fictum esse nomen non credo. P. ALBVTIVS P. F. MVTVS est apud

Hic tibi sit potius quam tu mirabilis illi.
Quidquid sub terra est, in apricum proferet aetas,
Defodiet condetque nitentia. Cum bene notum 25
Porticus Agrippae et via te conspexerit Appi,
Ire tamen restat, Numa quo devenit et Ancus.
Si latus aut renes morbo temptantur acuto,

24. *proferet* Dessauiensis, Vossianus, Monacensis E, Einsidl., *v*bcorr., ceteri *proferat* vel *profert*. — 26. *Agrippae et* Leidensis, Graevianus, Vossianus, Einsidlensis, *φψιν*, Porphyr., *Agrippae via* plerique.

Grut. 302, 1. — *emetat agris*] nunc ἅπαξ λεγόμενον, „metat ex agris." Cfr. Sat. 2, 2, 77: *cena desurgere.* 105: *emetiris acervo.* Sat. 1, 4, 32: *summa deperdere.* — *indignum*] exclamatio ex invidi persona. Sic Ovid. Am. 1, 6, 1. Met. 5, 37. — *peioribus ortus*] id est, „obscurioribus quam tu parentibus." Pers. 6, 14: *Etsi adeo omnes Ditescant orti peioribus, usque* cet. — *mirabilis*] ζηλωτός, „dignus quem admirere." Respicit ad v. 1: *Nil admirari.*

24-27. *Quidquid* cet.] Sententiarum nexus: „Verum in hoc immoderato lucri studio id quoque solent oblivisci plerique, fluxa et caduca omnia esse, quae volgus pro summis bonis habet. Atque ut continuo novae hominum aetates oriuntur et ex terrae gremio novae semper opes effodiuntur rursusque pereunt, sic qui nunc vivunt, mox occident, quae nunc splendent et magnifica ducuntur, brevi obscurabuntur et interibunt. Hoc tu numquam obliviscere, ut a morbo illo opes corradendi liber maneas. Moriendum tibi est, si aequales tui te vel maxime suspexerint." Soph. Aiax 646: *Ἄπανθ' ὁ μακρὸς κἀναρίθμητος χρόνος Φύει τ' ἄδηλα καὶ φανέντα κρύπτεται.* M. Antoninus 9, 28: *ταὐτά ἐστι τὰ τοῦ κόσμου ἐγκύκλια, ἄνω κάτω, ἐξ αἰῶνος εἰς αἰῶνα. --Ἤδη πάντας ἡμᾶς γῆ καλύψει· ἔπειτα καὶ αὐτὴ μεταβαλεῖ.* — *in apricum*] „in apertum." PORPHYR. — *bene notum*] quia quotidie fere ibi te ambulantem vident cives tui. — *Porticus Agrippae*] Porticus Neptuni s. Argonautarum a M. Agrippa a. u. c. 729 exstructa et picturis rerum ab Argonautis gestarum exornata. (Dio Cass. 53, 27.) Sub hac frequenter deambulabant Romani. — *Agrippae et via*] Unicum hoc *ae* diphthongi elisae in epistulis exemplum, quod tamen facile excusatur nomine proprio. Nam quod omissum est in nonnullis codicibus illud *et*, asyndeton minus videtur elegans: cf. Od. 3, 4, 78: *nequitiae additus.* — *via--Appi*] Epod. 4, 14. Sat. 1, 5, 6. Frequentabatur semper a divitibus in villas suas per Campaniam sitas commeantibus. — *Numa--Ancus*] ii inter reges, quorum cara Romanis nomina velut in proverbium abierant. Ita Lucret. (3, 1025) Enniano utitur: *Hoc etiam tibi tute interdum dicere possis: 'Lumina sis oculis etiam bonus Aucu' reliquit.'* Vid. ad Od. 4, 7, 15.

28. 29. *Si latus aut renes* cet.] Sententiarum nexus hic est: „Quemadmodum, ubi corporis morbo temptaris, remedia tibi quaerenda sunt, quae valetudinem restituant: sic ubi intellexeris solam virtutem ducere ad recte beateque vivendum, hanc strenue sectare. Contra si summum bonum in externis rebus positum putas, sive in divitiis

Quaere fugam morbi. Vis recte vivere (quis non?):
Si virtus hoc una potest dare, fortis omissis 30
Hoc age deliciis. Virtutem verba putes et
Lucum ligna: cave ne portus occupet alter,
Ne Cibyratica, ne Bithyna negotia perdas;
Mille talenta rotundentur, totidem altera, porro et

31. *putes* Graevianus, Vossianus, Reginensis Bentleii, tres Blandinii, Parisinus A paucique, Bentley, Haupt, Vahlen, *putas* cod. maior pars, Orelli, L. Müller, O. Keller. — *et* cod. paene omnes, *ut* pauci deteriores.

(vv. 31-48), sive in honoribus et gratia populari (vv. 49-55), sive in victu quam lautissimo (vv. 56-64), sive in amoribus (vv. 65-67), agedum has res amplectere." — *latus aut renes*] *πλευρῖτις ἢ νεφρῖτις*. Idem versiculus est Sat. 2, 3, 163, quapropter eum hoc loco delendum censet C. F. Hermannus in Progr. Marburg. 1838. p. 15. At satis defenditur membro *παραλλήλῳ vis recte vivere;* ut taceam, eo sublato nimis abrupta illa fore: *Quaere fugam morbi.*

30-33. *omissis - - deliciis*] *μὴ θρύπτου*. „Renuntiandum est voluptatibus harumque desiderio occulto; neque umquam lamentandum, duram vivendi rationem a te electam esse." — *Hoc age*] „uni virtuti fortiter stude." Vid. ad Sat. 2, 3, 152. — *Virtutem verba putes* cet.] Eadem omissio particulae *si* est Epist. 2, 2, 201: *Non agimur tumidis velis aquilone secundo*, et alibi haud raro. Scripsimus cum optimis codicibus *verba putes;* nam de priore sententia nemo dubitat: Si vis recte vivere-et quis non volt? — (*εἴπερ βούλει-*) hoc age; sed si putes (*ἐὰν δὲ νομίζῃς*) cet. — *verba*] Ultima Bruti vox apud Dionem 47, 49: *Ὦ τλῆμον ἀρετή, λόγος ἄρ' ἦσθ'· ἐγὼ δέ σε ὡς ἔργον ἤσκουν, σὺ δ' ἐδούλευες τύχῃ*. Cfr. Cic. Tusc. 5, 119. Ep. 1, 17, 41: *Aut virtus nomen inane est, Aut decus et pretium recte petit experiens vir.* — *putes et*] Haec lectio melius mihi visa est exprimere sermonem ipsum hominis, qui et doctrinas *ἠθικὰς* et religiones publicas aeque neglegit ac deridet: „Virtutem verba puto *et* similiter lucum ligna:" quam si comparatione (*ut*) ipse uteretur. — *occupet*] „praeoccupet." Cfr. Od. 2, 12, 28. Liv. 1, 14: *bellum facere occupant.* — *alter*] Cfr. Sat. 1, 1, 40.

33-36. *Ne Cibyratica* cet.] „Simul ac mare apertum est, alios praeveniens ad mercaturam exercendam (nam de mercatore hic agitur, non de negotiatore) naviga Cibyram magnam (urbem Phrygiae magnae, propter ferramenta celebratam. Strabo 13, p. 651: *Ἴδιον δ' ἐστὶν ἐν Κιβύρᾳ τὸ τὸν σίδηρον τορεύεσθαι ῥᾳδίως*.), atque in Bithyniam, quo ante aemulos appulsus optimas quasque merces pretio quam minimo coëmas. Hac diligentia semper adhibita tandem eo pervenies, ut locupletissimus fias." Ad triplex *ne* cfr. item triplex *si* Ep. 1, 17, 6. — *perdas*] „ne tum demum illuc pervenias, cum negotia quaestuosa, ab aliis tibi praerepta, gerere iam non licet." — *Bithyna negotia*] Vid. ad Od. 3, 7, 3: *Thyna merce beatum.* — *Mille talenta*] paene idem quod 5,000,000 m. germ., conf. Hultsch Metrol. pg. 252 [2]. — *rotundentur*] „compleantur." Omne enim, quod rotundum est, ab omni parte plenum est ac perfectum. (Ad ipsius millenarii

Tertia succedant, et quae pars quadret acervum. 35
Scilicet uxorem cum dote fidemque et amicos
Et genus et formam regina Pecunia donat,
Ac bene nummatum decorat Suadela Venusque.
Mancipiis locuples eget aeris Cappadocum rex:
Ne fueris hic tu. Chlamides Lucullus, ut aiunt, 40

35. *quadret* Vossianus, Graevianus, Leidensis, Dessauiensis, Εφυλ paucique alii, prob. Bentley, Meineke, Haupt, Vahlen, L. Müller, Ribbeck, Lehrs; ceteri, in quibus AORSbcγ. *quadrat* rec. Orelli, Keller.

numeri perfectionem refert Torrentius et Obbarius. Non recte, puto; immo dictum est, ut Petron. 76: *uno cursu centies sestertium corrotundavi.* — *porro*] Iunge cum vv. *et tertia*; non, ut volunt alii, cum v. *altera.* — *succedant*] „ad duo priora paulatim accedant.“ — *quadret acervum*] „efficiat, ut quattuor milia talenta habeas.“ Ceterum v. *quadrare* raro propriam et primam significationem servat, sed plerumque transitive est „apte complere, absolvere,“ intransitive „congruere, convenire, consentire.“ Hoc quidem loco *quadrare* positum est *callida iunctura* per *ἀντίθεσιν* cum v. *rotundare.*

36-38. *Scilicet uxorem*] Iam *κατ' εἰρωνείαν* enumerat commoda, quae pecunia praebere soleat. — *fidem*] in rebus pecuniariis, *Credit.* Iuven. 3, 143: *Quantum quisque sua nummorum servat in arca, Tantum habet et fidei* — *Genus* autem *et formam* praestat, quatenus locuples, etsi infimo loco ortus vel sordido quaestu locupletatus, etsi deformis, infans, invenustus, aeque tamen a volgo honoratur et suspicitur ac si generosus, eloquens, pulcher atque venustus esset. — *regina Pecunia*] Ex hoc et talibus iocis desumpta videntur, quae Arnobius 4, 9 et Augustinus de Civ. D. 4, 20 de dea Pecunia ita tradunt, ac si re vera sacella habuisset apud Romanos. Verum *διαῤῥήδην* Iuvenal. 1, 113: *funesta Pecunia templo Nondum habitas; nullas nummorum ereximus aras.* — Dicitur autem *regina* eadem imagine, qua apud Cic. de orat. 2, 187 *a bono poëta dicta est flexanima atque omnium regina rerum oratio.* — *bene nummatum*] Cic. de lege agr. 2, 59: *adolescens non minus bene nummatus quam bene capillatus.* — *Suadela*] *Πειθώ*, Ennio *Suado* (Cic. Brut. 59), *persuadendi dea* Quintil. 10, 1, 82. — *Venus*] hic pro venustate et gratia. Plin. H. N. 35, 10, 79: *deesse illam suam Venerem, quam Graeci Χάριτα vocant.*

39-48. *Cappadocum rex*] Quo tempore haec epistula scripta est, regnabat ultimus, Archelaus, a. u. c. 718-771. Iam de eius decessore Ariobarzane scribit Cicero (a. u. c. 704) ad Att. 6, 1, 4: *Nihil illo regno spoliatius, nihil rege egentius.* Ib. ep. 3, 5: *Ariobarzanes, rex perpauper.* Cui inopiae ita reges illi medebantur, et *mancipia* sua, id est, homines glebae adscriptos, venum darent. Sed rudes hi erant atque pravi. Demodocus in Anthol. Pal. 2, p. 387: *Καππαδόκαι φαῦλοι μὲν ἀεί· ζώνης* (cinguli militaris) *δὲ τυχόντες, φαυλότεροι· κέρδους δ' εἵνεκα φαυλότατοι.* — *hic tu*] „talis, huiuscemodi homo“. ut ep. 1, 15, 42: *Nimirum hic ego sum.* „Tu noli tam pauper esse quam Cappadocum regulus; ergo quovis modo rem quaere: et bellum habes opum exemplum, L. Lucullum dico.“ — *Chlamydes Lucullus* cet.] Lepidam historiam ex

Si posset centum scenae praebere rogatus,
'Quî possum tot?' ait; 'tamen et quaeram et quot habebo
Mittam.' Post paulo scribit sibi milia quinque
Esse domi chlamydum; partem vel tolleret omnis.
Exilis domus est, ubi non et multa supersunt 45
Et dominum fallunt et prosunt furibus. Ergo,
Si res sola potest facere et servare beatum,
Hoc primus repetas opus, hoc postremus omittas.
Si fortunatum species et gratia praestat,
Mercemur servum, qui dictet nomina, laevum 50
Qui fodicet latus et cogat trans pondera dextram

Horatio repetit Plutarchus in Luc. 39., *chlamydum* tamen numerum ad ducenarium redigens. Cfr. etiam O. Ribbeckii de tragoedia Rom. pg. 664. — *scenae*] cum splendidam aliquam pompam vel triumphum in tragoedia histriones imitarentur. Cfr. Ep. 2, 1, 190. — *praebere*] „commodare", ut solebant etiam iis, qui munera gladiatoria edebant, amici suppeditare statuas aliaque circi ornamenta. — *post paulo scribit*] postquam vestiarii earum numerum inierant. — *tolleret*] στρατηγὸς Plutarchi l. l., praetor, qui spectaculum edebat. — *Exilis*] „angusta et inops." Manifesto haec quasi ex divitum opinione κατ' εἰρωνείαν dicuntur. — *Et dominum fallunt*] „εἷς ὃ καὶ Φλάκκος ὁ ποιητὴς ἐπιπεφώνηκεν, ὡς οὐ νομίζει πλοῦτον, οὐ μὴ τὰ παρορώμενα καὶ λανθάνοντα πλείονα τῶν φαινομένων ἐστίν. Plutarch. l. l. — *furibus*] imprimis servis, qui in tali rerum copia facile complura clanculum avertere possunt.

49-51. *species et gratia*] „splendor externus, latus clavus, sella curulis, fasces, nomen ipsum magistratus, quem geris vel gessisti, et aura popularis." Cic. in Pis. 24: *Magnum nomen est, magna species, magna dignitas, magna maiestas consulis.* Cfr. Ep. 2, 1, 203: *Viribus, ingenio, specie, virtute, loco, re Extremi primorum, extremis usque priores.* Tacit. Ann. 4, 6: (primis Tiberii principis annis) *sua consulibus, sua praetoribus species.* — *Mercemur* cet.] „Quodsi igitur honores appetis, omnibus ambitionis artibus utére; quas evidenter ita describit Mamertinus Paneg. Iulian. 16: *Quis ignorat, tum quoque, cum honores populi Romani suffragiis mandabantur, multos fuisse candidatorum labores? Ediscenda omnium nomina; tributim omnes atque etiam singuli salutandi; prehensandae obviorum manus; omnibus arridendum; non solum cum infimis, sed etiam cum ignotis familiaritatis imago simulanda.* — *servum*] nomenclatorem, cuius erat ediscere nomina singulorum prope civium, quo, cum prensaret dominus, unum quemque nomine appellare posset, postquam servus hoc ei *dictasset*, eius auri insusurrasset. Hoc autem vel maxime blandiebatur hominibus tenuioribus, ubi vir nobilis eos etiam praenomine salutaret. Sat. 2, 5, 32. — *laevum--latus*] quod nomenclator ero tegebat. — *fodicet*] Fodicare (id est, saepe et acriter fodere, pungere, vellicare) solebant latus, quo signo attentos redderent de aliqua re monendos, h. l. ut salutarent hunc vel illum

Porrigere: 'Hic multum in Fabia valet, ille Velina;
Cui libet hic fascis dabit eripietque curule
Cui volet importunus ebur.' Frater, Pater adde;
Ut cuique est aetas, ita quemque facetus adopta. 55
Si bene qui cenat bene vivit, lucet, eamus
Quo ducit gula; piscemur, venemur, ut olim
Gargilius, qui mane plagas, venabula, servos

hominem de plebecula. Terent. Hec. 466: LACH. *Dic iussisse te.* PHID. *Noli fodere.* Pseudoplat. Amator. p. 132 B.: *κινήσας αὐτὸν τῷ ἀγκῶνι ἠρόμην.* — *cogat*] „impenso studio iubeat." — *trans pondera*] „ultra aequilibrium corporis, cum periculo cadendi." GESNER. Cfr. Lucret. 2, 218 *corpora cum deorsum rectum per inane feruntur ponderibus propriis*, ubi Lachm. 'pondera propria nihil aliud nisi aequilibrium.' Ovid. Metam. 1, 13: *Nec circumfuso pendebat in aëre tellus Ponderibus librata suis.* Lucan. 1, 57: *librati pondera caeli Orbe tene medio.*

52-55. *Fabia -- Velina*] duae ex XXXV tribubus Romanis. „Homo igitur gratiosus suffragia tribulium suorum tibi conciliabit;" vel, ut aiebant: „tribum suam tibi conficiet." — *Cui libet*] divise: „dabit ei, cui dare ipsi placet;" non iunctim *cuilibet*, „primo cuique." — *hic*] Est utique tertius aliquis plebeius. — *importunus*] „propter morositatem incommodus et inexorabilis". — *curule-ebur*] „sellam curulem, consulatum." Loquitur omnino quasi vetere re publica, et sane per Augusti in Oriente absentiam, praesertim a. u. c. 735, multae turbae maxime in comitiis quaestoriis ortae erant, compressae a C. Sentio consule. Vellei. 2, 92. — *Frater, pater* cet.] Interdum per blanditiam *fratres* appellabant homines aetate sibi aequales, *patres* seniores. Plaut. Rud. 103: PLESID. *Pater, salveto.* -- DAEM. *Quaere, vir, porro patrem. Ego filiolam* [*olim*] *unam habui, eam unam perdidi. Virile secus numquam ullum* [*ego*] *habui.* Capitol. M. Antonin. 18: *Cum--ab aliis modo frater, modo pater, modo filius, ut cuiusque aetas sinebat, diceretur* cet. Spartianus in Did. Iul. 4: *Unumquemque, ut erat aetas, vel patrem vel filium vel parentem affatus blandissime est.* Sic etiam Graeci. Lucian. Menipp. 21. Philonides ad Menippum: *ὦ πατέριον.* — *facetus*] „blande et comiter". — *adopta*] Sic primum quemque tamquam cognatum salutando sibi conciliare festive vocat *adoptare.* Petron. 127: *Habes tu quidem et fratrem -- sed quid prohibet et sororem adoptare?*

56-60. *lucet, eamus* cet.] „Dies illuxit; ergo tempus iam est, ut de ferina carne et piscibus ex macello emendis cogitemus, ut facere solebat Gargilius ille, qui quidem, ut popello imponeret, miro artificio simul uti solebat" cet. Alii quidem vv. *piscemur, venemur* proprie accipiunt, conferentes Nemesiani Cyneg. 324: *Venemur, dum mane novum, dum mollia prata Nocturnis calcata feris vestigia servant.* Verum minus concinna sic videtur simulatae venationis comparatio. Obbarius comparat Petronii 41: *Nihil est melius quam de cubiculo recta in triclinium ire.* — *plagas, venabula*] instrumenta venandis apris. Ad *plagas*, quae firmissimae itaque gravissimi ponderis erant, promovendas iumentis opus erat (vid. Ep. 1, 18, 46),

Differtum transire forum populumque iubebat,
Unus ut e multis populo spectante referret 60
Emptum mulus aprum. Crudi tumidique lavemur,
Quid deceat, quid non, obliti, Caerite cera
Digni, remigium vitiosum Ithacensis Ulixi,
Cui potior patria fuit interdicta voluptas.

63. *Ulixi* EOSGγ, ceteri *Ulixei* vel *Ulixis*.

h, l. mulis. *Venabulum*, gr. *προβόλιον*. Cfr. Verg. Aen. 4, 131: *plagae, lato venabula ferro.* — *Differtum-forum populumque*] „forum differtum populo;“ figura quam ἓν διὰ δυοῖν vocant, ut Eurip. Troad, 1034: ἀφελοῦ πρὸς Ἑλλάδος Ψόγον τὸ θῆλύ τε, i. e. ψόγον τῆς θηλύτητος. Verg. Aen. 1, 61: *molemque et montes insuper altos Imposuit.* — Iuvenis vanissimus sollertis ac divitis venatoris speciem apud populum captans cum magno numero servorum, mulorum, retium, venabulorum venatum ibat. Aliunde non est notus; sed nomen fictum, ut visum nonnullis, pro certo non est. Cfr. Gargilium, Augusti libertum, in Inscr. et Gargilium Martialem, qui de re rustica scripsit. *Transire* autem *populum* recte dici monstrat Catull. 68, 60: *Per medium densi transit iter populi.* Liv. 21, 57: *per effusos -- equites -- transgressus.* — *Unus*] Sane si venatio re vera prospere cessisset, plures muli praeda onusti revertissent; iam vero paucas post horas, pleno etiamtunc hominum foro, redit uno cum apro, eoque empto ab homine, quocum ante constituerat, ut sibi extra portam praestolaretur; id quod spectatores malitiosi divinabant. — V. *populus* autem festive duobus continuis versiculis repetitur.

61-64. *Crudi tumidique*] Saepe cibo nondum concocto gulosi in balneum descendebant, quo rursus famem sibi excitarent; cuius stultitiae tamen haud raro subita morte poenas luebant. Eundem in morem perversum invehuntur Pers. 3, 98. Iuven. 1, 142: *Poena tamen praesens, cum tu deponis amictus Turgidus et crudum pavonem in balnea portas; Hinc subitae mortes atque intestata senectus.* — *Caerite cera*] Gell. 16, 13: *Primos municipes sine suffragii iure Caerites* (incolas oppidi Caere in Etruria a. u. c. 365) *esse factos accepimus, concessumque illis, ut civitatis Romanae honorem quidem caperent, sed negotiis tamen atque oneribus vacarent pro sacris bello Gallico receptis custoditisque; hinc tabulae Caerites* (Horatii *Caeres cera*) *appellatae versa vice, in quas censores referri iubebant, quos notae causa suffragiis privabant.* Huschke *Servius Tullius* p. 532 probat Scholion Comm. Cruq.: „*Caere* oppidum in Italia fuit, quo capta a Gallis urbe sacra Romana cum virginibus translata sunt, quae cum servassent integra, pro eo beneficio Caeritis civitate donati sunt municipesque facti. At posteaquam sunt ausi Romanis rebellare, eis devictis iterumque civitate donatis ius suffragiorum ademptum est, censusque eorum in tabulas relati a ceterorum censibus remoti sunt.“ Cfr. Pseudasconium in Divin. p. 103 ed. Bait. — *interdicta voluptas*] ab Ulixe, cum Solis boves immolarent. Hom. Od. μ 297.

Si, Mimnermus uti censet, sine amore iocisque 65
Nil est iucundum, vivas in amore iocisque.
Vive, vale. Si quid novisti rectius istis,
Candidus imperti; si non, his utere mecum.

65-68. *Mimnermus*] Colophonius, poëta elegiacus, qui Solonis aetate floruit. „Mimnermus elegiarum scriptor fuit, in quadam ecloga Hieronymi sectam commendans qui summum bonum indolentiam, quam Graeci *ἀπονίαν* nominant molestias amoris plus incommodi quam gaudii habere demonstrat.“ PORPHYRION: *Τίς δὲ βίος, τί δὲ τερπνὸν ἄτερ χρυσῆς Ἀφροδίτης; Τεθναίην, ὅτε μοι μηκέτι ταῦτα μέλοι, Κρυπταδίη φιλότης καὶ μείλιχα δῶρα καὶ εὐνή.* Bergk.[4] fr. 1. — *Vive vale*] Solita formula. ut Sat. 2, 5, 110: *vive valeque. ἀσυνδέτως* etiam Sulpic. sat. 69. Auson. epist. 20, 13: *vivit valet.* Plaut. Bacch. 246; *vivont valent* Plaut. Trin. 1075. — *istis*] hic quoque vim suam secundae personae inservientem servat: „his quae tu nunc ipsum legis.“ — *candidus*] „simplici ac sincero animo;“ ut Epist. 1, 4, 1. Isocrates ad Nicocl. § 38: *Χρῶ τοῖς εἰρημένοις ἢ ζήτει βέλτίω τούτων.* Plaut. Epid. 2, 2, 80: *Immo, si placebit, utitor Consilium; si non placebit, reperitote rectius.* — *Si non*] ut Epod. 1, 6 *si contra;* Cicero plerumque verbum repetit uno loco excepto ad fam. 7, 3, 5. Cf. Liv. 28, 29, 4.

EXCURSUS.

Missa est haec epistula ad Numicium quendam, hominem prorsus ignotum, de cuius indole ac moribus vix quidquam ex ipsa elicias, etsi tam multa in ea oculis plus quam lynceis vidit Wielandus, ut facete dixerit Iacobs, Numicii effigiem ab hoc expressam simillimam esse Demi Atheniensium a Parrhasio picti, in quo auctore Plinio (H. N. 35, 10, 36) artifex volebat *omnia pariter ostendere.* Verum et Wielandus et qui eum secuti sunt eo maxime decepti esse videntur, quod interrogatiunculas illas minutas et imperativos Stoicorum viam ac rationem referentes ad ipsum Numicium eiusque mores temere rettulerunt. Id unum fortasse perspicere licet, Numicio, iuveni bona indole praedito (alioquin enim Horatius eum in sodalium suorum numerum non recepisset), consilium dari, ut certum quoddam summum sibi bonum statuat, quod deinde constanter teneat neque in vivendi genere perpetuo nutet, quemadmodum faciunt plerique mortales. Obbarius epistulae argumentum hoc proponit: „Est summum bonum idque positum in ea vivendi ratione, ut perturbationum expers sis, nihil neque cupiens nec timens. Quodsi haec condicio te reddit perfecte beatum, hanc *unam* ceteris studiis omissis sequere virtutem. V. 1—14. Quae si ad bene vivendum non satis posse videbitur, ad *divitiarum* summum bonum te confer et in eo consequendo quasi tabernaculum vitae colloca. V. 15—21. Idem faciendum, cum tibi proposueris tertium quoddam summi boni genus, quod cernitur in *honorum* amplitudine ac splendore (V. 49—55), vel quartum, quod situm est in *vita lauta* mensaeque deliciis. V. 56—64.

Sin magis placuerit aliud summum bonum, quod est in *amore*, huic totum te trade. V. 65. 66. Haec quidem habeo exponere: tu si saniora melioraque scies, me doce; sin minus, utere meis. V. 67. 68.“ „Despicientia rerum externarum via ad bene beateque vivendum est, virtus sola bona expetendaque, alia omnia, quae volgo expeti solent, caduca ac saltem cum vita amittenda neque re vera salubria sunt.“ BRIEGLEB.

EPISTULA VII.

Quinque dies tibi pollicitus me rure futurum,
Sextilem totum mendax desideror. Atqui
Si me vivere vis sanum recteque valentem,
Quam mihi das aegro, dabis aegrotare timenti,
Maecenas, veniam, dum ficus prima calorque 5
Dissignatorem decorat lictoribus atris,

Ep. VII. 3. *vis sanum recteque valentem* AOER cum aliis quibusdam, *recteque videre valentem* Graevianus, Vossianus, Lipsiensis cum aliis; Bentl. in Curis nov. *recteque vigere*. Hunc versum spurium esse putat A. Nauck prob. L. Müller. — 5. *calorque* cod. plerique, *colorque* Blandin. antiquissimus, Dessauiensis, AO. — 6. *Dissignatorem* codices plerique; *Designatarem* pauci, in his AS, Orelli.

VII. De huius epistulae argumento vide Excursum.

1-6. *Quinque dies*] numerus infinitus, non nimis accurate urgendus. Conf. Sat. 1, 3, 16 sq. — *rure*] in Sabino meo, potius quam, ut alii propter v. 45 arbitrantur, in amici alicuius villa Tiburtina. Ceterum non minus recte *rure* esse dicitur, quam *ruri*. — *Sextilem*] Anno demum u. c. 746 hic mensis *Augustus* nominatus est. Dio Cass. 55, 6. — *mendax desideror*] Dedita opera, quo facilius Maecenas sibi ignoscat, tam vehementer ipse se accusat, non quo, ut nonnulli volunt, mendacii culpam amico obiecerit fautor. — *Atqui*] *καίτοι*. „Confiteor: attamen, cum hoc sic se habeat, dabis licentiam cet.“ — *Si me* cet.] sermonis quotidiana formula est reperiturque etiam Ep. 1, 16, 21. Sat. 2, 5, 110: *Vive valeque*. Plauti Trin. 52: *Bene herclest illam tibi valere et vivere*. Bacch. 186: *Vivitne et valet?* Ibid. 189: *vivit et valet*. Terent. Heaut. 430: *Valet atque vivit*. Cic. Acad. 2, 19: *Si* (sensus) *sani sunt ac valentes*. Celsus 1, 1: *Sanus homo, qui et bene valet et suae spontis est, nullis se obligare legibus debet*. — *veniam*] „ut absim hoc mense, quo calores austrini (Verg. Ge. 2, 270, *lo Scirocco*), in causa sunt, ut multi homines moriantur, quocirca ubique in funebres pompas incurrimus.“ — *ficus prima*] „mense Sextili et Septembri maturescens ipsum grave autumni d. XI. m. Aug. incipientis (Voss. ad Verg. Ge. 3, 478) tempus designat.“ OBBAR. Cfr. Sat. 2, 16, 19. — *Dissignatores* mancipes erant et ordinatores funerum, qui pro certa mercede funera curabant adiuti ab administris atratis s. pul-

Dum pueris omnis pater et matercula pallet,
Officiosaque sedulitas et opella forensis
Adducit febris et testamenta resignat.
Quodsi bruma nivis Albanis illinet agris, 10
Ad mare descendet vates tuus et sibi parcet
Contractusque leget; te, dulcis amice, reviset
Cum Zephyris, si concedes, et hirundine prima.

latis, libitinariis minoribus. Cfr. Seneca de Benef. 6, 38, ubi iungit *dissignatores et libitinarios*. Tab. Heracl. ed. Marezoll. p. 53: *neve eum, qui praeconium,, dissignationem* (sic) *libitinamve faciet,--magistratum renuntiato*. Inscr. Lat. Or. N. 3212: *PRAECO. IDEM. DISSIGNATOR*. Quibus ex locis patet scripturam *dissignator* non mediae dumtaxat aetatis scriptoribus librariis deberi, sed antiquitus iam fuisse usurpatam. V. *decorat* autem nescio quid faceti habet pro *stipat*. Ceterum *lictorum*, ut alibi interdum, omnium *apparitorum* generale est nomen; sic in Plauti Poen. Prol. 18 et 19 item iungitur *lictor dissignator*. Cf. Mommsen R. St. R. I² 359.

7-9. *matercula pallet*] „mater indulgentiae plena ac tenera cum patre anxie timet, ne liberi morbis abripiantur.“ — *Officiosaque sedulitas*] „in patronis salutandis atque in forum deducendis, in ceteris amicis, imprimis cubantibus, frequenter visendis“ cet. Adde evidens exemplum Sat. 2, 6, 34: *Ante secundam Roscius orabat sibi adesses ad Puteal cras*. — *opella forensis*] „quotidiana negotia, quibus in foro dumtaxat vacare possumus, tamquam advocati, sponsores, testes.“ Cfr. Sat. 2, 6, 20 sq. — *resignat*] „facit, ut coram testibus aperiri debeant, cum, qui scripserunt, mortem obierint.“ Cfr. Lucian. Tim. 22 de testamento: *ἐπειδὰν τὸ σημεῖον ἀφαιρεθῇ καὶ τὸ λίνον ἐντμηθῇ καὶ ἡ δέλτος ἀνοιχθῇ καὶ ἀνακηρυχθῇ ὁ καινὸς δεσπότης κτλ.*

10-13. *Quodsi*] H. l. temporis condicio. Cfr. Sat. 2, 3, 10. Verg. Aen. 5, 64: *Praeterea, si nona diem mortalibus almum Aurora extulerit*. — *illinet*] Primam hiemem significat, ubi montes Albani iam nive asperguntur. Cic. de divin. 1, 18: *tumulos Albano in monte nivales*. Omnino illo tempore nives frequentiores erant in Italia quam nunc. — *Ad mare*] in oppidum aliquod maritimum, Veliam, Salernum. (Ep. 1, 15, 1.) Ostiam, qui portus maris haud nimis amoenus et tranquillus esse poterat, quemque nusquam memorat, significari non puto. — *Contractusque leget*] „Omne, etiam levissimum frigus, quod quam molestum mihi sit probe nosti, vitaturus, vestibus involutus me quantum potero, dum commode lego, contraham atque incurvabo.“ Conf. Sat. 2, 7, 61: *Contractum genibus caput*. Hieronym. Ep. 53 de Vigilantio: *gravissimo frigore solus atque contractus Dormitantius vigilabit in lectulo*. Atque prorsus sic Lucianus in Saturnal. 9, 9 in hiemis descriptione: *οἱ ἄνθρωποι ἐπικεκυφότες--ἀμφὶ τὴν κάμινον οἱ πολλοί*. — *Cum Zephyris*] Zephyri sive Favonii a. d. VI. Idus Febr. ab occasu eoque aequinoctiali flantes Romanis ver aperiebant, unde Claudianus de R. Pros. 2, 73: *Compellat Zephyrum: Pater o gratissime veris* cet. — *hirundine prima*] Ab hirundine saepe ver designatur. Conf. Hesiod. O. et D. 566. Cic.

Non, quo more piris vesci Calaber iubet hospes,
Tu me fecisti locupletem. 'Vescere sodes.' 15
'Iam satis est.' 'At tu quantum vis tolle.' 'Benigne.'
'Non invisa feres pueris munuscula parvis.'
'Tam teneor dono, quam si dimittar onustus.'
'Ut libet; haec porcis hodie comedenda relinques.'
Prodigus et stultus donat, quae spernit et odit; 20
Haec seges ingratos tulit et feret omnibus annis.
Vir bonus et sapiens dignis ait esse paratus;

19. *relinques* plerique cod., *relinquis* Leidensis, *φψλ*, Meineke et Or. ed. 1. — 22. *paratus* codices optimi, in his quattuor Blandinii, Vossianus, Graevianus, AOR; *paratum* Lipsiensis, Gothanus, Sbcd.

ad Att. 10, 2: *Λαλαγεῦσα iam adest* (unde mare mox erit apertum). Leonidas Anthol. Palat. II. 279: *Ὁ πλόος ὡραῖος· καὶ γὰρ λαλαγεῦσα χελιδὼν Ἤδη μέμβλωκεν χὠ χαρίεις Ζέφυρος.* Oppian. Halieut. 3, 244: *εἰαρινὴ Ζεφύρου πρωτάγγελος ὄρνις.* Ovid. Fast. 2, 853. Ergo septem minimum menses ab Urbe afuturus erat Horatius.

14-19. *Non* cet.] Sententiae sic connectuntur: „Iam minime aegre tu feres absentiam meam, ubi scieris, ideo tantummodo me abesse ab Urbe, ut sanitati tuendae operam dem. Hoc igitur pro amicitia tua libenti animo mihi concedes, existimans novum hoc fore beneficium in me collatum, par utique illis, quibus tam liberaliter me ante affecisti, cum id semper spectares, ne dona tua quocumque modo umquam mihi onerosa fierent; nam profecto tu nequaquam similis es Calabrorum illorum, virorum sane bonorum, sed politioris vitae ignarorum cet." — *locupletem*] Hoc verbo se satis superque contentum esse villula sua Sabina significat. — *Benigne*] Gratias agens urbane donum hospes recusat. Sic sermone antiquiore *tam gratia est* (ac si accepissem). Cfr. v. 62. Plaut. Stich 472: *Locatast opera nunc quidem: tam gratiast.* — *Tam teneor* cet.] „Tam obligatus tibi sum *dono*, quod offers, quam si eodem onustus domum redirem." — *haec porcis* cet.] Innocentem, sed subridiculam *ἀγροικίαν* quivis facile sentit. — *hodie*] Non est otiosum; sed significat, diutius pira ista asservari non posse; futurum *relinques* bene demonstrat iram, ut apud Vergil. Ecl. 3, 49: *numquam hodie effugies.*

20-23. *donat* cet.] „abicit velut in barathrum ea, quae ipse fastidit." Seneca epist. 120, 9: *Multi sunt, qui non donant, sed proiciunt.* — *seges*] Proverbii speciem habet illud M. Pinarii apud Cic. de or. 2, 261: *Ut sementem feceris, ita metes.* — *ingratos*] Et quia talia dona plerumque parum accepta sunt iis ipsis, quibus proiciuntur, et quia adulatoribus indignis ac vel propterea ingratis hominibus solent favere stulti. — *tulit et feret*] Haud infrequens est haec perfecti et futuri coniunctio. Od. 2, 13. 19: *improvisa leti Vis rapuit rapietque gentis.* — *dignis*] qui opis alienae egeant: Publilius (Syrus) apud Gell. 17, 14: *Beneficium dando accepit, qui digno dedit.* „Ad ea donanda paratus, quae digna et se et amico sint." — *ait esse paratus*] Graeca con-

Nec tamen ignorat, quid distent aera lupinis.
Dignum praestabo me etiam pro laude merentis.
Quodsi me noles usquam discedere, reddes 25
Forte latus, nigros angusta fronte capillos,

structio (ὁ ἀγαθὸς καὶ φρόνιμος τοῖς ἀξίοις φησὶν εἶναι ἕτοιμος) haud rara apud poëtas Latinos post verba affirmandi et sentiendi; Od. 3, 27, 73: *Uxor invicti Iovis esse nescis.* Catull. 4, 1: *Phaselus ille - - Ait fuisse navium celerrimus.* Verg. Aen. 5, 372: *qui se Bebrycia veniens Amyci de gente ferebat.* Propert. 4, 5, 39 utraque constructione coniuncta: *Me quoque consimili impositum torquerier igni Iurabo et bis sex integer esse dies.* Etiam apud Tacitum Ann. 11, 9: *pepigere fraudem inimicorum ulcisci atque ipsi inter se concedere.* Hist 4, 55: *ipse - - hostis populi Ro. quam socius iactabat.* Est igitur: „Ait se esse promptum ad beneficia impertienda hominibus talia merentibus et *tamen*, quantumvis *bonus* et beneficus sit, propter id ipsum quod *sapiens* est, eodem tempore minime ignorat, quemadmodum ignorare solent stulte benefici, *quid distent*, ut aiunt, *aera lupinis*, id est, dignos ab indignis prudenter distinguit; illos sublevat et honorat, hos despicit ac sine donis dimittit.“ — *aera lupinis*] Proverbium ortum ex comparatione pecuniae et lupinorum, quibus quasi ficticia pecunia utebantur et aleatores et histriones in scena. Plaut. Poen. 3, 2, 20: AG. *Agite, inspicite; aurum est.* COLL. *Profecto, spectatores, comicum: Macerato hoc pingues fiunt auro in barbaria boves.* Cod. l. 1 C. de aleatoribus: *Si quis sub specie alearum victus sit lupinis vel alia quavis materia, cesset etiam adversus eum omnis exactio.*

24. *Dignum* cet.] Constructio videtur expedienda ad normam loci Lucretiani 5, 1: *dignum - - carmen Condere pro rerum maiestate hisque repertis.* „Ergo etiam me talem praestabo, qualem requirit laus bene de me merentis, id est, laus et virtus tua; in eo sedulo elaborabo, ut tua benevolentia donisque, quibus me affecisti, dignus semper maneam.“ — *merentis*] „bene merentis“, ut Verg. Aen. 6, 664: *Quique sui memores alios fecere merendo.* Prop. 5, 11, 101: *Sim digna merendo.* Rutil. Lupus 1, 1: *Demetrii Phalerei: Nam quod beneficium tempore et cupienti datur, gratum est. Utilitas enim ac voluntas accipiendi honorem dantis facit ampliorem.* A. Nauck hunc versum eiciendum putavit probante L. Müller.

25-28. *Quodsi me* cet.] „Sed quoniam, quomodo vera beneficia impertienda sint, pulchre nosti, hoc quoque cogita, quaeso, mihi propter aetatem, quam attigi, non iam concessum esse, ut semper tecum Romae degam: nec vero illud tibi propositum umquam esse poterit, ut mihi officia imponas, quibus parem me non iam esse tute vides. Alioqui reddes, si poteris“ cet. — *usquam*] „in quemcumque locum extra Urbem.“ — *Forte latus*] „*latus patiens laboris* (Quintil. Prooem. 27)“, quod requiritur ad Urbis plateas percurrendas, colles eius ascendendos cet. — *angusta*] Frons *tenuis* (Od. 1, 33, 5), *brevis* (Martial. 4, 42, 9), pro pulchra habebatur. Optimus interpres est Lucian. Amor. 40: αἱ μέχρι τῶν ὀφρύων ἐφειλκυσμέναι κόμαι βραχὺ τῷ μετώπῳ τὸ μεταίχμιον ἀφιᾶσι. Tunc autem, *praecanus* cum esset (Ep. 1, 20, 24) nec iam tam densum, ut olim, capillamentum ha-

Reddes dulce loqui, reddes ridere decorum et
Inter vina fugam Cinarae maerere protervae.
Forte per angustam tenuis volpecula rimam
Repserat in cumeram frumenti, pastaque rursus 30
Ire foras pleno tendebat corpore frustra.
Cui mustela procul, 'Si vis', ait, 'effugere istinc,
Macra cavum repetes artum, quem macra subisti.'

29. *volpecula* codices omnes, *nitedula* Bentley coniecit prob. Meineke, Lachmann, Haupt, Vahlen, Ribbeck, L. Müller, Lehrs al.

beret, frons dilatata erat. *Angustae* fronti opponitur *lata*. Plin. Ep. 3, 6, 2: *rari et cedentes capilli, lata frons*. — *dulce loqui*] cum puellis, quarum ex numero *bona* illa Cinara (Od. 4, 1, 3 sp.) ioci causa aliquando inter potandum subita fuga captâ eum deseruerat. — Vv. *inter vina* ubi iungas et cum v. *fugam* et v. *maerere*, tota scena fit magis comica. Cum minime exspectabat, lasciva puella eum repente destituit, a mensa aufugiens, unde amatoris maeror. — *protervae*] Respondet Gr. λαμυρός. Asclepiades Anthol. Palat. 1. p. 128: Ἡ λαμυρή μ' ἔτρωσε Φιλαίνιον. Cfr. Od. 1, 19, 7: *grata protervitas*.

29-33. „Iam vero quoniam fieri nequit, ut pristinae vires mihi redeant, liberum certe me esse cupio.“ Quod libertatis desiderium notissima fabella Aesopia facete exprimit, etiam ad subsequentium verborum (v. 34) παῤῥησίαν aliquantum mitigandam. — *Forte*] Confer Sat. 1, 9, 1. — *volpecula*] Sic habent omnes codices firmatque Augustinus contra Mendac. C. 28. Isidor. Origg. 1, 39, 6. Cyrilli Apolog. 2, 11. Ingeniose sane Bentleius coniecit *nitedula*, maxime, quia volpes frumento non vescitur: quocirca etiam a Babrio Fab. 86 et in Fabb. Aesop. 158. Cor. fabella diverso modo narratur, item Dio Chrysost. 47, p. 233. R. ita eam significat: οὐ γὰρ ὥσπερ ἡ ἀλώπηξ καταφαγοῦσα τὰ κρέα οὐκ ἐδύνατο ἐξελθεῖν ἐκ τῆς δρυὸς διὰ τὸ ἐμπλησθῆναι, καμοὶ ἐξελθεῖν διὰ τοῦτο χαλεπόν. Bentleium autem secuti sunt recentiores paene omnes (vehementer adprobante Lachmanno ad Lucret., 'qui non accipiunt, rationem et genera fabellarum ignorant'. p. 204). Iacobsius contra docuit (Lect. Venus. p. 99), antiquissimos apologorum inventores probabilitatis externae vel dicam physicae longe minorem rationem habuisse quam doctrinae, quam per huiusmodi involucra popularibus suis tradere vellent: sic in eorum fabellis leonem, bovem, capram una venatum ire, oves glandibus et pastorum pannis, leones ferina assa vesci, montem parturire, inde nasci murem, ac similia. His adde, quod verissime dicit Philostratus Imagg. 1, 3: Φοιτῶσιν οἱ Μῦθοι παρὰ τὸν Αἴσωπον - - κορυφαία δὲ τοῦ χοροῦ ἡ ἀλώπηξ γέγραπται· χρῆται γὰρ αὐτῇ ὁ Αἴσωπος διακόνῳ τῶν πλείστων ὑποθέσεων, ὥσπερ ἡ κωμῳδία τῷ Δάῳ. Adde quod Keller in Epileg. Hor. pg. 630 Horatium Lucilii auctoritatem secutum naturae leges parum diligenter respexisse dicit. — *cumeram*] Vide Sat. 1, 1, 53. — *procul*] de quovis intervallo, etiam exiguo. Idem usus obtinet in vv. *nuper*, *dudum*, *iamdudum*, πάλαι. Cfr. Sat. 2, 6, 105. Verg. Aen. 10,

Hac ego si compellor imagine, cuncta resigno;
Nec somnum plebis laudo satur altilium, nec 35
Otia divitiis Arabum liberrima muto.
Saepe verecundum laudasti, rexque paterque
Audisti coram, nec verbo parcius absens:
Inspice, si possum donata reponere laetus.
Haud male Telemachus, proles patientis Ulixi: 40

835. — *cavum-quem*] Sat. 2, 6, 116: *cavusque Tutus.* Male alii *quod.*

34—36. *compellor*] ut Sat. 2, 3, 297 „arguor et quasi increpor, si ad me applicari potest haec *imago*, id est, fabella.“ Verbum autem *compellare*, ut *appellare*, a re fenebri petitum est, *mahnen.* Corn. Nep. 7, 4, 1: *Hoc crimine in contione ab inimicis compellabatur.* Sic *compellationes* leniores sunt obiurgationes Ciceroni ad Fam. 12, 25, 2. — *resigno*] Vide Od. 3, 29, 54. „Omnia reddo.“ Hoc igitur dicit: „Quodsi re vera in me quoque quadrat imago volpeculae illius avidae atque inconsultae, neque aliter libertatem recuperare possum nisi omnibus, quae dono accepi, renuntiando, hoc ultro faciam; nec hoc nimis difficile mihi erit; nam“ cet. — *Nec somnum* cet.] „Nam non tum demum, cum satur sum glirium, leporum, turdorum, attagenum, dicis causa laudare soleo simplicem rusticorum vitam, sed deliciis illis quotidie carere possum, numquam eas desideraturus.“ — *altilium*] „avium alendo saginatarum.“ Athen. 9, 32: *χῆνες σιτευτοί.* — *divitiis Arabum*] Od. 1, 29, 1: *beatis-Arabum gazis.* Od. 3, 24. 1: *Intactis opulentior Thesauris Arabum.*

37-39. *verecundum*] Cic. Philipp. 12, 11: *Verecundioremne coram putamus in postulando fore?* Od. 2, 18, 12: *nec potentem amicum Largiora flagito, Satis beatus unicis Sabinis.* — *rex*] Reges suos nominare humiliores solebant amicos nobiles ac locupletes. Ep. 1, 17, 20 et 43: *Coram rege suo de paupertate tacentes.* Martial. 2, 18, 8: *Qui rex est, regem, Maxime, non habeat.* — *Audisti*] „a me vocatus es.“ Cfr. Sat. 2, 6, 20. Ep. 1, 16, 17. [Hunc versum spurium esse iudicat A. Nauck assentiente L. Müller, qui in Lect. Horat. haec disseruit: „Horatius quia liberius verba fecerat ad Maecenatem, ad depellendum impudentiae crimen ait modestiam suam saepe ab ipso amico esse laudatam: quam quo plenius approbet, eum honorificentissimis nominibus, quibus Juppiter ipse solet compellari (cf. Sat. 2, 1, 42) et regem autumat et patrem. Adicit tamen se ut hominem libertatis amantissimum posse quovis tempore beneficia amici si eis gravetur, reddere, id quod facetissime persequitur prolato exemplo Homerico.“] — *Inspice, si possum* cet.] „Agedum experire, an non possim“ cet. Indicativus certum firmumque accepta restituendi propositum exprimit, et frequenter sic Comici. Terent. Phorm. 553. *Vide si quid opis potes afferre huic.* — *reponere*] „rependere, reddere;“ a codice accepti et expensi sumptum; Plaut. Pers. 37: *Ut mihi des nummos sescentos; -- Quos continuo tibi reponam hoc triduo aut quadriduo.* Sic etiam interpretandus est Iuven. 1, 1: *Semper ego auditor tantum? numquamne reponam?*

40-43. *Telemachus* cet.] „Non minus prompto animo ad omnia

'Non est aptus equis Ithace locus, ut neque planis
Porrectus spatiis nec multae prodigus herbae;
Atride, magis apta tibi tua dona relinquam.'
Parvum parva decent; mihi iam non regia Roma,
Sed vacuum Tibur placet aut imbelle Tarentum. 45
Strenuus et fortis causisque Philippus agendis

40. *patientis* codices paene omnes, *sapientis* Markland coni. paucis libris probantibus. — *Ulixi* OESdγ, Gothanus, *Ulixei* maior codicum pars. — 41. *Ithace* SER, Einsidlensis in margine al., *Ithacae* plerique.

tibi restituenda paratus sum, quam quo Telemachus olim pulcherrimos equos in patria nimis aspera inutiles sibi futuros a Menelao dono accipere noluit." Od. δ 601: *Ἵππους δ' εἰς Ἰθάκην οὐκ ἄξομαι, ἀλλὰ σοὶ αὐτῷ Ἐνθάδε λείψω ἄγαλμα· σὺ γὰρ πεδίοιο ἀνάσσεις Εὐρέος -- Ἐν δ' Ἰθάκῃ οὔτ' ἄρ δρόμοι εὐρέες οὔτε τι λειμών· Αἰγίβοτος, καὶ μᾶλλον ἐπήρατος ἱπποβότοιο.* — *patientis*] Est Homericum *πολύτλας, ταλασίφρων*, epitheton herois perpetuum, cui male substituerunt nonnulli *sapientis*, cuius laudis hic nullae sunt partes. Sic *laboriosus* vocatur Epod. 17, 16. — *Ithace*] Nominativus Graecus aptior est h. l. propter iuncturam cum vv. *locus - Porrectus* quam genitivus lat. Idem reperitur Ovid. Trist. 1, 5, 67. Metam. 14, 169, quamquam notum est in satiris et epistulis Horatium formis latinis, Graecis in melicis plerumque usum esse. Cfr. Sat. 2, 5, 76. — *Porrectus*] Sic Caesar B. G. 2, 19: *porrecta loca aperta.* — *multae prodigus herbae*] Cfr. Od. 1, 12, 38. 1, 18, 16. — *spatiis*] „locis curruum certaminibus aptis." Cfr. Verg. Georg. 1, 513. 2, 541. — *Atride*] *Ἀτρείδη.* Contra *Atrida* ultima correpta Sat. 2. 3, 187. — *tibi*] refertur et ad v. *apta* et ad v. *relinquam*, ut, Od. 2, 8, 17: *pubes tibi crescit omnis, Servitus* (tibi) *crescit nova.*

44. 45. *regia Roma*] Cfr. Od. 4, 3, 13: *Romae principis urbium.* et 4, 14, 44: *Italiae dominaeque Romae.* — *vacuum*] „non frequens et populosum, sed propter hoc ipsum liberum a strepitu Urbis studiisque meis aptum." Sic *vacuum nemus* Od. 3, 25, 13, *vacuae Athenae* Ep. 2, 2, 81, *vacuae Acerrae* Verg. Ge. 2, 225. Alii minus recte „otiosum" explicant. Cfr. Od. 2. 6, 5 sqq. — *imbelle*] „ubi omnia tranquilla sunt et placata." Sat. 2, 4, 34: *molle Tarentum.*

46-51. *Strenuus* cet.] Haec narratiuncula ita cum praecedentibus connectitur, ut Volteii exemplo satis lepido demonstret virum prudentem, ubi casu aliquo collocetur in statu suae condicioni atque ingenio minus conveniente, etiam cum non levi iactura ex eo sese extricaturum esse, quo magis sibi aptum occupet. Confundunt nonnulli interpretes *L. Marcium Philippum* filium cos. a. u. c. 698, qui vitricus fuit Augusti, cum eius patre cognomine cos. a. u. c. 663, de quo loquitur Horatius. Notus autem pater erat et propter eloquentiam et propter multas facetias, non item filius. — *fortis*] Optime eius indolem adumbrat his verbis Cic. de orat. 3, 4: *homini et vehementi et diserto et imprimis forti ad resistendum, Philippo.* Est igitur *strenuus* „semper

Clarus ab officiis octavam circiter horam
Dum redit atque Foro nimium distare Carinas
Iam grandis natu queritur, conspexit, ut aiunt,
Adrasum quendam vacua tonsoris in umbra 50
Cultello proprios purgantem leniter unguis.
'Demetri,' — puer hic non laeve iussa Philippi
Accipiebat — 'abi, quaere et refer, unde domo, quis,

50. *Adrasum* codices paene omnes, *abrasum* pauci. — 51. *purgantem* plerique cod., *resecantem* cod. Reginensis, Goth.

in causis agendis occupatus: „*fortis*, „animosus et validus ad resistendum adversariis", potius quam in re militari. Liv. 21. 4: *ubi quid fortiter ac strenue agendum esset.* Seneca epist. 77, 5: *Amicus noster Stoicus, homo egregius et, ut verbis illum, quibus laudari dignus est, laudem, vir fortis ac strenuus.* Cfr. ad Od. 4, 4, 29. — *octavam circiter horam*] nobis inter secundam et tertiam pomeridianam. Locus primarius de cuiusque horae destinatione est Martial. 4, 8. — *Foro - distare Carinas*] Hic, ubi v. *distare* propriam habet significationem, *foro* est ablativus; contra, ubi significat „differre, discrepare", etiam dativo iungitur, ut v. 23. Od. 4, 9, 29. Ep. 1, 18, 4. *Forum* autem erat in Urbis regione septima; *Carinae*, vicus celeber Romae, in regione IV., ubi templum fuit Telluris, aedes Iunonis Sororiae, domus Q. Ciceronis, Pompeii, aliorumque principum civium. — *ut aiunt*] Significat notissimam etiamtum historiam se narrare. Cfr. Ep. 1, 6, 40. 1, 17, 18. — *Adrasum*] „praetonsum" haud nimis exacte COMM. CRUQ. Petron. 32: *Pallio coccineo adrasum* (recens rasum) *excluserat caput* (Trimalchio). Plaut. Capt. 265: *Sed utrum strictimne attonsurum dicam esse an per pectinem Nescio.* — *vacua*] Finge tibi tonstrinam Romanam a fronte prorsus apertam, superne et a postica parte atque a lateribus centonibus vel sipariis adversus solem tectam. *Vacua* autem dicitur, quia illa diei hora ceteri adventores barbam radendam vel capillos tondendos iamdudum curarant; hic otiosus nondum. In tonstrinis autem Romae etiamnunc convenire solent homines plebeii. Cfr. Sat. 1, 7, 3. Sic iam Eupolis (Meineke II p. 499, Kock I p. 308): *Καὶ πόλλ' ἔμαθον ἐν τοῖσι κουρείοις ἐγὼ Ἀτόπως καθίζων κοὐδὲ γιγνώσκειν δοκῶν.* — *proprios*] „ipsum sibi, non per tonsorem", qui tum aliquo abisse censendus est, unde non habebat quocum sermocinaretur Menas. Contra Plaut. Aul. 312: *Quin ipsi pridem tonsor unguis dempserat.* — *leniter*] „tranquillo animo et sine ulla festinatione.

52-59. *Demetri* cet.] Iam hominis non sine quadam pigritia sua sorte contenti voltus habitusque excitat Philippum, ut iocum sibi paret, non propter nescio quam invidiam aut malitiam. — *non laeve*] *οὐ σκαιῶς*, „sed dexterrime;" *docte et cordate et cate*, ut ait Plautus Poen. 1, 1, 3. Adv. *laeve* *ἅπαξ λεγόμενον*, unde Cuninghamius substituit *laevus*. — *Accipiebat*] „excipere et celeriter exsequi solebat." — *unde domo*] Verg. Aen. 8, 114: *Qui genus? unde domo? Domus* de patria, ut saepe. — *It, redit et narrat*] Mirabiliter haec respondent verbis *abi, quaere*

Cuius fortunae, qui sit patre quove patrono.'
It, redit et narrat, Volteium nomine Menam, 55
Praeconem, tenui censu, sine crimine, notum
Et properare loco et cessare et quaerere et uti
Gaudentem parvisque sodalibus et lare certo
Et ludis et post decisa negotia Campo.
'Scitari libet ex ipso, quodcumque refers; dic 60
Ad cenam veniat.' Non sane credere Mena,
Mirari secum tacitus. Quid multa? 'Benigne'

56. *sine crimine, notum* codices plerique, *sine crimine natum* Bentl. cum paucis. — 57. *loco* optimi codices, *locum* Graevianus, Vossianus, *φψλ*. — 58. *curto* e duobus codd. Cruquianis Bentleius.

et refer; quocirca noli legere cum Cuninghamio: *abi, quaere, refer*. — *Menam*] frequens servorum ac libertinorum nomen populariter contractum maxime in dialecto Alexandrina ut *Demas*, *Apollos*, ex nom. Menodorus, Demodorus, Apollodorus. Itaque ex hoc uno nomine Philippus colligebat sibi cum Volteii alicuius liberto rem fore. Liberti autem ex usu Romanorum *patre nullo*, *sine patre certo* nati erant; quapropter non respondent quaestioni *quo patre* v. 54. — Verbis *cuius fortunae* respondet v. *praeconem*. Voss. Cfr. v. 65. — *sine crimine*] Cfr. A. P. v. 384: *vitio-remotus ab omni*. *notum et properare* cet.] „et modo negotiis sedulo vacare victumque quaerere cum constabat, modo uti quaesitis atque otiari, et quidem suo horum quidque *loco*, apto tempore, *ἐν καιρῷ*." (Cfr. Od. 4, 12, 28: *Dulce est desipere in loco*.) — *cessare*] „otiari." Cfr. Ep. 1, 10, 46. 2. 2, 183. — *parvis*] „tenui censu, ut ipse sit." *Ομοιον ὁμοίῳ ἀεὶ πελάζει*. — *lare certo*] „sed tamen coniugem et domum vel propriam vel conductam habere, non in cenaculo dumtaxat habitare" Bentleii coniectura *lare curto* mera est repetitio vv. *tenui censu*. — *ludis*] theatralibus, puta, et circensibus. — *post decisa negotia*] „cum transacta sint negotia etiam praeconum, id est circiter horam octavam." — *Campo*] Martio. Cfr. Od. 1, 8, 4. Sat. 2, 6, 49. Ep. 1, 11, 4. In campum autem Martium tunc ipsum iturus erat, ut pila luderet vel ludentes spectaret. Satis autem evidenter per hos versiculos depingitur vita quotidiana eiusmodi generis hominum, praeconum, lictorum, apparitorum, scribarum publicorum.

60-64. *Scitari* cet.] Iam cum Demetrius domino narrasset, quae Menas candidissime de vita sua exposuerat, Philippus ob ipsam hanc sinceritatem et quia perspiciebat coram se versari hominem simplicem ac probum, minime mendicum, sed propter mores plebeios simul largam iocis materiam praebiturum, accuratius eum noscere avet. *Scitari* autem saeculi Augustei verbum est poëticum. Ad formulam cfr. Od. 3, 25, 13: *nemus Mirari libet*, „iuvat." — *Non sane*] *οὐ πάνυ*, „vix." (*Nicht recht traut Mena den Worten*. Günther.) — *Mirari*] utpote qui numquam in tam nobilem domum ad cenam vocatus esset. — *Benigne*] Cfr. v. 16. — *Neget*] Coniunct. hoc signi-

Respondet. 'Neget ille mihi?' 'Negat improbus et te
Neglegit aut horret.' Volteium mane Philippus
Vilia vendentem tunicato scruta popello 65
Occupat et salvere iubet prior. Ille Philippo
Excusare laborem et mercennaria vincla,
Quod non mane domum venisset, denique quod non
Providisset eum. 'Sic ignovisse putato
Me tibi, si cenas hodie mecum.' 'Ut libet.' 'Ergo 70
Post nonam venies; nunc i, rem strenuus auge.'
Ut ventum ad cenam est, dicenda tacenda locutus
Tandem dormitum dimittitur. Hic ubi saepe

63. *Neget* plerique cod., *negat* AOSbcdγ.

ficat: „Potestne, malum! fieri, ut neget mihi?" Itaque multo melius exprimit Philippi prope indignabundi mirationem quam aliorum indicativus ex sequente ortus. — *Neget* cet.] „vel suspicatus fore, ut ludibrio sit convivis, vel simpliciter nolens solitae libertati renuntiare, voluntatem tuam non curat." — *horret*] „prae verecundia et nescio quo stulto timore." Catull. 64, 159: *horrebas prisci praecepta parentis.*

65—71. *vendentem*] Tamquam praeco auctionem faciebat vilium mercium, quae aliorum erant. — *tunicato-popello*] Opifices, tabernarii omninoque pauperiores tunica tantummodo, non toga, induti erant. Tacit. Dial. 7: *volgus imperitum et tunicatus hic populus.* Iuven. 3, 171: *Pars magna Italiae est, si verum admittimus, in qua Nemo togam sumit nisi mortuus.* — *Occupat*] φθάνει προσαγορεύων. Seneca Thyest. 270: *hoc, anime, occupa:* „ne ille faciat prior." Liv. 21, 39: *Occupavit tamen Scipio Padum traicere.* — *salvere iubet*] Ep. 1, 10, 1: *Fuscum salvere iubemus.* Cic. ad Att. 4, 14, 2: *Dionysium iube salvere;* etiam absolute *iubeo.* Terent. Andr. 533: *Iubeo Chremetem.* — *Excusare laborem*] frequens in consuetudine Latina, ut Cic. Philipp. 9, 8: *excusare morbum.* — *mercennaria vincla*] „necessitatem auctionibus operam dandi, pro qua opera certam mercedem accipiebat ab iis, qui auctionabantur." Sat. 1, 6, 87. — *Providisset*] „prius eum vidisset ac salutasset." Plaut. Asin. 450: *Non hercle te provideram: quaeso, ne vitio vortas.* Terent. Andr. 83: *Erus est, neque provideram.* — *Sic*] „ea condicione." — *Ut libet*] Diversa signif. a. v. 19. H. l. „ut iubes." — *rem-auge*] Cic. p. Rabir. Post. 14, 38: *qui--rem--bonis et honestis rationibus auxisset.*

72-76. *dicenda tacenda*] „ut bene potus, quaecumque in buccam ei venerant." Dictum est ἀσυνδέτως, ut *fanda nefanda, honesta inhonesta.* Gr. ῥητὰ καὶ ἄῤῥητα. Demosth. 18, 122: βοᾷς ῥητὰ καὶ ἄῤῥητα ὀνομάζων. — *dimittitur*] „Politioris moris ignarus benigne monetur, ut tandem cubitum redeat." Neutiquam his vv. ebrietatis vitium in eo reprehenditur, sed hoc dumtaxat dicitur, propter totius cenae hilaritatem bonum illum Menam sensim oblitum esse, qua hora suae condicionis hominibus de nobilium cenis surgen-

Occultum visus decurrere piscis ad hamum,
Mane cliens et iam certus conviva, iubetur 75
Rura suburbana indictis comes ire Latinis.
Impositus mannis arvum caelumque Sabinum
Non cessat laudare. Videt ridetque Philippus,
Et, sibi dum requiem, dum risus undique quaerit,
Dum septem donat sestertia, mutua septem 80

dum esset. — *Occultum*] Ep. 1, 16, 51. hamum vocat *opertum*. — *piscis*] „ut piscis;“ omissa ut saepe comparationis particula. Cfr. epist. 1, 2, 42. — *hamum*] Opipare paratis conviviis delectabatur Philippus teste Varrone R. R. 3, 3, 9. His autem inescabatur novus cliens. — *cliens*] „Quotidie patronum salutatum veniebat, eum in forum deducebat, et quotidianus prope conviva fiebat.“ Bentleii *serus conviva* esset: „qui sero, cum ceteri iamdiu discubuerint, venit.“ — *suburbana*] h. l. in agro Sabino. — *indictis - - Latinis*] Feriae Latinae non statae erant, sed conceptivae et quotannis indicebantur a consule. Iam cum per quadriduum iustitium esset, patroni causarum et quicumque civilibus negotiis implicati erant, otiandi causa, comitibus aliquot secum eductis, rusticabantur. Sic a Cicerone feriis Latinis finguntur in Scipionis minoris hortis sermones de re publica habiti. Cf. Preller-Iordan Myth. 1, 212.

77-85. *Impositus mannis*] „Mannum ascendere iussus“, cum aliis exponit Obbarius; qua in ratione num. pluralis *mannis* explicari debet vel una cum reliquis Philippi comitibus vel de mannis singulas per mansiones mutatis. Mannis autem Romanos interdum vectos esse monstrat et Senecae Epist. 87, 10 et Ausonii Epist. 8, 7: *Vel celerem mannum vel ruptum terga veredum Conscendas, propere dummodo iam venias.* Alii contra, quod praefero: „impositus cisio vel rhedae, cui iuncti erant manni“, ut *ire equis* pro *curru vehi* Ovid. ex Ponto 3, 4, 100: *Filius et iunctis, ut prius, ibit equis*, id est, curru triumphali. *Mannus* autem est animal hybridum ex equo et asina natum. Cfr. Od. 3, 27, 7. Epod. 4, 14. — *arvum caelumque Sabinum* cet.] Etsi asperum erat solum frigidiusque caelum Sabinum, tamen homini vix umquam extra Urbis muros evagari solito amoenissimus videbatur tractus. Haud magni aestimatos esse fundos Sabinos monstrat Catull. 44, 1: *O funde noster, seu Sabine seu Tiburs; Nam te esse Tiburtem autumant, quibus non est Cordi Catullum laedere: at quibus cordi est, Quovis Sabinum pignore esse contendunt.* — *et sibi - quaerit*] cfr. Cic. off. 2, 5 *oblectatio quaeritur animi requiesque curarum;* hoc autem cum ingenio moribusque Philippi maxime congruit, quem *facetum* Cicero *multique leporis* fuisse dicit. Sed A. Nauck et L. Müller hunc versum spurium esse putant, quod satis inconcinne iungatur cum sequentibus, quae potius in apodosi quam in protasi sint collocanda; accedere, quod *risus* proximo versu praecedat: itaque punctum ponendum post *Philippus* v. 78, totum versum 79 secludendum esse. — *Dum* cet.] Consulto neglegentiore sermone usus est pro his fere: „eo quod Menae donat dimidiam partem pretii, quo agellus emi poterat, alteram mutuam dat, ei persuadet“ cet. —

Promittit, persuadet uti mercetur agellum.
Mercatur. Ne te longis ambagibus ultra
Quam satis est morer, ex nitido fit rusticus atque
Sulcos et vineta crepat mera; praeparat ulmos,
Immoritur studiis et amore senescit habendi. 85
Verum ubi oves furto, morbo periere capellae,
Spem mentita seges, bos est enectus arando,
Offensus damnis media de nocte caballum
Arripit iratusque Philippi tendit ad aedis.
Quem simul adspexit scabrum intonsumque Philippus, 90
'Durus,' ait, 'Voltei, nimis attentusque videris
Esse mihi.' 'Pol me miserum, patrone, vocares,
Si velles,' inquit, 'verum mihi ponere nomen!
Quod te per Genium dextramque deosque Penatis

93. *ponere* Blandin. antiquissimus, Gothanus, AEOγ; *dicere* Graevianus, Vossianus, Leidensis, Dessauiensis, R$\varphi\psi\lambda$ aliique.

septem-sestertia] Septem milia HS. efficiunt circiter 1400 marc. germ. — *Mercatur*] „Re vera sequitur Philippi consilium.“ Cic. ad Fam. 16, 21, 7: *Deponendae tibi sunt urbanitates: rusticus Romanus factus es.* — *nitido*] homine pro suis fortunis satis eleganti, maxime, puto, ex quo Philippi quotidianus conviva factus erat.“ — *Sulcos et vineta crepat*] „semper in ore habet.“ Od. 1, 18, 5: *Quis post vina gravem militiam aut pauperiem crepat?* Sic etiam κροτεῖν et *loqui*. Cic. ad Att. 9, 2, 3: *Curtius venit nihil nisi classes loquens et exercitus.* (Cfr. Sat. 1, 3, 13.) — *mera*] Cic. ad Att. 9, 13, 1: *mera scelera loquuntur.* §. 8: *Dolabella suis litteris merum bellum loquitur.* — *ulmos*] „maritandas vitibus.“ Cfr. Od. 2, 15, 5. — *Immoritur*] „macerat et enecat se opere rustico strenue exercendo.“— *studiis*] dativus, ut Quintil. 9, 3, 73: *immori legationi.* — *senescit*] τήκεται, macrescit et canescit.“ Cfr. Ep. 2, 2, 82.

87-93. *mentita*] Cfr. ad Od. 3, 1, 30. Sil. Ital. 7, 160 de agro Falerno: *Dives ea et numquam tellus mentita colono.* — *enectus*] „attenuatus.“ SCHOL. Poëta ap. Cic. Tusc. 1, 10: *enectus siti Tantalus.* Cfr. ad Att. 6, 1, 2. Liv. 21, 40: *fame, frigore, illuvie, squalore enecti.* Sic h. l. boves sunt propter maciem atque infirmitatem operi rustico impares facti. — *arando*] solum macrum et lapidosum. — *media de nocte*] Cfr. Ep. 1, 2, 32. — *scabrum*] „squalidum atque impurum.“ — *intonsum*] Et propter avaritiam et propter taedium infelicissimae agriculturae omnem vitae cultum neglexerat, longe nunc diversus ab illo, qui fuerat *tonsoris in umbra.* — *Durus* cet.] Ep. 1, 16, 70: *sine pascat durus aretque.* „Prope nimis laboriosus et *attentus ad rem* (Terent. Ad. 954) γλίσχρος.“ Sat. 2, 6, 82: *Asper et attentus quaesitis.* — *Pol*] „Per Pollucem.“ — *verum mihi ponere*] Alii *dicere* e glossemate. Cfr. Sat. 1, 3, 42. 2, 3, 48.

94—98. *Quod te* cet.] Haec est in quotidiano quoque sermone

Obsecro et obtestor, vitae me redde priori.' 95
Qui semel adspexit, quantum dimissa petitis
Praestent, mature redeat repetatque relicta.
Metiri se quemque suo modulo ac pede verum est.

96. *semel* codex Martinius Cruquii et alter Bersmanni, ceteri ut videtur omnes *simul*.

solita obtestationis formula. Terent. Andr. 289: *Quod ego per hanc te dextram oro.* Verg. Aen. 2, 141: *Quod te per superos - oro.* Est relativum infinitum, „διότι, propter quod." — *per Genium*] Conf. Ep. 2, 1, 144. — *dextramque*] Per dextram (fidei σύμβολον) frequens obtestatio: Cic. pro Deiot. 8: *Per dexteram te istam oro, quam regi Deiotaro hospes hospiti porrexisti.* — *deosque Penatis*] Conf. Sat. 2, 3, 176. — *Obsecro et obtestor*] Rursus formula. Cic. ad Att. 11, 1, 1: *idque ut facias, te obtestor atque obsecro.* — *Qui semel* cet.] Iam ex hac narratiuncula poëta colligit generalem sententiam: „Ut primum aliquis perspexit" cet. Lectio *simul* hoc loco sane perversa, quamquam in codicibus paene omnibus reperitur. Cfr. Od. 4, 3, 1. — *Metiri se quemque* cet.] *Aequum* est et decet quemque intra eos fines manere eamque vitam eligere, quae cuiusque viribus ac rei familiari quam maxime consentanea sit." — *modulo ac pede*] „*modulus* est mensura; metaphora *ac pede* ab iis desumpta est, qui corporis sui staturam numero pedum metiuntur." OBBAR. — *verum*] „iustum, aequum." Sic Sat. 2, 3, 312. Ep. 1, 12, 23. Verg. Aen. 12, 694: *me verius unum Pro vobis foedus luere.* Liv. 2, 48, 2 *verum esse habere eos, quorum sanguine ac sudore natus sis;* id. 3, 40, 11. 7, 13, 7. 23, 11, 12. 32, 33. 35, 8 al.

EXCURSUS.

„Est haec epistula ex iis Horatii carminibus, unde egregium eius ingenium, candor incorruptus et ingenua libertas non minus quam verae amicitiae, ab omni adulatione remotae, et grati animi sensus imprimis elucent. Maecenas enim, qui poëtae consuetudine numquam non admodum delectaretur et invitus semper eum a se dimitteret, cum aliquando Horatius, etsi pollicitus intra paucos dies se rediturum, diutius urbe abesset, id aegre tulisse videtur. Iam igitur poëta hanc epistulam (sane antequam ederetur cum illo communicatam, etsi hac de re dubitavit Weichert) scripsit, qua et hanc absentiam excusaret et omnino libere eloqueretur, qua ratione a maiore amico sese tractari vellet. Primum certiorem facit Maecenatem, se proximi demum anni tempore verno ob valetudinis periculum Romam reverti posse (vv. 1-12). Tum, ubi lepide significavit se probe intellegere, quanti generosus Maecenatis animus et in beneficiis largiendis humanitas facienda sit (vv. 12-24), maxime aetatem suam provectiorem atque incertam valetudinem excusat, quo omnino posthac in Urbe tam assidue se detineri non passurus sit (vv. 25-28); atque fabula (vv. 29-34) et narratiuncula (vv. 46-94) significat, immo aperte profitetur (vv.

34-39) se omnia, quae Maecenati debeat, reddere malle quam liberum otii usum amittere." ZELL. Scripsit autem hanc epistulam non solum, ut Maecenatem quae diximus doceret, sed etiam, ut aequalibus suis, atque imprimis obtrectatoribus, qui eum pro Maecenatis parasito habebant, denuo clare demonstraret, quae sibi familiaritas necessitudoque cum illo intercederet, libertati simul philosopho dignae minime officiens.

EPISTULA VIII.

Celso gaudere et bene rem gerere Albinovano
Musa rogata refer, comiti scribaeque Neronis.
Si quaeret, quid agam, dic multa et pulchra minantem

Ep. VIII. 3. *quaeret* vel *queret* Graevianus, Leidensis, Dessauiensis, Vossianus, RES$\varphi\psi\lambda$ alii, *quaerit* vel *querit* Lips., Goth., Apr.Obcdγ.

VIII. Scriptum est hoc epistolium ad eundem Celsum, cuius mentionem facit Ep. 1, 3, 15, ubi vide. „Illam quam putant reprehensionem fortasse iniquiore Celsum tulisse animo nec corrigi se neque emendari passum esse, offensum medico, iratum amico" finxerunt interpretes morosi. „Itaque denuo", inquit, „eum aggreditur, vitia amici incessens, iactantiam, perversam vivendi rationem, animi agitationem, obstinationem, inconstantiam, insolentiam." Addit alius: „Nec spirat haec epistula illum amorem et molliores illos animi sensus, quos passim Horatius erga alios amicos in carminibus suis expressit." Quae omnia nimis severa et exaggerata nobis videntur.

1. 2. *Celso gaudere* cet.] „Refer, Musa a me rogata, Celso (me eum iubere) *χαίρειν καὶ εὖ πράττειν*." Celsus igitur salutarat Horatium (quomodo, ignoramus); hic amicum iuniorem, sibi carum et quem magni faciat, resalutat, Musam, hoc ut officium suscipiat, rogans. Cum Landino alii explicant: „*rogata*] a Celso;" verum hoc in Horatii verbis non inest. — *Albinovano*] ut *Tullius Albinovanus*, *Postumius Albinovanus* ac similia (*Antias*, *Soranus*, *Sabinus*, *Hirpinus*), quod dicunt agnomen, ut pariter est in nomine *Pedonis Albinovani*. — *scribaeque*] His vv. ei gratulatur munus utique honorificum, quod paulo ante adeptus erat, neque vero, ut aliis visum est, eum deridet. Qui huiusmodi cohorti amicorum proconsulis vel ducis aggregati erant, interdum adhibebantur ad epistulas imprimis arcanas et gravioris argumenti ex illius mandato conscribendas, ad quotidianas vero servi vel liberti.

3-6. *Si quaeret* cet.] Ovid. Am. 1, 11, 13: *Si quaeret, quid agam, spe noctis vivere dices.* — *dic* cet.] Multa iam cum familiaritate et benevolentia Celso totum animi sui statum aperit: se sibi displicere, non propter causas fortuitas atque externas, sed propter inexplicabilem quandam mentis aegritudinem, qua se nunc quidem liberare nequeat;" a quibus quidem verbis, ut solet fieri a melancholicis sive hypochondriacis, non prorsus abest exaggeratio nonnulla. Tota autem

Vivere nec recte nec suaviter; haud quia grando
Contuderit vitis oleamque momorderit aestus, 5
Nec quia longinquis armentum aegrotet in agris;
Sed quia mente minus validus quam corpore toto
Nil audire velim, nil discere, quod levet aegrum;
Fidis offendar medicis, irascar amicis,
Cur me funesto properent arcere veterno; 10
Quae nocuere sequar, fugiam quae profore credam;
Romae Tibur amem ventosus, Tibure Romam.

5. *oleamque* plerique cod.; *oleamve* cod. Reginensis Bentleii, Monac. E. — 12. *ventosus* Blandinii, Lips., Dessauiensis, Gothanus, AORE$\gamma\nu$ alii; *venturus* Vossianus, Leid., $\varphi\psi$ alii.

hac veluti confessione pravae aegritudinis molestum hunc animi statum allevare conatur. — *multa et pulchra*] πολλὰ καὶ καλά. Cic. Lael. 30: *utilitates multae et magnae.* — *minantem*] „pollicentem ac molientem.“ Vid. ad Sat. 2, 3, 9. — *nec recte* cet.] „non nimis bene me vivere, non satis me ipso contentum esse, propterea nec *suaviter.*“ Alii minus apte v. *recte* explicant: „sapientiae convenienter.“ Adv. *suaviter* similiter usurpatum habes Sat. 1, 9, 5. — *grando Contuderit vitis*] Od. 3, 1, 29: *verberatae grandine vineae.* — *momorderit*] Et de aestu et de frigore (Sat. 2, 6, 45), dicitur; h. l. de foliis arefactis bacisque ustis. — *longinquis*] Ut divites greges habebant et in Calabria et in Gallia Cisalpina. — *agris*] „agris pascuis;“ ut dividebant agros in pascuos, arvos, arbustos, consitos. „Aliorum *arvis* minus placet, quia *arva* proprie sunt, quae arantur segetis causa.“ GESN. — nec idonea est codicum auctoritas.

7-12. *quam corpore toto*] „quaevis corporis pars validior est quam animus meus.“ — *Nil audire velim, nil discere*] Cfr. Ep. 1, 1, 48: *Discere et audire - - non vis?* — *Fidis*] „qui, ut ipse probe scio, malum meum omni modo levare volunt.“ — *Cur me*] idem fere ac „propterea quod;“ sed illud est discrimen, quod hoc rationem simpliciter significat, alterum ductum est ex directa interrogatione: *Cur properatis?* Plin. Ep. 3, 5, 16: *Repeto me correptum ab eo, cur ambularem.* Dixerat avunculus: „Cur tandem ambulas?“ Cfr. Od. 1, 33, 3. — *funesto arcere veterno*] V. *arcere* cum ablativo sine praepos. *a* etiam in prosa orat. Cic. Philipp. 5, 13, 37: *hostem arcuit Gallia.* (A. P. 64: *Neptunus classes aquilonibus arcet.*) Mentis *veternus* marcor et torpor est ille, quo affecti nihil eorum, quae nobis proposuimus, perficere atque elaborare possumus. Verg. Georg. 1, 123: *curis acuens mortalia corda, Nec torpere gravi passus sua regna veterno.* Cfr. Sat. 2, 3, 145. *Funestus* autem dicitur, quia, ut ait Celsus 3, 20, *in hoc* (lethargicorum morbo) *marcor et inexpugnabilis paene dormiendi necessitas. Λήθαργον Graeci nominarunt. Id quoque genus acutum est, et, nisi succurritur, celeriter iugulat. Supinum animum* cum *stolido veterno* iungit Catullus 17, 24 sq. — *Romae* cet.] Idem Horatio exprobrat Davus Sat. 2, 7, 28: *Romae rus optas; absentem ru-*

Post haec, ut valeat, quo pacto rem gerat et se,
Ut placeat iuveni percontare utque cohorti.
Si dicet, 'Recte,' primum gaudere, subinde 15
Praeceptum auriculis hoc instillare memento:
Ut tu fortunam, sic nos te, Celse, feremus.

EPISTULA IX.

Septimius, Claudi, nimirum intellegit unus,

sticus urbem Tollis ad astra levis. — *Tibur*] Cfr. Ep. 1, 7, 45. — *ventosus*] „levis, inconstans, instabilis.“ COMM. CRUQ. Ep. 2, 19, 37: *ventosae plebis.* Sic Cic. ad Fam. 11, 9, 1. Lepidum *hominem ventosissimum* appellat. Quod cum non intellegerent, perperam nonnulli scripserunt *venturus.* — *Tibure*] „in Sabino meo prope Tibur.“ Catull. 44, 1: *O funde noster, seu Sabine seu Tiburs.* „Recte vidit Rutgersius, praedium Horatii (ut Catulli) in confiniis agri Sabini et Tiburtini situm putandum, ut dubium esset, utro pertineret.“ FEA. Praef. p. XXX. Ed. Rom. Alii intellegunt de amici alicuius villa Tiburtina, in qua interdum, ut hospes, degerit. Ceterum *Tibure* pro Tiburi, ut supra ep. 7, 1 *rure futurum*: cfr. Neue Formenl. I ², 242.

13-17. *ut valeat*] Cfr. Ep. 1, 3, 12. — *rem gerat*] „quomodo officia ac negotia sua curet, et qualis sit animi eius status.“ — *iuveni*] Tiberio tunc XXII annos nato. — *utque cohorti*] Cfr. Sat. 1, 7, 23. Ep. 1, 3, 6. Catull. 28, 1: *Pisonis comites, cohors inanis.* Sen. de Clem. 1, 10, 1: *cohortem primam* [*interioris*] *admissionis.* Huius moris primus, ut videtur, auctor fuit Scipio Africanus minor. Cfr. Appian. Hispan. 84: *Ἐθελοντάς τινας ἐπηγάγετο καὶ πελάτας ἐκ Ῥώμης καὶ φίλους πεντακοσίους οὓς εἰς ἕλην καταλέξας ἐκάλει φίλων ἕλην.* — *Recte*] Adv. hoc ad tria illa refertur, *valere, gerere se, placere.* — *subinde*] „deinde protinus;“ sic enim exponendum est, quia praecedit *primum*, non: „crebro, per intervalla, identidem.“ — *instillare*] „leniter atque amice tradere praeceptum“, uti guttatim in aures instillantur harum medicamenta. — *Ut tu fortunam* cet.] „Quodsi tu modeste feres fortunam, quae te comitem fecit Neronis, cuius favore gaudens maiores etiam opes atque honores aliquando adipisci poteris, nos quoque omnes, qui te novimus (Neronem simul significat), benevoli ac vere amici tibi erimus; fastu contra et superbia si praeter modum te extuleris, amicos a te abalienabis.“

IX. Venustius sane atque elegantius Septimium suum (de quo v. Od. 2, 6 et Augustum in Epist. ad Horatium missa in Sueton. Vit. Horat.: *Tui qualem habeam memoriam poteris ex Septimio quoque nostro audire; nam incidit, ut illo coram fieret a me tui mentio.*) Tiberio Claudio Neroni commendare non potuit quam hac epistula, in qua gratiam, qua ipse apud Augusti privignum fruatur, dedita opera extenuat. Noli autem oblivisci eo tempore, quo haec scripta sunt (a. u. c. 734). Tiberii mores nondum reprehensione dignos fu-

Quanti me facias. Nam cum rogat et prece cogit
Scilicet, ut tibi se laudare et tradere coner,
Dignum mente domoque legentis honesta Neronis,
Munere cum fungi propioris censet amici: 5
Quid possim videt ac novit me valdius ipso.
Multa quidem dixi, cur excusatus abirem;
Sed timui, mea ne finxisse minora putarer,
Dissimulator opis propriae, mihi commodus uni.

isse. Tacit. Ann. 6, 51: *Egregius vita famaque, quoad privatus vel in imperio sub Augusto fuit.*

1-6. *nimirum*] Proprie explicandum est: „ni esset, mirum esset, *δηλονότι*, manifesto", cum leni quadam ironia, ut semper apud Horatium: Sat. 2, 2, 106. 3, 120. Ep. 1, 14, 14. — *unus*] „praeter ceteros", cum grata quadam ironia. Simul iam hic, ut in epistulae fine, perurbane significat, Tiberio non timendum esse, ne nimis frequenter ab Horatio tales litteras commendaticias accipiat. — *rogat et prece cogit*] „ita rogat, ut me precibus suis quasi cogat;" quam *πειθανάγκην* Graeci dicunt. — *cogit Scilicet*, haec iungenda: *cogit quod vix credideris;* particula *ut* apta est e rogandi verbo. — *tradere*] Cfr. Sat. 1, 9, 47. Ep. 1, 18, 78. Cic. ad Famil. 7, 17, 2: *Sic ei te commendavi et tradidi, ut gravissime diligentissimeque potui. Dignum* cet.] „Utpote qui in contubernium convictumque tuum recipi mereatur." — *mente*] „egregia tua indole et ingenio perspicaci." Teste Philone Leg. ad Caium §. 6. T. VI. p. 83. Lips.: *Ὁ γὰρ Τιβέριος φρονήσει βαθεῖα χρώμενος καὶ τῶν καθ' αὑτὸν ἁπάντων δεινότατος ὢν ἀφανὲς ἀνθρώπου βούλημα συνιδεῖν καὶ ἐπὶ τοσοῦτον συνέσει διενεγκών, ἐφ' ὅσον καὶ εὐτυχίᾳ κτλ.* Ibid. §. 21. p. 104: *καὶ ἔτι νέος ὢν ὁ πρεσβύτης ἐλέγετο δι' αἰδῶ τὴν περὶ τὴν ἀγχίνοιαν.* Ibid. §. 26. p. 109: *πρὸς τὸ σεμνότερόν τε καὶ αὐστηρότερον σχεδὸν ἐκ πρώτης ἡλικίας ἐπικλινῶς εἶχεν.* — *domoque*] Ex Claudiorum stirpe nobilissima ortus apud vitricum educatus erat. — *legentis honesta*] „honestos tantum homines eligentis, quos in familiarium suorum numerum asciscat, atque propterea a se removentis homines bonarum artium rudes." — *propioris*] „carioris", quos postea certe vocabant *primae admissionis*, Seneca de Benef. 6, 33, 3. Neque tamen statuerim Horatium de certa vel prima amicorum Tiberii classe, h. l. cogitasse. — *Quid possim*] h. v. inchoant apodosin. — *valdius* i. e. melius, ut A. P. 321: *Valdius oblectat.*

7—10. *cur* cet.] „Multa dixi de rebus, quarum causa vel quibus excusarer." — *mea*] „bona et commoda, in quibus pono imprimis etiam favorem, quo me prosequi dignaris." — *Sed timui,-ne* cet.] „Talis describitur *εἴρων* ab Aristotele de morib. ad Nicom. 4, 3: *ὁ δ' εἴρων δοκεῖ ἀρνεῖσθαι τὰ ὑπάρχοντα ἢ ἐλάττω ποιεῖν.*" LAMB. — *Dissimulator*] Cic. Acad. 2, 15: *Ita cum aliud diceret atque sentiret, libenter uti solitus est ea dissimulatione, quam Graeci εἰρωνείαν vocant.* — *opis*] „facultatis, auctoritatis et gratiae, qua fruor apud te, id unum appetens, ut utilitas inde ad me redundet;" *κατ' εἰρωνείαν.* Similiter verbo *opis* utitur Verg. Aen. 1, 600: *grates persolvere dignas Non opis*

Sic ego maioris fugiens opprobria culpae 10
Frontis ad urbanae descendi praemia. Quodsi
Depositum laudas ob amici iussa pudorem,
Scribe tui gregis hunc et fortem crede bonumque.

EPISTULA X.

Urbis amatorem Fuscum salvere iubemus
Ruris amatores. Hac in re scilicet una
Multum dissimiles, at cetera paene gemelli,

Ep. X. 3. *at* cod. Bland. antiquiss. cum paucis (Voss., Einsidl., Mon. E), *ad* plerique.

est nostrae, *Dido*. Cfr. Sat. 1, 2, 74.

10—13. *maioris-culpae*] „Astutia et dissimulatio adversus amicum maior erit culpa, quam si forte importunus tibi fuero.“ — *Frontis ad urbanae descendi praemia*] *Frons* interdum pro impudentia, insolentia, fastu; unde *frontem perfricare* „impudenter se gerere“, *firma frons* Senecae de Tranquill. an. 4, 2, et in plebeculae Latinitate *frons expudorata*. (Petron. 39.) *Frons urbana* pr. est eius, qui, quia in Urbe vivit, minus timidus ac modestus est rustico (Cic. ad Fam. 5, 12, 1: *deterruit pudor quidam paene subrusticus)* ac prope accedit ad mores scurrarum (quibuscum iunguntur *urbani* Ep. 1, 15, 27 et Plaut. Trin. 203; quocirca interdum vel potentiori amico molestus fieri non reformidat et hoc quasi ius sibi sumit, ut confidentius se gerat cum omnibus: hinc facete *praemia*, iura, opponit *opprobriis*. V. *descendere* usurpatur de re, quam minus dignam nobis censentes prope inviti suscipimus, sed tamen propter certas causas abicere non possumus. Cic. Divin. in Caecil. 1: *ad accusandum descendere*. Sententia igitur est: „Ausus sum pudore deposito amici causa vel inverecundus fieri.“—*Scribe* (unum) *tui gregis*] pr. „eius nomen in album amicorum tuorum referri iube;“ „recipe eum in cohortem comitum tuorum;“ Cic. de or. 2, 253 et ad Fam. 7, 33 sodales et aequales dicuntur *gregales*. De genitivo partitivo cfr. Od. 3, 13, 13. — *fortem-bonumque*] Est quasi formula, ut *fortis ac strenuus*. Vid. ad Od. 4, 4, 29 et cfr. ep. 1, 7, 46.

X. Cum lepida ironia Aristio Fusco, intimo suo amico (de quo v. Od. 1, 22. Sat. 1, 9, 61. 10, 83), rusticationis commoda et gaudia enarrat, eumque qui sorte sua contentus vivat, beatum esse admonet. Quando haec epistula composita sit, non constat, certe anno fere u. c. 734.

1-7. *salvere iubemus*] Solita formula. Cfr. Ep. 1, 7, 66. Plaut. Asin. 296: *Iubeo te salvere voce summa quoad vires valent*. Pluralem autem *iubemus*, ut Od. 1, 32, 1, *Poscimur*, quem dicunt modestiae, primus fertur adhibuisse Cicero, post eum Sallustius, tum Vergilius, Ovidius ac praecipue Propertius. — *Ruris amatores*] Sic Epicurus, cuius sectam in hoc propria natura ductus libentissime sequebatur, docuerat *τὸν σοφὸν φιλαγρήσειν*. Diog. Laërt. 1, 10, 120.

Fraternis animis quidquid negat alter, et alter
Annuimus pariter: vetuli notique columbi 5
Tu nidum servas, ego laudo ruris amoeni
Rivos et musco circumlita saxa nemusque.
Quid quaeris? Vivo et regno, simul ista reliqui,
Quae vos ad caelum effertis rumore secundo,
Utque sacerdotis fugitivus liba recuso, 10

9. *effertis* cod. Bland. antiquiss. et Div. Cruquii, bScd, pauci alii, rec. Haupt ed. 2, 3, Vahlen, L. Müller, *fertis* cod. plerique, prob. Orelli, O. Keller.

— *Multum dissimiles*] Vid. ad Sat. 1, 3, 57. Cfr. Sat. 2, 3, 313: *tantum dissimilem — at cetera*] sic cod. optimus, ut Verg. Aen. 3, 594: *Consertum tegumen spinis, at cetera Graius*, ubi ut h. l. apte duo membra magis sibi opponuntur quam in altera lectione *ad cetera*, quae non minus recta, sed rara est. Liv. 37, 7: *virum ad cetera egregium*. Idem 4, 26: *ad alia discordes*. Sed Horatius bis praeterea hac constructione utitur, huius epist. v. 50 et Od. 4, 2, 60. — *gemelli*] Cfr. Sat. 2, 3, 244. — *et alter*] „etiam alter negat, pariterque eadem probamus." Sallust. Catil. 20: *Idem velle atque idem nolle, ea demum firma amicitia est.* — *Annuimus*] „nutu probamus." — *vetuli - columbi*] omissis comparationis particulis (cf. ad ep. 1, 7, 74) significat et mutuam caritatem (Matius ap. Gellium 20, 9 *columbulatim labra conserens labris*, quod Maecenas in eo libro quem *de Cultu suo* scripsit ap. Senec. ep. 114, 5 dicit *columbari*) et studiorum varietatem. Ceterum nonnulli (Hitzig, A. Nauck eosque secutus L. Müller verba *quidquid negat-pariter* eicienda censent. — *circumlita*] „circumdata, obducta", ut Verg. Ecl. 6, 62: *Phaëthontiadas musco circumdat amarae Corticis.*

8—12. *Quid quaeris?*] formula sermonis quotidiani haud infrequens etiam apud Ciceronem (ad Att. 2, 1, 2), quae proprie significat: „non opus est, ut ex me quaeras; ultro tibi omnia dicam." Eodem modo dicebant: *Noli quaerere;* nec magnopere differt: *Quid multa?* — *Vivo et regno*] „vita vere vitali fruor et rex mihi esse videor." Sic βασιλεύειν Plutarch. de virt. et vit. 4: τρυφήσεις ἐν πενίᾳ καὶ βασιλεύσεις. — *effertis*] sic cum optimo cod. scribendum, ut *enisus* Od. 3, 3, 10; *educit* Od. 4, 2, 23; *evehit* Od. 1, 1, 6; atque etiam Cic. ad Fam. 9, 14, 1: *te summis laudibus ad caelum extulerunt.* — *rumore secundo*] „Simul atque unus vestrum, qui huius sententiae et opinionis participes estis, Urbis vitam laudat, ceterorum omnium plausus et clamores movet." Hoc enim inest in antiqua formula: *populi rumore secundo*, qua usi sunt Ennius et Fenestella apud Non. p. 385. Suevius apud Macrob. Saturn. 6, 1: *referuntque petita rumore secundo.* Cicero Tusc. 2, 4: *secundo populo.* Idem de lege agr. 2, 37, 101: *secunda contione.* Verg. Aen. 8. 90: *Ergo iter inceptum celerant rumore secundo.* — *sacerdotis fugitivus* cet.] Liba ab eis, qui rem divinam faciebant, allata et sacerdotibus relicta, horum servis interdum pro pane data esse videntur; iam loci causa narrat, unum aliquando mero huius cibi nimium dulcis taedio

Pane egeo iam mellitis potiore placentis.
Vivere naturae si convenienter oportet
Ponendaeque domo quaerenda est area primum,
Novistine locum potiorem rure beato?
Est ubi plus tepeant hiemes, ubi gratior aura 15
Leniat et rabiem Canis et momenta Leonis,

13. *ponendaeque domo* codices plerique, *ponendaque domo* cod. Blandinii.

ab ero aufugisse, quo tandem vero pane vesceretur. Ceterum *liba recuso* cet. verba sunt Horatii, non, ut alii volunt, fugitivi, quocum ille se comparat. *Placentae* ex farina et caseo, oleo frictae, papavere, sesamo, melle oblitae; h. l. caedem cum *libis*, etsi proprie haec dis offerebantur, illae inter crustula s. dulciaria referebantur.

13-14. *Vivere naturae-convenienter*] *Δεῖ ὁμολογουμένως τῇ φύσει ζῆν* pervolgata Stoicorum erat doctrina (Cic. de Offic. 3, 13: *Quod summum bonum a Stoicis dicitur, convenienter naturae vivere, id habet hanc, ut opinor, sententiam, cum virtute congruere semper* cet.): verum Horatius h. l. populariter loquitur, ut Cic. de Legg. 1, 56: *Sed certe res ita se habet, ut ex natura vivere summum bonum sit, id est, vita modica et apta virtute perfrui.* — *oportet* verbum in iure et in vitae praeceptis proprium, sed poetis inusitatum: apud Horat. praeter h. l. Sat. 1, 6, 17. 2, 6, 52. Ep. 1, 2, 49. — *ponendae-domo*] ita ex codicibus ediderunt plerique. Sed cum dativus *domo* rarissimus sit neque fere inveniatur nisi in formula solemni ap. Cat. r. r. c. 134. 139. 141 ed. Keil: *sies propitius mihi domo familiaeque meae*, H. Sauppe cum cod. Bland. scribi iussit *ponenda domo* i. e. cum exstruenda est domus, ut sit ablat. absol. gerundivi: quo usu quamquam multi scriptores abstinent, tamen exempla exstant apud Ciceronem: de off. 1, 5: *quis est qui nullis officii praeceptis tradendis* (i. e. cum nulla praecepta tradat) *philosophum se audeat dicere?* ib. 2, 82. 3, 26. Phil. 6, 17 *qui partis honoribus eosdem gessi labores quos petendis* i. e. *quum petebam*; pro Muren. 17; pro Planc. 84; ad Att. 4, 1. Apud Tacitum nonnulli dativum, ut nostro loco, emendatione restituere voluerunt: Ann. 3, 19 *is finis fuit ulciscenda morte* i. e. cum mortem ulciscebantur; ib. 14, 4 *explenda simulatione* i. e. *quod simulationem explebat.* Recte igitur L. Müller: 'Etsi Horatius dativo quartae numquam usus est, vix tamen adducor, ut credam eum *domo* dixisse dandi casu: recipiendum igitur existimo lectionem *ponendaque domo*, ut sit ablat. absol.'

15-17. *Est ubi* cet.] Villam suam Sabinam respicit Horatius, quae et ab Aquilone et ab Austro collibus satis altis protecta erat. — *tepeant*] Cfr. Od. 2, 7, 17 sq. — *rabiem Canis*] Canicula exoritur quidem a. d. XIII. kal. Aug. (20. die m. Iulii), sed apparet VII. Kal. (26. Iul.) Sol intrat Leonem 23. die m. Iulii. — *momenta*] „motus, circuitus caelestes, qui eo tempore fiunt, quo Sol est in Leonis signo atque vi caloris terras urget.“ Poëtice rem sic exprimit, ut fingat Leonem ad furorem excitari Solis radiis *acutis*, acriter eum penetran-

Cum semel accepit Solem furibundus acutum?
Est ubi divellat somnos minus invida cura?
Deterius Libycis olet aut nitet herba lapillis?
Purior in vicis aqua tendit rumpere plumbum, 20
Quam quae per pronum trepidat cum murmure rivum?
Nempe inter varias nutritur silva columnas
Laudaturque domus, longos quae prospicit agros.

18. *divellat* Blandinii, Vossianus, Leidensis, Dessauiensis, ERφψλ, *depellat* AOSbcdγ, alii pauci. — 19. *lapillis*] *tapetis* Bentlei suspicio.

tibus. Od. 3, 29, 19. Lucan. 1, 650: *Si saevum radiis Nemeaeum, Phoebe, Leonem Nunc premeres, toto fluerent incendia mundo.* — *acutum*] Hesiod. O. et D. 413: *μένος ὀξέος ἠελίοιο.*

18-21. *Est ubi* cet.] „Ruri somnum nocturnum non disturbant curae; interdiu amoenus herbarum prospectus oculos, nares odor, aqua purissima palatum oblectat.“ — *divellat* Exquisitior sane haec est lectio quam *depellat.* Illud significat: „somnum subito interrumpit nosque excitat;“ hoc: „nos dormire non sinit.“ Anacron. 31, 9: *κατά μεν σχίζεις ὀνείρους.* Verg. Ge. 3, 530 et Ovid. Am. 2, 10, 19 dixerunt *abrumpere somnos.* Verg. Aen. 7, 458 *rumpere somnum.* Nemo vero *depellat* in *divellat* mutasset, hoc vero, ut minus solitum, facile in illud mutari poterat. — *invida cura*] „quae hominibus omnem animi tranquillitatem et oblectationem, somnum denique liberum ac solutum videtur invidere.“ LAMB. Cfr. Od. 1, 11, 7: *invida aetas.* — *Libycis - - lapillis*] Loquitur de pavimentis (*λιθοστρώτοις*) tessellatis et vermiculatis ex marmore Numidico *caesim diminuto,* ut est apud Apuleium Metam. 5. p. 308 Hildebrand: *pavimenta ipsa lapide pretioso caesim diminuto in varia picturae genera discriminantur.* Ingeniosam quidem, sed supervacaneam coniecturam *tapetis* Bentleius desumpsit ex Calpurnii Ecl. 6, 72: *melior viret herba tapetis,* ubi alii falso *lapillis.* Hermippus apud Athen. 1, 49: *Καρχηδὼν δάπιδας καὶ ποικίλα προσκεφάλαια (παρέχει).* — *olet*] quatenus floribus vel liquoribus odoratis spargebantur etiam pavimenta. Cfr. Ep. 2, 1, 79. — *in vicis*] Urbis, in quos aqua ex magnis aquae ductibus per fistulas plumbeas s. tubulos ducebatur. — *trepidat*] „continenter et celeriter currit.“ Cfr. Od. 2, 3, 11: *obliquo laborat Lympha fugax trepidare rivo.* Utroque autem loco versuum sono rem descriptam scite imitatus est.

22. 23. *Nempe*] „Argumentum affert rei, quae ante oculos omnibus versatur, aut omnibus sat nota est.“ HAND Turs. IV. p. 157. — *inter varias - - columnas*] Loquitur de peristylio exstructo ex columnis marmoreis vario colore maculatis. Seneca Epist. 115, 8: *nos (delectant) ingentium maculae columnarum.* Cfr. ad Od. 2, 18, 3. — *nutritur*] „cum summo studio colitur. — *silva*] „viridarium peristylio cinctum.“ Od. 3, 10, 5 sq. Corn. Nep. Att. 13, 2. (Attici domus) *amoenitas non aedificio, sed silva constabat.* — *longos*] „late extentos in Urbis vicinia per agrum Romanum“, olim fertilissimum, nunc prope incultum ac vastum. — *prospicit*] Etiam in prosa oratione.

Naturam expelles furca, tamen usque recurret,
Et mala perrumpet furtim fastidia victrix. 25
Non, qui Sidonio contendere callidus ostro
Nescit Aquinatem potantia vellera fucum,
Certius accipiet damnum propiusve medullis,
Quam qui non poterit vero distinguere falsum.
Quem res plus nimio delectavere secundae, 30

24. *expelles* Blandinii ac praeterea optimi codices; Bentleius, eumque secuti plerique ed. *expellas* Sd paucique deteriores, Orelli. — 28. *propiusve* plerique, etiam Blandinii — nam in lemmate annot. Cruquianae *potiusve* error est manifestus, etsi in omnibus exemplis repetitus — *propiusque* AOLybd.

Seneca Epist. 86, 7: *nunc blattaria vocant balnea, - - nisi ex solio agros et maria prospiciunt.*

24. 25. *Naturam expelles furca*] ita cum cod. legendum; futurum imperativi loco est: fac repellas, — recurret, usu frequentissimo. Non recte Orelli hypotheticam sententiam requirebat; cfr. Od. 4, 4, 66: *luctere - proruet.* — *recurret*] festinationem significat, ut Iuven. 13, 239: *tamen ad mores natura recurrit Damnatos, fixa et mutari nescia.* Est autem *furca expellere aliquem* proverbialis locutio pro „aspere atque ignominiose exturbare et eicere." Aristoph. Pax 637: *Τήνδε μὲν δικροῖς ἐώθουν τὴν θεὸν κεκράγμασιν.* Cic. ad Att. 12, 2, 4: *Quoniam furcilla extrudimur, Brundisium cogito.* Ceterum Curtius 5, 19, 21: *consuetudo natura potior.* — *furtim*] „ratione quasi clandestina, ut quomodo fiat vix animadvertas, illa divitum fastidia perversa et naturae contraria vincit, ipsique quantumvis a simplici vita recesserint, tamen aliquando vel inviti ad eam redire coguntur."

26-29. *Non, qui* cet.] „Falsa autem illa de finibus bonorum iudicia, qualia plerumque sunt divitum, multo magis noxia sunt ac beatitudini infestiora, quam inscientia rerum externarum nullius ponderis, ut cum nos deridet dives, quod purpuram adulterinam (Aquinatem) a sincera (Sidonia) distinguere nesciamus atque ab astuto mercatore decipiamur." — *Sidonio*] Antepenultima huius adi. modo brevis est, ut hic et epod. 16, 59: *Non huc Sidonii* cet., modo longa, ut in hexametri clausula: *Sidonia Dido.* (Verg. Aen. 1, 446. 613. 9, 266. 11, 74.) — *contendere - - ostro*] dativus; „accurate comparare cum purpura." — *callidus*] „sollers in distinguenda purpura sincera, quae ex Phoenice importatur, ab adulterina, quam ad illius imitationem Aquinates in agro Volsco fuco tingunt, ut imperitos decipiant." Cfr. Sat. 2, 7, 101: *Subtilis veterum iudex et callidus.* — *potantia*] Frequens imago tincturae. Ovid. Met. 6, 9: *Phocaico bibulas tingebat murice lanas.* — *fucum*] lichenis genus, *φῦκος*, *orseille*, cuius suco vel medicabant lanam muricis suco postea tingendam vel sine illius conchylii suco adulterinam. — *propiusve medullis*] „intimos animi sensus magis percellens."

30-33. *Quem res* cet.] Cf. Aristot. rhet. 2, 23, 1399 b: *πολλοῖς ὁ δαίμων οὐ κατ' εὔνοιαν φέρων μεγάλα δίδωσιν εὐτυχήματ', ἀλλ' ἵνα τὰς συμφορὰς λάβωσιν ἐπιφανεστέρας.* Caes. b. g. 1, 14. Hirt. b. Alex. 25, 4; quod *παράδοξον* Stoicum

Mutatae quatient. Si quid mirabere, pones
Invitus. Fuge magna; licet sic paupere tecto
Reges et regum vita praecurrere amicos.
Cervus equum pugna melior communibus herbis
Pellebat, donec minor in certamine longo 35
Imploravit opes hominis frenumque recepit.
Sed postquam victor violens discessit ab hoste,
Non equitem dorso, non frenum depulit ore.
Sic qui pauperiem veritus potiore metallis
Libertate caret, dominum vehit improbus atque 40

37. *victor violens* cod. paene omnes, pauci *violens victor*, Bentl. coni. *violens victo*, Haupt (ed. 2, 3) *victo ridens* probante L. Müller (sed Vahlen *victor violens*). — 40. *vehit* Reginensis Bentlei paucique alii prob. Bentl., Haupt, Vahlen, L. Müller; *vehet* cod. maior pars, O. Keller.

fabella Aesopia illustratur, quae libertatem maximis vitae commodis adnumerandam esse clare docet. — *plus nimio*] Vide ad Od. 1, 18, 15. 1, 33, 1. — *pones*] „depones, eo carebis.“ Cfr. Sat. 2, 3, 16. — *Reges*] In Stoica hac sententia malim proprie accipere quam interpretari „homines divites ac potentes eorumque clientes vincere licet.“ — *vita praecurrere*] Cfr. Sat. 1, 7, 8: *Sisennas, Barros ut equis praecurreret albis.*

34-38. *Cervus* cet.] Aristot. Rhetor. 2, 20, init. et Conon. Narr. 42 hanc fabellam conservarunt, qua Stesichorus Himerenses monuit, ne se Phalaridis (Aristot.) aut Gelonis (Conon) tyrannidi subicerent. Phaedrus 4, 4 cervi partes apro dedit litemque non de herbis, sed de vado turbato ortam narrat. — *melior*] „fortior“, κρείττων. Cfr. Od. 1, 15, 28. 3, 6, 16. Sat. 2, 5, 19: *certans semper melioribus.* — *communibus*] „ex iure naturae.“ Ovid. Met. 1, 135: *Communemque prius, ceu lumina solis et auras, humum.* — *Pellebat*] „continuo pellere conabatur.“ — *minor*] ἥττων. — *opes*] Sic Od. 3, 3, 28. Ep. 2, 2, 136 pro frequentiore (hoc sensu) singulari. Cfr. Cic. ad Att. 9, 16, 1: *Ab eo* (Caesare) *mihi litterae redditae sunt, quibus iam opes meas, non, ut superioribus litteris, opem exspectat.* — *victor violens*] victor evasit, postquam ipse quoque vectorem adiuvans ferociter cum cervo certavit viresque suas summa cum contentione exseruit. Bentleius h. l. vituperat, quod *equus* appellatur violens, qui et per se impar erat cervo et nulla demum sua, sed vehentis equitis virtute victoriam adeptus est; inde *victo ridens* coniecit M. Haupt (opusc. 3, 46).

39-43. *dominum* cet.] Stoicum hoc Arrian. Epictet. 4, 1, 59 de stultis, quos dicebant: οὕτως οὖν πολλοὺς κυρίους ἔχομεν; Οὕτω. — *vehit improbus*] „Libertas igitur inter praecipua animi bona referenda est; qua qui caret servitutem serviat necesse est bonis externis et caducis, sive summum per laborem divitias captat, sive hominum locupletium et potentium favorem ambit; servit, inquam, propterea quod *improbus*, hoc est, immodicus, intemperatus, sua sorte num-

Serviet aeternum, quia parvo nesciet uti.
Cui non conveniet sua res, ut calceus olim,
Si pede maior erit, subvertet, si minor, uret.
Laetus sorte tua vives sapienter, Aristi,
Nec me dimittes incastigatum, ubi plura 45
Cogere quam satis est ac non cessare videbor.
Imperat aut servit collecta pecunia cuique,
Tortum digna sequi potius quam ducere funem.

quam contentus est, nimia semper et vasta appetit." Lectio *vehet* aperte falsa orta est ex seqq. futuris; *vehit* nunc, atque ita in perpetuum *serviet*, quia numquam parvo uti scit, neque nunc nec in posterum, id quod apte significatur futuro. Cfr. A. P. 32. — *aeternum*] adverbium, ut Silius 1, 204: *aethereasque Erigit aeternum compages ardua cervix* (Atlantis). — *nesciet*] futurum vitiosum videtur L. Müllero, quod praesentia *caret, vehit* antecedunt, coniecitque *nescius uti*, cl. Sat. 2, 3, 109. — *olim*] Adv. usitatum in fabellis et exemplis: „ut solet fieri in calceo, qui si maior pede est, facit, ut humi prolabamur; si minor, pedem constringit et dolore nos afficit." Vid. ad Sat. 1, 1, 25. — *uret*] Propert. 5, 3, 23: *Dic mihi num teneros urit lorica lacertos?* Ceterum admodum frequens est apud sophistas haec comparatio. Lucian. Pro imagg. 10: *μηδὲ ὑπὲρ τὸν πόδα ἔστω τὸ ὑπόδημα μὴ καὶ ἐπιστομίσῃ με, φησίν, ἐμπεριπατοῦσαν αὐτῷ.*

44-46. *Laetus* cet.] „Tum demum poteris, ut decet sapientem, vivere, si contentus eris condicione a fato tibi imposita. Verum, ut ego libere te moneo, ita tum quoque me corrige, ubi me horum ipsorum praeceptorum umquam immemorem videbis." Qua sententia illam ipsam molesti correctoris speciem urbane a se removet. — *incastigatum*] *ἅπαξ λεγόμενον.* Graeci *ἀνεπιτίμητον.* — *Cogere*] h. l. „congerere, coacervare." — *quam satis est*] Alexis in Grotii Exc. p. 593: *Ἔγωγε τῷ τὰ δέοντ' ἔχειν ἀρκούμενος Τὰ περιττὰ μισῶ· τοῖς ὑπερβάλλουσι γὰρ Τέρψις μὲν οὐκ ἔνεστι, πολυτέλεια δέ.*

47. 48. *Imperat aut servit*] „Prout possessor est: si sapiens, pecunia parta inservit vitae necessitudinibus, utilibus inceptis, beneficiis in alios conferendis; sin stultus, pecunia ei imperat, ut dominus servo, ita ut, quamvis ea uti nequeat, tamen eius semper augendae causa quidlibet, etiam perversissima quaeque, in se suscipere multoque cum labore perficere cogatur." Publilius Syrus 998: *Pecunia est ancilla, si scis uti; si nescis, era.* — *Tortum* cet.] Sententia per se clara: „Pecunia debet esse ea machinae, ut ita dicam, vitalis pars, quae movetur, non ea, quae movet;" „ordinatrix et dispensatrix esto mens sapientis possessoris, pecunia materies, qua pro sua voluntate atque intellegentia ille utatur." Quomodo verba ipsa exponenda sint, ambigitur. V. *tortus* epitheton funium et rudentum perpetuum esse monstrant interpretes ex Verg. Aen. 4, 575. Ovid. Met. 3, 679. Catull. 64, 235. Pers. 5, 146. Iam malim intellegere de fune ductario vel in machinis tractoriis (Vitruv. 10, 3 et 4) vel in remulco, quam de fune, quo ducuntur boves (Iuven. Sat. 12, 5), vel de saltatione, quam *restim ducere*

Haec tibi dictabam post fanum putre Vacunae,
Excepto, quod non simul esses, cetera laetus. 50

appellabant (Terent. Ad. 752), vel de ludo puerorum, qui ducebant sparteam restem et tamdiu trahebant, donec aut rumperent aut alteruter omissa funis prehensione humi caderet, vel denique cum Diderotio apud Iacobs Lectt. Venus. p. 162, qui *tortum* explicabat, „dum torquetur", de restionis opificio.

49. 50. *tibi dictabam*] „Ut tu legeres, dictabam meo puero a manu." Imperfectum, ut in subscriptionibus epistularum: *haec scribebam* cet., tempore relato ad illud temporis punctum, quo, cui missa est epistula, eam leget. — *Vacunae*] Vacunam, antiquam Sabinorum deam, quae etiam prope Reate nemora habebat (Plin. H. N. 3, 12, 17), respondisse Romanorum Victoriae, et nititur Varronis testimonio apud Acronem et confirmatur ex inscriptione ipsius illius fani prope Horatii Sabinum siti, sed iam illo tempore vetustate ex parte collapsi, apud Feam. Cfr. Ovid. Fast. 6, 307 sq. Per iocum autem Romani interdum huius deae nomen sic interpretabantur, ac si esset a v. *vacare*, et ipsa vacationis atque otii Tutela. Confer Preller-Jordan Mythol. rom. 1 p. 408. — *Excepto* cet.] Cfr. Alciphron 1, 39: *Οἷον ἡμῶν ἐγένετο τὸ συμπόσιον, — ὅσων χαρίτων πλῆρες! ἓν μόνον ἡμῖν ἔλειπε, σύ· τὰ δ' ἄλλα οὔ.* — *cetera*] „in ceteris." Gloss. Codicis E. Cfr. Cic. ad Q. Fr. 2, 14: *Ego me in Cumano-- praeterquam quod sine te, ceterum satis commode oblectabam.*

INSCRIPTIO FANI VACVNAE:

IMP. CAESAR. VESPASIANVS
AVG. PONTIFEX. MAXIMVS. TRIB
POTESTATIS. CAENSOR (sic). AEDEM. VICTORIAE
*vetus*TATE. DILAPSAM. SVA. IMPENSA
RESTITVIT

EPISTULA XI.

Quid tibi visa Chios, Bullati, notaque Lesbos,

XI. Bullatius, homo alioquin ignotus, Horatii certe amicus (quod ipsum documento est ingenium ac probitatem ei non defuisse), ex eo tamen divitum genere fuisse videtur, qui propter nescio quem animi languorem nec rebus civilibus neque litteris neque agriculturae vel negotiationi operam navarent, sed tandem ipsius otii, cui se dediderant, pertaesi hoc omnium rerum fastidio aliter se liberari posse non opinarentur, nisi si in longinquas regiones profecti inter alios semper homines versarentur, veteres locos ac fama celebratos, alia quotidie antiquitatis monumenta, artificum opera, delubra duorum viserent. Morbum hunc peregrinandi illis temporibus frequentem ita describit Seneca de Tranq. an. 2, 11: *Proprium aegri est nihil diu pati et mutationibus ut remediis uti. Inde peregrina-*

Quid concinna Samos, quid Croesi regia Sardis,
Smyrna quid et Colophon? Maiora minorane fama?
Cunctane prae Campo et Tiberino flumine sordent?
An venit in votum Attalicis ex urbibus una, 5
An Lebedum laudas odio maris atque viarum?

Ep. XI. 3. *minorane* perpauci cod., ed. plerique, *minorave* cod., in his Blandinii, paene omnes, ed. Orelli, O. Keller.

tiones suscipiuntur vagae et litora pererrantur et modo mari se, modo terra experitur semper praesentibus infesta levitas. Nunc Campaniam petamus. Iam delicata fastidio sunt: inculta videantur; Bruttios et Lucanos saltus persequamur: aliquid tamen inter deserta amoeni requiratur, in quo luxuriosi oculi longo locorum horrentium squalore releventur. Tarentum petatur laudatusque portus et hiberna caeli mitioris, regio vel antiquae satis opulenta turbae. Cfr. etiam Friedländer Sittengeschichte 2[5] 115 sqq. Etiam Bullatius hic ex itinere in Asiam facto redierat Romaeque tum versabatur, quum haec epistula ad eum data est, qua demonstratur vitam beatam non esse positam in locorum vel amoenitate vel celebritate.

1-6. *Quid tibi* cet.] Terent. Eun. 273: *Sed quid videtur Hoc tibi mancipium?* formula sermonis quotidiani mixta ex his duabus interrogationibus: „Quid tibi videtur hac de re?“ et: „Qualis tibi videtur haec res?“ Sic etiam Graeci. Plato Charmid. p. 154 D: *τί σοι φαίνεται ὁ νεανίσκος;* — *notaque Lesbos*] ut Od. 2, 2, 6 id quod *nobilis* aliis propter Alcaeum et Sapphonem, aliis propter vina. Cfr. Verg. Aen. 2, 21: *Tenedos, notissima fama Insula.* Tacit. Ann. 6, 3: *Lesbo, insula nobili et amoena.* — *concinna Samos*] Menander rhetor de Enc. p. 75. H. inter portus laudes commemorat *μέγεθος, κάλλος καὶ εὐρυθμίαν.* Est igitur „elegans, venusta propter aedificia“, imprimis Iunonis aedem. Propter loci amoenitatem *ὁ Αὔγουστος ἔς τε τὴν Σάμον ἐπανῆλθε* (a. u. c. 734) *κἀνταῦθα αὖθις ἐχείμασε· καὶ ἐκείνοις ἐλευθερίαν μισθὸν τῆς διατριβῆς ἀντέδωκε καὶ ἄλλα οὐκ ὀλίγα προσδιώκησεν.* Dio Cass. 54, 9. — *Sardis*] plur., *Σάρδεις.* Strabo 13. p. 625: *αἱ Σάρδεις πόλις ἐστὶ μεγάλη·--βασίλειον δ' ὑπῆρξε τῶν Λυδῶν.* — *Smyrna*] A. Luciano Imagg. 2. vocatur *ἡ καλλίστη τῶν Ἰωνικῶν πόλεων.* — *Colophon*] Strabo 14. p. 642: *ἡ Κολοφών, πόλις Ἰωνική, καὶ τὸ πρὸ αὐτῆς ἄλσος τοῦ Κλαρίου Ἀπόλλωνος κτλ.* — *prae*] „Plerumque id, quod praestat, designatur hac praepositione, praesertim appositis verbis neglegendi, contemnendi, minoris faciendi.“ HAND Turs. IV. p. 524. Plaut. Curc. 99: *omnium unguentum odos prae tuo nauteast.* — *sordent*] „displicent.“ Cfr. Vergil. Ecl. 2, 44: *sordent tibi munera nostra.* „Videnturne tibi despicienda prae *regiae* Romae splendore?“ — *Attalicis*] „An domicilio tibi deligere mavis unam ex urbibus regni olim Attalorum, Pergamum, Tralles, Thyatiram, Myndum?“ — *Lebedum*] unam ex XII Ioniae urbibus. Teste Strabone 14. p. 643: „scenicorum artificum, qui in Ionia erant ad Hellespontum usque, conventus ibi erat et domicilium; ibique *πανήγυρις* et anniversaria certamina in Bacchi honorem agitabantur;“ verum reliquo anni tempore prope

'Scis Lebedus quid sit. Gabiis desertior atque
Fidenis vicus; tamen illic vivere vellem,
Oblitusque meorum obliviscendus et illis,
Neptunum procul e terra spectare furentem.' 10
Sed neque, qui Capua Romam petit, imbre lutoque
Adspersus volet in caupona vivere; nec, qui

deserta erat, ut constat ex h. l. et ex Pausania 1, 9, 7, quo teste Lebedum et Colophonem Lysimachus everterat incolasque Ephesum transduxerat. — *odio maris* cet.] Od. 2, 6, 7: *lasso maris et viarum.*

7-9. *Gabiis*] Dionys. Hal. A. R. 4, 53: *Πόλις ἦν τοῦ Λατίνων γένους, Ἀλβανῶν ἀπόκτισις, ἀπέχουσα τῆς Ῥώμης σταδίους ἑκατόν·--νῦν μὲν οὐκέτι συνοικουμένη πᾶσα, πλὴν ὅσα μέρη πανδοκεύεται κατὰ τὴν ὁδόν· τότε δὲ πολυάνθρωπος καὶ, εἴ τις ἄλλη, μεγάλη.* Propert. 4, 1, 34: *Et qui nunc nulli, maxima turba Gabi.* Monumenta huius oppidi Viscontio auctore reperta sunt prope lacum Gabinum, *lago di Castiglione*, in loco hodie nominato *Pantan de' Griffi.* — *Fidenae*, Sabinorum oppidum, prope Romam (Strabo 5. p. 226. et 230), cuius reliquiae exstant prope vicos *Giubileo* et *Serpentina.* Primam nominis syllabam produxit Horatius et Iuven. 10, 100: *An Fidenarum Gabiorumque esse potestas* cet., corripuit Verg. Aen. 6, 773: *urbemque Fidenam*, uti fit in nominibus propriis. Cfr. ad Od. 3, 4, 9. Ep. 1, 10, 26. — *vellem*] „vel ibi aequo animo vivere possem, si opus foret." — *Oblitusque* cet.] „Quodsi ibi tranquille versarer in contemplando terribili simulque magnifico maris turbati spectaculo, vel oblivisci possem ad tempus carissimorum meorum amicorum neque continuo ac vehementi eorum desiderio consumerer, immo aequo animo paterer, ubi ipsi quoque in secessu meo me interdum oblivis-

cerentur." — *Neptunum* cet.] Lucret. 2, 1 sqq. *Suave, mari magno turbantibus aequora ventis E terra magnum alterius spectare laborem.* (*Neptunus* pro „mari", ut Epod. 7, 3: *Neptuno super.*) Ceterum hoc quoque loco sunt vestigia doctrinae Stoicae. Arrian. Epict. 3, 24, 109: *Ἂν ἐν Γυάροις ᾖς, μὴ ἀνάπλασσε τὴν ἐν Ῥώμῃ διατριβήν, καὶ ὅσαι διαχύσεις ἦσαν ἐκεῖ διάγοντι, καὶ ὅσαι γένοιντ' ἂν ἐπανελθόντι· ἀλλ' ἐκεῖ τέτασο, ὅπως δεῖ τὸν ἐν Γυάροις διάγοντα, ἐν Γυάροις ἐῤῥωμένως διάγειν.*

11-16. *Sed neque, qui Capua* cet.] viâ Appiâ iter faciens, in qua, etsi strata erat saxis *ὁμαλοῖς, ἐγγωνίοις* (Procop. Bell. Goth. 1, 14), tamen, quando pluebat, luto variis ex rebus, ut fit, ubi tot iumenta quotidie transeunt, paulatim orto viator aspergi poterat; id quod immerito a nonnullis addubitatum est. Ceterum mira accidat necesse est haec similitudo ei, qui ignorat hanc quoque in Stoicorum scholis usitatam haud dissimiliter fuisse. Arrian. Epict. 2, 23, 36: *Τί οὖν ἐστὶ τὸ γινόμενον; Οἷον εἴ τις ἀπιὼν εἰς τὴν πατρίδα τὴν ἑαυτοῦ καὶ διοδεύων πανδοκεῖον καλόν, ἀρέσαντος αὐτῷ τοῦ πανδοκείου, καταμένοι ἐν τῷ πανδοκείῳ.* Aliter tamen imaginem conformavit Horatius hoc significans: „Iam etsi verum est, eum, qui nulla cupiditate transversus agatur, quovis loco tranquille vitam degere posse, nemo tamen adeo stultus erit, ut propter leve aliquod incommodum vel nescio quo taedio fatigatus secedat in locum aliquem ingratum

Frigus collegit, furnos et balnea laudat
Ut fortunatam plene praestantia vitam.
Nec, si te validus iactaverit Auster in alto, 15
Idcirco navem trans Aegaeum mare vendas.
Incolumi Rhodos et Mytilene pulchra facit, quod
Paenula solstitio, campestre nivalibus auris,
Per brumam Tiberis, Sextili mense caminus.
Dum licet ac voltum servat Fortuna benignum, 20
Romae laudetur Samos et Chios et Rhodos absens.
Tu quamcumque deus tibi fortunaverit horam,

ibique perpetuo latitet." *Cauponae* enim apud antiquos plerumque erant tam incommodae ac sordidae, ut in iis diu tempus terere pessima esset condicio. „Summae igitur", inquit, „stultitiae esset, si quis in via Appia imbre permadefactus non iter pergeret, sed in cauponam sese abderet, vel frigore hiberno correptus et rigens non ideo tantum in aliquem pistoris furnum vel in thermas intraret, ut se calfaceret, sed" cet. — *Frigus, sitim* (Ovid. Met. 5, 446) *colligere* est pr. „in intimum corpus recipere." — *Idcirco navem* cet.] „Nec propter unam procellam navi vendita, et quidem *trans Aegaeum mare*, ut qui numquam in patriam rediturus sit, nauclerus in perpetuum mari renuntiabit."

17-21. *Incolumi*] „integro, sanae mentis homini, constanti et quieto." SCHOL. Sic Sat. 2, 3, 132 *incolumi capite esse* opponitur insaniae. „Qui domi suae contentus vivit, pulcherrimis illis Graeciae et Asiae urbibus aeque libenter caret ac rebus molestissimis." — *Mytilene*] ἡ μεγάλη καὶ καλη vocatur a Longo 1, 1. — *facit*] „iuvat, apta est." Propert. 4, 1, 20: *Non faciet capiti dura corona meo.* Ovid. Her. 15, 8: *Non facit ad lacrimas barbitos ulla meas.* Pr. de medicamentis; Plin. n. h. 22, 18, 21: *Facit ad difficultatem urinae* (chamaeleon herba). — *Paenula*] vestis gausapina vel scortea, qua super tunicam accepta tempore frigidiore per itinera utebantur; per aestatem propter spissitudinem molesta erat. Contra *campestre* (subligaculum, *succinctorium* August. C. D. 14, 17), κατάζωμα (διάζωμα περὶ τὰ αἰδοῖα Thucyd. 1, 6), inguinum velamentum linteum, quo cingebantur iuvenes in Campo Martio, nudi corpora exercentes vel Tiberim denatantes. Augustinus l. l.: *Qui ita succincti sunt, campestratos volgus appellat* — *auris*] Hoc longe significantius est ad frigus molestum exprimendum quam altera lectio *horis*. — *Sextili*] Cfr. Ep. 1, 7, 2. — *caminus*] foculus cum pruna, qui, ut videtur, ex uno conclavis loco in alterum transferri poterat, qualibus etiamnunc interdum utuntur Itali. — *voltum servat F. b.*] Philemon Mein. p. 339: Ὅταν ποτ' ἀνθρώποισιν ἡ Τύχη γελᾷ. Ovid. Trist. 1, 5, 27: *Dum iuvat et voltu ridet Fortuna sereno.* — *Romae*] „Dum Romae vivimus felices, laudemus sane amoenas et pulchras illas urbes, nec tamen abripiamur ullo eas visendi desiderio. — *absens*] „a patria nostra procul sita."

22-30. *fortunaverit*] V. *fortunare* est formularum religiosarum. Afranius apud Non. p. 109 Merc.: *Deos ego omnis ut fortunassint precor.* —

Grata sume manu, neu dulcia differ in annum,
Ut, quocumque loco fueris, vixisse libenter
Te dicas. Nam si ratio et prudentia curas, 25
Non locus effusi late maris arbiter aufert,
Caelum, non animum mutant, qui trans mare currunt.
Strenua nos exercet inertia, navibus atque
Quadrigis petimus bene vivere. Quod petis, hic est,
Est Ulubris, animus si te non deficit aequus. 30

Grata sume manu] quasi donum esset visibile ac tactile, pro pedestris orat. „grato animo." — *annum*] pro tempore infinito. Ep. 1, 2, 38: *si quid Est animum, differs curandi tempus in annum?* — *Non locus* cet.] Similiter Dio Chrysost. Or. 20. p. 491 R.: *οὐ τόπος ἐστὶν ὁ παρέχων οὐδὲ τὸ ἀποδημῆσαι τὸ μὴ φαῦλ' ἄττα πράττειν οὐδὲ εἰς Κόρινθον ἢ Θήβας ἀνακεχωρηκέναι, τὸ δὲ τὸν βουλόμενον πρὸς αὐτῷ εἶναι.* — *arbiter*] „qui mare longe prospectat itaque eius veluti dominus est." Cfr. Od. 1, 3, 15: *Quo* (Noto) *non arbiter Hadriae Maior.* — *Caelum, non animum* cet.] Aeschines adv. Ctesiph. §. 78: *ου γὰρ τὸν τρόπον, ἀλλὰ τὸν τόπον μόνον μετήλλαξεν.* — *Strenua-inertia*] Qualis est ardelionum vita (Martial. 2, 7), qui cum semper aliquid moliuntur moxque temere incepta omittunt, nihil umquam assequuntur nec perficiunt; quod cum ipsi sentiunt, taedio *exercentur*, fatigantur. Per *ὀξύμωρον* dictum est, ut illud Ennii apud Gell. 19, 10, 12: *Otioso negotio animus nescit, quid velit.* Senec. de Brev. vitae 11, 3: *desidiosa occupatio.* de Tranq. an. 12, 2: *inquieta inertia.* Od. 1, 34, 2: *insaniens sapientia.* 2, 12, 26: *facilis saevitia.* Ep. 1, 12. 19: *concordia discors.* — *exercet*] Sallust. Catil. 11: *Primo magis ambitio quam avaritia animos hominum exercebat.* — *navibus* cet.] „Nos maria et terras peragramus, ut bene beateque vivamus, quasi in locis externis atque a patria remotissimis tranquillius beatiusque victuri quam domi." LAMB. Ad verba similiter Iuven. 9, 131: *undique ad illos Convenient et carpentis et navibus omnes.* — *petimus b. vivere*] Eadem constructione Silius 3, 13: *bellique vices novisse petebat*, „quaerebat." — *Ulubris*] quas *vacuas* dicit Iuven. 10, 102. Oppidulum prope paludes Pomptinas et Velitras (*Velletri*), in ipso illo pago, qui nunc *Cisterna* dicitur, situm. Hanc Trebatii patriam ridet Cicero ad Fam. 7, 18, 3 propter ranunculorum ibi, ut ait, *ῥητορευόντων* multitudinem. — *animus--aequus*] Est *εὐθυμία* sive illa Epicuri *ἀταραξία ἢ (σὺν τῇ τοῦ σώματος ὑγιείᾳ) τοῦ μακαρίως ζῆν ἐστὶ τέλος.* Diog. L. 10, 128; „animus bene compositus, nulla cupiditate exagitatus nullaque aegritudine depressus." Sententia tam *γενικῶς* expressa est, ut familiarem offendere nequaquam posset: et tamen perquam acerbe criminati sunt interpretes nonnulli bonum hunc Bullatium, hominem, ut aiunt, inconstantem, levem, morosum, Horatii tamen amicum. Ceterum cfr. Plaut. Aul. 187: *Pol, sist animus aequos tibi, sat habes, qui bene vitam colas.* Rud. 302: *Ergo animus aequos optimum est aerumnae condumentum.*

EPISTULA XII.

Fructibus Agrippae Siculis, quos colligis, Icci,
Si recte frueris, non est, ut copia maior
Ab Iove donari possit tibi. Tolle querellas:
Pauper enim non est, cui rerum suppetit usus.
Si ventri bene, si lateri est pedibusque tuis, nil 5

XII. De Iccio vide Od. 1, 29. Huic sodalem suum, Pompeium Grosphum (Od. 2, 16), commendat, propter quam ipsam rationem prope incredibile est, interpretes ante Iacobsium (excepto tamen Gesnero) uno fere ore in eo consensisse, ut contenderent, in commendaticia hac epistula Iccium tamquam hominem sordidum, avarum, fatuum, dicis causa et propter nescio quam animi vanitatem philosophiae deditum, describi et cum insigni mordacitate derideri, nihilominus videlicet poëtae amicum. Hi ergo, quae in qualicumque epistula publice edenda nemo umquam amico tam malitiose, in vere familiari, si opus esset, aperte ac simpliciter, certe sine virulentia, quam sibi hic repperisse visi sunt, scriberet, etiam in commendaticia, ante omnia cum Grospho communicanda, scribi potuisse stolide opinati sunt. Scripta est a. u. c. 734 exeunte. Apparet autem, poëtam id voluisse, ut partim Grosphum in Iccii familiaritatem induceret, partim ut amicum propria condicione haud prorsus contentum tranquillaret atque ad inutiles querellas omittendas exhortaretur.

1-5. *Fructibus* cet.] Procurator Iccius tunc erat praediorum Siculorum M. Agrippae, quorum de reditibus rata pars tamquam administrationis merces ad ipsum perveniebat. Praeterea pro suo suorumque victu libere eis uti poterat, quaecumque in fautoris fundis proveniebant, certus cum esset Agrippa, numquam fore, ut procurator tam probus atque honestus quidquam illicito modo averteret. — *colligis*] „colligendos curas per vilicos, quibus praepositus es.“ — *non est, ut*] *οὐκ ἔστιν ὅπως*, „fieri nullo modo potest.“ Cfr. Od. 3, 1, 9: *Est, ut viro vir latius ordinet Arbusta sulcis.* Sic Lucretius 3, 715: *Haud erit, ut possit.* 5, 146: *Illud item non est ut possis credere.* et 978: *Non erat, ut fieri posset.* — *Tolle querellas*] „Mitte supervacaneas illas querelas, tibi in illos fundos administrandos multum temporis insumendum esse, quod et iucundius et utilius in philosophiae studiis collocaretur, nec tamen te posse divitiis aequare multos alios maiore otio fruentes.“ Nisi vero haec duo verba non nimis premenda sunt, adeo ut hoc tantummodo significent: „Nihil profecto habes, cur querare!“ — *suppetit usus*] ut *suppeditat* Cic. de Offic. 1, 12: *parare ea, quae suppeditent et ad cultum et ad victum.* Opponitur *usus* mancipio. Cic. ad Fam. 7, 30: *Atticum, cuius quoniam proprium te esse scribis mancipio et nexo, meum autem usu et fructu, contentus isto sum. Id enim est cuiusque proprium, quo quisque fruitur atque utitur.* Conf. Ep. 2, 2, 158 sqq. — *Si ventri* cet.] Theognis v. 719: *Ἴσόν τοι πλουτοῦσιν, ὅτῳ πολὺς ἄργυρός ἐστιν Καὶ χρυσὸς καὶ γῆς πυροφόρου πεδία, Ἵπποι θ' ἡμίονοί τε, καὶ ᾧ τὰ δέοντα πάρεστιν Γαστρί τε καὶ πλευραῖς καὶ ποσὶν ἁβρὰ παθεῖν Παιδός τ' ἠδὲ γυναικός.* — *pedibus*] Intellige pedes podagra

Divitiae poterunt regales addere maius.
Si forte in medio positorum abstemius herbis
Vivis et urtica, sic vives protinus, ut te
Confestim liquidus Fortunae rivus inauret,
Vel quia naturam mutare pecunia nescit, 10
Vel quia cuncta putas una virtute minora.
Miramur, si Democriti pecus edit agellos

Ep. XII. 8. *protinus* cod., *protenus* Bentl., Meineke.

non láborantes, sed fortes ac pernices.

7-11. *Si forte* cet.] Iam sapientis temperantiae exemplum affert: „Si *forte*, id quod non pro certo scio" (v. *forte* minime neglegendum est), „cum cibis lautioribus vesci facile tibi liceret, tamen *abstemius*, sobrius, manes ac vivis leguminibus oleribusque atque inter haec vel urticâ, aeque parco et tenui victu, etiam *protinus* (i. e. „*porro et sine intermissione*" Non. p. 375, *auch ferner*), „in perpetuum utéris, etiamsi subito dives factus eris, vel quia natura ultro temperans es, vel quia ex firmo proposito abstines a luxuria, ut sapientiae praeceptis satisfacias." — *In medio positae* sunt res, quarum potestas nobis est ac liber usus; hoc igitur loco cibi ceteroquin haud difficulter nec nimia impensa parandi, quibus tamen Iccius simplicioribus etiam contentus abstineat. Cfr. Sat. 1, 2, 108. — *abstemius*] pr. „ἄοινος, qui vino abstinet", h. l. „sobrius" generatim. Similiter Sidonius Apoll. Ep. 8, 3: *inter epulas abstemium, inter purpuratos linteatum.* — *urtica*] Est omnino planta huius nominis, qua Itali etiamnunc vere, dum tenera est, vesci interdum solent; Plin. n. h. 21, 15, 55: *Incipiens quidem ipsa* (urtica) *nasci vere, non ingrato multis etiam religioso in cibo est ad pellendos totius anni morbos:* neutiquam urtica marina, Medusae genus, quae in opipare paratis pontificum cenis apponebatur. Macrob. Saturn. 2, 9. Dictum autem est *herbis-et urtica*, ut Ovid. Met. 10, 261: *et flores mille colorum Liliaque.* — *protinus*] ita omnes codices Horatiani habent et hoc loco et infra ep. 18, 67 atque Sat. 2, 5, 21; idem cod. optimi Vergilii praebent: non recte igitur nonnulli scribunt *protenus.* — *ut*] „licet, quamvis;" non ἵνα. Cfr. Epod 1, 21. — *Confestim liquidus* cet.] Suspicor proverbii locum obtinuisse Fortunae aureum rivum, qui ubi homini affluxit, hic *confestim*, id est, repente, dives fit. Cfr. Lucilium in Anth. Pal. II. p. 315: Κἂν ποταμὸς χρυσοῦ νάματά σοι παρέχῃ. Ad τρόπον in v. *inaurare* cfr. Cic. ad Fam. 7, 13: *Moriar, ni, quae tua gloria est, puto te malle a Caesare consuli quam inaurari.* — *naturam mutare pecunia nescit*] „Qui naturâ vel sine philosophorum praeceptis temperans est, etiam dives factus prius vitae genus, bonae valetudini unice aptum servat." Epod. 4, 6: *Fortuna non mutat genus.* Scholii loco esto illud Cornelii Nep. Att. 14: *Cum tanta pecuniae facta esset accessio, nihil de quotidiano cultu mutavit, nihil de vitae consuetudine, tantaque usus est moderatione, ut--pari fastigio steterit in utraque fortuna.* — *cuncta putas* cet.] ex Stoicorum doctrina.

12-14. *Miramur* cet.] „Virtuti autem te vel maxime studere et

Cultaque, dum peregre est animus sine corpore velox;
Cum tu inter scabiem tantam et contagia lucri
Nil parvum sapias et adhuc sublimia cures: 15
Quae mare compescant causae, quid temperet annum,
Stellae sponte sua, iussaene vagentur et errent,

philosophiae deditum esse gaudeo; etenim si miramur, Democritum illum rem familiarem ob sapientiae studia prorsus neglexisse, multo magis profecto te admiremur necesse est, qui inter multa negotia necessaria quidem, sed interdum sordidiora, ut est tabularum expensi acceptique confectio, inter homines quaestus ac lucri cupidos, quibuscum saepe versari debes, nihilominus philosophiae et physicis studiis vacas." — *Democriti*] Abderitae, philosophi Eleatici. Cic. de fin. 5, 28, 87: *Cur ipse Pythagoras -- tot maria transmisit? cur haec eadem Democritus? qui (vere falsone, non quaeremus) dicitur se oculis privasse; certe, ut quam minime animus a cogitationibus abduceretur, patrimonium neglexit, agros deseruit incultos.* Cfr. Tusc. 5, 114. 115. Prorsus ut Horatius Ioannes Chrysost. ad viduam iun. T. I. Ed. Paris. nov. p. 423. Democritum vocat *τὸν μηλόβοτον ἀνέντα τὴν χώραν τὴν αὐτοῦ.* — *peregre est*] „meditationi immersus et quasi segregatus a corpore, procul abest a rebus terrestribus." Cic. pro Mil. 33: *vestrae peregrinantur aures?* — *velox*] „inter veri θεωρίας magna cum facilitate versans." Plato Theaetet. p. 173. E: *τῷ ὄντι τὸ σῶμα μόνον ἐν τῇ πόλει κεῖται αὐτοῦ (τοῦ διατρίβοντος ἐν φιλοσοφίᾳ) καὶ ἐπιδημεῖ, ἡ δὲ διάνοια -- πανταχῇ φέρεται κατὰ Πίνδαρον, τά τε γᾶς ὑπένερθε καὶ τὰ ἐπίπεδα γεωμετροῦσα κτλ.* — *scabiem*] „sordidam aliorum avaritiam, quibuscum Agrippae rationes tibi putandae sunt." *Scabies* significat acria avaritiae irritamenta, ut cum de voluptatibus usurpatur. Cic. de legg. 1, 47: *Voluptas malorum mater omnium, cuius blanditiis corrupti quae naturā bona sunt, quia dulcedine hac et scabie carent, non cernunt satis.* — *contagia*] „lucri cupiditas morbi contagiosi instar iam prope omnes invasit."

15. *Nil parvum* cet.] „Cum sapientiae studio ductus res externas, quae caducae et sub sapiente positae sunt, despicias atque *adhuc* etiam provectiore aetate post militiam (Od. 1, 29) interque tot rerum patroni tuis curas *sublimia*, *τῶν μετεώρων* species et causas, scruteris." — *sapias*] Simpliciter pro *φρονῇς*, „cogites." — *et adhuc*] „etiamnunc post tam diuturnum tempus, quod plerosque lassare potuisset atque efficere, ut talibus ab investigationibus iamdiu destitissent." — *sublimia*] „*τὰ μετέωρα*, caelestia", „philosophiam physicam." COMM. CRUQ. *Superas res* dixit Lucretius 1, 127. Quae versibus 16-20 memorantur, haud nimis utique curabat poëta, unde simul levis et amica inest ironia: „adhuc cures, quae humanae cognitioni negata sunt."

16-20. *Quae mare* cet.] Similes loci sunt Verg. Ge. 2, 475 seqq. Propert. 4, 4, 25 sqq. Manil. 1, 94 sqq. Stat. Silv. 5, 3, 19 sqq. — *compescant-temperet* Propert. l. l. 37: *Curve suos fines altum non exeat aequor, Plenus et in partes quattuor annus eat.* — *sponte sua* cet.] „proprione impetu atque instinctu an *iussae* ac ductae numine divino." Sic Verg. Aen. 9, 21.

Quid premat obscurum lunae, quid proferat orbem,
Quid velit et possit rerum concordia discors,
Empedocles an Stertinium deliret acumen. 20
Verum, seu piscis seu porrum et caepe trucidas,
Utere Pompeio Grospho et, si quid petet, ultro
Defer; nil Grosphus nisi verum orabit et aequum.

palantes polo stellas dicit, ac prorsus ut Horatius, Cicero de rep. 1, 22: *stellarum, quae errantes et quasi vagae nominarentur.* — *premat*] „abscondat“;“ *obscurum* autem *κατὰ πρόληψιν*, „ita ut obscuretur.“ Intellige de solitis lunae vicissitudinibus, *κενώσεσι καὶ πληρώσεσι*, non de eius defectu. Similiter Prop. l. l. 27: *unde coactis Cornibus in plenum menstrua luna redit* — *Quid velit et possit*] „Quis finis (*σκοπός*) et quae vis sit mundi universi.“ — *concordia discors*] „universitas rerum, licet nobis interdum discors videatur, tamen admirabili singularum partium concordia iuncta.“ Sic Ovid. Met. 1, 433: *discors concordia fetibus apta est.* Seneca Quaest. Nat. 7, 27, 3: *Tota haec mundi concordia ex discordibus constat.* Inversa ratione Manilius 1, 141 *discordiam concordem* dixit. De oxymoro cfr. Ep. 1, 11, 28. — *Empedocles*] Agrigentinus, Pythagorae discipulus. H. l. significatur eius *νεῖκος καὶ φιλία* fragm. ed. Mullach v. 68: *Ἄλλοτε μὲν φιλότητι συνερχόμεν' εἰς ἓν ἅπαντα, Ἄλλοτε δ' αὖ δίχ' ἕκαστα φορεύμενα νείκεος ἔχθει.* Cfr. A. P. 465. Empedoclis autem carmina frequenter a Romanis legebantur, ut demonstrat Lucretius et Cn. Salustii Empedoclea derisa a Cicerone ad Q. Fr. 2, 11, 4. — *Stertinium deliret acumen*] Sine ioco: „Investigas, utrum verior sit physica doctrina Empedoclis, an Stoicorum.“ Iam facete pro Stoicis ponit ridiculum illum *Stertinium*, „sapientem octavum“ (Sat. 2, 3, 33. 296), „qui CCXX libros Stoicorum Latine scripsit“ (SCHOL.) eique *κατ' εὐρωνείαν acumen* tribuit; *Stertinium* autem pro *Stertinianum*, ut Od. 4, 12, 18: *Sulpiciis-horreis.*

21-24. *Verum seu* cet.] „Verum quicumque tuae vitae est habitus (quem satis simplicem ac frugalem esse probe novi, quippe cum victus tuus constare non soleat nisi piscibus, porro ac similibus), benigne, quaeso, recipe, quem tibi commendo, Grosphum eiusque consuetudine amice utere.“ — *pisces*] Etiam piscium vel recens captorum vel *ταριχευτῶν* in Sicilia *vilius* fuit pretium. Significat Iccium spretis lautitiis Romanis vivere Graecorum tenuiorum more. Festive autem *trucidas* ad Pythagorae et Empedoclis sectatorem; Hieron. Lib. 2, adv. Iovinian. T. 2. p. 331, Vallars.: *Probabo non Empedoclis et Pythagorae nos dogma sectari, qui propter μετεμψύχωσιν omne quod movetur et vivit edendum non putant, et eiusdem criminis reos arbitrantur, qui abietem quercumque succiderint, cuius parricidae sunt et venefici.* Ceterum negari nequit, iocosi aliquid inesse in verbo *trucidas*, ut cum Lucilius apud Nonium p. 449 ed. Merc. dicit: *Durum, molle voras; fragmenta interfici' panis.* — *verum*] „iustum.“ Cfr. Ep. 1, 7, 98. — *Vitis* cet.] Proverbium videtur, cui proxime accedit Xenoph. Mem. 2, 10, 4: *νῦν διὰ τὰ πράγματα* (propter hunc rei publicae statum) *εὐωνοτάτους ἔστι φίλους ἀγαθοὺς κτήσασθαι.* „Proborum hominum amicitia *εὐωνοτάτη* est, tenui pre-

Vilis amicorum est annona, bonis ubi quid deest.
Ne tamen ignores, quo sit Romana loco res: 25
Cantaber Agrippae, Claudi virtute Neronis
Armenius cecidit; ius imperiumque Phraates
Caesaris accepit genibus minor; aurea fruges
Italiae pleno defundit Copia cornu.

29. *defundit* Blandinii, in his antiquissimus, Lipsiensis, Gothanus, OSbγ, ceteri vel *defudit* vel *diffundit* vel *diffudit.*

tio, facili opera paratur, si qua re indigent, quam nos eis impertire possumus, simul comiter id facientes. Sic tu primo quoque officio, tibi minime molesto, facile Grosphi amicitiam tibi conciliare poteris.“ — *bonis*] „hominibus probis ac propterea dignis, quos demereare.“

25-28. *Ne tamen* cet.] „Ne tamen tu, remotus cum sis ab Urbe et philosophiae studiis occupatus, ignores“ cet. De omisso in apodosi v. „scito“ cfr. Sat. 2, 1, 81. Ad soni similitudinem inter vv. *ignores* et *loco res* cfr. Ep. 1, 14, 7. — *Cantaber Agrippae*] Hi vv. praecipue Augusti eiusque amicorum causa additi sunt. Cantabros, cum aliquoties pertinaciter rebellassent, M. Agrippa tandem a. u. c. 734. *τούς τε ἐν τῇ ἡλικίᾳ πάντας ὀλίγου διέφθειρε καὶ τοὺς λοιπούς τά τε ὅπλα ἀφείλετο καὶ ἐς τὰ πεδία ἐκ τῶν ἐρυμνῶν κατεβίβασεν.* Dio Cass. 54, 11. Cfr. Od. 2, 6, 2. Apte autem primo loco memoratur Agrippa, Iccii patronus. — *Claudi-Neronis*] Cfr. Ep. 1, 3, 2. — *Armenius cecidit*] i. e. Armeniam composuit. Cfr. Augusti Monum. Ancyr. V. 24 (Momms.) ‘*Armeniam* maiorem interfecto rege eius Artaxia, cum possem facere provinciam, malui maiorum nostrorum exemplo regnum id Tigrani regis Artavasdis filio, nepoti autem Tigranis regis, per Tib. Neronem tradere, qui tum mihi privignus erat’. Cfr. Augusti nummum apud Arneth. II. p. 40, 94: *ARMENIA CAPTA.* et N. 94, in quo expressa est Armenia flexum genu submittens. Tacitus Ann. 2, 3: *Occiso Artaxia per dolum propinquorum datus a Caesare Armeniis Tigranes deductusque in regnum a Tiberio Nerone.--Dein iussu Augusti impositus Artavasdes.* — *Phraates*] Monum. Ancyr. V. 40: ‘Parthos trium exercituum Romanorum spolia et signa reddere mihi, supplicesque amicitiam populi Romani petere coegi. Ea autem signa in penetrali, quod est in templo Martis Ultoris reposui.’ Ceterum construe: „Arsaces XV. s. *Phraates* IV., Parthorum rex (a. u. c. 717-753), genibus minor accepit ius imperiumque Caesaris.“ — *genibus minor* pr. „infra Caesaris genua collocatus, ad genua eius admissus“, (ut Nero Tiridatem *primo--admisit ad genua, allevatumque dextra exosculatus est.* Sueton. Ner. 13), poëtica imagine pro „supplex per legatos atque submissus;“ numquam enim ipse Romam venerat, ut se ad Augusti pedes prosterneret eique supplicaret. Imperium autem Augusti accepit, quatenus ob metum belli, quod hic ipsi minitabatur, captivos ex Crassi, Ventidii et Antonii exercitibus signaque militaria Crasso adempta Romam remisit et filios nepotesque obsides Augusto dedit. Tac. Ann. 2, 1: *Phraates--cuncta venerantium officia ad Augustum verterat.*

29. *Copia*] abundantiae et uber-

EPISTULA XIII.

Ut proficiscentem docui te saepe diuque,
Augusto reddes signata volumnia, Vini,
Si validus, si laetus erit, si denique poscet;
Ne studio nostri pecces odiumque libellis
Sedulus importes opera vehemente minister. 5

EP. XIII. 2. *Vini* inscript. et tituli huius epistulae cod. γ aliorumque, codices in textu fere omnes *Vinni.*

tatis dea, ut Carm. Saec. 60. Eam *auream* vocat, id est, beatam, ut fere Od. 1, 5, 9. 2, 10, 5. „Haec autem omnis generis fruges fructusque quasi de caelo in terram nunc *defundit*, e cornu suo omnibus abundanter largitur.“ „Si *defudit* legeris, post messem scripta erit epistula: si *defundit*, ipso messis tempore.“ BENTL. Lectio *defudit* orta videtur ex praecedentibus perfectis *cecidit* et *accepit*. Cfr. Arnob. 6, 25: *Fortuna cum cornu pomis, ficis aut frugibus autumnalibus pleno.* Similes autem laudes Caesaris aetati impertit poëta Od. 4, 5, 17 sqq. 4, 15, 5 sqq.

XIII. „Hanc epistulam ad Vinium Asellam (vel Asinam v. 8?), quisquis ille fuit, missam esse numquam adducar ut credam. In Augusti potius gratiam scripta videtur, cui poëta verecundiam suam vix poterat commendare urbanius. Paratam eadem habebat excusationem, si forte poëmata sua Augusto ab amicis nimis officiosis male essent tradita aut minus apte commendata.“ IACOBS. Festive igitur simulat se praeter mandata, quae domi iam saepe diuque homini bono, sed pinguioris ingenii, inculcarit, ne illa iam iter faciens, magis etiam cum in Urbem pervenerit, obliviscatur, eadem etiam litteris consignare, hasque litteras, quas Asella, ut probabile est, numquam vidit, post eius profectionem ex praedio Sabino per tabellarium mittere. Fuit autem (nam persona ipsa vera est, et fortasse notus homo erat Augusto) vel vicinus Horatii, vel unus quinque illorum bonorum patrum, colonorum partiariorum in eius Sabino: servus certe tabellarius non fuit, cum tria nomina Latina habuerit, C. Vinius Fronto vel Asella, ut aiunt Scholiastae. Scripta videtur epistula Lachmanno vel ineunte a. 730 vel ante hiemem a. 732; per medium enim tempus extra Italiam degit Augustus. Conf. Th. Mommsen in Hermae vol. XV 105 sq.

2-5. *signata*] obsignata Horatii anulo, ut decebat talia potenti fautori mittere: „integra igitur, ut accepisti, et a nullo alio aperta Augusto ita reddes, si validus erit.“ — *volumina*] Satis probabile est, poëtam loqui de tribus Carminum libris tunc ipsum editis. — *Si validus*] „Eo tempore saepe aegrotabat Augustus, non solum in Hispania, sed etiam Romae gravissimo morbo correptus.“ FRANKE l. l. — *pecces*] „in culpam ac reprehensionem incidas.“ — *odium*] ut v. *odisse* aliquotiens Horatius usurpat pro *spernere*, cfr. Od. 3, 1, 1. „Si forte offendes Augustum, fieri potest ut indignabunde accipiat mea carmina.“ — *Sedulus* cet.] „minister nimio studio importunus.“ Cfr. Sat. 2, 5, 89. Ep. 2, 1, 260: *Sedulitas autem stulte, quem diligit, urget.* — *importes*] plerumque de rebus incommodis, ut „importare calamitatem, luctum, periculum, pestem.“

Si te forte meae gravis uret sarcina chartae,
Abicito potius, quam quo perferre iuberis
Clitellas ferus impingas Asinaeque paternum
Cognomen vertas in risum et fabula fias.
Viribus uteris per clivos, flumina, lamas. 10
Victor propositi simul ac perveneris illuc,
Sic positum servabis onus; ne forte sub ala
Fasciculum portes librorum, ut rusticus agnum,

6-9. *uret*] de onere molesto, ut Ovid. Rem. Am. 235: *Aspicis, ut pressos urant iuga prima iuvencos.* Cfr. Ep. 1, 10, 43. Sed hoc per iocum; non enim re vera gravis esse poterat libellorum *sarcina*, quo ipso voc. praeparatur alter iocus v. 8. — *Abicito*] Festive significat, se nullum fere scriptis suis pretium statuere. „Abicito potius in ipso itinere" (fingit enim ob propria quoque negotia Vinium Romam proficisci et tantum officii causa carmina illa secum portare), „quam ut eo loco, usque ad quem perferre iuberis sarcinam, *ferus*, oneris iam impatiens, efferatus, ut iniquae mentis asellus, cum vi et multo cum fragore deicias humi alicubi vel in atrium Palatii *clitellas* muli vel asini tui, quibus sarcina illigata est atque inde solvenda. Quodsi tam rusticus esses, quam significo, merito Asellam te vocari, qui hoc viderent, ridentes dicerent." — *Asinae*] Sic videtur dixisse pro *Asellae*; non enim credibile est patris cognomen *Asinae*, ut volunt, ioci causa a vicanis eius in Asellae deflexum esse. Quod *paternum* est cognomen, monstrat iam patrem ingenuum rusticum Romanum fuisse nec vero cognomen filio contumeliae causa inditum. Memento cognominum *Bestiae*, *Oviculae*, *Scrofae*, *Verris* ac similium. — *fabula*] Cfr. Epod. 11, 8: *Fabula quanta fui!* Iuven. 10, 167: *Ut pueris placeas et declamatio fias.*

10-15. *Viribus* cet.] Iocatur, quasi difficillimum inceptum foret ex Sabino Romam pervenire. — *lamas*] „lacunas maiores continentes aquam pluviam seu caelestem. Ennius: *Silvarum saltus, latebras lamasque lutosas.*" ACRON et COMM. CRUQ. — *Victor propositi*] ἐγκρατὴς τοῦ σκοποῦ. — *Sic positum servabis*] „Sic pones et, cum posueris, etiam sic servabis, ne cet." Expono igitur, ut Verg. Aen. 3, 236: *tectosque per herbam Disponunt enses et scuta latentia condunt*, id est, „ita disponunt, ut tegantur" et „condunt, ut lateant." „Decore", inquit, „dextera teneto libellos tum, cum ad Augustum admissus eris, ne forte rustico aliquo gestu ei risum moveas." — *ut rusticus agnum*] Iam triplex proponit exemplum ab Asella minime imitandum: 1) imaginem rustici agnum sub axilla ad mercatum ferentis, ridiculam propter continuos bestiolae motus et curam hominis, ne in solum desiliat, ne ab ipso fortasse laedatur; 2) „Pyrrhiam, ancillam in quadam Titinii fabula, quae furata lanam dominae suae, propter temulentiam ita gestavit, ut facili opera deprehenderetur." SCHOL. — *vinosa*] Ridiculi causa in comoediis ac minis huiuscemodi feminas inducebant, ut est Lena in Plauti Cistellaria. — *glomus*] Forma *glomus*, *i*, ido-

Ut vinosa glomus furtivae Pyrrhia lanae,
Ut cum pileolo soleas conviva tribulis. 15
Ne volgo narres te sudavisse ferendo
Carmina, quae possint oculos aurisque morari
Caesaris. Oratus multa prece, nitere, porro
Vade, vale: cave ne titubes mandataque frangas.

14. *glomus* cod. plerique, in his quartus Blandinius, *glomos* Vossianus, Leidensis, Gothanus, bcdφψλ. — 16. *Ne* plerique cod., *Neu* O, Bentlei cod. Galeanus. — 18. *nitere. porro Vade* sic recte Bentleius, quem secuti sunt Haupt, Vahlen alii, improb. O. Keller.

nea auctoritate caret. Praeterea recte Bentleius: „Satis profecto erit Pyrrhiae, si unum furtivae lanae glomus sub ala recondat.“ — 3) *tribulis*] Homines ambitiosi, auram popularem captantes, tribules etiam pauperiores ruri degentes ad convivia interdum invitabant. Principes autem cives in XXXI rusticas tribus, homines infimae sortis in IV urbanas memento relatos fuisse. Rusticus igitur Romanus invitatus a tribuli suo locuplete atque illustri non sine quadam verecundia ac timore e vico suo in Urbem pergit calceatus vel peronatus; quia servum non habet, certe qui opus rusticum deserere possit, ipse *soleas*, quibus indutus in triclinium intrare debet, una cum pileo, quo sub noctem domum revertens caput tecturus est, sub ala portat. Optimus autem homo eo maxime ridiculus fit, quod dum quantocumque potest cum decore soleis puris nec pulvere adspersis in triclinium introire parat calceosque ibi exutos et pileum atriensi tradit, eis omnibus, qui cum maxime in atrio sunt, et ingenuis et libertis et servis nimis demissus ac timidus videtur.

16. 17. *Ne volgo* cet.] „Ne ardelionum circulis et turbae libertorum in Palatinis aedibus narres te in itinere ex agro Sabino Romam facto sudavisse, cum afferres Augusto egregia scilicet Horatii carmina; nihil enim attinet illos hoc resciscere nec te mandato meo gloriari neque me apud quos minime convenit intempestive a te laudari.“ Asyndeton codicum optimorum *ne narres* post futura *uteris*, *servabis* aptius videtur quam vel *neu* vel *nec narres*. — *sudavisse*] Nihil habet ingrati aut rustici, ut visum est nonnullis; siquidem nihil aliud nisi itineris atque oneris molestiam significat. Sic Cic. ad Fam. 3, 12, 3: *Vides sudare me iamdudum laborantem, quomodo ea tuear, quae mihi tuenda sunt.* — *oculos aurisque*] *oculos* legentis, *aures* ab anagnosta recitata audientis; nisi vero sine hoc discrimine per proverbii modum dictum est. — *morari*] *Morantur* nos, quae delectant. A. P. 321.

18. 19. *oratus multa prece,*] *nitere.* „Etsi multis precibus illiusmodi homines te oraverint, ut quid Augusto apportes sibi dicas, tu quo te iussi continuo perge, donec ad ipsum admittaris.“ — *cave*] ultima brevi. Vid. ad Sat. 2, 3, 38. — *ne titubes* cet.] „Cave, ne per errorem animi pravi quidquam in hoc negotio committas ac propterea male exsequaris mandata mea;“ quemadmodum dicimus *foedus*, *fidem*, *iura*, *leges frangere*. Et v. *titubare* haud raro usurpatur pro v. „errorem committere“,

EPISTULA XIV.

Vilice silvarum et mihi me reddentis agelli,
Quem tu fastidis habitatum quinque focis et

Ep. XIV. 1. *Vilice* scripsi cum E, ut est semper in Inscriptt.

ut Plaut. Pseud. 939: *At ne titubes, vide.*" Terent. Heaut. 360: CLIN. *Verum illa ne quid titubet.* SY. *Perdoctast probe.* Haud inscite Düntzer notat, Horatium proprias suas cogitationes festivis his mandatis veluti velasse; quippe qui significare voluerit, sese poëmatis suis Augusto missis nullam omnino molestiam fautori *opera vehemente* exhibere velle, quasi eum ad ea legenda cogeret tempore ipsi minus opportuno.

XIV. Vilicum Horatius videtur praeposuisse Sabino suo ex illo ipso hominum genere, quod dominis dissuadet Columella 1, 8, 1: *Praemoneo, ne vilicum ex eo genere servorum, qui corpore placuerunt, instituamus; ne ex eo quidem ordine, qui urbanas ac delicatas artes exercuerit. Socors et somniculosum genus id mancipiorum, otiis, campo, circo, theatris, aleae, popinae, lupanaribus consuetum, numquam non easdem ineptias somniat.* Iam ioci causa fingit se servo isti nequam, moroso, bibaci, in urbem reverti cupienti hanc epistulam mittere, qua ruri ei manendum esse significet: re vera autem hac scriptiuncula, quam vilicus ipse vix umquam vidit, demonstrare voluit iniquis suis, qui ei propter villulam a Maecenate donatam invidere volebant, non tam ob ipsam possessionem eam sibi caram esse quam propterea, quod ibi remotus ab illorum malignitate (v. 37) et a ceteris omnibus urbis molestiis tranquillo animo vivat studiisque libere vacet. Simul autem amicis, qui fortasse interdum mirarentur, cur tam libenter in aspero illo Sabino degeret, rationes exponit, quibus ad secessum istum urbi saepe praeferendum impellatur.

1-3. *Vilice*] Vilicus utique servus, non libertus, quales Horatius numquam memorat. — *silvarum*] Cfr. Od. 3, 16, 29. Sat. 2, 6, 3. Silvas perreptare amabat Horatius ut Tibullus. Vid. Ep. 1, 4, 4. — *mihi me reddentis*] „quia, cum Romae dego, aliorum potius sum quam meus ipsius; ruri mihi vivo, ut volo, et ab officiis negotiisque urbanis me reficio ac recreo." Cfr. Sat. 2, 6, 60 sqq. Ep. 1, 10, 6 sqq. — *tu*] „qui ante eras in mea familia urbana, meum fundum fastidis, quamvis eum habitent quinque familiae, ita ut totidem *boni*, id est, strenui atque honesti, patresfamilias inde Variam se conferre soleant ad nundinas obeundas et quando oppidana habentur comitia creandis duumviris iuri dicundo, aedilibus ceterisque magistratibus municipalibus. (Filii, ne opus rusticum cessaret, domi videntur remansisse.) Intellege colonos partiarios liberos, qui ipsi possessionibus carentes pro certa mercede vel pro rata proventus parte, ut etiam nunc fit apud Italos, quinquepartitum Horatii Sabinum colebant. Hoc igitur dicit: „Nec tamen praedium est nimis exiguum, cuius te pudeat pigeatque; immo quinque familiis liberis tu, servule, praepositus es ad earum opera rustica inspectanda ac regenda et ad rationes cum his patribus familias putandas." Nec vero haec pugnant cum Sat. 2, 7, 118: *accedes opera agro nona Sabino.* Etenim hi octo servi unice occupati erant in ipsa Horatii villa hortisque adiacentibus cet.; quinque coloni cum familiis per tugu-

Quinque bonos solitum Variam dimittere patres,
Certemus, spinas animone ego fortius an tu
Evellas agro et melior sit Horatius an res. 5
Me quamvis Lamiae pietas et cura moratur
Fratrem maerentis, rapto de fratre dolentis
Insolabiliter, tamen istuc mens animusque

ria habitantes reliquos eius agros colebant. Portiones autem totius fundi tunc quoque colonis illis singulis admodum modicas locatas esse, quo melius colerentur, sane consentaneum est, prorsus ut nunc solent Itali locupletes suis colonis. — *focis*] Sic Plato Legg. 1. p. 642. B.: *ἡμῶν ἡ ἑστία*, „domus nostra." — *Variam*] „Varia oppidum in Sabinis olim, nunc vicus imminens Anieni ad octavum lapidem ultra Tibur in via Valeria." COMM. CRUQ. Hodie *Vicovaro*.

4. 5. *Certemus*] „Agedum videamus, utrum ego diligentius animum meum vitiis purgem, an tu spinas ex agro meo evellas; atque utra ratio melior sit, eane, qua me ipse curo, quod ad virtutem attinet, in eo elaborans, ut quotidie melior ac tranquillior fiam, an ea, qua tu, homo socors (*pigrum* vocat v. 29), colis *rem* meam, id est fundum Sabinum, praecipuam facultatum mearum partem?" Simili comparatione utitur Velleius 2, 68: *peior illi* (M. Caelio) *res familiaris quam mens erat.* — *spinas*] Cfr. Ep. 2, 2, 212: *Quid te exempta iuvat spinis de pluribus una?* Sunt igitur et vitia illa *minora*, quibus se laborare concedit Sat. 1, 3, 20, et vanae curae ac sollicitudines. — *Evellas*] „In enuntiatione coniuncta una vox, quae tamen potentia duarum vicem gerat, ratione duplicis subiecti duplicem etiam sustinere sensum s. significationem potest, ut hic et in illo Ioëlis 2, 13: *Scindite cor vestrum et non vestimenta vestra.*" RAPPOLT.

6-9. *Lamiae*] Est L. Aelius L. F. Lamia, consul postea a. u. c. 756, de quo v. Od. 1, 26 et 3, 17. Hic igitur tunc lugebat mortem Quinti fratris. — *quamvis - - moratur*] indicativum optimi cod. firmant; conf. Ep. 1, 17, 22: *quamvis fers te nullius egentem.* — *pietas et cura*] „fraternus amor, quo Lamia erepti fratris recordatur, et aegritudo, qua consumitur;" non: „Horatii in Lamiam studium", duobus his vocc. *pietas et cura* significatum, neque: „*cura* Horatii, *pietas* Lamiae." — *Fratrem - - fratre*] Repetitio eiusdem vocabuli, ipsum *ὁμοιοτέλευτον* a nescio quo reprehensum, sequens *ἐξασύλλαβον* et, ut videtur, *ἅπαξ λεγόμενον* mirabiliter Lamiae maerorem et luctum exprimunt. Aeque lugubris sonus est Homerici illius Ψ 221: *ψυχὴν κικλήσκων Πατροκλῆος δειλοῖο.* — *maerentis - - dolentis*] Versus huiusmodi, quos media aetas Leoninos appellavit, reperiuntur iam apud Homerum. Il. *N* 217: *Ὃς πάσῃ Πλευρῶνι καὶ αἰπείνῃ Καλυδῶνι.* Od. *δ* 684: *Μὴ μνηστεύσαντες, μηδ' ἄλλοθ' ὁμιλήσαντες.* Similes Vergilii versus collegit Wagner ad Georg. 1, 157, exempli causa Aen. 9, 621: *Talia iactantem dictis ac dira canentem.* 9, 634: *I, verbis virtutem illude superbis.* Cfr. Cic. ad Att. 12, 28, 2: *Maerorem minui, dolorem non potui nec, si possem, vellem.* — *istuc*] „in agrum, ubi tu nunc es." — *mens animusque*] „*νοῦς καὶ θυμὸς* me *istuc fert*, impellit me, ut istic esse longe malim, et veluti in ludis circensibus equi feroces qua-

Fert et amat spatiis obstantia rumpere claustra.
Rure ego viventem, tu dicis in urbe beatum. 10
Cui placet alterius, sua nimirum est odio sors.
Stultus uterque locum immeritum causatur inique:
In culpa est animus, qui se non effugit umquam.
Tu mediastinus tacita prece rura petebas,
Nunc urbem et ludos et balnea vilicus optas; 15
Me constare mihi scis et discedere tristem,

9. *avet* Bentleius coniecturâ. — 11. *odio sors* cod. plerique, *odio res* unus Blandinius, Gothanus, Monacensis, ES paucique alii.

drigis iuncti impatienter exspectant, donec mappa a praetore missa e *claustris* i. e. carceribus currus emittantur, ut in liberum circi curriculum prorumpant, sic ego quam primum rus proficisci cupio.“ Ceterum *mens animusque* haud raro ita iunguntur. Cfr. Terent. Andr. 164: *Mala mens, malus animus.*

10-20. *Rure ego* cet.] „Ego, quia tranquillitatem quaero Sabinique mei amoenitate delector, rus praefero; tu urbem, in qua cupiditates tuas facilius expleas minusqus laboris te exerceat.“ — *nimirum*] *natürlich* — *uterque*] Cum versu praeced. una dumtaxat persona significetur, vix aliter fieri potest, quam ut cum plerisque inde a Landino usque ad Vossium explicemus: „ego ac tu“, ita ut dominus quodammodo servo se aequiparet, sed κατ' εἰρωνείαν. Nam ipse, qui rus ideo praeferebat, ut ibi simplicius viveret atque in emendando se tranquillandoque diligenter elaboraret, stultum serio se vocare nequaquam poterat. Ergo, quod ad verum sensum attinet, est quasi generalis sententia: „Aeque stultus est uterque et qui nulla certa ratione ductus urbem (ut tu facis) et qui rus praefert.“ — *locum immeritum causatur*] „locum, cuius nulla est culpa, αἰτιᾶται, accusat.“ Sic Od. 1, 17, 28: *immeritam-vestem.* Sat. 2, 3, 7: *immeritus - - paries.* — *se-effugit*] Od. 2, 16, 19: *Patriae quis exul Se quoque fugit?* — *mediastinus*] unde factum sit vocabulum non magis constat, quam quid significet. Nonius pg. 143 M. ‘*Mediastinos* (cod. *Mediastrinos* et sic in Lucilianis ed. L. M. et Lachm.), non balnearum, sed ministros et curatores aedium legimus. Lucil. XVII (XV 19 L. M., v. 418 Lchm.): *vilicum Aristocratem, mediastrinum atque bubulcum.* Colum. 1, 9, 3: *Mediastinus qualiscumque status* (staturae) *potest esse, dummodo perpetiendo labori sit idoneus.* A verbo *mediastinus* ducuntur vv. *meschino, mesquin, mezquin*, quibus nunc exuta primitiva significatione hominum tenuiorum miseram sortem designant; illa contra cernitur in Dantis Furiarum circumscriptione, *Inferno* 9, 45: *le meschine* (mediastinae] *Della rigina dell' eterno pianto.* — *t. pr. r. petebas*] „ut rus mitterere, optabas, et quidem tacite, timens, ne erus id tibi negaret; ego tamen optata tua perspiciens his satisfeci.“ — *balnea*] Videlicet in Sabino thermae publicae, quibus otiosi etiam inter se confabulandi causa delectabantur, non erant. — *tristem*] „iniqua mente, *ü b e l l a u-*

Quandocumque trahunt invisa negotia Romam.
Non eadem miramur; eo disconvenit inter
Meque et te: nam quae deserta et inhospita tesqua
Credis, amoena vocat, mecum qui sentit, et odit, 20
Quae tu pulchra putas. Fornix tibi et uncta popina
Incutiunt urbis desiderium, video, et quod
Angulus iste feret piper et tus ocius uva,
Nec vicina subest vinum praebere taberna

19. *tesqua* cod. fere omnes, ut aliorum scriptorum.

nig." — *tesqua*] vocabulum Sabinum. Acro: „loca deserta et difficilia. Lingua Sabinorum deserta et repleta sentibus sic nominantur." Porphyrio: „loca aspera et silvestria." Glossar. Labbei: *Κατάκρημνοι καὶ ῥάχεις καὶ ἔρημοι τόποι.* Accius in Philocteta Lemnio: *Quis tu es mortalis, qui in deserta et tesca te apportes loca?* apud Varr. L. L. 7, 11, ex quo Orelli scripsit *tesca.* „*Tesqua*] loca inutilia, quae subigi non possunt. Loquitur in vilicum. Lucilius in II. *per inhospita tesqua vagantem Rerum animo sequitur captarum gratia maior.*" Barth. Advv. 15, 3 e glossa Horatiana. Haec autem Lucilius, ut similiter Horatius, opposuisse videtur vilici sui vitae rusticae impatientiae; hoc enim dicit: „dum tu de miseris ac solitariis meis tesquis lamentaris, ego per eadem hilari animo vagans imagines, iocos, sententias, quibus postea in poëmatis utar, colligere soleo." — *mecum qui sentit*] „qui eodem atque ego sensu animatus est:" non: „qui mihi haec affirmanti assentitur."

21-26. *Fornix*] „cella fornicata, in qua meretrices habitabant, lupanar." SCHOL. — *uncta*] „nidore redolens et optimis cibis plena;" sic cum Comm. Cruq. explicandum videtur vel propter consuetudinem Horatianam. Ep. 1, 17, 12: *accedes siccus ad unctum.* Ep. 1, 15, 44: *ubi quid melius contingit et unctius.* Martial. 5, 44, 7: *captus es unctiore cena.* Alii exponunt „immunda;" ut est sane Verg. Catal. 5, 27: *Neque in culinam et uncta Compitalia Dapesque duces sordidas.* — *Incutiunt*] ut alibi dicunt *incutere metum, terrorem, formidinem,* sic h. l. de acri desiderio, ut Lucret. 1, 19: *Omnibus incutiens blandum per pectora amorem.* — *Angulus*] „quemadmodum tu contemptim vocitas praedium meum." Sic Sidonius Apoll. Ep. 7, 17, 21: *Angulus iste placet paupertinusque recessus.* Iocose autem dicit: „Sabinum laturum esse facilius etiam piper et tus quam vinum;" id est, vinum prorsus negatum esse Sabino, ut piper et tus toti Italiae; nimis enim frigidum erat illius solum et opacum, quam ut vitium cultura ibi locum haberet. (Cfr. Ep. 1, 16 init.) Vino igitur in eri fundo nato uti non poterat vilicus nec prope erat taberna. — *tus*] scriptura est sincera; etsi in duabus Augusteae aetatis inscriptionibus apud Iahn (Specimen p. 28) duo sunt THVRARII. Contra in Actis Fratrum Arvalium semper est *tus.* Cfr. ad Od. 1, 19, 14. — *Nec vicina* cet.] Taberna nulla erat in vicinitate, quia fundus erat solitarius; contra *si ager secundum viam et opportunus viatoribus locus, aedificandae tabernae dever-*

Quae possit tibi, nec meretrix tibicina, cuius 25
Ad strepitum salias terrae gravis: et tamen urges
Iam pridem non tacta ligonibus arva bovemque
Disiunctum curas et strictis frondibus exples;
Addit opus pigro rivus, si decidit imber,
Multa mole docendus aprico parcere prato. 30
Nunc age, quid nostrum concentum dividat, audi.
Quem tenues decuere togae nitidique capilli,

soriae, quae sunt - - fructuosae. Varro R. R. 1, 2, 23. — *tibicina*] ut illa *Copa Syrisca caput Graia redimita mitella.* — *Ad strepitum*] „ad tibiae cantum crepitantem atque absonum.“ Cfr. Od. 4, 3, 18. — *salias gravis terrae*] „saltes agrestem in modum terram pedibus pulsans, *schwerfällig*, *plump.* A. P. 430: *saliet, tundet pede terram.* Ceterum huiusmodi deliciae a vilici officio quam maxime abhorrebant. Columella 11, 1, 13: *Somni et vini sit abstinentissimus* (vilicus). - - *Tum etiam sit a venereis amoribus aversus; - - primus omnium vigilet; - - sit frugalitatis exemplum.*

26-30. *et tamen* cet.] „Et tamen, cum deliciis illis tabernae tibi carendum sit, nihilominus (ut tu indignabundus queri soles) graves labores suscipere debes, ut ligonibus arva diu neglecta versare“ cet. Non sine certa quadam malitia, enumerat omnia opera rustica, quibus homo iste Stichus vacare debebat. — *urges*] Tibull. 1, 9, 8: *Et durum terrae rusticus urget opus.* — *non tacta* cet.] Intellego agros aliquos ab ipsa villa remotiores, aliquamdiu neglectos ac malis herbis obsitos, quos tandem ligonibus purgandos videbat vilicus, nisi a domino, ubi ex urbe advenisset, totum fundum perreptante severe aliquando castigari vellet; ergo huic operi rustico, sane a ceteris servis adiutus, sese accingit. Ovid. ex Ponto 1, 8, 59: *Nec dubitem longis purgare ligonibus arva.* — *strictis frondibus*] Verg. Ecl. 9, 60: *hic, ubi densas Agricolae stringunt frondes.* Cato R. R. 5, 8 inter vilici officia nominatim hoc memorat: *Frondem populneam, ulmeam, querneam caedito;* item 30: *Bubus frondem ulmeam, populneam, querneam, ficulneam, usquedum habebis, dato.* — *exples*] „saturas, pascis.“ Cfr. Verg. Georg. 3, 431. Aen. 3, 630: *expletus dapibus.* — *Addit opus* cet.] „Praeterea *rivus* (Digentia; cfr. Ep. 1, 18, 104) post imbres semper alta et firma *mole*, *χώματι*, aggeribus coërcendus est, ne inundet prata adiacentia.“ Cato R. R. 155: *Cum pluere incipiet, familiam cum ferreis sarculis exire oportet, incilia aperire, aquam deducere in vias* cet. „Hoc igitur opus plane necessarium interdum auget laborem tuum.“ — *docendus* cet.] Cfr. A. P. 67: *amnis, Doctus iter melius.*

31-36. *Nunc age* cet.] „Iam tibi explicabo, cur ego rus tantopere diligam, quantopere tu a vita rustica abhorres.“ — *concentum*] Cic. de Offic. 1, 145: *maior et melior actionum quam sonorum concentus est.* — *Quem tenues* cet.] „Ut *tenues togae* (oppos. *crassis* Sat. 1, 3, 15) hominum elegantiorum erant, ita *nitidi capilli* i. e. unguentis delibuti (*odoratum caput* Sat. 2, 7, 55) convivantium. Ovid. A. A. 3, 443: *Nec coma vos fallat liquida nitidissima nardo; - - Nec toga de-*

Quem scis immunem Cinarae placuisse rapaci,
Quem bibulum liquidi media de luce Falerni,
Cena brevis iuvat et prope rivum somnus in herba. 35
Nec lusisse pudet, sed non incidere ludum.
Non istic obliquo oculo mea commoda quisquam
Limat, non odio obscuro morsuque venenat;
Rident vicini glaebas et saxa moventem.
Cum servis urbana diaria rodere mavis; 40
Horum tu in numerum voto ruis. Invidet usum

cipiat filo tenuissima." OBBAR. — *Cinarae-rapaci*] „Quae alios amatores emungere solebat, huic per memet ipsum etiam sine donis placui." Eandem *bonam* (i. e. minime avaram) vocat Od. 4, 1, 3. — *liquidi*] „defaecati." Martial. 12, 60 b, 2: *ut liquidum potet Alauda merum, Turbida sollicito transmittere Caecuba sacco.* — *media de luce*] „Quem olim saepe de medio die, id est, lucente etiamtunc sole (*am hellen Tage schon*, Sat. 2, 8, 3) in conviviis tempestivis acriter potasse scis", non eo tempore, quo plerumque compotationes fieri solebant, post horam nonam. — *Falerni*] Vid. ad Od. 1, 20, 10. — *Cena brevis*] „ac propter hoc ipsum simplex", ut A. P. 198: *mensae brevis.* — *non incidere*] „non, cum tempus est, abrumpere et in perpetuum finire amores, compotationes atque id genus alia." Verg. Ecl. 9, 14: *novas incidere lites.*

37-39. *obliquo*] „maligno et invido;" sic λοξοῖς ὄμμασι προσβλέπειν, *limis oculis*, Verg. Aen. 11, 337: *Obliqua invidia.* — *Limat*] „quasi lima atterit, attenuare conatur." — *morsu*] Od. 4, 3, 16: *Et iam dente minus mordeor invido.* Hic *morsus* refertur maxime ad occulta iniquorum studia Horatium reprehendendi atque criminandi. — *venenat*] „ut serpens". Nove dictum esse monet Comm. Cruq., quod intellegendum reor de usu tropico; κυρίως usurpat iam Lucret. 6, 820. — *Rident* cet.]. „Ruri nemo mihi invidet; tantummodo vicini, si quando dicis et ioci causa ligonem vel marram tracto, quamvis benigno in me animo sint, tamen subrident, quia non sine causa horum operum minus peritus iis videor."

40-44. *Cum servis* cet.] „Sic firmum ego propositum teneo: vos servi, homines leves atque inconstantes, illud semper desideratis, quod procul a vobis est; tu mavis Romae degere et cum cetera mea familia urbana esse *diaria*, demensa", cibos, quos dispensator per singulos dies servis admetitur, additis plerumque, ut opinor, mensae erilis reliquiis. (Martial. 11, 108: *pueri-diaria poscunt.*) — *rodere*] de duro, tenui, parco servorum urbanorum victu. Cfr. Sat. 1, 5, 58. — *voto ruis*] „Hoc tu summopere optas, ut rursus familiae urbanae aggregeris: contra calo (servus ex familia urbana, vilioribus durioribusque ministeriis a me destinatus), homo sane callidus ac vafer (ut sibi certe videtur, cum me erum interdum decipit et defraudat), liberum tibi usum rerum ad victum necessariarum invidet." — *Invidet* cet.] Nam, ut ait Pomponius in Ergastulo apud Non. p. 164: *Longe ab urbe vilicari, quo erus rarenter venit, Non vilicari,*

Lignorum et pecoris tibi calo argutus et horti.
Optat ephippia bos, piger optat arare caballus;
Quam scit uterque, libens, censebo, exerceat artem.

EPISTULA XV.

Quae sit hiems Veliae, quod caelum, Vala, Salerni,
Quorum hominum regio et qualis via, — nam mihi Baias
Musa supervacuas Antonius, et tamen illis

sed dominari est mea sententia. Caloni vero omnia admetitur dispensator et usque ad unciam ponderat. — *pecoris*] „lac, caseum, etiam carnem agninam et haedinam cet. tibi praebentis;“ ad summam, ut est in proverbio, *Optat* cet. — *ἐφίππιον στρῶμα*; „tegimen equi ad mollem vecturam paratum.“ NONIUS. — Ambigunt, utrum distinguendum sit cum Bentleio, quem nos quoque secuti sumus, an sic: *Optat ephippia bos piger, optat arare caballus*, ad quod conferunt Ovid. Am. 1, 13, 12: *Prima vocas tardos sub iugas panda boves.* — *Quam scit* cet.] In proverbium transierat Aristophanis Vesp. 1431: *Ἑρδοι τις ἣν ἕκαστος εἰδείη τέχνην.* Cic. Tusc. 1, 41: *Bene enim illo proverbio Graecorum praecipitur: Quam quisque norit artem, in hac se exerceat.* — *censebo*] Domini est sententia, quae eadem semper erit (unde futuro utitur), cui pareat uterque, vilicus et calo, necesse est. De hoc verbo in media oratione posito cfr. Cic. Lael. 17. Catil. 4, 13.

XV. C. NVMONIVS VAALA est in denariis apud Eckhel D. N. 5 p. 263. Fortasse idem est cum P. Quintilii Vari legato, de quo Vellei. 2, 119: *Vala Numonius, legatus Vari, cetera quietus ac probus, diri auctor exempli, spoliatum equite peditem relinquens fuga cum alis Rhenum petere ingressus est. Quod factum eius fortuna ulta est; non enim desertis superfuit, sed desertor occidit.* Quamquam hoc demum a. u. c. 762 evenit, adeo ut Velleii Vala etiam filius esse potuerit Horatiani. Hic videtur fundos (cfr. v. 45 sq.) habuisse prope Veliam et Salernum, de quorum oppidorum caelo ac solo eum interrogat, cum in altero utro per hiemem a. u. c. 731-732 degere vellet. Ut aliquotiens, hic quoque festive significat se *tutis et parvulis* (v. 42) prorsus contentum esse, etsi lautioris vitae fructum non praefracte reiciat, ut Stoici nonnulli sese facere saltem simulabant. Sermonis neglegentia, vere Luciliana, sed consulto quaesita, maior hic est quam in praecedentium epistularum ulla. Etenim constructio haec est: „Par est te scribere, nos tibi accredere (v. 25), quae sit hiems, qualis via (vv. 1, 2), maior utrum populum - - iugis aquae (vv. 14-16), tractus uter - - reverti (vv. 22-24).“ Vv. 2. *nam mihi* cet. — 13. rursusque 16. *nam vina* cet. — 21. in *παρενθέσεσι* sunt.

1-4. *Veliae*] Hyele, Helia, *Ἐλέα*, Lucaniae oppidum a Phocaeis conditum notumque propter philosophos Eleaticos, hodie *Alento* (contra Walckenaer *Castell' a mare della Brucca*) — *Salernum* in agro Picentino, hodieque *Salerno.* — *Quorum hominum*] „qui mores sint incolarum, quae vitae ratio?“ — *Baias*] Cfr. Ep. 1, 1, 83. — *Musa-Antonius*] „Antonius Musa aegri-

Me facit invisum, gelida cum perluor unda
Per medium frigus. Sane murteta relinqui 5
Dictaque cessantem nervis elidere morbum
Sulphura contemni vicus gemit, invidus aegris,

tudine Augusti artem suam illustravit; nam cum dolore arthritico laboraret et ad summam maciem perductus esset, curante Amilio *(sic)* medico, qui eum adeo calidis curabat, ut tectum cubiculi eius velleribus muniret, hic postea in contrarium versis omnibus non solum perfusionibus frigidis, sed etiam gargarismis Cicerninae aquae, quae est Atellae in domo Caesaris, et potionibus usus est, ita ut intra breve tempus eum curaret; ob quam causam ab Augusto usque ad HS quadringenties ex S. C. accepit. Hic autem Musa Horatio iussit ut lavacro frigido uteretur propter oculorum dolorem.“ COMM. CRUQ. Cfr. Sueton. Octav. 59 et 81. Dio Cass. 53, 30: *Ὁ δ' Αὔγουστος, ἐνδέκατον μετὰ Καλπουρνίου Πείσωνος ἄρξας* (a. u. 731), *ἠῤῥώστησεν αὖθις ὥστε μηδεμίαν ἐλπίδα σωτηρίας σχεῖν. --καὶ αὐτὸν--Ἀντώνιός τις Μούσας καὶ ψυχρολουσίαις καὶ ψυχροποσίαις ἀνέσωσε· καί διὰ τοῦτο καὶ χρήματα παρά τε τοῦ Αὐγούστου καὶ παρὰ τῆς βουλῆς πολλὰ καὶ τὸ χρυσοῖς δακτυλίοις (ἀπελεύθερος γὰρ ἦν) χρῆσθαι, τήν τε ἀτέλειαν--ἔλαβεν.* De nominum ordine cfr. Od. 2, 11, 2. — *supervacuas--facit*] „dicit nullum inde commodum ad me redundaturum, immo malum auctum iri.“ Est prorsus ex medicorum sermone unde frequenter hoc vocabulo utitur Celsus. — *et tamen* cet.] „Et tamen cum Musae potius irasci deberent pristini mei hospites Baiani, a me nunc derelicti, innocens ego iis invisus fio, si pro eorum thermis balneis frigidis utor.“ Ceterum hyperbola ironica sic explicanda est: „De omnibus, qui ut ego novam perfusionum frigidarum rationem a Musa praescriptam sequuntur, Baiani nunc queri solent.“ — *gelida* cet.] Psychrolusiae Antonio Musa recentior auctor memoratur a Plinio H. N. 29, 1, 5: *Hi* (medici astrologi) *regebant fata, cum repente civitatem Charmis* (Massiliensis) *invasit, damnatis non solum prioribus medicis, verum et balineis; frigidaque etiam hibernis algoribus lavari persuasit. Mersit aegros in lacus. Videbamus senes consulares usque in ostentationem rigentes. Qua de re exstat etiam Annaei Senecae adstipulatio.* Epist. 53, 3. 83, 5.)

5-9. *Sane* cet.] „Utique non sine ratione, ut quisque facile intellegit, totum illud oppidum voluptarium (*deversorium vitiorum* Sen. Epist. 51, 3) neglegi nunc queritur aquas suas celebratissimas propterea, quod sulfuris vi benefica etiam longos atque inveteratos morbos expellere e corpore dicuntur.“ — *murteta*] Celsus 2, 17: *Siccus calor est--quarundam naturalium sudationum, ubi a terra profusus calidus vapor aedificio includitur, sicut super Baias in myrtetis habemus.* Cfr. 3, 21. Vitruv. 2, 6: *in montibus Cumanorum et Baianis sunt loca sudationibus excavata, in quibus vapor fervidus ab ima nascens ignis vehementia perforat eam terram per eamque manando in his locis oritur et ita sudationum egregias efficit utilitates.* Hae sudationes nunc appellantur *le stufe di Tritoli.* — *cessantem*] *χρονίζοντα. Longos* morbos *acutis* opponit Celsus 3, 1. — *elidere*] Celsus 2, 15: *Gestatio utilissima est--eis, quibus lentae morborum reliquiae remanent neque aliter eli-*

Qui caput et stomachum supponere fontibus audent
Clusinis Gabiosque petunt et frigida rura.
Mutandus locus est et deversoria nota 10
Praeteragendus equus. 'Quo tendis? Non mihi Cumas
Est iter aut Baias,' laeva stomachosus habena
Dicet eques; sed equi frenato est auris in ore. —

Ep. XV. 10. *deversoria* cod. Bland. antiq., AOS, ed. plerique; *diversoria* ceteri codices. — 13. *equi* maior cod. pars, *equis* pauci, in quibus Vossianus, Einsidlensis, Lipsiensis, bd$\pi\nu$, Bentley, Meineke, Haupt 1, 2, 3, (Vahlen *equi*), L. Müller.

duntur. — *morbum*] maxime arthritidem. — *caput*] Celsus 1, 4: *Capiti nihil aeque prodest atque aqua frigida; itaque is, cui hoc infirmum est, per aestatem id bene largo canali quotidie debet aliquamdiu subicere (prendre la douche, docciarsi)*. — *stomachum*] Celsus 4, 5: *Qui stomachi resolutione laborant, his perfundi frigida atque in eadem natare, canalibus eiusdem subicere etiam stomachum ipsum, - - consistere in frigidis medicatisque fontibus, - - salutare est*. — *fontibus - Clusinis*] frigidis ex Musae consilio. Clusium *(Chiusi)*, Etruriae oppidum, notum propter Porsennam regem. — *Gabios*] Conf. Ep. 1, 11, 7. Iuvenal. 7, 4: *Balneolum Gabiis, Romae conducere furnos*. Strabo 5, 3: *Ἐν δὲ τῷ πεδίῳ τούτῳ ὁ Ἀνίων διέξεισι καὶ τὰ Ἄλβουλα καλούμενα ῥεῖ ὕδατα ψυχρὰ ἐκ πολλῶν πηγῶν, πρὸς ποικίλους νόσους καὶ πίνουσι καὶ ἐγκαθημένοις ὑγιεινά*. „Aquae sulfureae sunt hodieque exsistunt." FEA.

10-13. *Mutandus* cet.] „Verum, etsi lamentantur Baiani, alium locum aptiorem quaerere mihi certum est." Construe: *equus praeteragendus deversoria nota*, quae sunt in via Baias ducente. Ad v. *nota* supple „equo", ut solent vel nolente equite intrare velle in consueta alias deversoriorum stabula. Intellegit autem deversoria Baiis vicina. Iam, ubi inspexeris Romanellii tabulas geographicas, videbis inde a Ponte Campano a Capua satis remoto (Sat. 1, 5, 45) viam, quam facturus erat Horatius, ex Appia deflexisse primum Baias versus, quo deverti nolebat, ultra situm esse Salernum, post hoc Veliam; neque necessarium fuisse iis, qui Salernum Veliamve peterent, attingere Capuam. — *Quo tendis?*] Verba sunt Horatii equum increpantis viam Baias versus pertinaciter ingredientem, cum dominus iter haberet Salernum aut Veliam versus. — *laeva stomachosus habena* cet.] „non sine stomacho, adducta habena sinistrorsum, equum flectens, simul addit verba *Non-Baias*; sed, ut scis, cum brutis verba nihil iuvant; auris equi est in ore frenato, id est, equos freno moderari oportet, si volumus eos nobis obedire viamque nobis placitam inire." Ovid. Am. 3, 4. 15: *Ut primum concessas sensit habenas, Frenaque in effusa laxa iacere iuba*. Ceterum eo nomine praestat lectio *equi* alteri *equis*, quod in illa perquam concinne *equiti* opponitur item unus eius *equus*; si legeris *equis*, fiet locus communis admodum languidus.

Maior utrum populum frumenti copia pascat;
Collectosne bibant imbris puteosne perennis 15
Iugis aquae; — nam vina nihil moror illius orae;
Rure meo possum quidvis perferre patique;
Ad mare cum veni, generosum et lene requiro,
Quod curas abigat, quod cum spe divite manet
In venas animumque meum, quod verba ministret, 20
Quod me Lucanae iuvenem commendet amicae. —
Tractus uter pluris lepores, uter educet apros;
Utra magis piscis et echinos aequora celent,
Pinguis ut inde domum possim Phaeaxque reverti,
Scribere te nobis, tibi nos accredere par est. 25
Maenius, ut rebus maternis atque paternis

14-25. *Maior* cet.] Ubi maior est vilitas annonae, omnibus in rebus commodius vivitur. Propter hoc, non ob nescio quam sordidam avaritiam, de frumenti copia amicum interrogat. — *populum*] Frequentissime de municipiorum incolis in Inscriptt. usurpatur: *Senatus populusque Tiburs. Laurens, Anagninus.* Inscr. Or. Lat. 113. 124. 126. „Hyperbole" igitur „lyrica", ut Hochedero visum est, huic voc. non inest. — *Collectos-imbres*] „Volo aquam fontanam, non pluviam in cisternis collectam, et quidem puteos perennes, qui semper aquam praebeant." — *Iugis aquae*] Cfr. ad Sat. 2, 6, 2. — *nihil moror*] „Vina illius tractus cum asperner, nihil de eis te percontor; nam propositum mihi est, aliis quam asperis illis nec valde generosis uti. Atque in Sabino quidem meo *quidvis*, omnis generis cibos ac vina, perferre possum propter aërem, qui concoctionem iuvat, et propter frequentes sub divo ambulationes: contra per hiemem, cum magnam diei partem *contractus lego* (Ep. 1, 7, 12), vinum *generosum* (a loco et vite) ac *lene* (ab aetate et sapore, ut *lenia Surrentina* Persii 3, 93) requiro, quod vel mecum apportabo vel ibi quoque reperiam in alia regione natum, a propola empturus." — *cum spe divite*] Ut solent bene poti laetissimas quasque spes concipere. *Divitem* spem vocat Horatius, ἐλπίδα δάπανον φύσει Thucyd. 5, 103. Conf. Silii 3, 512: *promissis ditibus.* — *Quod me Lucanae* cet.] „Quod vires praestet in venerem et propter hoc gratum me reddat ἑταίρᾳ, ut si iuvenis etiamnunc essem." Recte Düntzer notat, proprie Veliam dumtaxat Lucanorum fuisse oppidum, Salernum Picentinorum. — *apros*] Cfr. Sat. 2, 8, 6. — *echinos*] marinos. Conf. Epod. 5, 27. Athen. 3, 41: Ἐχῖνοι μετὰ ὀξυμέλιτος λαμβανόμενοι καὶ σελίνου καὶ ἡδυόσμου γλυκεῖς τε καὶ εὔχυλοι. — *Phaeax*] Ep. 1, 2, 28: *Alcinoique In cute curanda plus aequo operata iuventus.* — *accredere*] „credere propter id ipsum, quod tu sincere mihi expones rerum illarum statum." Verbum est iam Plautinum (Asin. 627), Lucretianum (3, 856), Tullianum (ad Att. 6, 2, 3).

26-32. *Maenius*] Cum se per iocum ut deliciarum admodum cupidum ac prope luxuriosum descripsisset, subicit lepidam de

Fortiter absumptis urbanus coepit haberi,
Scurra vagus, non qui certum praesepe teneret,
Impransus non qui civem dinosceret hoste,
Quaelibet in quemvis opprobria fingere saevus, 30
Pernicies et tempestas barathrumque macelli,
Quidquid quaesierat, ventri donabat avaro.
Hic ubi nequitiae fautoribus et timidis nil

29. *dinosceret* codices omnes; *dignosceret* ed. Meineke, Haupt, Vahlen, L. Müller al. — 32. *donabat* optimi, non pauci *donarat* unde *donaret* Bentleius coni., prob. Meineke, Haupt, (Vahlen *donabat*).

Maenio narratiunculam, qua delectet Numonium: „Nimirum", inquit, „ego sum prope similis Maenii Pantolabi illius", de quo vide Sat. 1, 1, 101 et 1, 3, 21. — *Fortiter*] „strenue, impigre", κατ' εἰρωνείαν. Pers. 6, 21: *hic bona dente Grandia magnanimus peragit puer.* — *urbanus*] ἀστεῖος, εὐτράπελος, „dicax, qui risu movendo sibi ad divitum mensas aditum pararet." Similiter Catull. 22, 2: *Homo--dicax et urbanus--qui modo scurra--videbatur.* Cfr. Ep. 1, 9, 11. — *certum praesepe*] comice pro mensa; „non ut Volteius Mena Philippi, sic alius viri principis Maenius erat *certus conviva* (Ep. 1, 7, 75), sed *vagus* modo apud hunc, modo apud illum cenabat." Sic etiam Graeci. Eurip. Eurysthei fr. 6: ἤν τις οἴκων πλουσίαν ἔχῃ φάτνην. Plautus Curc. 227: *Tormento non retineri potuit ferreo, Quin* (parasitus) *reciperet se huc esum ad praesepem suam.* — *Impransus*] „cum esuriret." Cfr. Sat. 2, 2, 7. — *civem dinosceret hoste*] „Haec est in figura hominis feritas, quae fame urgente *ipsum amicum ab inimico* non internoscit. Sic haec verba intellegi malo quam cum aliis sentire: „civem a peregrino vel extraneo." Etenim prior illa verbi notio (de qua cfr. Cic. de Offic. 1, 37. Varro L. L. 5, 3) iam pridem immutata erat. Est locutio Plautina in Trin. 102: *Hostisne an civis comedis, parvi pendere* (*te dicunt*). Liv. 10, 36, 8 (coll. 5, 8, 11): *elige, cum cive an hoste pugnare malis.*" OBBAR. Verbo *dinoscere* primus usus esse videtur Horatius, tum Tac. Germ. 20. Cfr. Ep. 2, 2, 44. — *opprobria fingere*] „ficta crimina in aliquem conferre." Sic etiam Cic. in Verr. Act. 1, 15: *magis timendum, ne multa crimina praetermittere quam ne qua in istum fingere existimer.* Ovid. Her. 12, 177: *In faciem moresque meos nova crimina fingis.* — *Pernicies et tempestas*] Comica haec. Plaut. Capt. 897: *Quanta pernis pestis veniet! quanta labes larido!* ib. 905 de parasito: *Clades calamitasque, intemperies modo in nostram advenit domum.* Terent. Eun. 79: *nostri fundi calamitas* Thais. Cic. or. de Domo 53, 137: *Tu, procella patriae, turba ac tempestas pacis atque otii.* — *barathrum*] „vorago." Plaut. Curc. 121: *age effunde hoc cito in barathrum*, id est, „in ventrem insatiabilem." — *macelli*] ubi obsonia, pisces et caro venibant. Cfr. Varr. L. L. 5, 146.

33-37. *nequitiae fautoribus*] „iis, qui propter qualemcumque causam, fortasse nihil nisi iocum quaerentes, favebant Maenio, homini nequam eiusque similibus scurris." — *et*

Aut paullum abstulerat, patinas cenabat omasi,
Vilis et agninae, tribus ursis quod satis esset; 35
Scilicet ut ventres lamna candente nepotum
Diceret urendos corrector Bestius. Idem
Quidquid erat nanctus praedae maioris, ubi omne
Verterat in fumum et cinerem, 'Non hercule miror'
Aiebat, 'si qui comedunt bona, cum sit obeso 40

37. *corrector* cod. antiquissimus Lambini, O. Kelleri Parisinus 8213 (*v*) var., Bentl. def., rec. Meineke, Haupt, Vahlen, L. Müller; *correctus* vel *correptus* ceteri. — 38. *Quidquid* cod. fere omnes, *Si quid* e cod. aliquot Torrentii Bentleius. — *nanctus* Rpr., Einsidlensis, prob. O. Keller; ceteri cod. *nactus*. — 41. *volva* Blandinii, *φψλ*, Leidensis, Einsidlensis paucique alii, ceteri *vulva*.

timidis] „ne in ipsos quoque opprobria fingeret.“ — *patinas cenabat omasi* cet.] De simili parasito similiter Pomponius Bonon. v. 80 Rib. *Cenam quaeritat: Si nemo eum vocat, revortit maestus ad maenam miser.* „Tunc igitur, si nummis carebat, totas patinas *omasi*, intestine bubuli (cfr. Sat. 2, 5, 40), et carnis agninae devorabat; quod cum faceret, de vilibus cibis ita se consolabatur, ut tamquam alter *Bestius*, homo, ut videtur, avarus simulque maledicentissimus, cuius persona fortasse itidem Luciliana (Weichert P. L. p. 420) usus est etiam Persius 6, 37, in prodigos ac luxuriosos acriter inveheretur eosque servilibus poenis dignos diceret.“ Ut Horatius *patinas cenare*, sic Iuven. 1, 94: *Quis fercula septem secreto cenavit avus?* Tum iunge *vilis et agninae*, non *omasi vilis*, id quod per se intellegitur. — *lamna*] Cic. Verr. Acc. 5, 163: *ignes candentesque laminae ceterique cruciatus admovebantur.* (De forma *lamna* vid. ad Od. 2, 2, 2.) Galenus de Hippocr. et Plat. Dogm. 6 extr. Vol. V. p. 584. Kühn: *οὕτω γοῦν εἰώθασι καὶ νῦν ποιεῖν οἱ τοὺς ἁμαρτάνοντας οἰκέτας καταδικάζοντες, τῶν μὲν ἀποδιδρασκόντων τὰ σκέλη καίοντές τε καὶ κατασχάζοντες καὶ παίοντες, τῶν δὲ κλεπτόντων τὰς χεῖρας, ὥσπερ γε καὶ τῶν γαστριμάργων τὴν γαστέρα, καὶ τῶν φλυαρούντων τὴν γλῶτταν.* — *Corrector* cum coniecisset Lambinus, postea, ut dicit, in codd. antiquiss. repperit; recepit Bentleius. Ipsum autem voc. habet nescio quid invidiosi ut apud Terent. Ad. 741: MI. -- *id arte ut corrigas.* DE. *Corrector! Nempe tua arte viginti minae -- periere.* Cic. Philipp. 2, 43: *Iam enim, quoniam criminibus eius satis respondi, de ipso emendatore ac correctore nostro quaedam dicenda sunt.*

38-41. *Quidquid* cet.] Construe: „Ubi abligurierat *omne, quidquid erat nanctus*“ cet. (Cic. de Offic. 3, 57: *neque enim id est celare, quidquid reticeas,* id est, 'quidquid id est quod reticeas.') — *comedunt bona*] *Comedere bona* etiam Cic. pro Sestio 100, ad Fam. 11, 21, 2. Catull. 29, 21: *quid hic potest Nisi uncta devorare patrimonia.* Menander p. 123. M.: *εἴ τις πατρῴαν παραλαβὼν Γῆν καταφάγοι. Comedum bona sua consumentem antiqui dixerunt.* FESTUS. — *turdo*] Martial. 13, 92: *Inter aves turdus, si quid me iudice certet, Inter quadrupedes mattea prima lepus.* — *volva*] suilla, quo ferculo

Nil melius turdo, nil volva pulchrius ampla.'
Nimirum hic ego sum; nam tuta et parvula laudo,
Cum res deficiunt, satis inter vilia fortis:
Verum ubi quid melius contingit et unctius, idem
Vos sapere et solos aio bene vivere, quorum 45
Conspicitur nitidis fundata pecunia villis.

EPISTULA XVI.

Ne perconteris, fundus meus, optime Quinti,

Ep. XVI. 1. *Quincti* Bland. antiquissimus, Gothanus, R pr. probante O. Kellero. *Quinti* codices plerique.

variis rebus condito mirum in modum delectabantur antiqui. Archestratus ὁ ὀψοδαίδαλος apud Athenaeum 3, 59: Ἐμπίνοντι δέ σοι φερέτω τοιόνδε τράγημα, Γαστέρα καὶ μήτραν ἐφθὴν ὑός, ἓν τε κυμίνῃ Ἔν τ' ὄξει δριμεῖ καὶ σιλφίῳ ἐμβεβαῶσαν.

42-46. *Nimirum* cet.] „Talis videlicet ego quoque sum, et quis non?" Satis festive ipse in se iocatur, quasi inconstantiae se incusans. — *hic*] Cfr. Ep. 1, 6, 40. — *parvula*] in omnibus bonis externis. — *fortis*] „omnia facile tolerans", ut Stoici. — *unctius*] „lautius", ut Ep. 1, 14, 21. 1, 17, 12. — *nitidis* cet.] „quorum ex villis splendidis, marmore candentibus, atque magnificis (non, ut alii explicant: opimis, fructuosis") statim colligimus, vos divites esse et insuper vestras fortunas in iisdem villis bene ac tuto collocatas esse, melius utique, quam si in fenore positae essent." Sic Cic. pro C. Rab. Post. 1: *fortunae fundatas praesertim atque optime constitutas opes* dixit.

XVI. Ambigunt interpretes, utrum haec scripta sint ad Quintium Hirpinum (Od. 2, 11), an ad T. Quintium Crispinum Sulpicianum, triumvirum A. A. A. F. F., Augusti aequalem (Eckhel D. N. 5. p. 291), qui idem videtur cum T. Quintio Crispino, cos. a. u. c. 745; sed cum hominum horum indolem, vitam, necessitudines cum Horatio prorsus ignoremus, hac de re nihil certi statuere possumus. Conf. quae adnotavimus ad v. 17. Argumentnm autem totius scriptiunculae paucis sic exponendum est: Ego, care, beatus sum, ad quem quidem vitae statum cuivis optandum inter res externas permultum sane confert Sabinum meum: tu ipse quoque cura, ut quemadmodum mereris, beatus fias, illud γνῶθι σεαυτὸν imprimis probe exercens. Magna esse dicit eorum pericula, qui cum beatos se esse opinentur, aegrotent animo. Multos, qui videantur esse probi, re vera esse pravos. Nam quicumque animi perturbationibus pareant, eos servos esse: qui si malis cupiditatibus exempti sint, bonos sapientesque eos futuros esse. Ceterum de tempore nihil constat nisi mense Septembri scriptam esse hanc epistulam.

1-4. *Ne perconteris* cet.] „Scio gratum tibi fore, si formam fundi mei ultro tibi descripsero; itaque

Arvo pascat erum an bacis opulentet olivae,
Pomisne et pratis an amicta vitibus ulmo,
Scribetur tibi forma loquaciter et situs agri.
Continui montes, ni dissocientur opaca 5
Valle, sed ut veniens dextrum latus adspiciat sol,

2. *bacis* optimi omnium scriptorum codices, cf. Od. 2, 6, 16 *baccis* deteriores. — 3. *Pomisne et pratis* Leidensis, Vossianus, Dessauiensis, Einsidlensis, Lipsiensis, AORSbcdγφψλ aliique, *an pratis* ex tribus Cruquii codicibus, totidem Torrentii, Pulmanni uno alteroque Bersmanni et ex suis aliquot Bentleius; idem habent cod. Goth., Monac. E prob. Orelli, Meineke, L. Müller, Haupt, Vahlen.

noli me ea de re percontari." Similis formula est Ep. 1, 1, 13: *Ac ne forte roges* cet. — *Arvo pascat erum* cet.] Omnem rem rusticam Cicero (Cato mai. 54) his verbis complectitur: *Nec vero segetibus* (arvo) *solum et pratis et vineis et arbustis res rusticae laetae sunt, sed hortis etiam et pomariis, tum pecudum pastu, apium examinibus, florum omnium varietate.* — *opulentet*] Verbum *opulentare* pro „locupletare, ditare" primum nunc apud Horatium reperitur. Eo usus est etiam Columella 8, 1. Cfr. ad Od. 4, 14, 5. — *amicta vitibus ulmo*] Singulari arte τῷ ἀνύρῳ, quasi *ulmus* erum pasceret, non *vitis*, usus est, ut in summa sermonis simplicitate poëta tamen maneret. Colum. 5, 6, 19: *Circa vernum aequinoctium binae vites, quo celerius ulmum vestiant, pedem inter se distantes scrobibus deponendae.* De re cfr. Od. 1, 15, 5. — *forma*] Sic Varro R. R. 1, 6, 1: *Formae* (fundi) *cum duo genera sint: una quam natura dat, altera quam sationes imponunt: prior, quod alius ager bene natus, alius male; posterior, quod alius fundus bene consitus est, alius male: dicam prius de naturali* cet. — *loquaciter*] „compluribus verbis", ut solemus de rebus nobis caris ad amicos scribere.

5-7. *Continui montes*] „perpetuo dorso inter se iuncti" (Liv. 41, 18), „nisi dissociarentur valle angusta" (*reducta* Od. 1, 17, 17) „et propterea *opaca* propter montium umbras se prope tangentes." Ex Sickleri descriptione est mons Ustica, in cuius radicibus villa Horatii sita erat, et alter clivus, in quo Vacunae templum erat, hodie *Rocca giovine;* vallis autem inter utrumque montem est vallis Digentiae, hodie *Val di Licenza*, quae clauditur Lucretili, *Monte Gennaro.* Totus autem tractus ei, qui a Tibure via Valeria per Variam *(Vicovaro)* et Mandelam *(Bandela)* vallem illam ingrediebatur, ab oriente ad occidentem vergere videbatur, ita ut sol mane radiis collustraret Horatii fundum, sub vesperam sinistrum latus, clivum Vacunae. Quodsi quis Lucretilem enisus in poëtae praedium descenderet, vallis ab occidente ad orientem extendi videbatur. — *dextrum*] nimirum ei, qui ex antica villae parte montes vallemque prospectaret. — *discedens*] Haec simplicissima lectio apteque respondens verbo *veniens* (Verg. Aen. 10, 241: *Aurora--veniente.* Confer etiam Ovid. Met. 4, 91: *et lux tarde discedere visa praecipitatur aquis.*) satis codicibus firmatur contra reliquas *decedens* (Verg. Ge. 1, 450: *emenso cum*

Laevum discedens curru fugiente vaporet.
Temperiem laudes. Quid, si rubicunda benigni
Corna vepres et pruna ferant? si quercus et ilex
Multa fruge pecus, multa dominum iuvet umbra? 10
Dicas adductum propius frondere Tarentum.
Fons etiam rivo dare nomen idoneus, ut nec

7. *discedens* codicum maior pars, *descendens* Lipsiensis, ex Parisinis Kelleri 9345, 10310 paucique alii, *decedens* coniecit Bentl. prob. Meineke, Haupt, Vahlen. — *curru* cod. paene omnes, *cursu* Bland. antiquissimus. — 8. *benigni* duo Blandinii, Gothanus, Monacensis E, AOSγ prob. Bentl., Haupt ed. 1, L. Müller, Keller. *benignae* vel *benigne* Leidensis, Lipsiensis, Dessauiensis, Einsidlensis, Vossianus, bdφψιν, Haupt ed. 2, 3, Vahlen. — 9. *ferant* (ut v. 10. *iuvet*) cod. omnes, *ferunt-iuvat* Bentl. coniecit prob. Meinekio. — *si quercus* plerique codices, *et quercus* Acorr. Sbcdγ, *quercus* omisso *si* Apr. OR.

iam decedit (sol) *Olympo.* Ge. 4, 466: *Te veniente die, te decedente canebat.*) et *descendens*, quod esset ut apud Liv. 9, 23: *sol meridie se inclinavit.* — *curru fugiente*] Od. 3, 6, 44: *abeunte curru*, item de sole. Cfr. Carm. Saec. 9. — *vaporet*] Non tam „tepefaciat", ut plerique (coll. Epod. 3, 15. Lucret. 2, 150) explicant, quam propria significatione, „vapore obducat" ut fit vesperi.

8-11. *Quid, si* cet.] „Quid dices, si tibi scribam vepres ferre corna cet."? — *benigni*] alii *benignae*. Masculinum cum Bentleio praetulimus cum ob plurium codicum consensum, tum ob Vergilii (Georg. 3, 444. Aen. 8, 645) auctoritatem. Femininum est ap. Lucret. 4, 62. Significat autem 'largi' ut Od. 1, 17, 5. Ovid. Am. 1, 10, 56: *Praebeat Alcinoi poma benignus ager.* Opponuntur *colles maligni* Verg. Georg. 2, 179. Quod nonnulli cod. adverbium *benigne* habent, id poëtae multo minus convenit. — *Corna-et pruna ferant*] Coniunctivi quos praebent codices, hoc loco etiam per se aptiores sunt, cum eam villae Horatianae speciem, quae his vv. lectis Quintio ante oculos esset obversatura, significent. — *fruge*] pro „fructu", glandibus, quibus porci pascuntur. Alibi sane fruges glandibus opponuntur. Cic. Orat. 31: *Quae est autem in hominibus tanta perversitas, ut inventis frugibus glande vescantur?* — *pecus*] Etiam Columella 7, 9, 6 de porcis usurpat vv. *pecus hoc.* Ibidem *Nemora*, inquit, *sunt* (porcis) *convenientissima, quae vestiuntur quercu, subere, fago, cerris, ilicibus, oleastris.* — *Tarentum*] cuius situs est perquam amoenus. Cfr. Od. 2, 6, 11: *regnata petam Laconi Rura Phalanto* cet. Hoc igitur dicit: „Quid multa? Tam amoenum meum est praedium, ut Tarentum huc tralatum dicas; ut quasi alterum Tarentum hic tibi videre videaris."

12-14. *Fons*] Fontem hunc Bandusiam volgo appellant, sed vide ad Od. 3, 13. Alii rectius fontem quoque ut rivum Digentiae (hodie *Licenza*) nomen habuisse rentur. — *dare idoneus*] ἱκανὸς δοῦναι, id est, „adeo aquâ abundans, ut et fonti et rivo, qui ex eo profluit, proprium Digentiae nomen inditum sit, cum minores rivi proprio nomine carere plerumque soleant." — *ut nec* cet.] „et quidem talis,

Frigidior Thracam nec purior ambiat Hebrus,
Infirmo capiti fluit utilis, utilis alvo.
Hae latebrae dulces et, iam si credis, amoenae 15
Incolumem tibi me praestant Septembribus horis.
Tu recte vivis, si curas esse quod audis.
Iactamus iam pridem omnis te Roma beatum;
Sed vereor, ne cui de te plus quam tibi credas,
Neve putes alium sapiente bonoque beatum, 20

14. *utilis, utilis* codicum maior pars, *aptus et utilis* perpauci (AR, Lipsiensis cum paucis Parisinis). — 15. *et (iam si credis)* Bentl., Meineke, Haupt, Vahlen, L. Müller, *etiam, si credis* cod., Orelli, O. Keller.

ut" cet. — *Thracam*] *Θράκην*, ut Ep. 1, 3, 3. — *Hebrus*] Venusta hyperbola Digentiam cum Hebro amne saepe a poëtis in rebus ad Liberum patrem spectantibus celebrato comparat. — *Infirmo capiti*] Vide Ep. 1, 15, 8. — *utilis*] „salubris", ut apud Ovid. Trist. 3, 3, 9: *non hic cibus utilis aegro*, ac saepe etiam apud Celsum. Sic. 4, 10: *Si stomachus pituita impletur, - - utilis gestatio, frictio.*

15. 16. *latebrae*] ut *angulus* Od. 2, 6, 14. Ep. 1, 14, 23. — *dulces et, iam si credis, amoenae*] i. e. 'hae dulces et amoenae, si iam credis, latebrae;' ita cum Bentleio scripsimus; nam codicum *etiam* gradationem declarat ad hunc locum ineptam. — *praestant*] „servant", potius quam „sistunt." Ea significatio hic locum habet, ex qua *praestare* fere idem est quod *efficere.* Seneca Epist. 45, 11: *fortunatum beatumque praestare.* — *Septembribus horis*] Cfr. Sat. 2, 6, 19: *Autumnusque gravis Libitinae quaestus acerbae.* Cfr. ad Od. 2, 14, 15.

17. *Tu recte* cet.] Sententiae sic se excipiunt: „Ego, ut perspicis ex his, quae tibi scripsi, me beatum esse duco; similiter te cives tui beatum praedicant. Quo magis cave, ne decipiaris externa rerum specie neu te transversum agant volgi iudicia persaepe fallacia, adeo ut neglegas proprium studium, veram beatitudinem, quae unice in temet ipso sita esse potest, et adipiscendi et conservandi." Pro Quintii ingenio ac moribus hoc sane praeclarum testimonium exstat, quod Horatius eum dignum putavit, cui huiusmodi epistulam mitteret. Alius autem Quintius, fortasse huius filius, praetor a. u. c. 752. (Dio Cass. 55. p. 358. St.), vel propter aetatem videtur fuisse ille Iuliae adulter, de quo Vellei. Pat. 2, 100: *Quintiusque Crispinus, singularem nequitiam supercilio truci protegens et alii - - poenas pependere, cum Caesaris filiam et Neronis violassent coniugem.* — *audis*] „diceris esse", ut *κλύεις*, *ἀκούεις*. Cfr. Ep. 1, 7, 38. Cic. de Offic. 2, 43: *Socrates hanc viam ad gloriam proximam et quasi compendiariam dicebat esse, si quis id ageret, ut, qualis haberi vellet, talis esset.*"

18-24. *Iactamus - omnis - Roma*] Od. 4, 2, 50: *dicemus - - Civitas omnis.* Epod. 16, 36: *Eamus omnis exsecrata civitas.* Cfr. ibid. v. 9. 15 sq. — *beatum*] probabiliter non tantum propter opes, sed etiam

Neu, si te populus sanum recteque valentem
Dictitet, occultam febrem sub tempus edendi
Dissimules, donec manibus tremor incidat unctis.
Stultorum incurata pudor malus ulcera celat.
Si quis bella tibi terra pugnata marique 25
Dicat et his verbis vacuas permulceat auris:
'Tene magis salvum populus velit, an populum tu,

22. *febrem* omnes codices, etiam Sangallensis, *febrim* pauci edit. Conf. Sat. 2, 3, 294.

propter honores, quos iam tum videtur gessisse. Cic. de leg. 1, 32: *Propter honestatis et gloriae similitudinem beati, qui honorati sunt, videntur.* — *quam tibi*] Cic. ad fam. 2, 7, 2: *Tecum loquere* (Curio,) *te adhibe in consilium, te audi, tibi obtempera.* — *alium sapiente*] Ep. 2, 1, 240: *alius Lysippo.* Rara apud Latinos haec ratio et a Graecis (Xen. Comm. 4, 4, 25: ἄλλα τῶν δικαίων, Plat. Meno pg. 88 b: ἄλλο ἐπιστήμης) sumpta reperitur apud Varronem de re r. 3, 23: *aliud melle;* Brutus ap. Cic. fam. 11, 2, 2: *aliud libertate;* Phaedr. 3 prol. 41: *alius Seiano.* Confer etiam ad Sat. 2, 3, 208. — *sanum recteque valentem*] Est formula sermonis quotidiani, oblitterata, ut vidimus, Ep. 1, 7, 3. — *Dissimules*] Hoc volt docere, stultum esse, qui animi morbos, id est, vitia ideo maxime celat, ne corrigantur a sapientioribus, quorum optima consilia ei molesta sunt. Pro ipsa re autem duplicem ponit imaginem et febris et ulcerum stolide occultatorum. „Neu falso quodam pudore inductus ac iudicium, ex quo recte vales, celes subitam febrim coram convivis mensae tuae accumbentibus.“ — *tremor*] Hora nona, qua ferme cenabant, febres ingravescere solent. — *unctis*] iure et adipe. Ovid. A. A. 3, 755: *Carpe cibos digitis; est quidam gestus edendi: Ora nec immunda tota perunge manu.* Compluribus versibus hunc locum imitatus est Persius 3, 88-102. — *incurata*] „quia medico non monstrantur, sine curatione manent.“ — *pudor malus*] A. P. 88: *pudens prave.* Notat hanc δυσωπίαν Celsus 3, 2: *Neque dubium est, quin vix quisquam, qui non dissimulavit, sed per abstinentiam mature morbo occurrit, aegrotet.*

25-29. *bella tibi terra pugnata marique Dicat*] Iunge *bella tibi* (a te) *pugnata* (de quo dativo cfr. Od. 2, 6, 11) non: *tibi dicat bella.* „Si quis coram te memorat res a te terra marique vel Augusto ipso vel M. Agrippa duce gestas, et nimia adulatione usus subiungat atque ad te applicet versus a Vario in Augusti laudes nuper compositos, haec fere dicens: Cum igitur virum fortissimum te praestiteris et civem e re publica, Iuppiter servet in ambiguo cet.“ Non sine arte sic, ut nos interpretamur, tres una laudantur, Quintius propter fortitudinem in bellis comprobatam, Augustus dux, Varius Augusto dignus poëta atque Horatii amicus. — *vacuas*] ut Pers. 4, 50: *Nequiquam populo bibulas donaveris aures,* „laudis cupidas et adulationi patentes.“ Cfr. *patulas aures* Ep. 1, 18, 70. 2, 2, 104. — *permulceat*] „grato modo tangat.“ Cic. Orat. 163: *Duae sunt res, quae permulceant aures, sonus et numerus.* — *Tene magis - Iuppiter*]

Servet in ambiguo, qui consulit et tibi et urbi,
Iuppiter'; Augusti laudes agnoscere possis:
Cum pateris sapiens emendatusque vocari, 30
Respondesne tuo, dic sodes, nomine? 'Nempe
Vir bonus et prudens dici delector ego ac tu.'
Qui dedit hoc hodie, cras, si volet, auferet, ut si
Detulerit fascis indigno, detrahet idem.
'Pone, meum est' inquit: pono tristisque recedo. 35
Idem si clamet furem, neget esse pudicum,
Contendat laqueo collum pressisse paternum:

30. *pateris* cod. plerique, *poteris* Lips., Dessauiensis, AOR, *cupias* Monac. E, Sb.

'versus sunt notissimo ex panegyrico Augusti.' PORPHYR. Confer ad Od. 1, 6, 1. — *Servet in ambiguo*] „Faxit Iuppiter, ne huius rei periculum fiat altero in discrimen vocato. — *possis*] „Si, inquam, haec coram te aliquis dicat, sane agnoscas (facile sentias) ea uni Augusto dici posse, atque ilico respuas adulationem tam exaggeratam. Alia fortasse res erit, si quis te sapientissimum vitiisque omnibus carentem praedicet; fieri enim possit, ut, quemadmodum solent plerique, tu quoque hanc laudem in te merito conferri existimes."

30—35. *Respondesne* cet.] „Annuisne nimio tuo laudatori, quasi tibi praeconium tribuisset, an dicis, te tantam laudem non mereri?" — *Vir bonus* cet.] „Dices tu fortasse: Quid, quaeso, magis consentaneum est naturae humanae quam ut quisque vir bonus dici cupiat? Quocirca ego quoque hoc aveo et certus sum te idem avere." Horatius: „Verumtamen talia volgi iudicia semper fallacia sunt atque incerta, ita, ut, nisi virtus tua nitatur fundamento multo firmiore, id est, recta conscientia, quotidie excidere cum possis bona illa apud multitudinem fama, non tamen, ut facit vere sapiens, mutatam hanc popelli opinionem propter magnitudinem animi secure despicias." — *ego ac tu*] „ἐγώ τε καὶ σύ, non minus ego quam tu." — *si Detulerit*] „si populus Romanus detulerit." — *Pone*] „Renunciato iam ei, quam meo arbitratu tibi concessi, bonae famae virtutis ac prudentiae; sic enim mihi nunc placet." — *meum est*] „id quod ultro tibi aliquando dedi, tu precario possides." — *tristisque recedo*] „Aliter fieri nequit, quam ut, etsi invitus maestitiaque affectus, populi iussis obsequar." Memor fortasse erat Lucret. 3, 995: *Sisyphus in vita quoque nobis ante oculos est, Qui petere a populo fasces saevasque secures Imbibit, et semper victus tristisque recedit.*

36-38. *Idem* cet.] „Idem volgus si falsa opprobria in me iecerit (id quod haud minus fieri potest, quam ut falsis laudibus me oneret), stultus profecto essem, si talia crimina me perturbarent ac de animi statu deicerent." — *neget esse pudicum*] „si criminetur me muliebria passum esse." — *laqueo pressisse*] Usitatius est *cervices frangere alicuius laqueo* pro *strangulare*. Cfr. ad Od. 2, 13, 5. — Tria autem memorat scelera, quae

Mordear opprobriis falsis mutemque colores?
Falsus honor iuvat et mendax infamia terret
Quem nisi mendosum et medicandum? Vir bonus est quis? 40
'Qui consulta patrum, qui leges iuraque servat,
Quo multae magnaeque secantur iudice lites,
Quo res sponsore et quo causae teste tenentur.'

40. *medicandum* codices plerique; *mendacem* Dessauiensis, Vossianus, Sbcv; *mendicum* pauci. — 43. *res sponsore* Blandin. antiquissimus, *responsore* ceteri codices.

in ipsius personam minime cadebant, cum homo sane esset ab omni quaestu illicito alienus, pudicus in aetatulae flore (Sat. 1, 6, 82), patris amantissimus. — *mutemque colores?*] Pluralis significat non semel, sed crebro pallorem ruboremque ire et redire. Propert. 1, 15, 39: *Quis te vogebat multos pallere colores?* Lucian. Eun. 11: ἐς μυρία τραπόμενος χρώματα. Interrogatione hoc manifesto dicit: „Minime pro certo huiusmodi iniquorum meorum criminibus pungar, commovear." Sic Graeci δάκνεσθαι, κνίζεσθαι.

40—42. *mendosum*] „vitiosum." PORPH. — *medicandum*] „cui propter *mendas*, id est, vitia, quibus laborat, conducit, ut sanae philosophiae ope ab iis purgetur ac vitam suam emendare condiscat." Cfr. vers. 22. Lectio *mendacem* profecta mihi videtur ab eo, qui v. *medicandum* non satis intellegens a praecedente v. *mendax* ad ita interpolandum inductus esset, argutam insuper hanc quasi ἀναφορὰν reputans. — *Vir bonus est quis?*] „Iam vero", inquit, „accuratius etiam popelli iudicia excutiamus, quo quam levia sint quantumque a vera sapientia abhorreant, perspiciamus eaque contemnere discamus. Sic virum bonum appellat volgus, cuius vita quidem civilis certa quadam auctoritate gaudet nec reprehensioni obnoxia est, dum vicinia, quae eius mores melius novit, non ignorat eiusdem vitam domesticam esse turpissimam." — *Qui consulta patrum* cet.] Est volgi responsum. Senatus autem consulta iam tunc iuri civili adnumerari coepta erant, saltem ex parte. Cic. Top. 28: *Si quis ius civile dicat id esse, quod in legibus, senatus consultis, rebus iudicatis, iuris peritorum auctoritate, edictis magistratuum, more, aequitate consistat.* Gaius 1 §. 4: *Senatus consultum - - legis vicem obtinet, quamvis fuit quaesitum.* — *secantur*] „deciduntur, transiguntur." Cfr. Sat. 1, 10, 15. Arbitria potissimum significat, quae a litigantibus ad eum deferuntur, quia in rebus pecuniariis homo integer atque honestus existimatur.

43. *Quo res sponsore*] Cfr. Pers. 5, 79: *Marco spondente recusas Credere tu nummos?*" Quem omnes pro sponsore satis locuplete habent, cuius in fide tuto adquiescant. Pariter ubi testis in iudicio est productus, nemo eum verum testimonium dicere addubitat, ideoque is, pro quo dicit, facile causam obtinet, vincit adversarium." Ceterum cum *res* (pecuniae aliis creditae) et *lites* h. l. manifesto sibi opponantur, v. *sponsor* simpliciter explicandum ex Varr. L. L. 6, 69: *Spondet etiam sponsor,*

Sed videt hunc omnis domus et vicinia tota
Introrsum turpem, speciosum pelle decora. 45
'Nec furtum feci nec fugi' si mihi dicat
Servus, 'Habes pretium, loris non ureris', aio.
'Non hominem occidi.' Non pasces in cruce corvos.
'Sum bonus et frugi.' Renuit negitatque Sabellus:
Cautus enim metuit foveam lupus accipiterque 50
Suspectos laqueos et opertum miluus hamum.

45. *Introrsum* Dessauiensis, Gothanus, Monac. E, OScvγ; *Introrsus* Lipsiensis, Bentl. Regin. pr., b paucique alii; *Hunc prorsus* Leidensis, Einsidlensis φψλ. Cf. Sat. 2, 1, 65. — 46. *dicat* Leidensis, Einsidlensis, Gothanus, AOESbcγφψλ, *dicit* Reginensis Bentlei, Lipsiensis, Dessauiensis, Vossianus, R paucique alii. — 49. *negitatque* Blandinius antiquissimus, Bentl. Reginensis pr., Monac. E, Paris. 10310 (π Kelleri); *renuitque negatque* cod. Bersmanni, *negit atque* Lips., Aγ; ceteri *negat atque.*

qui idem faciat obligatur; et Gaio 3, 115: *Pro eo quoque, qui promittit, solent alii obligari; quorum alios sponsores, alios fidepromissores, alios fideiussores appellamus.* Ibid. 116: *Sponsor ita interrogatur:* IDEM DARI SPONDES? — *tenentur*] Cic. pro Caec. 67: *Scaevolam dixisti causam apud centumviros non tenuisse.* Contrarium est *causa cadere.*

44-49. *Introrsum* cet.] Sat. 2, 1, 64: *pellem, nitidus qua quisque per ora Cederet, introrsum turpis.* — *turpem*] maxime ob gulam ac libidines arcanas. — *speciosum pelle decora*] Conf. Pers. 4, 14: *summa nequiquam pelle decorus.* — *Nec furtum* cet.] „Neque aliud profecto est, si ad veri trutinam exigatur plebis de viro illo bono iudicium, quam si servus aliquis ideo bonus et frugi haberi velit, quod immunis sit a vitiis severa punitione dignis.“ — *Habes pretium*] „Satis te pro tam praeclaris virtutibus remunerari mihi videor.“ — *ureris*] Epod. 4, 3: *Ibericis peruste funibus latus.* — *in cruce*] *servili supplicio,* Tacit. Hist. 4, 11. Cfr. Sat. 1, 3, 82. 2, 7, 47. — *frugi*] χρήσιμος, quae summa erat servi laus. Vid. ad Sat. 2, 7, 3. — *Renuit* pr. nutu recusante, *negitat* verbis. — *Sabellus*] „ac vel propterea homo simplex et verax, ut ego sum.“ Sic autem se appellat propter praedium Sabinum potius puto quam quod patria Venusia olim a Sabellis habitata erat. Cfr. Sat. 1, 9, 29. 2, 1, 36. Strabo 5 §. 12 p. 250. Samnites ex vere sacro a Sabinis ortos tradit: εἰκὸς δὲ διὰ τοῦτο καὶ Σαβέλλους αὐτοὺς ὑποκοριστικῶς ἀπὸ τῶν γονέων προσαγορευθῆναι. De Sabinorum autem honestissimis moribus ac παῤῥησίᾳ cfr. Cic. ad Fam. 15, 20, 1; de eorum duritia et fortitudine vide at Od. 3, 6, 38.

50-54. *Cautus* cet.] „Talis homo metu dumtaxat poenae, non ipsius virtutis amore, peccata vitat, ut ferae atque aves, ubi semel e fovea laqueisve se extricarunt, experientia edoctae tales insidias caute vitant, pisces itidem escam, quam sibi perniciosam fore sciunt, quia sub ea latet hamus.“ — *opertum*] „esca occultatum“, ut Ep. 1, 7, 74: *Occultum--hamum.* — *miluus*] piscis rapax ex doradum

Oderunt peccare boni virtutis amore;
Tu nihil admittes in te formidine poenae:
Sit spes fallendi, miscebis sacra profanis.
Nam de mille fabae modiis cum surripis unum, 55
Damnum est, non facinus, mihi pacto lenius isto.
Vir bonus, omne forum quem spectat et omne tribunal,
Quandocumque deos vel porco vel bove placat,
'Iane pater' clare, clare cum dixit 'Apollo,'
Labra movet metuens audiri 'pulchra Laverna, 60
Da mihi fallere, da iusto sanctoque videri,

53. *admittes in te* codices, *admittis notae* L. Müller. — 61. *iusto sanctoque* Blandinius antiquissimus, AOR alii; *iustum sanctumque* Bentlei cod. omnes, ex ceteris plerique.

genere, non eiusdem nominis avis. De pronuntiatione antiquitus trisyllaba cfr. Epod. 16, 32. — *Tu* cet.] Generatim dicuntur haec omnia vv. 52-56, ut saepe in Stoicorum διατριβαῖς, non ut ad Quintium ipsum referantur. Transitus hic est: „*Oderunt--amore;* tu contra, sicuti plerique, poenae dumtaxat formidine a delictis tibi caves. Atque propterea, si talis homo speret clam fore maleficium, pessimis quibusque facinoribus se conscelerabit, etiam sacrilegio.“ Hic autem, ubi omnino Stoicum agit, horum praeceptum, „omnia peccata esse aequalia“, quod irriserat Sat. 1, 3, 96, ipse quoque suum facit. Ceterum L. Müller (lect. Horat. pg. 714) et futurum vituperans et *in te* pro *in leges* coniecit et recepit in ed. nitida a. 1874 *admittis notae* coll. Od. 3, 11, 25. — *miscebis sacra profanis*] Plaut. Trin. 286: *Sacrum profanum, publicum privatum habent, hiulca gens.* Contra A. P. 396: *Fuit haec sapientia quondam, Publica privatis secernere, sacra profanis.*

56. *mihi*] „mea sententia et iudicio.“ — *pacto-isto*] „ea ratione, quam *tu*“ (non Quintius, sed ficta persona, quam alloquitur) „sequi soles.“ — *lenius*] Dictum est ut Od. 2, 19, 5: *non leni ruina;* „damnum, quod, quia exiguum est, lenius feras.“

57—62. *Vir bonus*] quem plebecula sic appellat; manifesto κατ' εἰρωνείαν. — *Iane pater*] Vide ad Sat. 2, 6, 20. — *Labra movet* cet.] Totum locum imitatus est Persius 2, 5 sqq. Illa *Labra movet* sic expressit: *Illa sibi introrsum et sub lingua immurmurat* cet. — *Laverna*] „Laverna in via Salaria lucum habet; est autem dea furum (sive ut ait Arnobius 4, 24: *cum Mercurio simul fraudibus praesidet furtivis.*), et simulacrum eius fures colunt et qui consilia sua volunt tacita; nam preces eius cum silentio exercentur. SCHOL. Novius 105 Rib.: *Per deam sanctam Lavernam, quae cultrix quaestuist.* Vocab. ipsum *Laverna* et *laverniones*, quod Paul. Epit. 117 idem ac *fures* esse dicit, cum graec. λάτρον, λεία, lat. *lucrum* cohaerere censet G. Curtius. Confer Prelleri et Iordani Mythol. Rom. II p. 70. — *fallere*] non tam „decipere homines“ quam „latere.“ — *iusto sanctoque*] Frequentem hanc constructionem (cf. ad Sat. 1, 4, 39;

Noctem peccatis et fraudibus obice nubem!'
Qui melior servo, qui liberior sit avarus,
In triviis fixum cum se demittit ob assem,
Non video; nam qui cupiet, metuet quoque: porro, 65
Qui metuens vivet, liber mihi non erit umquam.
Perdidit arma, locum virtutis deseruit, qui
Semper in augenda festinat et obruitur re.
Vendere cum possis captivum, occidere noli.
Serviet utiliter: sine pascat durus aretque, 70

66. *vivet* cod. plerique, *vivit* S alii pauci.

Sat. 1, 1, 19; 6. 25; A. P. 372; Ov. Met. 8, 691: *vobis immunibus huius Esse mali dabitur;* Trist. 5, 2, 6: *infirmo non vacat esse mihi*) cum ignorarent, plerique in accusativum mutaverunt. — *obice nubem*] quemadmodum dei apud Homerum heroibus, quos cum maxime tutantur.

63-68. *Qui melior* cet.] „Verum ex Stoicorum doctrina ita potius est iudicandum, eiusmodi *virum bonum* haudquaquam meliorem esse servo nequam." — *ob assem*] Locus communis haud infrequens apud Sophistas. Imitatus est Persius 5, 111: *Inque luto fixum possit transcendere nummum*, ubi Pseudocornutus: „Solent pueri, ut ridendi causam habeant, assem in silice plumbatum infigere, ut, qui viderint, se ad colligendum inclinent nec tamen possint evellere, quo facto pueri *„etiam!"* acclamare solent. — *qui cupiet, metuet quoque*] Horatius hic et Ep. 1, 2, 51. (*Qui cupit aut metuit* cet.) Epicurum (Diog. Laërt. 10, 142) respicere videtur Lachmanno ad Lucret. 6, 25: *Et finem statuit* (Epicurus) *cuppedinis atque timoris.* Cfr. Ep. 2, 2, 156. — *porro*] Continuat orationem, quasi dicat: „Huic sententiae tamquam corollarium (quod dicunt posteriores) adiungo, liberum non mihi videri" cet. Est autem quasi syllogismus, sic supplendus: „Ergo avarus liber non est." — *Perdidit arma*] *captivus* (v. 69), deinde libertate amissa servus fit. Haud infrequens est haec virtutis sapientiaeque cum acri militia comparatio. Seneca de constantia sap. 19, 4: *Etiam si premeris et infesta vi urgeris, cedere tamen turpe est: assignatum a natura locum tuere. Quaeris, quis hic sit locus? Viri.* — *locum virtutis deseruit*] Demost. Olynth. 3. §. 36: *μὴ παραχωρεῖν (ὑμᾶς ἀξιῶ), ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τῆς τάξεως, ἣν ὑμῖν οἱ πρόγονοι τῆς ἀρετῆς μετὰ πολλῶν καὶ καλῶν κινδύνων κτησάμενοι κατέλιπον.* — *obruitur re*] „id est, pecunia, veluti terrae labe; ita ut ab ea impeditus libere movere sese nequeat."

69—72. *Vendere* cet.] „Avarus ignavi militis instar armis amissis et loco virtutis deserto captivus fit, ex captivo servus, cuius non honestum, sed utile munus est arare, pascere" cet. OBBAR. Idem ad verba apte contulit Institut. lib. 1. tit. 3. §. 2: *Servi autem ex hoc appellati sunt, quod imperatores captivos vendere ac per hoc servare nec occidere solent; qui etiam mancipia dicta sunt eo quod ab hostibus manu capiuntur.* — *durus*] „cuivis etiam molestissimo labori perquam idoneus." — *aretque*] Sallust. Catil. 4: *agrum*

Naviget ac mediis hiemet mercator in undis,
Annonae prosit, portet frumenta penusque.
Vir bonus et sapiens audebit dicere 'Pentheu,
Rector Thebarum, quid me perferre patique
Indignum coges?' 'Adimam bona.' 'Nempe pecus, rem, 75
Lectos, argentum: tollas licet.' 'In manicis et
Compedibus saevo te sub custode tenebo.'

72. *penusque* codices et ed. plerique, *penumque* perpauci.

colendo aut venando, servilibus officiis intentum, aetatem agere. — *Naviget--prosit*] Hac quidem in iunctura vix aliter facere possumus, nisi ut comparatione avari cum captivo non egredientes, haec quoque duo membra de servo ita interpretemur: „Naviget cum mercatore, domino suo; eum adiuvet etiam ad annonam in Urbe viliorem reddendam, dum is ex Aegypto et Africa magnam frumenti vim adportat." *Annonae prodesse* idem est quod *levare annonam* (Cic. pro Milone 72. Liv. 4, 12.) — *penusque*] „omnis generis utensilia." Cic. de N. D. 2, 68: *est enim omne, quo vescuntur homines, penus.* H. l. explico potissimum de omnis generis salgamis, quae ex transmarinis regionibus advehebantur, de piscibus salsis, garo, alece cet.

73—79. *Vir bonus* cet.] „Contra viri vere boni imago est illa apud Euripidem (Bacch. 492): *ΔΙΟΝΥΣΟΣ. Εἴφ' ὅ τι παθεῖν δεῖ· τί με τὸ δεινὸν ἐργάσει; ΠΕΝΘΕΥΣ. Πρῶτον μὲν ἁβρὸν βόστρυχον τεμῶ σέθεν. Δ. Ἱερὸς ὁ πλόκαμος, τῷ θεῷ δ' αὐτὸν τρέφω. Π. Ἔπειτα θύρσον τόνδε παράδος ἐκ χεροῖν. Δ. Αὐτός μ' ἀφαιροῦ· τόνδε Διονύσου φορῶ. Π. Εἰρκταῖσί τ' ἔνδον σῶμα σὸν φυλάξομεν. Δ. Λύσει μ' ὁ δαίμων αὐτός, ὅταν ἐγὼ θέλω.*" Apud Euripidem igitur est Bacchus, qui coram Pentheo (de quo vid. ad Od. 2, 19, 14) sacerdotem se illius simulat; quem locum Horatius de morte a sapiente, ubi necessaria ei videatur, sponte sumenda interpretatur, insigni exemplo artificii, quo Stoici interpretationis allegoricae sive moralis ope poëtarum inventa suam ad doctrinam detorquebant. Prorsus sic eodem loco usus est Plutarch. *περὶ εὐθυμ.* c. 18: *Ὧι γὰρ ἔξεστι τῆς μὲν ἀρετῆς καὶ οἰκείας μερίδος ἐπικρατούσης ἡδέως ζῆν, τῶν δὲ ἀλλοτρίων καὶ παρὰ φύσιν ὑπερβαλλόντων ἀδεῶς ἀπελθεῖν εἰπόντα· Λύσει μ' ὁ δαίμων αὐτός, ὅταν ἐγὼ θέλω· τί ἂν τούτῳ χαλεπὸν ἢ δύσκολον ἢ ταραχώδες ἔμπιπτον ἐπινοήσαιμεν;* Crebro autem huiuscemodi exempla omnibus nota, ut h. l. Penthei, ex Tragicis afferebant philosophi ac sophistae. — *Lectos*] pro omni supellectili, cuius illi sunt pars praecipua. Cfr. Ep. 1, 1, 91. Cic. Parad. 1, 8: *Neque ego umquam bona perdidisse dicam, si qui pecus aut supellectilem amiserit.* — *argentum*] „factum, vasa argentea." — *tollas licet*] Sallust. Catil. 35: *satisfactionem, quam veram licet cognoscas.* — *simul atque volam*] ex constanti quidem Stoicorum doctrina. Diog. Laërt. 7, 130 in Zenone: *Εὐλόγως τέ φασιν ἐξάξειν ἑαυτὸν τοῦ βίου τὸν σοφὸν καὶ ὑπὲρ πατρίδος καὶ ὑπὲρ φίλων, κἂν ἐν σκληροτέρᾳ γένηται ἀλγηδόνι ἢ πηρώσεσιν ἢ νόσοις ἀνιάτοις.* Quod praeceptum secu-

'Ipse deus, simul atque volam, me solvet.' Opinor,
Hoc sentit, 'moriar.' Mors ultima linea rerum est.

EPISTULA XVII.

Quamvis, Scaeva, satis per te tibi consulis et scis,
Quo tandem pacto deceat maioribus uti,
Disce, docendus adhuc quae censet amiculus, ut si

tus est Zeno ipse. Ibid. 28 sq. Verbum autem *volam* significat mortem voluntariam, ex Stoicorum doctrina. Seneca de Provid. 6, 2: *Occiduntur* (boni viri). *Quidni? cum aliquando ipsi sibi manus afferant.* Cfr. Cic. Tusc. 5, 117. — *solvet*] molestis corporis vinculis. Themistius de An. 9: *ἀπολύεσθαι τὸν ἀποθνήσκοντα καὶ τελευτὴν τὴν ἀπόλυσιν καλοῦσιν.* Seneca Epist. 71, 12: *Nobis solvi perire est.* — *ultima linea*] Frequens miserorum solatium. Demosth. de corona §. 97: *Πέρας μὲν γὰρ ἅπασιν ἀνθρώποις ἐστὶ τοῦ βίου θάνατος.* Est imago a circo petita, alba linea ad metam, sulco calce vel creta repleto, cui opponuntur carceres. Cic. Cat. m. 83: *Si quis deus mihi largiatur, ut ex hac aetate repuerascam et in cunis vagiam, valde recusem nec vero velim, quasi decurso spatio, a calce ad carceres revocari.* Cfr. Tusc. 1, 15. Eurip. Electr. 945: *Μή μοι, τὸ πρῶτον βῆμ' ἐὰν δράμῃ καλῶς, Νικᾶν δοκείτω τὴν δίκην, πρὶν ἂν πέλας Γραμμῆς ἵκηται, καὶ τέλος κάμψῃ βίου.* „Mors", inquit, „aerumnarum atque omnino rerum humanarum est finis." Seneca ad Marc. de Consol. 19, 4: *Mors dolorum omnium et solutio est et finis, ultra quam mala nostra non exeunt.*

XVII. Scaeva quis fuerit non constat. Suspicantur nonnulli filium eum fuisse Cassii Scaevae, centurionis Caesariani fortissimi. (Caesar B. C. 3, 53. Cic. ad Att. 14, 10, 2. Plut. Caes. 16.) Huic igitur amico iuniori viam monstrat, qua potentiorum favorem sibi paret, ita tamen, ut nec libertatem ingenuo homini necessariam umquam exuat neque adulationis culpam contrahat. Simul significat lectoribus, quomodo ipse cum Maecenate aliisque viris principibus amice atque officiose, sed tamen libero animo vivere soleat, ut nemo eum propter hanc cum superioribus necessitudinem despicere aut reprehendere possit. Quando scripta sit haec epistula, incertum est.

1-5. *Quamvis* cet.] Eisdem fere verbis A. P. 366: *quamvis--per te sapis*, qua formula illud, quod ingrati et molesti interdum inest in consiliis etiam benevolis, mitigare studemus. Similis formula est Ep. 1, 18, 67: *Protinus ut moneam, si quid monitoris eges tu.* De indicativo cfr. etiam v. 22 et Ep. 1, 14, 6. — *per te*] „sine alterius praecepto;" „etsi me non eges consultore." — *tandem*] In hac interrogatione obliqua significat cum potentioribus recte versari rem esse valde difficilem. — *maioribus*] Cfr. Sat. 2, 1, 61. — *docendus adhuc*] „quamvis egomet ipse praeceptoris indigeam." — *amiculus*] Eadem voce utitur Catullus 30, 2 et Cicero Verr. Accus. 3, 79. Forma deminutiva teneram,

Caecus iter monstrare velit: tamen adspice, si quid
Et nos quod cures proprium fecisse loquamur. 5
Si te grata quies et primam somnus in horam
Delectat, si te pulvis strepitusque rotarum,
Si laedit caupona, Ferentinum ire iubebo.
Nam neque divitibus contingunt gaudia solis,
Nec vixit male, qui natus moriensque fefellit. 10
Si prodesse tuis pauloque benignius ipsum
Te tractare voles, accedes siccus ad unctum.

Ep. XVII. 8. *laedit* duo Blandinii, Monac. E paucique alii, *laedet* cod. plerique, *laedat* perpauci.

qua in Scaevam animatus sit, amicitiam exprimit. — *Caecus iter* cet.] Graecum est proverbium: *μήτε τυφλὸν ὁδηγόν, μήτε ἐκνόητον σύμβουλον.* — *proprium fecisse*] *ἀορίστως*, „in rem tuam vertere".

6-10. *Si te* cet.] „Si delectaris quiete atque otio, strepitum clamoremque moleste ferens, Urbe et maiorum consuetudine relicta in locum quendam infrequentem tibi decedendum est." — *primam - - horam*] diei civilis inde a solis ortu; diversa igitur fuit ex singulorum anni temporum ratione. Vid. ad Ep. 1, 7, 47. Somnum autem in Urbe turbant officia iam a primo mane praestanda. Cfr. Martial. 4, 8, 1: *Prima salutantes atque altera conterit hora.* — *pulvis strepitusque rotarum*] A causis insomniorum transit ad molestias, quas quaevis diei hora Romae incolis creat. Conf. Pseudovid. Nuc. v. 87: *Felix secreto quae nata est arbor in arvo! - - Non hominum strepitus audit, non illa rotarum; Non a vicina pulverulenta via est.* — *si laedit caupona*] „si te offendit clamor ille ac tumultus, qui ex cauponis in vicis Romae constitutis ad tuas aures accidit." Alii et somnum interruptum et cauponam (quae tunc pessimae erant; cfr. Ep. 1, 11, 12) et pulverem strepitumque rotarum referunt ad itinerum cum divitibus patronis faciendorum (v. 52 sqq.) incommoda. — *Ferentinum*] Hernicorum oppidulum, montanum atque solitarium; „municipium viae Lavicanae ad XLVIII. lapidem." COMM. CRUQ. — *gaudia*] „ubique et per totam vitam;" non solum enim rusticationem in locis amoenis significat. — *qui n. m. fefellit*] ignoratus est, latuit; hoc autem Graecum proverbium [immo Epicuri praeceptum] est *Λάθε βιώσας*. Porph. Cfr. Ep. 1, 18, 103: *secretum iter et fallentis semita vitae.* Frequens est sententia. Eurip. Iphig. in Aul. 17: *Ζηλῶ δ' ἀνδρῶν ὃς ἀκίνδυνον Βίον ἐξεπέρασ' ἀγνώς, ἀκλεής· Τοὺς δ' ἐν τιμαῖς ἥσσον ζηλῶ.* Confer ad Od. 2, 10, 5.

11. 12. *prodesse tuis*] „quatenus in tuos cognatos ac necessarios vario modo redundat favor potentis tui amici." — *benignius ipsum Te tractare*] „lautius vivere", „largius Genio indulgere." — *siccus ad unctum*] „pauper et tenuis ad opulentum et locupletem. „COMM. CRUQ. *Unctus* is est, qui lauta praebet convivia, ut Ep. 1, 15, 44: *ubi quid melius contingit et unctius;* nec de unguentis dumtaxat explicandum est. His opponun-

'Si pranderet olus patienter, regibus uti
Nollet Aristippus.' 'Si sciret regibus uti,
Fastidiret olus, qui me notat.' Utrius horum 15
Verba probes et facta, doce, vel iunior audi,
Cur sit Aristippi potior sententia. Namque
Mordacem Cynicum sic eludebat, ut aiunt:
'Scurror ego ipse mihi, populo tu: rectius hoc et
Splendidius multo est. Equus ut me portet, alat rex, 20
Officium facio: tu poscis vilia rerum,

21. *vilia rerum* Syvar. tres codices Lambini, ed. Lamb., Bentl., Meineke, Haupt, Vahlen, L. Müller; *vilia, verum es* Αφψλ, rec.

tur *sicci*, „qui propter paupertatem cibis utuntur simplicissimis quibusque."

13-15. *Si pranderet--Aristippus*] Verba Diogenis Cynici. Diog. L. 1, 68: *Παριόντα ποτὲ αὐτὸν (Ἀρίστιππον) λάχανα πλύνων Διογένης ἔσκωψε καί φησιν, Εἰ ταῦτα ἔμαθες προσφέρεσθαι, οὐκ ἂν τυράννων αὐλὰς ἐθεράπευες. Ὁ δέ, Καὶ σύ, εἶπεν, εἴπερ ἤδεις ἀνθρώποις ὁμιλεῖν, οὐκ ἂν λάχανα ἔπλυνες.* De Aristippo vid. ad Ep. 1, 1, 18. — *pranderet olus*] Sat. 2, 3, 245: *prandere luscinias.* De *olere* conf. Sat. 2, 1, 74. — *regibus*] Diogenes intellegebat Dionysium, Syracusanorum tyrannum, quocum diutius versatus est Aristippus. Lucianus de Paras. 33: *Ἀρίστιππος ὁ Κυρηναῖος--διέτριβεν ἐν Συρακούσαις παρασιτῶν Διονυσίῳ. πάντων γοῦν ἀμέλει τῶν παρασίτων αὐτὸς ηὐδοκίμει παρ' αὐτῷ* — *Si sciret regibus uti*] Admonet hoc nos Epicuri sententiae illius: *καὶ μόναρχον ἐν καιρῷ θεραπεύσειν (τὸν σοφόν).* Diog. Laërt. 10, 121. Est autem *uti* „cum iis versari sciteque eos tractare." — *notat*] „reprehendit", proprie de censoribus.

18. 19. *eludebat*] pr. de gladiatoribus, qui ictus adversariorum corporis inclinatione vitant. — *ut aiunt*] de historia plerisque nota et quasi tralatitia. Conf. Ep. 1, 7, 49. — *Scurror*] „Fieri potest", inquit Aristippus *κατ' εἰρωνείαν*, „ut, quemadmodum tu me vocas, scurra sim re vera; sed ego *mihi*, meam in rem, scurror; tu multitudini, cuius plausum et vilia dona captas abollâ, qua indutus es, dolio, in quo habitas, dictis mordacibus, miris corporis exercitationibus, ut cum aestate in fervida arena te volutas, hieme statuas nive contectas amplexaris, interdum *ἀνάπαλιν περιπατεῖς.* (Stob. T. 4, 84) Itaque *hoc*, quod ego facio, multo et rectius et lautius est, quam tua scurrilitas." *Scurrari* praeter hunc locum et ep. 1, 18, 2 nusquam reperitur.

20-22. *Equus*] Proverbium Graecum. Diogenianus 5, 31: *Ἵππος με φέρει, βασιλεύς με τρέφει· Κορρᾶιόν φασιν ὑπὸ Φιλίππου στρατευόμενον ἱππέα, τῆς μητρὸς δεομένης αἰτήσασθαι ἄφεσιν τῆς στρατείας, εἰπεῖν τοῦτο.* — *rex*] Sic Graeci *τὸν δεσπότην* opponunt *τῷ παρασίτῳ.* Crobylus in Grotii Exc. p. 829: *Παράσιτος αὐτὸν γοῦν τρέφων Τὰ πλεῖστα συνεράνιζεν ἂν τῷ δεσπότῃ.* Quod sic vertit Grotius: *Parasitus, ipse si se nutriat, Plus quam quisquam alius conferat regi suo.* — *Officium facio*] „Amicitiae officio fungor, omni observantia colens re-

Dante minor, quamvis fers te nullius egentem.'
Omnis Aristippum decuit color et status et res,
Temptantem maiora, fere praesentibus aequum.
Contra, quem duplici panno patientia velat, 25
Mirabor, vitae via si conversa decebit.

O. Keller, Eckstein (— *verums*); *vilia, verum* ceteri, in his Blandinii, Gothanus, ORγ aliique perboni cod., ed. Pauly, Ritter.

gem meum, animi tamen libertate conservata." „Non sum scurra", inquit, „verum homo officiosus." — *poscis*] Diog. Laërt. 6, 46: *Χρημάτων δεόμενος ἀπαιτεῖν ἔλεγε τοὺς φίλους, οὐκ αἰτεῖν.* — *vilia rerum*] „res viles." Vid. ad Sat. 2, 8, 83: *fictis rerum*, et cfr. Od. 4, 12, 19: *amara curarum.* Intellege autem poma, caricas, saperdas, panem secundarium, centonem: „quae poscens tu ipse confiteris, te etiam volgo *minorem*, id est, inferiorem et ei quasi obnoxium esse." Ipse Diogenes de se apud Diog. L. 6, 60: *Κύων καλοῦμαι τοὺς μὲν διδόντας σαίνων, τοὺς δὲ μὴ διδόντας ὑλακτῶν, τοὺς δὲ πονηροὺς δάκνων.* — *fers*] „praedicas, iactas", ut Verg. Aen. 5, 372: *qui se Bebrycia veniens Amyci de gente ferebat.* — *nullius*] Propter oppositionem *Dante minor* melius videtur, ut hoc v. habeamus pro genere masculino quam pro neutro, ut est A. P. 324: *nullius avaris.* Diog. L. 6, 55: *Πρὸς τοὺς συμβουλεύοντας τὸν ἀποδράντα αὐτοῦ δοῦλον ζητεῖν, Γελοῖον, ἔφη, εἰ Μάνης μὲν χωρὶς Διογένους ζῇ, Διογένης δὲ χωρὶς Μάνου οὐ δύναται.*

23—26. *Omnis Aristippum* cet. Diog. L. 2, 66: *Ἦν δὲ ἱκανὸς ἁρμόσασθαι καὶ τόπῳ καὶ χρόνῳ καὶ προσώπῳ καὶ πᾶσαν περίστασιν ἁρμονίως ὑποκρίνασθαι.* — *color*] ex usu vitae quotidianae id quod vitae condicio. Sat. 2, 1, 60: *Quisquis erit vitae-color.* — *status*] „rationes quae sunt cum aliis et necessitudines." — *res*] „res familiaris, qualiscumque diversis temporibus erat." — *Temptantem* cet.] „quaerentem quidem meliora, praesentia autem semper aequo animo ferentem." — *fere praesentibus aequum*] „sed qui solebat aequo animo ferre omnem vitae condicionem ac statum;" ut cum Sophoclis O. C. verbis (v. 3, 4: *Τίς τὸν πλανήτην Οἰδίπουν καθ' ἡμέραν Τὴν νῦν σπανιστοῖς δέξεται δωρήμασι;*) usus est, ubi fracta nave Syracusas venerat, quemadmodum narrat Galenus Vol. II. pag. 5 sq. ed. Charter. — *quem duplici* cet.] Diogenem, qui ut satisfaceret doctrinae suae, cuius primum caput erat *patientia* (*καρτερία, τλημοσύνη*, tolerantia laboris, inopiae, dolorum. Cic. de Or. 3, 62: *ab Antisthene, qui patientiam et duritiam in Socratico sermone maxime adamarat, Cynici*), pro pallio et tunica contentus erat una abolla ex (vili) panno confecta, qua *dupliciter* amiciebatur. Cynicorum hunc habitum ideo vocabant *διπλοΐδα.* Hi igitur *ἀχίτωνες* quidem, sed *διπλοείματοι.* Diog. L. 6, 22: *τρίβωνα διπλώσας πρῶτος κατά τινας διὰ τὸ ἀνάγκην ἔχειν καὶ ἐνεύδειν αὐτῷ.* *Pallio autem nihil expeditius, etiamsi duplex, quod Cratetis*, ut ait Tertullianus de pallio 5. — *Mirabor* cet.] „Cum Cynicus vitam tam asperam ac duram affectasset, vix aliter fieri poterat, quam ut si voluisset aliquando, vitae instituto prorsus mutato, ne dicam nitidus

Alter purpureum non exspectabit amictum,
Quidlibet indutus celeberrima per loca vadet,
Personamque feret non inconcinnus utramque;
Alter Mileti textam cane peius et angui 30
Vitabit chlamydem, morietur frigore, si non
Rettuleris pannum. Refer et sine vivat ineptus.
Res gerere et captos ostendere civibus hostis

30. *angui* Vossianus, Leidensis, Dessauiensis, Einsidlensis, Rφψλ, Priscian. 7, 13, 68; *angue* maior pars codicum, velut AOγ, Bentlei omnes.

elegansque videri, sed saltem ita se gerere ac vestire, ut solent homines honestae condicionis nec tamen divites, risus omnium moveret propter nescio quam inscitiam."

27—29. *Alter purpureum* cet.] „Aristippus contra, ut in publicum prodeat, non exspectabit, donec a fautore aliquo purpureum pallium dono accipiat, sed simplicissima veste indutus, sine falso pudore, aequissimo animo per medium forum incedet, aeque apte et pauperis et divitis partes agens." Diog. L. 2, 67: *διό ποτε Στράτωνα, οἱ δὲ Πλάτωνα, πρὸς αὐτὸν εἰπεῖν, Σοὶ μόνῳ δέδοται καὶ χλαμύδα φορεῖν καὶ ῥάκος.* „Plato, cum invenisset Aristippum naufragum vilique indutum vestimento, laudavit eum dicens ea scientia praeditum ut aeque sciret uti magnis ac parvis." ACRO. Max. Tyr. 7, 9 p. 125 R,: *Ὁ Ἀρίστιππος ἐκεῖνος πορφυρίδι ἀμπισχόμενος καὶ μύροις χριόμενος οὐχ ἧττον τοῦ Διογένους ἐσωφρόνει.* — *Personamque* cet.] Teles apud Stob. T. 5, 67: *Δεῖ ὥσπερ τὸν ἀγαθὸν ὑποκριτήν, ὅ τι ἂν ὁ ποιητὴς περιθῇ πρόσωπον, τοῦτο ἀγωνίζεσθαι καλῶς· οὕτω καὶ τὸν ἀγαθὸν ἄνδρα, ὅ τι ἂν περιθῇ ἡ τύχη.*

30-32. *Mileti textam*] Purpurae Milesiae propter lanae praestantiam inter pretiosissimas erant. Verg. Ge. 3, 306: *quamvis Milesia magno Vellera mutentur Tyrios incocta rubores.* — *cane peius et angui*] Locutio proverbialis de rebus, a quibus maxime abhorremus quasque mali ominis esse ducimus. Plaut. Merc. 760: *Nempe uxor rurist tua, quam dudum dixeras Te odisse (aeque) atque angues.* De locutione *peius vitare* cfr. Od. 4, 9, 50: *Peiusque leto flagitium timet.* — *Vitabit chlamydem* cet.] Arrian. Epict. 1, 24, 7: *Διογένης τὸ γυμνὸν εἶναι λέγει ὅτι κρεῖσσόν ἐστι πάσης περιπορφύρου.* Historiam fortasse ex ipsis Horatii verbis effictam sic narrat Commentator Cruquii: „Aiunt Aristippum invitato Diogene ad balneas dedisse operam, ut omnes prius egrederentur, ipsum Diogenis pallium induisse eique reliquisse purpureum; quod Diogenes induere cum nollet, suum repetiit. Tunc Aristippus increpuit Cynicum famae servientem, qui algere mallet quam conspici in veste purpurea." — *Refer* cet.) „Quin igitur desinis iocari cum tali homine et reddis ei *διπλοΐδα*, facile ei concedens, ut semper et ubique indulgeat suis ineptiis?" — *ineptus*] Cynici ridet rusticitatem ac proterviam; sic Epicurus dixerat, *οὐ κυνιεῖν τὸν σοφόν.* Diog. Laërt. 10, 119.

33-36. *Res gerere* cet.] „Res magnas gerere in bellis et triumphare

Attingit solium Iovis et caelestia temptat.
Principibus placuisse viris non ultima laus est. 35
Non cuivis homini contingit adire Corinthum.
Sedit, qui timuit, ne non succederet. Esto!
Quid qui pervenit, fecitne viriliter? Atqui
Hic est aut nusquam, quod quaerimus. Hic onus horret,
Ut parvis animis et parvo corpore maius: 40
Hic subit et perfert. Aut virtus nomen inane est,

de hostibus devictis quam proxime accedit ad divinitatem et immortalem gloriam meretur; verum etiam *principibus* cet.“ Significat praeter ceteros Augustum et Agrippam, „cuiusmodi viris inter aequales primariis ubi placueris, meritorum tuorum atque ingenii insigne erit testimonium.“ — *caelestia temptat*] „laboribus suis immortalitatem petit.“ — *Non cuivis homini* cet.] Proverbium Graecum (*Οὐ παντὸς ἀνδρὸς εἰς Κόρινθον ἔσθ' ὁ πλοῦς*), de cuius origine ambigebant iam antiqui. Primaria tamen eius sententia videtur ea, quam memorat Zenob. 5, 37 in Paroem. gr. (ed. Schneid. et L.): *ἡ Κόρινθος πολλὰς εἶχεν ἑταίρας καὶ πολυτελεῖς, αἳ τοὺς ἀφικομένους τῶν ξένων ἐδασμολόγουν τὰ ἐφόδια αὐτῶν λαμβάνουσαι.* Similiter Strabo 8, 6, 20: *τὸ τῆς Ἀφροδίτης ἱερὸν οὕτω πλούσιον ὑπῆρξεν ὥστε πλείους ἢ χιλίας ἱεροδούλους ἐκέκτητο ἑταίρας, ἃς ἀνετίθεσαν τῇ θεῷ καὶ ἄνδρες καὶ γυναῖκες.* Itaque ‘frustra ibat Corinthum ad Laidem, qui non quiret dare, quod poscebatur.’ Gell. n. a. 1, 8, 4. Hoc igitur dicit: ‘non admittitur nisi qui magnam pecuniam impenderit; itaque nihil assequitur nisi qui virtute et industria utitur.’

37-42. *Sedit*] ut *καθῆσθαι*, „cessat, turpi otio torpet.“ Terent. Ad. 672 = 4, 5, 38: *An sedere oportuit Domi virginem tam grandem?* ubi Donatus: „*sedere* proprie ignavae cessationis est.“ Cic. in Pis. 10: *An potest ulla esse excusatio, non dicam male sentienti, sed sedenti, cunctanti, dormienti - - consuli?* Verg. Ge. 3, 456: *meliora deos sedet omina poscens.* — *Esto*] *meinetwegen!* — „Quid curamus hominem ignavum? Contra ille, qui molestiis periculisque superatis ad finem suum tandem pervenit, nonne is egit animose? Atque in hoc ipso, in strenue impigreque egendo, cardo vertitur rei, de qua quaerimus; aut fortiter sciteque inceptum nostrum peragamus neque umquam animum despondeamus, aut, si propter inertiam cessaverimus, digni sane erimus, qui contemnamur.“ — *Hic est*] „hoc loco est.“ — *onus horret*] „magnopere reformidat;“ eadem constructione, qua Cic. ad Att. 9, 2a, 2: *ingrati animi crimen horreo.* Caesar B. G. 1, 32: *quod - - Ariovisti crudelitatem - - horrerent.* — *Aut virtus* cet.] „Aut fatendum est, falsa opinione, non re, niti virtutem, aut, si eius pretium ultro agnoscimus, propter eam difficillima quaeque et perpetranda et toleranda sunt, quibus arduis atque vera laude dignis inceptis adnumerandum censeo, si quis non vili adulatione, sed magnis meritis principum virorum benevolentiam ac favorem sibi parat.“ *virtus* significatione vere Romana de quavis laude, quam actionibus nostris et fortibus et honestis adipiscimur. — *nomen inane*] Cfr. Ep. 1, 6, 31: *Virtutem verba pu-*

Aut decus et pretium recte petit experiens vir.
Coram rege sua de paupertate tacentes
Plus poscente ferent; distat, sumasne pudenter,
An rapias. Atqui rerum caput hoc erat, hic fons. 45
'Indotata mihi soror est, paupercula mater,
Et fundus nec vendibilis nec pascere firmus'

43. *sua* cod. Petrensis paucique alii, prob. Bentleius, Meineke, Lachmann, Haupt, Vahlen, L. Müller, Ribbeck, Lehrs, Eckstein; *suo* cod. plerique prob. Orelli, O. Keller, H. Schütz.

tas et Lucum ligna. — *recte*] „iure ac merito.“ — *experiens vir*] „qui omnia experitur, quo ad propositum perveniat.“ Cic. Verr. Acc. 3, 53: *homo navus et industrius, experientissimus ac diligentissimus orator.* Ovid. Metam. 14, 159: *comes experientis Ulixei.*

43-45. *Coram* cet.] Iam ex multis praeceptis, quae dare poterat, pauca quaedam, sed praecipua, (pudoris, modestiae, prudentiae,) amico inculcat. Ceterum summa cum festivitate depingit in his volgarium assentatorum inscitiam ac pravitatem, qua potentes amicos saepe a vera amicitia repellant. — *rege*] „amico potentiore“, ut Ep. 1, 7, 37. Seneca de Brev. vitae 3, 2: *Dic quantum ex isto tempore creditor, quantum amica, quantum rex, quantum cliens abstulerit.* Colum. R. R. praef. 1, 9: *An honestius duxerim mercennarii salutatoris mendacissimum aucupium circumvolitantis limina potentiorum somnumque regis sui rumoribus augurantis.* — *sua* cum Bentleio scribendum est; nam de paupertate aliena honeste loqui quivis potest: neque impedit caesura, quippe quae non dirimat sententias. — *Atqui* cet.] Est ἀναφορὰ vel κλῖμαξ v. 38: *Atqui hic est* cet. — *rerum caput*] „Totius incepti, quod tibi tantopere cordi est, origo ac finis primarius erat, ut commodius viveres, auctoritate gauderes, ditarere. Huius autem incepti successus tua in prudentia situs est: nam si verecunde acceperis patroni dona nec mendici instar impudenter poposceris avideque rapueris, quidquid tibi offert occasio, ille semper magis tibi favebit; quod ipsum tibi est propositum: contra, si inverecundus et tagax eris, brevi tempore fautorem abs te alienabis.“ Vv. *caput hoc* referuntur ad vv. *Plus--ferent;* vv. *distat---rapias* per ἐπεξήγησιν interposita sunt. *Caput* autem et *fons* ex formula Latina sic iunguntur etiam apud Ciceronem de Or. 1, 42: *philosophorum greges, iam ab illo fonte et capite Socrate.* — *erat*] „tunc cum sumebas pudenter, atque est etiamnunc.“

46-49. *Indotata* cet.] Exemplum impudentiae, quae beneficia mendicat a patrono, causis allatis, quae huius misericordiam, ut sperat, facile moveant. Ignominiosum autem erat fratri sorori dotem non dare. Cfr. Plaut. Trinum. 689: *ne mi hanc famam differant Me germanam meam sororem in concubinatum tibi Si sine dote dem, dedidisse magis quam in matrimonium.* — *fundus*] „quo vendito dotem sorori, matri alimenta praebere possem.“ — *nec vendibilis*] propter id ipsum, quod sterilis est. — *nec pascere firmus*] βέβαιος, semper idoneus; „nec eius proventus tantus est, ut ex eo vitam

Qui dicit, clamat 'Victum date.' Succinit alter:
'Et mihi dividuo findetur munere quadra.'
Sed tacitus pasci si posset corvus, haberet 50
Plus dapis et rixae multo minus invidiaeque.
Brundisium comes aut Surrentum ductus amoenum,
Qui queritur salebras et acerbum frigus et imbris,
Aut cistam effractam et subducta viatica plorat,
Nota refert meretricis acumina, saepe catellam, 55
Saepe periscelidem raptam sibi flentis, uti mox
Nulla fides damnis verisque doloribus adsit.
Nec semel irrisus triviis attollere curat

sustentem." — *clamat*] ut mendicus. — *Succinit alter*] Exprimit mendicorum ad templa, trivia, pontes congregatorum perpetuam cantilenam, qua, ut primus quisque stipem accepit, ceteri sibi invicem succinunt (SCHOL.), id est, sese idem clamando excipiunt. — *Et mihi* cet.] „Mihi quoque panis vel placentae frustum dato, ita ut munus, quod alter totum auferre volt, dividatur." — *dividuo*] pr. „quod dividi potest", tum: „quod nunc ipsum dividitur." Terent. Ad. 240: *Potius quam venias in periclum, Sannio, Servesne an perdas totum, dividuom face.* — *quadra*] pr. „quarta pars." Verg. Moret. 48: *Laevat opus palmisque suum dilatat in orbem Et notat, impressis aequo discrimine quadris.* Seneca de Benef. 4, 29: *Quis beneficium dixit quadram panis aut stipem aeris abiecti?*

50-57. *Sed tacitus* cet.] Speciem habet vel proverbii vel fabellae Aesopiae; nulla tamen huius argumenti superest in Corae *Συντάγματι*. „Corvus, dum escam reperit, assidue crocitans alias aves allicit, quibuscum illam partiri cogitur. Sic tu, si tacite petes, maiora dona feres, quam si patrono aures obtundes alios tibi competitores excitans." — *Brundisium* cet.] „Sunt aliae quoque artes perversae eorum, qui in principis alicuius viri cohorte versantur: modo queruntur de itineris incommodis ipsis, quo dono aliquo compensentur; modo se a furibus compilatos esse mentiuntur; sed omnes istae astutiae parum eos iuvant, quia dolorum meretriciorum nimis similes sunt." De Brundisio vid. Sat. 1, 5, 104. — *Surrentum*] Campaniae oppidum (h. *Sorrento*), ad promuntorium Minervae situm. Silius 5, 466: *Zephyro Surrentum molle salubri.* Cfr. Sat. 2, 4, 55. — *salebras*] „itineris asperitatem." COMM. CRUQ. — *viatica*] „omnia, quae itineri necessaria sunt, imprimis pecunia." — *acumina*] astutias, quas *sacrilegas meretricum artes* vocat exemplis allatis Ovidius A. A. 1, 435. — *catellam*] „*Catella* diminutivum est a *catena* dixitque *catellam* imitatione Lucilii." SCHOL. Sic apud Liv. 39, 31: *Praetor suos equites catellis ac fibulis donavit.* Contra a verbo *catulus* est apud Iuven. 6, 654: *Morte viri cupiant animam servare catellae.* — *periscelidem*] Isidor. 19, 31, 19: *Periscelides sunt crurum ornamenta mulierum, quibus gressus earum ornantur,* circuli aurei vel argentei supra talos. — *veris*] Hoc adiectivum etiam ad v. *damnis* referendum est.

58-62. *planum*] *πλάνον*, circula-

Fracto crure planum. Licet illi plurima manet
Lacrima, per sanctum iuratus dicat Osirim: 60
'Credite, non ludo; crudeles, tollite claudum.'
'Quaere peregrinum' vicinia rauca reclamat.

EPISTULA XVIII.

Si bene te novi, metues, liberrime Lolli,

torem, qui multitudinis delectandae causa in triviis artes suas exercet. Arnob. 2, 32: *Psyllis, Marsis* (colubrarum incantatoribus) *aliisque institoribus atque planis.* Cfr. Athen. 1, 35. p. 19: *Ἐθαυμάζετο παρ' Ἕλλησι καὶ Ῥωμαίοις Ματρέας ὁ πλάνος ὁ Ἀλεξανδρεύς.* Hic igitur, de quo Horatius narrat, saltu periculoso facto, humi prolapsus simulabat se crus fregisse et hominis, cui hoc accidit, gestum lamentationesque imitabatur. Quodsi quis e spectatorum turba misericordia tactus ei opitulari vellet, ille subito e solo exsiliebat, novas praestigias incepturus, adeo ut, qui accurrerat ad auxilium praebendum, abiret derisus. Verum, cum aliquando re vera tibiam fregisset, nemo iam ei succurrere voluit, omnes cum crederent, denuo eum ludificare circumstantes. — *plurima - Lacrima*] Vid. ad Od. 1, 7, 8. Verg. Georg. 1, 187: *nux plurima.* 4, 419: *plurima - - unda.* — *per sanctum* cet.] ex sermone quotidiano. Cic. Phil. 2, 32: *pro sancte Iuppiter!* — *Osirim*] vel quia Aegyptius erat, ut Matreas ille Alexandrinus apud Athenaeum, vel saltem Isidis cultui inter popellum tunc admodum frequenti addictus; atque haec altera interpretatio rectior videtur; cf. Preller - Iordan mythol. Rom. II pg. 373 sq. — *tollite*] „ut ad chirurgum porter." Sic A. P. 458: *Si - - decidit auceps In puteum foveamve, licet „Succurrite" longum Clamet „Io cives!", non sit qui tollere curet.* — *Quaere peregrinum*] Quintil. 6, 3, 9: *Adiuvant urbanitatem et versus commode positi, - - et proverbia opportune aptata: ut homini nequam lapso et, ut allevaretur, roganti, Tollat te, quinon novit.* — *rauca*] „sono incondito vociferans usque ad ravim." Iuven. 8, 59: *exultat rauco victoria Circo.* „Sic tu, semel si mendacio aut dolo deceperis fautorem, nihil iam ab eo auferes."

XVIII. Lollium, iuniorem amicum (de quo vide, quae dicta sunt ad epistulam secundam), Horatius ad rectam potentium culturam ita instituit, ut adolescentem huius generis vitae fortasse nimis cupidum nimiaque commoda sibi inde promittentem, simul admoneat, quam multa officia libero et ingenuo viro vix satis digna sint observanda tale iter ingressis, et quam multa pericula fautorem offendendi anxie devitanda. Idcirco amicum, natura ad libertatem propensum, ante omnia dehortatur a duobus sibi diversis vitiis, asperitatis inconcinnae altero (vv. 5-8. 15-20), altero adulationis scurrilis (vv. 10-14). Deinde docet cavendum esse, ne variis vitiis (libidine, alea, ostentatione, avaritia) potentem fautorem vel ab se alienet vel nimis obnoxius ei fiat vel ita ab eo tractetur, ut solebat vanos homines sensim perdere Eutrapelus ille (vv. 21-36). Dein Lollium dehortatur,

Scurrantis speciem praebere, professus amicum.
Ut matrona meretrici dispar erit atque
Discolor, infido scurrae distabit amicus.
Est huic diversum vitio vitium prope maius, 5
Asperitas agrestis et inconcinna gravisque,
Quae se commendat tonsa cute, dentibus atris,

ne curiosus sit secretorum neu commissa divolget (vv. 37. 38); ne sua studia studiis patroni remittere cunctetur, neve inofficiosus videatur (vv. 39-66); ne incautius de aliis loquatur (vv. 68-71); ne ancillas puerosve domini adamet (vv. 72-75); ne imprudentius agat in aliis commendandis vel intempestive defendendis (vv. 76-85). Iam postquam tot praecepta de iis, quae vitare deberet, tradidit, in loco communi de difficultate ac periculis culturae potentium amicoram paulisper immoratur (vv. 86-88). „Caput rerum autem", pergit, „hoc est, ut accommodes, quoad eius fieri potest, tuos mores regis tui indoli universae. Verum, ne recta via deerres, omni tempore philosophorum scripta legere perges, quorum institutione quandoque condiscas, quae sit vita tranquilla et vere beata, qua equidem ego in Sabino meo perfruor." Epistulam hanc scriptam esse a. u. c. 734 docet v. 56 sq.

1-4. *Si bene te novi*] Cfr. Sat. 1, 9, 22. Seneca Epist. 16, 6: *Iam ab initio, si te bene novi, circumspicies* cet. — *metues--praebere*] „vitabis--praebere;" „cavebis, ne--praebeas." Cfr. ad Od. 2, 2, 7. — *liberrime*] In ipso superlativo inest tacita admonitio, ne παῤῥησίᾳ, de qua gloriabatur, tempore et loco minus opportuno nimis indulgeat. — *Scurrantis*] „pabuli causa assentantis et risum moventis." — *professus*] „omnibus tuis necessariis cum dixeris potentioris te amicum semper fore, numquam parasitum." — *dispar*] moribus et ingenio. — *Discolor*] Fuerunt qui de habitu cultuque intellegerent, quia matronae palla et stola alba cum instita purpurea, libertinae meretrices tunica superiniecta toga omnium colorum indutae in publicum prodibant. Sed melius de toto vitae colore externo (Sat. 2, 1, 60. Ep. 1, 17, 23) interpretaberis, ut sit *diversa*. Cfr. Pers. 5, 52: *Mille hominum species et rerum discolor usus.* — *infido*] Cfr. Od. 1, 35, 25. — *scurrae distabit*] Vid. ad Od. 2, 2, 18.

5-9. *diversum*] „contrarium, oppositum;" cum dativo coniunxit Hor. *huic vitio*, ut verba controversiae (v. supra); scriptores superiores dicunt *diversum esse ab aliqua re.* — *vitio vitium*] Cfr. ad Ep. 1, 19, 6. — *prope maius*] quatenus is, cui inest, prorsus aberrat a fine suo principum virorum favorem sibi conciliandi. — *agrestis* cet.] Cumulatis his epithetis significat, quantopere ingrata ac molesta sit huiusmodi rusticitas. — *inconcinna*] „invenusta atque insuavis, quia discrepat ab ea vitae ratione, quam homines politi et comes sequuntur." — *quae se commendat*] „quae se aliis commendare studet, quae credit omni mollitie vitata se commendatum iri, maxime τῇ ἐν χρῷ κουρᾷ, parsimoniae signo, ceteraque neglegentia in habitu, quam consectabantur aretalogi Stoici et Cynici horumque inter Romanos imitatores." — *tonsa cute*] Proprie dicebant *caput ad cutem tondere.* Cels.

Dum volt libertas dici mera veraque virtus.
Virtus est medium vitiorum et utrimque reductum.
Alter in obsequium plus aequo pronus et imi 10
Derisor lecti sic nutum divitis horret,
Sic iterat voces et verba cadentia tollit,
Ut puerum saevo credas dictata magistro
Reddere vel partis mimum tractare secundas.

3, 18. 4, 2. — *libertas dici mera*] de homine identidem suam libertatem crepante, dum nescit se rudi illa asperitate alios offendere. — *veraque virtus*] „vera in qualicumque condicione vivendi ratio.“ — *medium vitiorum*] ex nota illa Aristotelis doctrina. Eth. Nicom. 2, 6: *Ἔστιν ἡ ἀρετὴ ἕξις προαιρετική, ἐν μεσότητι οὖσα. - - μεσότης δὲ δύο κακιῶν, τῆς μὲν καθ' ὑπερβολήν, τῆς δὲ κατ' ἔλλειψιν.* Cic. Brut. 149: *Cum omnis virtus sit, ut vestra, Brute, vetus Academia dixit, mediocritas, uterque horum medium quiddam volebat sequi.* — *utrimque reductum*] „ab utroque extremo, ut ipsa ratio docet, remotum.“

10—12. *Alter*] „assentator scurrilis.“ (v. 4.) — *imi-lecti*] in quo una cum convivii domino soliti eius scurrae accumbebant. Conf. Sat. 2, 8, 40 sq. Est autem genitivus loci potius quam obiecti, pro quo a plerisque falso habetur, ut sit, „qui modo patroni dictis arrideat, modo ipsum derideat.“ H. l. *derisor* est is, cuius quasi officium erat ceteros scurras atque umbras, homines etiam absentes, dictis facetis et mordacibus traducendi, quo convivator et qui paris aderant condicionis exhilararentur. Conf. A. P. 728 sqq. — *nutum*] Cic. Parad. 5, 39: *Hereditatis spes - - quem nutum locupletis orbi senis non observat?* Pseudoplut. de educ. puer. 14: *Κόλακες, οἱ πρὸς τὸ τῶν πλουσίων νεῦμα ζῶντες.* — *horret*] „tanta cum observantia omnem patroni nutum exsequitur, quasi eum ut tyrannum reformidet. — *cadentia tollit*] „excidentia et temere prolata suscipit pro mirandis propter festivitatem ac leporem.“ SCHOL.

13. 14. *saevo - - magistro*] „a *plagoso* aliquo *Orbilio*.“ Ep. 2, 1, 70.) — *dictata*] *τὰ ἀποστοματιζόμενα.* Plat. Euthyd. p. 276. C. Cic. ad. Q. fr. III. 1, 4, 11: *meam* (orationem) *in illum* (L. Pisonem Caesoninum) *pueri omnes tamquam dictata perdiscant.* — *Reddere*] Cfr. ad Ep. 1, 1, 55. Cic. de N. D. 1, 26, 72: *Ista enim a vobis quasi dictata redduntur, quae Epicurus oscitans alucinatus est.* — *partis mimum tractare secundas*] De mimis proprie dictis accipiendum puto potius quam de comoedis: nam (actor) *secundarum partium fere omnibus mimis parasitus inducitur*, ut ait Festus in *Salva res* p. 326. Muell. Is igitur necessario perpetuus quasi assentator actoris primarum partium erat atque imitator maxime gestu, qui primariae personae verbis et gestibus responderet. Atque bellum habes huius imitationis exemplum in Sueton. Calig. 57: *Et cum in Laureolo mimo, in quo actor proripiens se ruina sanguinem vomit, plures secundarum certatim experimentum artis darent, cruore scena abundavit.* Hinc translate, ut h. l., etiam Cic. Brut. 243: *Q. Arrius fuit M. Crassi quasi secundarum.* Seneca de Ira 3, 8, 4: *Optimum iudicavit* (Caelii cliens),

Alter rixatur, de lana saepe caprina, 15
Propugnat nugis armatus: 'Scilicet ut non
Sit mihi prima fides et vere quod placet ut non
Acriter elatrem? Pretium aetas altera sordet.'
Ambigitur quid enim? Castor sciat an Docilis plus;
Brundisium Minuci melius via ducat an Appi. 20
Quem damnosa Venus, quem praeceps alea nudat,

Ep. XVIII. 15. *rixatur* cod. paene omnes, *rixatus* duo Blandinii, in his antiquissimus, *rixator* Muretus prob. Ribbeck, O. Keller; *caprina* cod. et ed. fere; *caprina et* Bentl. — 16. *propugnat* cod., *pro pugno* Withof coniecit probante O. Keller. — 19. *Docilis* codices paene omnes, recep. Bentl. cum ed. plerisque, tuetur O. Keller; *Dolicis* tres Blandinii, Lipsiensis, Einsidlensis, *Dolichos* cod. Cruquii Martinius, Silvii, Tonsanus prob. Orelli, Meineke, Haupt, Vahlen, L. Müller.

quidquid dixisset, sequi et secundas agere. Ael. Donatus Praef. in Eunuchum: *In hac comoedia qui personam Parmenonis sustinet, primas habet partes, secundae sunt Chaereae, tertiae ad Phaedriam spectant.*

15-18. *Alter* cet.] Aeque atque adulator peccat ille morosus et agrestis, qui de rebus nullius momenti acerrime disputat et altercatur." — *De lana caprina rixari* et *περὶ ὄνου σκιᾶς μάχεσθαι* (Lucian. Hermot. 71) sunt proverbia in rixantes de rebus levissimis aut quae omnino non sunt. Quamquam ICti agnoscunt lanam caprinam. Ulpian. in I. *Si aut lana* §. Lana leg. *ff. De legatis et fideic.* 3: *Lanâ legatâ etiam leporinam lanam et anserinam et caprinam credo contineri.* — *Propugnat nugis armatus*] „futilibus argumentis verbisque inanibus utens pugnat pro rebus futilibus. Tria sunt membra: alter rixatur, saepe de lana caprina (sc. contendit), propugnat nugis armatus; itaque Bentlei *et* post *caprina* non necessarium, nec magis ceterae coniecturae probandae sunt. Ablativus *nugis* cum utroque verbo iungendus, *pugnat pro nugis* et *nugis armatus.* (Cic. de domo 141: *incredibili armatus audacia.*) — *Scilicet ut*] conf. epist. 1, 9, 3. 15, 36. 20, 2. 2, 2, 44. — *Elatrare* est „summa pulmonis contentione proferre, quod in buccam venit." — *Pretium* cet.] „Reicio vel condicionem, quam alius libentissime accipiat, ut vel post senectutem repuerascere vel post mortem reviviscere iterumque per longam annorum seriem in terris degere mihi liceat." „Altera vita non est tanti, ut taceam." SCHOL. — *sordet*] Cfr. Ep. 1, 11, 4.

19. 20. *Ambigitur quid enim?*] „Qua de re tandem controversia est? Sane de levicula." — *Castor -- Docilis*] ut alii dicunt histriones tunc temporis, ut alii gladiatores fuerunt, Porphyr. DOCILIS liberti nomen est in Inscriptione Mutinensi apud Cardinalium *Diplomi* p. 182. — *sciat -- plus*] „peritior sit artis suae." — *Brundisium* cet.] „Utrum via Minucia an nota illa Appia commodius Brundisium ducat."

21-25. *Quem* cet.] „Qui his, quae enumerat, vitiis deturpatus divitis amici, fortasse etiam vitiosioris,

Gloria quem supra viris et vestit et ungit,
Quem tenet argenti sitis importuna famesque,
Quem paupertatis pudor et fuga, dives amicus
Saepe decem vitiis instructior, odit et horret, 25
Aut, si non odit, regit ac veluti pia mater
Plus quam se sapere et virtutibus esse priorem
Volt, et ait prope vera: 'Meae — contendere noli —
Stultitiam patiuntur opes; tibi parvola res est.
Arta decet sanum comitem toga; desine mecum 30
Certare.' Eutrapelus, cuicumque nocere volebat,

gratiam captat, aut hunc brevi tempore ab se abalienabit, aut amissa libertate ab eo semper castigabitur. Qui ergo fautorem firmiter secum coniungere simulque libertatem retinere volet, is ante omnia a vitiis, quibus ille iure succenseat, liber esto." — *damnosa Venus*] i. e. damnum afferens, partim, ut ep. 2, 1, 107: *damnosa libido*, quia amicae amatores emungunt, partim, quia corpus ipsum enervat. Ovid. ex Ponto 1, 10, 33: *vires adimit Veneris damnosa voluptas.* — *praeceps alea*] „in qua periculum inest, ne uno talorum iactu ingentem pecuniae summam perdamus et spoliati re familiari decoquere debeamus." Pers. 5, 57: *hunc alea decoquit, ille In Venerem putris.* — *Gloria* cet.] *κενοδοξία.* „Homo vanus, gloriolae studio abreptus, sumptuosioribus vestibus unguentisque utitur, quam eius facultates concedunt." — *importuna*] „quae pecuniae cupidum conquiescere numquam sinit et eum continuo vexat." — *decem vitiis instructior*] „multo vitiosior." *Decem* sic usurpabant in sermone quotidiano. Cfr. A. P. 365: *Haec* (poësis) *placuit semel, haec deciens repetita placebit. Instructior* autem *παρὰ προσδοκίαν*, quasi vero vitia ornamento et commodo essent.

26-30. *regit*] „rationem vivendi ei praescribit." — *veluti pia mater*] Admodum festive comparat divitem vitiosum, qui amici inferioris malam aliquam consuetudinem castigat, cum matre, cui liberos a vitiis revocare propositum est et efficere, ut vel semet ipsa meliores evadant. — *prope*] Vid. ad Ep. 1, 6, 1. — *Meae* cet.] „Meae opes tantae sunt, ut stultitia (quemadmodum luxuriem per euphemismum vocat) eas non attenuet. --Quod in divite stultitia est et vanitas, illud in paupere furor est ac dementia. GESN. — *Arta--toga*] Ditiores togis utebantur largis (*bis trium ulnarum toga* Epod. 4, 8), quo plicarum pulchre se excipientium maior esset numerus. — *comitem*] non tam in itinere, quam honestius vocabulum pro cliente, qui patronum in forum deducit. Cfr. Sat. 2, 5, 17.

31-36. *Eutrapelus*] P. Volumnius, eques Ro., ad quem sunt Cic. duae epistulae ad Fam. 7, 32 et 33, propter festivitatem, facetias, urbanitatem, quibus aequales paene omnes superabat, *Eutrapelus* nominatus est. (Aristot. Rhet. 2, 12: *οἱ νέοι--φιλογέλωτες, διὸ καὶ εὐτράπελοι· ἡ γὰρ εὐτραπελία πεπαιδευμένη ὕβρις ἐστίν.*) Erat is inter Antonii *collusores et sodales.* Cic. Philipp. 13, 3. — *cuicumque*]

Vestimenta dabat pretiosa; 'beatus enim iam
Cum pulchris tunicis sumet nova consilia et spes,
Dormiet in lucem, scorto postponet honestum
Officium, nummos alienos pascet, ad imum 35
Thraex erit aut olitoris aget mercede caballum.'
Arcanum neque tu scrutaberis illius umquam,
Commissumque teges et vino tortus et ira;
Nec tua laudabis studia aut aliena reprendes,
Nec, cum venari volet ille, poemata panges. 40

36. *Thraex* Apr., alii *Threx* vel *Thrax;* cf. ad Sat. 2, 6, 44. — 37. *illius* Bentl. emendavit, habentque Bentlei cod. collegii regalis, Magdal. pr., praeterea Einsidlensis paucique aliorum; *ullius* codices plerique.

„si cui." — *dabat*] Imperfectum significat eum mortuum esse, sicut Sat. 1, 3, 3. Est autem: „dare olim solebat." — *beatus*] „se beatum esse somninans." — *sumet*] „Haec cogitabat vel dicere solebat Eutrapelus." SCHOL. — *honestum Officium*] ut Ep. 1, 17, 21: *Officium facio*, non est τὸ καθῆκον, sed significat imprimis salutationem patroni ceterorumque fautorum atque observantiam in eos. — *nummos - pascet*] „pecuniam grandi fenore mutuam sumet." Ipsa autem usura et imprimis anatocismo apud antiquos frequente paulatim *pascitur*, augetur, sors principalis. Aristot. Polit. 1, 3, 23: ὁ τόκος αὐτὸ (τὸ νόμισμα) ποιεῖ πλέον κτλ. Pers. 5, 149: *Quid petis? ut nummi, quos hic quincunce modesto Nutrieras, pergant avidos sudare deunces?* Recte iam Porphyrio: „faciet aes alienum usuris crescere." — *ad imum*] „ad extremum, ubi nihil iam ei remanserit, auctorabit se lanistae." — *Thraex*] Vid. Sat. 2, 6, 44. — *olitoris aget* cet.] „mercennarius erit olitoris sive ex posteriore Latinitate hortulani, qui extra Urbem hortum colens hunc decoctorem quotidie cum oleribus in forum olitorium mittit."

37. 38. *Arcanum* cet.] His verbis, enumeratis vitiis, quae Lollio vitanda sint, ei commendat bonas artes, quibus uti debeat; ante omnia integram fidem in fautorem est honestum obsequium observantiamque in eundem, multo quidem diversam a vili illa adulatione vv. 10-14. — *illius*] „*regis* (ut alibi ait), fautoris tui." Conf. v. 40. — *vino tortus*] A. P. 434: *Reges dicuntur multis urgere culullis Et torquere mero, quem perspexisse laborant.* — *ira*] „Si quando te obiurgarit patronus aut minus amice te tractarit, noli propterea velut ultionis causa aliis effutire arcana ab eo tibi concredita."

39. 40. *Nec tua* cet.] „Hoc quoque solet offendere potentes amicos, si nostra dumtaxat studia (ἐπιτηδεύματα) laudabilia esse contendimus, aliena, patroni praecipue, studia detrectamus ac reprehendimus." — *poemata panges*] A. P. 416: *Ego mira poemata pango.* Sic etiam in prosa oratione. Cicero ad Fam. 16, 18, 3: *An pangis aliquid Sophocleum.* Tropi origo cernitur in Columellae illo 10, 251: *ceu littera proxima primae Pangitur in cera docti mucrone* (stilo) *magistri.*

Gratia sic fratrum geminorum Amphionis atque
Zethi dissiluit, donec suspecta severo
Conticuit lyra. Fraternis cessisse putatur
Moribus Amphion: tu cede potentis amici
Lenibus imperiis, quotiensque educet in agros 45
Aetolis onerata plagis iumenta canesque,
Surge et inhumanae senium depone Camenae,
Cenes ut pariter pulmenta laboribus empta;

46. *Aetolis* R, Porphyrion; *Aetolíis* vel *Aetholiis* codicum maior pars, *Aeoliis* pauci codices deteriores; Haupt ed. 2, 3, Vahlen.

41-44. *Gratia sic fratrum* cet.] „Propter similem studiorum discrepantiam ortum est aliquando discidium inter Iovis et Antiopae filios, Amphionem, cui Mercurius lyram illam murorum Thebanorum conditricem donaverat (Od. 3, 11, 1), et Zethum, pastorem atque agricolam, artis musicae contemptorem et omnino hominem *durum*. (Propert. 4, 14, 29.)“ Attamen fratres inter se in gratiam redierunt, conciliante eos matre Antiopa. — *dissiluit*] „celeriter discissa est.“ — *suspecta severo*] „invisa, quam oderat homo severus et tristis, utpote quae ignaviae, voluptatis damnosae, intemperantiae instrumentum esset.“ Zethi truculentiam bene expressit Pacuvius v. 15 Rib.: *Minitabiliterque increpare dictis saevis incipit;* et Euripides (fragm. ed. Nauck n. 194): *Μοῦσάν τιν ἄτοπον εἰσάγεις, ἀσύμφορον, Ἀργόν, φίλοινον, χρημάτων ἀτημελῆ.* Idem (n. 186): *τοιαῦτ' ἄειδε, καὶ δόξεις φρονεῖν, Σκάπτων, ἀρῶν γῆν, ποιμνίοις ἐπιστατῶν, Ἄλλοις τὰ κομψὰ ταῦτ' ἀφεὶς σοφίσματα, Ἐξ ὧν κενοῖσιν ἐγκατοικήσεις δόμοις.* Schol. ad Plat. Gorg. p. 486. (115 Or.): *Ζῆθός φησι τῷ Ἀμφίονι, μουσικῷ ὄντι, Ῥῖψον τὴν λύραν, κέχρησο δὲ ὅπλοις.* — *cessisse putatur*] „cessit, ut tradunt poëtae, quibus nos accredimus.“ — *Moribus*] „quippe qui fratris morositatem pulchre nosset, cessit, ne implacabile odium inter ambos oriretur.“ — *Amphion*] Postquam respondit (Eur. fr. 199 N.): *Τὸ δ' ἀσθενές μου καὶ τὸ θῆλυ σώματος Κακῶς ἐμέμφθης· εἰ γὰρ εὖ φρονεῖν ἔχω, Κρεῖσσον τόδ' ἐστὶ καρτεροῦ βραχίονος*, lyram sub chlamyde abdidit, ut est in anaglypho apud Winckelmann *Monum. ined.* Vol. 2. p. 113.

45-50. *Lenibus imperiis*] „Nam si vere tibi amicus est, numquam dura vel importuna erunt eius iussa; quo facilius tu ea exsequi poteris.“ — *Aetolis*] „Meleager Calydonium aprum nobilis venator excepit. Inde epitheton fecit Horatius, ut *Aetolis* retibus ad apros factis intellegamus.“ PORPH. *Aeoliis* significaret *Cumanas;* etenim *bonus Aeoliae de valle Sibyllae Fetus* lini, teste Gratio Cyneg. 35. Sed ad transportandas *Cumanas plagas*, utpote tenuissimas et levissimas (Plin. H. N. 19, 2), iumentis opus non erat. — *onerata plagis iumenta*] Cfr. Ep. 1, 6, 58. — *inhumanae* „morosae et truculentae“, cum omnis Musa humana et comis esse debeat. — *senium*] morositatem, pr. qualis in senibus esse solet. — *pulmenta laboribus empta*] „carnem ferarum, quas una confeceritis;“ quae cena vel ideo placet venatoribus, quod proprio labore

Romanis sollemne viris opus, utile famae
Vitaeque et membris; praesertim cum valeas et 50
Vel cursu superare canem vel viribus aprum
Possis. Adde virilia quod speciosius arma
Non est qui tractet: — scis, quo clamore coronae
Proelia sustineas campestria; — denique saevam
Militiam puer et Cantabrica bella tulisti 55
Sub duce, qui templis Parthorum signa refigit
Nunc et si quid abest Italis adiudicat armis.

56. *refigit* cod. omnes, *refixit* Lambinus coniecit. — 57. *arvis* malebat Bentleius.

parata est. Sat. 2, 2, 20: *Tu pulmentaria quaere Sudando.* „His autem cogitationibus te consolabere, solitam hanc fuisse corporis exercitationem maioribus nostris, viris tam fortibus ac strenuis, ut contra Graecis trochum et discum.“ — *Romanis solemne viris opus*] Plin. Paneg. 81: *Olim haec experientia iuventutis, haec voluptas erat; his artibus futuri duces imbuebantur, certare cum fugacibus feris cursu, cum audacibus robore, cum callidis astu: nec mediocre pacis decus habebatur submota campis irruptio ferarum et obsidione quadam liberatus agrestium labor.* — *utile famae*] propter id ipsum quod assiduus venator abhorret ab omni mollitie; „corpus item“, addit, „venatio corroborat.“

53-57. *scis, quo* cet.] „Scis, quo spectatorum (A. P. 381) plausu in campo Martio te exerceas batuendo et pila iaciendo.“ *Proelia* igitur *campestria* sunt certamina ludicra, quae in campo committuntur. A. P. 379: *Ludere qui nescit, campestribus abstinet armis.* — *sustineas*] Vid. ad Ep. 2, 1, 1. *saevam Militiam*] Eadem *acris* vocatur Od. 3, 2, 2. — *Cantabrica*] Cum dicat, *duce* Augusto *puer* haec *bella tulisti*, minime cogitandum est de Cantabris ab Agrippa demum a. u. c. 734 subactis (Ep. 1, 12, 26), sed de expeditione in Cantabros et Astures ab Augusto suscepta, et, ipse cum in morbum prolapsus esset, ab eius legatis C. Antistio et T. Carisio haud infeliciter ad finem perducta a. u. c. 729. Dio Cass. 53, 25. Dextre sane simul laudat et Augustum et Lollium ipsum. Vv. autem *et Cantabrica bella* per epexegesin adduntur vocabulo *militiam.* — *qui templis* cet.] Cfr. Od. 4, 15, 6: *Et signa nostro restituit Iovi Derepta Parthorum superbis Postibus.* — *refigit Nunc*] „Nunc ipsum (a. u. c. 734.) Augustus auctoritate sua et potentia id perficit, ut refigantur a Parthorum templis arma signaque Crasso olim adempta et a Phraate restituantur Romanis.“ Cfr. ad Ep. 1, 12, 27. — *si quid abest*] „si quae regio longinquior nondum subacta est, eam in dicionem populi Romani redigit.“ Sunt qui putent Armeniam significari eodem anno Artaxiae ademptam et Tigrani traditam. Ovid. Trist. 2, 227: *Nunc petit Armenius pacem, nunc porrigit arcus Parthus eques, timida captaque signa manu.* — *Italis-armis*] Cfr. Od. 2, 13, 18: *Italum robur* pro Romano. Bentlei autem *Italis arvis* non solum ipsi Horatio, verum etiam omnibus eius aequalibus prorsus ἄκυρον visum esset pro *imperio*

Ac ne te retrahas et inexcusabilis absis,
Quamvis nil extra numerum fecisse modumque
Curas, interdum nugaris rure paterno; 60
Partitur lintris exercitus; Actia pugna
Te duce per pueros hostili more refertur;
Adversarius est frater, lacus Hadria, donec
Alterutrum velox victoria fronde coronet.
Consentire suis studiis qui crediderit te, 65
Fautor utroque tuum laudabit pollice ludum.

58. *abstes* contra omnes libros Bentleius.

Romano. — *adiudicat*] V. proprium in finibus regundis. Cic. de offic. 1, 33: *Illorum fines, sicut ipsi dixerant, terminavit: in medio relictum quod erat, populo Romano adiudicavit.*

58-66. *Ac*] iunge cum v. *interdum.* Vv. *ne te--absis* in parenthesi posita sunt. „Cogita modo, quam prave ageres, si te retraheres a regis tui studiis, ubi te secum venatum vocat: nequaquam enim causari poteris, te similibus exercitationibus numquam vacasse, praesertim cum ruri cum tuis saepe ludas; id quod tamen minime reprehendo, quia, ut ingenium decet, in hoc quoque ludo, quemadmodum ceteris in rebus, modum servas.“ — *absis*] „non adsis venationi a potente amico susceptae.“ Coniecturis vel maxime supervacaneis adnumerari debet Bentleiana *abstes*, petita ex A. P. 362: *si longius abstes*, ubi significat: „Si picturam ex loco paulo remotiore contempleris“, non, „Si loco prorsus alio verseris.“ — *nil extra numerum*] *παρὰ τὸν ῥυθμὸν* (*τοῦ βίου*), *extra modum*, *παρὰ μέλος*, „inconcinne, contra decorum;“ tropo petito a symphoniis et histrionum actione. Cicero Parad. 3, 2, 26: *Histrio si paulum se movit extra numerum* cet.; opponitur *in numerum.* — *nugaris*] „licitis ludis te oblectas.“ Cfr. de talibus adultorum lusionibus Sat. 2, 1, 73. — *Actia pugna*] Verg. Aen. 8, 675: *Actia bella.* Vid. ad Ep. 1, 12, 20. — *refertur*] „imaginem pugnae Actiacae exhibes, ita ut tu Augusti, frater natu minor Antonii, servi utriusque militum partes agatis.“ Sic dicunt etiam *fabulam referre*, denuo edere. Terent. Hecyr. Prol. 2, 21 et 30: *Hecyram ad vos refero--denuo.* Lolliorum autem iste ludus erat quasi rustica imitatio navalis proelii ab Augusto editi. (Sueton. Octav. 43. Tac. Ann. 12, 56.) — *hostili more*] „quasi re vera hostes inter vos essetis.“ — *velox Victoria*] Gell. 6, 6, 5: *Cn. Mattius in septimo Iliadis Victoriam volucrem* praepetem *appellavit hoc versu: Dum det vincenti* praepes *Victoria palmam.* Victoria alata coronam lauream victori imponit etiam in nummis, quos *victoriatos* vocabant. — *utroque--pollice*] In pollice erat et favoris et aversationis significatio: nam faventes eum premebant, improbantes et gladiatorem victum conficiendum esse significantes vertebant retro et subrigebant. (Hunc gestum nominabant *infestum pollicem.*) Plin. H. N. 28, 2, 5: *Pollices, cum faveamus, premere etiam proverbio iubemur.* Contra Iuven. 3, 36:

Protinus ut moneam — si quid monitoris eges tu —,
Quid de quoque viro et cui dicas, saepe videto.
Percontatorem fugito; nam garrulus idem est,
Nec retinent patulae commissa fideliter aures, 70
Et semel emissum volat irrevocabile verbum.
Non ancilla tuum iecur ulceret ulla puerve
Intra marmoreum venerandi limen amici,
Ne dominus pueri pulchri caraeve puellae
Munere te parvo beet aut incommodus angat. 75

Munera nunc edunt et verso pollice volgus Quem iubet occidunt populariter. H. l. igitur: „summo plausu dilaudabit."

67-71. *Protinus* cet.] „porro continuatis praeceptionibus ut te monere pergam." — *si quid*] εἴ τι. Verg. Aen. 5, 688: *si quid pietas antiqua labores Respicit humanos.* — *Quid de quoque viro* cet.] „quid de quocumque homine dicas." Porphyrio quidem: „Tria dicit: *quid dicas, de quo dicas, cui dicas;*" ut *de quoque* sit *et de quo.* Cic. Pis. 75: *Tu quid, tu apud quos, tu de quo dicas, intellegis?* Sed simplicior mihi videtur prior ratio. — *patulae--aures*] „semper patentes ad audiendum, curiosae." COMM. CRUQ. Conf. Sat. 2, 6, 46. Ep. 1, 16, 26. 2, 2, 105. — *emissum--verbum*] tralatum est a sagitta. — *volat*] Apul. de magia c. 83 p. 568. Oud.: *si verba, ita ut poëtae aiunt, pinnis apta volgo volarent.* — *irrevocabile*] A. P. 390: *nescit vox missa reverti.* Menander p. 225: M.: *Οὔτ' ἐκ χερὸς μεθέντα καρτερὸν λίθον Ῥᾷον κατασχεῖν, οὔτ' ἀπὸ γλώσσης λόγον.*

72-75. *Non* cet.] Cfr. Sat. 2, 5, 91. A. P. 460. Ovid. ex Ponto 1, 2, 105: *Non petito, ut bene sit, sed uti male tutius.* Est: „Nulla ancilla, quamvis formosa, nec puer ullus cet." Cfr. Verg. Aen. 12, 78. *Non Teucros agat in Rutulos* cet.: „Est hoc *Non* in enumeratione positum; non ab ancilla aut a puero te esse capiendum admonet poëta." — *iecur ulceret*] Cfr. Od. 1, 13, 4 et 25, 15: *iecur ulcerosum.* Vid. ad Sat. 1, 9, 66. — *puerve*] verna; quemadmodum narrant Campaspem puellam Apelli ab Alexandro, Vergilio ab Asinio Pollione Alexandrum sive Alexin et a Maecenate Cebetem, quos poëta adamarat, donatos esse. — *Intra marmoreum* cet.] „In domo enim ampla et magnifica venerandi fautoris male te commendabit libidinis vel levissimum vestigium." — *munere-parvo*] „quod cum domino ipsi exiguum videatur, facile tibi concedet, quippe quem provideat felicissimum propterea fore, per aliquod certe tempus, ita ut maiora munera, per totam vitam tibi utilia futura, dare iam supersedeat." Martial. 5, 16, 2: *Cum minimum vati munus Alexis erat.* — *beet*] In hoc verbo inest lenis quaedam significatio, quam obnoxius aliquis fiat ob tale sane exiguum munus potentiori amico. — *incommodus*] „minus liberalis, tenax sui." Sic *incommodum* opponit *facili* et *liberali* Cic. de d. n. 3, 73: *Idem* (Caecilius Statius) *facilem et liberalem patrem incommodum esse amanti filio disputat.* — *angat*] „Aut, si tibi denegabit eiusmodi donum propter qualemcumque causam, fortasse, quia ipse puerum amat, te cupiditate incensum contristet."

Qualem commendes, etiam atque etiam adspice, ne mox
Incutiant aliena tibi peccata pudorem.
Fallimur et quondam non dignum tradimus: ergo
Quem sua culpa premet, deceptus omitte tueri,
Ut penitus notum, si temptent crimina, serves 80
Tuterisque tuo fidentem praesidio; qui
Dente Theonino cum circumroditur, ecquid
Ad te post paulo ventura pericula sentis?
Nam tua res agitur, paries cum proximus ardet,
Et neglecta solent incendia sumere viris. 85

80. *At penitus* Bentleius coniecit. — 81. *fidentem* cod. paene omnes, *fidenter* Bentl. e Barthii codice, ut videtur, prorsus ficticio, qualis est etiam Valartii Sorbonicus.

76-81. *Qualem commendes* cet.] Theognis 963: *Μή ποτ' ἐπαινήσῃς πρὶν ἂν εἰδῇς ἄνδρα σαφηνῶς, Ὀργὴν καὶ ῥυθμὸν καὶ τρόπον ὅστις ἂν ᾖ.* — *adspice*] „σκόπει καὶ εὐλαβοῦ, diligenter expende.“ — *ne mox Incutiant* cet.] „ne subito te pudore perfundant peccata eius, quem paulo inconsideratius laudaveris.“ — *quondam*] ut Od. 2, 10, 18. Sat. 2, 2, 82 pro *interdum*. — *tradimus*] Vid. ad Ep. 1, 9, 3. — *ergo* cet.] „Ubi acciderit“, inquit, „ut is, quem tu probum ac prudentem hominem esse arbitratus principi alicui viro commendaras, indignum se tua commendatione propria culpa reddiderit et fautoris gratia excidat, tum tua priore spe falsus desine eum tueri, quia indignum nihil iuvabis, temet ipsum stultitiae suspectum facies ac fidem, quae antea tibi tribuebatur, imminues. Indignum igitur missum fac, *ut* (ἵνα, quo) possis tanto maiore cum fiducia tueri innocentem, sed falsis criminibus circumventum atque oppressum.“ — *temptent*] Verbum *temptare* et de morbis et de quibusvis rebus hostilibus dicitur. — *fidentem*] „Ut ille tibi penitus perspectus est ac probatus, sic rursus omnem suam fiduciam in te reponit, et pro falso amico merito te habebit, si eum non defenderis, sed deserueris.“

81—85. *qui Dente* cet.] „Quid, quod etiam propria utilitas hoc requirit, ut inania crimina in amicum coniecta refutes? Nam malignus criminator, iamiam audacior factus et providens te vicissim ab amico, quem prodidisti, destitutum iri, mox te quoque clam adorietur et maledico dente carpet.“ — *Theonino*] „Theon, libertinus, dicacitatis amaritudine praeter ceteros ita patronum suum exasperavit, ut domo eius summoveretur et quaternario“ (id est, quadrante) „legato iuberetur restem sibi palumque emere. Per hunc ergo maledici et detractores intelleguntur.“ COMM. CRUQ. — *circumroditur*] Cfr. Sat. 1, 4, 81. (Ep. 2, 1, 150 sq.) Cic. pro Balbo 26, 57: *More hominum invident, in conviviis rodunt, in circulis vellicant, non illo inimico, sed hoc maledico dente carpunt.* — *tua res agitur*] „Locutio fluxit e iudiciis, ubi, quamdiu res agitur vel lis pendet, periculum est, ne quis causa cadat.“ RUHNKEN. Cic. pro Quinctio 16, 53: *si dupondius tuus ageretur.* — *paries* cet.] proverbium. Sallust.

Dulcis inexpertis cultura potentis amici:
Expertus metuit. Tu, dum tua navis in alto est,
Hoc age, ne mutata retrorsum te ferat aura.
Oderunt hilarem tristes tristemque iocosi,
Sedatum celeres, agilem navumque remissi; 90
Potores [bibuli media de nocte Falerni

87. *metuit* AOSbcdγ Gothanus; *metuet* cod. maior pars; *metuat* pauci. — 88. *ferat* cod. paene omnes, *vehat* Torrentii quidam. — 90. *navumque* cod. plerique: *gnavumque* ex perpaucis recepit Bentleius, prob. Meineke, Haupt, Vahlen. Vid. ad Ep. 1, 6, 20. — 91. Hunc versum *Potores bibuli media de nocte Falerni* omiserunt

Hist. 3, 32 ed. D.: *Non tu scis, si quas aedis ignis acriter cepit, haud faciles sunt defensu quin comburantur proxuma?*

86-88. Sententiae sic connectuntur: primum post brevem illam digressionem vv. 81-85 *qui Dente - - viris* sententia generali *Dulcis - - metuit* viam sibi munit ad novum praeceptum: *Tu, dum tua* cet. „Ergo ubi expertus eris talis amicitiae difficultatem, semper metues, ne vel propter leves causas, mutato aliquando fautoris in te animo, discindatur. Itaque, dum bono cum successu ea uteris, in eo strenue elabora, ne subito regis tui gratia excidas. Accommoda igitur animum affectusque tuos ad illius affectus ac studia; nam potentes hoc velut suo iure postulant, ut clientes eadem sequantur eodemque modo animati sint atque ipsi. Itaque *Deme supercilio nubem.*" — *Dulcis* cet.] Camparant Pindari fragm. 87 Bgk. VII 6 M.: *Γλυκὺ δ' ἀπείροισι πόλεμος· πεπειραμένων δέ τις Ταρβεῖ προσιόντα νιν καρδίᾳ περισσῶς.* — *cultura*] „studium, quod in *colendo* potentiore amico ponitur, quem summo obsequio ac veneratione prosequamur necesse est;" qua quidem significatione v. *cultura* videtur *ἅπαξ λεγόμενον*, nisi quod Lactantius 5, 7 *dei unici piam et religiosam culturam* dixit. — *tua navis in alto est*] Alibi sane eadem haec imago ad eos refertur, qui a portuum refugiis longius remoti tempestatum ac fluctuum periculis obnoxii sunt, ut est apud Cic. Tusc. 4, 42: *Ipsa sibi imbecillitas indulget in altumque provehitur imprudens.* Verum vel ex verbis *ne mutata retrorsus te ferat aura*, id est, „ne regis tui gratia excidas," patet locum contraria ratione exponendum esse, ut Tibullus 1, 5, 76: *in liquida nat tibi linter aqua*, ubi designatur facilis et expeditus cursus. Ita iuvenem, qui tandem puella potitus est, alloquitur Ovidius A. A. 2, 9: *mediis tua pinus in undis Navigat.* Recte igitur Porphyrio: „Cum prosperum cursum amicitiae tenes; et est tropus allegoria."

89. 90. *Oderunt* cet.] Iam enumerat rationes, propter quas difficile sit cum potentibus ita versari, ut nullum inde taedium ad nos redundet. Ante omnia indolis diversitas saepe in causa est, ut eis displiceamus. Tria autem poëta diversae indolis proponit exempla; prima duo vv. 89 et 90 nude atque *γνωμικῶς*, tertia versibus seqq. adiungit imaginem. — *agilem*] *δραστήριον.* — *remissi*] „lentius ac neglegentius in omnibus rebus versari soliti."

91—93. *Potores bibuli* cet.] Hic versiculus cum in antiquissimis

Oderunt] porrecta negantem pocula, quamvis
Nocturnos iures te formidare tepores.
Deme supercilio nubem: plerumque modestus
Occupat obscuri speciem, taciturnus acerbi. 95
Inter cuncta leges et percontabere doctos,

codices plerique, exstat in S, adscriptus est manu recentiore in codicibus Leidensi, Lipsiensi, Vossiano, Heiniano, γψυ; receperunt Gesner, Fea, Düntzer, Obbarius, Eckstein, Vahlen, prorsus expunxerunt Orelli, O. Keller, Bentl. emendavit *Potores* liquidi *media de* luce *Falerni*. Pottier et Meineke verba *bibuli - Oderunt* uncinis inclusserunt eosque secuti sunt Haupt, L. Müller, Krüger, Schütz. — 93. *tepores* codices paene omnes, in his Blandinii, ed. plerique, *vapores* Einsidlensis, Bernensis d paucique alii.

quibusque codicibus desit, Bentleius iure veretur, „ne interpolatoris liberalitati debeatur.“ „Quo enim referes,“ inquit Bentleius, „illud *bibuli?* An ad *potores?* Atqui hoc ineptum; perinde enim est ac si *potores potantes* dixeris. An ad *Falerni*, ut sane vocum ordo et compositio poëtis usitata flagitat? Hoc vero iam ineptius; *bibulus* enim est qui bibit, non qui bibitur.“ Accedit quod *media de nocte* pravum est: quid sit *de nocte* docuimus ad ep. 1, 2, 32; quis autem vel *media nocte* vel *prima luce* potationem ordiatur? Confictus autem videtur (ex ep. 1, 14, 34: *Quem* (scis) *bibulum liquidi media de luce Falerni.*) a grammatico, qui ad v. *Oderunt* subiectum desiderabat, quamvis ex verbis *porrecta - pocula* facile suppleri possit „qui propinant“ sive „potores“ sive „potulenti“, quod supplevit Commentator Cruquii. Ipsum etiam verbum *Oderunt* ab initio sententiae repetitum vim quandam obtinet, post illa verba *Potores b. m. de n. F.* positum admodum languet. Itaque Meinekium secuti sumus, qui Horatii verba recte emendavisse nobis videtur. Nam in archetypo ex versu 89 irrepserat *Oderunt*, unde ad geminum *Potores* verba inepta ex ep. 14 interpolata sunt. — *tepores*] i. e. calores quos nimia vini potatio efficiat.

94. 95. *nubem*] „tristitiam ac severitatem cum quadam iactantia coniunctam.“ Frequens imago. Cic. in Pis. 20: *supercilium tuum - - frontis tuae nubeculam.* Sophocl. Antig. 528: *Νεφέλη δ' ὀφρύων ὕπερ αἱματόεν Ῥέθος αἰσχύνει.* Eurip. Hippol. 173: *Στυγνὸν δ' ὀφρύων νέφος αὐξάνεται.* — *plerumque* cet.] „Saepe qui re vera *modestus* est, videtur *obscurus*, id est, *κρυψίνους*, minime apertus et simplex, sed qui intimos suos sensus callide occulat, *taciturnus* rursus *acerbus*, animo a potente amico clam averso.“ Cic. de Offic. 3, 57: *Hoc autem celandi genus - - non aperti, non simplicis, non ingenui, non iusti, non viri boni* (est), *versuti potius, obscuri, astuti, fallacis, malitiosi, callidi, veteratoris, vafri.* Tacitus Agr. 42: *Domitiani natura - - quo obscurior, eo irrevocabilior.* — *acerbi*] „qui, dummodo posset, libenter te vituperaret: nunc saltem non tibi applaudit, sed morose tacet.“

96—99. *Inter cuncta* cet.] Noli interpretari vel „prae ceteris omnibus,“ sed ut *inter haec* est „hoc tempore,“ ita *inter cuncta*, „omni tempore,“ „in quacumque condi-

Qua ratione queas traducere leniter aevum,
Num te semper inops agitet vexetque cupido,
Num pavor et rerum mediocriter utilium spes,
Virtutem doctrina paret, naturane donet; 100
Quid minuat curas, quid te tibi reddat amicum,
Quid pure tranquillet, honos an dulce lucellum
An secretum iter et fallentis semita vitae.

98. 99. *Num - Num* codices et ed. paene omnes, in his Blandinii; pauci habent *Non, Nam, Nunc; Ne* ex paucis cod. ed. Lambinus, Bentleius, alii.

cione vitae huius apud potentem amicum transactae noli multo gravius atque utilius verae sapientiae studium omittere et oblivisci.“ — *leges*] philosophorum scripta et *percontabere* sapientes amicos, *num* te lucri et potentiae cupiditas, cui semper deest aliquid et quae numquam expletur, agitare debeat, an alia vivendi ratio reperiri queat multo tranquillior ac felicior, quam ego me adeptum esse reor.“ Particula *num* poëta significat negaturos sapientes, hanc *comitis* vitam esse beatam, et consilium amico daturos esse, ut aliam viam ingrediatur. — L. Müller spreto codicum *num* utrobique *neu* scribendum esse et illud *semper* (v. 98) ad *inops*, non ad *agitet vexetque* pertinere putat. ‘Nimirum, ut est in vetere proverbio, *tam deest avaro quod habet quam quod non habet.*’ — *traducere - aevum*] Conf. Verg. Cul. 96: *Securam placido traducit* (pastor) *pectore vitam.* — *pavor*] „timor, ne aut careas semper *rebus mediocriter utilibus* aut partis rursus spolieris.“ — *mediocriter utilium*] quae Stoici ἀδιάφορα vocabant, de quibus valet illud Terentianum Heaut. 195: *Atque haec perinde sunt, ut illius animust, qui ea possidet: Qui uti scit, ei bona; illi, qui non utitur recte, mala.* Cic. de fin. 3, 53: *Quoniam autem omne, quod est bonum, primum locum tenere dicimus, necesse est nec bonum esse nec malum hoc, quod praepositum vel praecipuum* (προηγμένον) *nominamus. Idque ita definimus, quod sit indifferens cum aestimatione mediocri; quod enim illi ἀδιάφορον dicunt, id mihi ita occurrit, ut indifferens dicerem.*

100-103. *Virtutem doctrina paret*] Solita philosophorum quaestio περὶ ἀρετῆς, εἰ διδακτόν· de qua cfr. Platonis Protagoram et Menonem. Cic. Partit. or. 18, 64: *quonam pacto virtus pariatur naturane an ratione an usu.* — *quid te tibi* cet.] Plato de rep. 10. pg. 621 C: *Δικαιοσύνην μετὰ φρονήσεως παντὶ τρόπῳ ἐπιτηδεύσομεν, ἵνα καὶ ἡμῖν αὐτοῖς φίλοι ὦμεν καὶ τοῖς θεοῖς.* — *pure*] „sincere ac perfecte, adeo ut nihil iam ultra desideretur.“ — *tranquillet*] „Quibus studiis quoque vitae instituto ad placidam quietamque constantiam“ (ut tranquillitatem definit Cicero Tusc. 4, 10) „perventurus sis? utrum honoribus, an divitiis, an vita placida et quieta, longe a multitudinis turbis traducta?“ — *semita fallens* est latens multitudinem; quam semitam qui ingreditur *iter* habet *secretum* ab hominum vestigiis ac solitarium. Est rursus illud *λάθε βιώσας*, ut Ep. 1, 17, 10.

Me quotiens reficit gelidus Digentia rivus,
Quem Mandela bibit, rugosus frigore pagus, 105
Quid sentire putas? quid credis, amice, precari?
'Sit mihi, quod nunc est, etiam minus, et mihi vivam
Quod superest aevi, si quid superesse volunt di;
Sit bona librorum et provisae frugis in annum
Copia, neu fluitem dubiae spe pendulus horae. 110
Sed satis est orare Iovem qui ponit et aufert:

107. *et* cod. Blandinii, Leidensis, Vossianus, Einsidlensis, Harleianus, Rφψλ alii, *ut* Lipsiensis, Monac. E, Gothanus, AOScdγ, prob. O. Keller. — 110. *neu* codicum maior pars, in his Blandinii, *ne* pauci codices deteriores. — 111. *Sed* cod. paene omnes, *Set* γ, *Haec* perpauci. — *qui ponit* cum optimis cod. Haupt, Vahlen; *quae donat* Orelli, Keller, *qui* Einsidlensis, Lipsiensis, Dessauiensis, Gothanus, Sbcdγ. De Blandiniis nihil confirmaverim: Cruquius in textu et in lemmate habet *qui donat* et adnotavit: 'omnes libri scripti habent *ponit et aufert*' — *quae* Leidensis, Vossianus, AORψλπ al. — *ponit* Blandinii, Harleianus, Vossianus, Einsidlensis, Leidensis, φψλ; *donat* Dessauiensis, Lipsiensis, Monac. E, AORSbcdγ.

104-108. De *Digentia*, hodie *Licenza*, vide Ep. 1, 16, 12. — *Mandela* cet.] „Mandela (h. *Bardela*) pagus est in Sabinis nimis algidus atque contrahens frigore et rugosa faciens hominum corpora.“ PORPH. — *bibit*] Vid. ad Od. 2, 20, 20: *Rhodanique potor.* — *Sit mihi* cet.] „Permaneat mihi, quod nunc possideo;“ etiam, si partem rei familiaris amisero, idcirco infelicem non me reputabo. Secundo loco opto, ut quod vitae mihi superest, mihi meo modo vivere liceat: „quae sententia obscuratur lectione *ut mihi*, sive explicabis *ἵνα κτλ.*, sive cum Porphyrione: „dummodo mihi vivam;“ sive „ea condicione, ut“ cet. *et mihi vivam* est idem ac si dixisset: „et hoc bene utens mihi vivam,“ optativus, non futurum, ut alii rati sunt; vis enim sententiae inest in v. *mihi*, id est: „meo, non aliorum arbitratu.“

109. 110. *provisae*] Non avaritiae, sed securitatis tantummodo causa optat, ut sibi victus in singulos annos provisus sit ac propterea certus. Prorsus respondet Epicuri praecepto: *κτήσεως προνοήσεσθαι (τὸν σοφὸν) καὶ τοῦ μέλλοντος.* Diog. Laërt. 10, 120. — *neu* cet.] Quartum est, quod optat, ut tranquillitas atque vires animi sibi suppetant, ne umquam inter spes ac timores ceterasque mentis perturbationes et rei domesticae curas anxius atque incertus animi pendeat. — *fluitem*] De eadem re *natare* dicit Sat. 2, 7, 7. Usitatius verbum est *fluctuare.* — *horae*] *Hora* h. l., ut Verg. Catal. 12, 10. *fallax hora*, est fortuna in horas varians, quae bona externa ex incerta ac mobili sorte pendentia modo donat modo aufert.

111. 112. *Sed satis est* cet.] „Post vota de vita (vere vitali) et librorum frugisque bona copia iam aliam precem addiderat, *Neve*, inquit, *fluitem dubiae spe pendulus horae*, hoc est, ut v. 99 dixerat: *Neu pavor et rerum mediocriter utilium spes vexet me agitetque:* quod cum *τι τῶν ἐφ' ἡμῖν* et in

Det vitam, det opes; aequum mi animum ipse parabo.'

EPISTULA XIX.

Prisco si credis, Maecenas docte, Cratino,
Nulla placere diu nec vivere carmina possunt,
Quae scribuntur aquae potoribus. Ut male sanos

sua potestate esset, utpote non ad bona externa, sed ad animum spectans, revocat illud votum ut ex volgi opinione magis quam ex vera ratione conceptum, et se corrigens, „sed satis est," inquit, „in duobus illis votis subsistere, quorum penes deos potestas est, neque id eos rogare, quod in mea solius manu est, ut consequar. Det modo *sanum vivere,* det *bonam copiam;* ego me ita parabo, *ut ne dubius fluitem.* Vides iam, opinor, cur *neu* et *Sed* (pro v. *Haec*) merito amplectamur. — *qui ponit*] ita ex cod. Blandinio antiquissimo scribendum esse censuimus: Iuppiter ponit et aufert, cf. Od. 1, 12, 16 sq.; 3, 1, 6 sq.; 3, 4, 45 sq. Verg. Aen. 10, 621 sq.: *Cui rex aetherii breviter sic fatus Olympi: Si mora praesentis leti tempusque caduco Oratur iuveni meque hoc ita p o n e r e sentis, Tolle* cet. — *aequum - animum*] Plautus Aul. 187: *Pol sist animus aequus tibi, sat habes, qui bene vitam colas.* Lucret. 5, 1117 sq.: *quod si quis vera vitam ratione gubernet, divitiae grandes homini sunt vivere parce a e q u o a n i m o. Aequus animus* h. l. significat aequitatem et moderationem animi, quae tam a nimio metu quam a nimia spe abest. Itaque reicienda est Bentlei coniectura: *animum mihi e g o ipse parabo.*

XIX. Duplex hominum genus, ut egregiis scriptoribus accidere solet, Horatio importunum exstitit, id est, et imitatorum et invidorum turba. Adversus utrosque coram Maecenate, optimo talium rerum iudice, hac epistula causam suam agit. Primum igitur imitatores, servum pecus, graviter et acerba cum derisione exagitat (vv. 1-20), simulque non sine generoso praestantiae suae sensu sua carmina proprio et Romanis antea incognito artificio facta cum istorum ineptiis contendit (vv. 21-34). Deinde de malevolorum in s e invidentia eiusque causis exponit (vv. 35-49). ZELL.

1. 2. *Prisco - - Cratino*] id est, poëtae priscae comoediae, mortuo Olymp. 89, 1 vel 2 (423 a. Chr.) Cfr. Sat. 1, 4, 1. — *docte*] „qui bene versatus es in litteris Graecis et Latinis, ac propterea ipsum quoque Cratinum trivisti." Od. 3, 8, 5: *Docte sermones utriusque linguae.* — *Nulla* cet.] In *Πυτίνῃ* hoc edixisse videtur. Nicaeneti Epigr. in Anthol. Pal. II. p. 543: *Οἶνός τοι χαρίεντι πέλει ταχὺς ἵππος ἀοιδῷ· Ὕδωρ δὲ πίνων οὐδὲν ἂν τέκοι σοφόν, Ταῦτ' ἔλεγεν, Διόνυσε, καὶ ἔπνεεν οὐχ ἑνὸς ἀσκοῦ Κρατῖνος, ἀλλὰ παντὸς ᾠδῶδει πίθου.* Iunge autem vel propter caesurae vim *placere diu,* non cum Ge. Fabricio *diu nec vivere,* cum *vivere* per se significet „durare, immortalia esse." Od. 1. 32, 3. 4, 9, 11. Martial. 6, 60, 10: *Victurus Genium debet habere liber.*

3-5. *Ut*] „Ex quo." Cfr. Od. 4, 4, 42. Epod. 7, 19. „Ex eo tem-

Adscripsit Liber Satyris Faunisque poëtas,
Vina fere dulces oluerunt mane Camenae. 5
Laudibus arguitur vini vinosus Homerus;
Ennius ipse pater numquam nisi potus ad arma
Prosiluit dicenda. 'Forum putealque Libonis

Ep. XIX. 4. *poëtas.* *Vina* distinxit Bentleius.

pore" inquit, „quo primum poëtas Bacchus suam in tutelam recepit atque una cum Satyris ac Faunis sive Paniscis (Od. 2, 17, 28. 2, 19, 4) in suum consortium adscivit, id est, inde a prima poësis origine, ipsae quoque Musae *fere* (plerumque, prope semper) vel mane sobriae non fuerunt, olentes (ut ait Acron) etiamtunc vinum nocte potatum." — *male sanos*] „vesanos, quia *μαίνονται* furore poëtico correpti." — *Adscripsit*] „tamquam in legionem suam; nam hoc verbum militare est." PORPH. Cfr. Od. 3, 3, 35.

6-9. *arguitur - vinosus*] *φίλοινος ὤν*, „se ipse prodit, monstrat se vinum amasse laudibus, quas ei impertit," ut Hom. Il. Ζ 261: *Ἀνδρὶ δὲ κεκμηῶτι μένος μέγα οἶνος ἀέξει*, et passim ei *ἐπίθετα* tribuens *εὐήνορα, μελίφρονα μενοεικέα.* — *vini vinosus*] „Eiusdem verbi diversas formas et propter vim et propter sonum adamarunt latini scriptores in eiusque rei gratiam verborum ordinem non raro mutarunt. Cfr. Sat. 2, 2, 39. A. P. 133. Ep. 1, 18, 5. 89." DILLENB. Ad rem confer Athenaei Deip. 10, 33: *Ἀλκαῖος ὁ μελοποιὸς καὶ Ἀριστοφάνης ὁ κωμῳδιοποιὸς μεθύοντες ἔγραφον τὰ ποιήματα.* — *Ennius*] quippe qui ipse de se dixerit: *Numquam poëtor nisi podager.* — *pater*] Propert. 4, 2, 5: *Parvaque tam magnis admoram fontibus ora, Unde pater sitiens Ennius ante bibit.* (Utrobique *pater* nominatur et quia duobus ante saeculis floruerat et quia cum Livio Andronico Naevioque auctor poësis Latinae habebatur. Cfr. Od. 4, 8, 20. Ep. 2, 1, 50. — *ad arma - dicenda*] Praesertim in Annalibus, quibus bella a Romanis gesta descripsit, velut Punica; Macedonicum primum enarraturus librum X (v. 332 V.) sic inchoavit: *Insece Musa manu Romanorum induperator Quod quisque in bello gessit cum rege Philippo.* — *Prosiluit*] quasi ipse pugnam initurus. — *putealque Libonis*] Cfr. Sat. 2, 6, 35. „Puteal autem Libonis sedes praetoris fuit prope arcum Fabianum, dictum quod a Libone illic primum tribunal et subsellia collocata sint." PORPH. Ex veterum de Puteali locis accurate inter se collatis haec collegit G. F. Hermannus: „Unum tantum (non duo, ut vulgo statuebant) in foro comitioque Romano fuisse Puteal, quod prisca aetate sive ob Navii auguris novaculam sive ob fulgura ibi condita consecratum postmodo a Scribonio Libone, cui negotium publice conquirendorum sacellorum demandatum esset, instauratum atque ita exornatum sit, ut eadem opera praetori, qui in illo loco prope arcum Fabianum ius dicere soleret, tribunal atque subsellia exstrueret, quo facto et feneratores et alios, qui lites privatas persequerentur, frequenter eo commeare consentaneum erat." („Libo hic quis fuerit et quando vixerit, ambigunt docti; plurima tamen suadent, ut L. Scribonium Libonem amplectamur, qui Ser. Galbae maxime

Mandabo siccis, adimam cantare severis.'
Hoc simul edixi, non cessavere poëtae 10
Nocturno certare mero, putere diurno.
Quid, si quis voltu torvo ferus et pede nudo
Exiguaeque togae simulet textore Catonem,
Virtutemne repraesentet moresque Catonis?
Rupit Iarbitam Timagenis aemula lingua, 15

10. *edixi* codicum maior pars, *edixit* Leidensis, Lipsiensis, AOcdγ paucique alii, *edixti* unus cod. Feae, coni. D. Heinsius.

accusatione a. u. c. 604 inclaruit".) Ceterum de hoc Libonis puteali egit H. Jordan in topogr. Rom. II 1 § 3. — *Mandabo siccis*] Futuris utitur, ut facete imitetur formulas edicti praetoris. Cic. Verr. Accus. II 1, 113: NEC PETITIONEM NEC POSSESSIOEM DABO. „*Siccos* igitur, abstemios (ut Od. 1, 18, 3) iubeo rei fenebri vacare quippe qui poëtico sensu careant." Ad causidicos et iure consultos minus recte refert Porphyrio. — *adimam cantare*] „severe interdicam, ne poëmata componant." — *severis*] „qui ab omni ludo iocoque abhorrent."

10. 11. *edixi*] „tamquam praetor." Conf. Sat. 2, 2, 51. Lepide autem simulat omnes, qui tum poëtarum nomen affectarent, ipsius auctoritatem extemplo secutos esse, quasi vero ipsius edicto obtemperantes multo praestantiores evaderent poëtae. — *Nocturno* cet.] Ad versiculi sonum cfr. A. P. 169: *Nocturna versate manu, versate diurna.* — *certare mero*] Od. 4, 1, 31: *Nec certare iuvat mero.* — *putere*] v. odiosius quam v. 5 *olere.* Cfr. Martial. 1, 29: *Hesterno foetere mero qui credit Acerram, Fallitur: in lucem semper Acerra bibit.*

12-14. *voltu torvo*] Plut. Cat. min. 1: *Λέγεται δὲ Κάτων εὐθὺς ἐκ παιδίου τῇ τε φωνῇ καὶ τῷ προσώπῳ - - ἦθος ὑποφαίνειν ἄτρεπτον καὶ ἀπαθὲς καὶ βέβαιον ἐν πᾶσιν.* — *pede nudo*] Plut. ibid. 6: *Πολλάκις δ' ἀνυπόδητος καὶ ἀχίτων εἰς τὸ δημόσιον προῄει μετ' ἄριστον.* — *textore*] „cum textor exiguam togam confecerit; in illius igitur opificis potestate situm est, utrum tu alter Cato videaris hominibus necne." Cf. ad Od. 1, 6, 2; ep. 1, 1, 94. — *repraesentet*] „ad vivum exprimat." *Repraesentare* enim est „rem quae abest praesentem constituere." — Poëta significat homines, quales olim fuerunt Laconistae Athenis, qui *ἐλακωμάνουν, ἐπείνων, ἐῤῥύπων, ἐσωκράτουν, σκυτάλι' ἐφόρουν* (Aristoph. Av. 1281 sqq.), posterioribus temporibus Neocynici.

15. 16. *Rupit* cet.] Construe: „Lingua Iarbitae aemula Timagenis rupit Iarbitam, dum stolide studet in declamandi arte aeque disertus urbanusque haberi, atque rhetor ille." Ad v. *rumpere* cfr. Sat. 1, 3, 136. — *Timagenis*] „Timagenes, rhetor Alexandrinus, ab A. Gabinio captivus Romam traductus et a Fausto Sullae filio redemptus tandem in Caesaris Augusti gratiam venit (Senec. Controv. 34); sed propter linguam procacem et nimiam *παῤῥησίαν*, unde *Parrhesiastes* dictus est (Suidas in v. *Τιμαγένης*), mox ipsi Augusti domo interdictum est. Inde propter facetias (Senec. Epist.

Dum studet urbanus tenditque disertus haberi.
Decipit exemplar vitiis imitabile. Quodsi
Pallerem casu, biberent exsangue cuminum.
O imitatores, servum pecus, ut mihi saepe
Bilem, saepe iocum vestri movere tumultus! 20
Libera per vacuum posui vestigia princeps,

91) ab Asinio Pollione exceptus est et in agro Tusculano in Pollionis villa obiit. Qui Timagenes cum aliquando in hominum doctorum conventiculo cum omnium plausu declamasset vel scriptum quoddam praelegisset, accidit, ut (teste Porphyrione Chisiano et Auctar. Comm. vet. Cruq. p. 694) *Cordus* (vel *Codrus*, siquidem idem est, de quo Vergilius in Eclogis commemorat 7, 26: *invidia rumpantur ut ilia Codro.*), homo doctus, natione Maurus, (ac propterea ab Iarba, Vergiliano illo rege,) *Iarbita* cognominatus, illius virtutem aequare niteretur et nimio nisu et ingenti vocis laterumque intentione diaphragma dirumperet et subita morte periret." IAHN e Weicherti Commentar. de Iarbita Timagenis aemulatore. — *urbanus*] h. l. non tam ad dicacitatem refertur quam ad elegantiam sermonis, quo utebatur, et ad peritiam declamandi.

17. 18. *Decipit*] absolute, ut *fallere*. — *vitiis imitabile*] „Exemplar, quod, totum si spectes, sane pulcherrimum est, sed tamen vitia quaedam habet imitatu facilia, eo saepe in errorem rapit imitatores, quod praeter cetera haec ipsa vitia sibi aemulanda proponunt ac plerumque etiam augent, veris luminibus eloquentiae posthabitis." V. *vitiis* refer et ad v. *decipit* et ad v. *imitabile*. — *exsangue*] „quod exsangues reddit bibentes." Claudian. in Rufin. 2, 130: *exsanguis Rufinum perculit horror*. — *cuminum*] „ptisanarium cumini." Plin. H. N. 20, 14, 57: *Omne (cuminum) pallorem bibentibus gignit. Ita certe ferunt Porcii Latronis clari inter magistros dicendi assectatores similitudinem coloris studiis contracti imitatos:* qui cum a. u. c. 752 senex mortuus sit, sane fieri potest, ut hos ipsos Porcianos h. l. derideat poëta. Eminebant autem in huiusmodi imitatorum grege proprio ingenio carente *οἱ τὴν Πλάτωνος ἀπομιμούμενοι κυρτότητα καὶ τὴν Ἀριστοτέλους τραυλότητα.* Plut. de aud. poët. p. 97. W.

19. 20. *servum pecus*] *θρέμματα ἀνδραποδώδη.* Cum summa indignatione et contumelia malos poëtas increpat. „*Servilis* imitatio illa anxia et morosa est, cum quasi superstitione quadam ab eo, quam imitandum proposuimus, ne transversum quidem unguem discedere audemus. *Ingenua* vero, quando sic aliena tractamus, ut non in alterius possessionem irruisse, sed iure nostro venisse credamur, quaeque aliena sunt, ob dissimilem faciem non pro alienis habeantur, sed agnoscantur pro nostris." RAPPOLT. — *tumultus*] „violenti ac turbidi, sed tamen praeposteri et semper inanes, conatus me imitandi."

21-23. *Libera* cet.] In poësi Latina *libera vestigia ponit* (cfr. Sat. 2, 6, 101 sq.) *per vacuum* (pr. *per vacuam* sive *vacantem* domino *possessionem*, quemadmodum dicunt ICti; cfr. Gaium 2, 51. 4, 131) is, qui primus in novo poësis genere elaborat idemque ita perficit, ut Horatius ipse genus lyricum. Specimen autem, quod in paucis

Non aliena meo pressi pede. Qui sibi fidet,
Dux reget examen. Parios ego primus iambos
Ostendi Latio, numeros animosque secutus
Archilochi, non res et agentia verba Lycamben. 25
Ac ne me foliis ideo brevioribus ornes,
Quod timui mutare modos et carminis artem:

22. *fidet* Blandinius antiquissimus, Gothanus, Dessauiensis, Monacensis E, AORcdγ aliique, rec. O. Keller; *fidit* Harleianus, Vossianus, Leidensis corr., Einsidlensis, Sbφψλ, rec. Orelli, Haupt, Vahlen. — 23. *reget* Bland. antiq., Goth., Dess., Mon. E, Leidensis, AORSbcdγφψ aliique, recep. O. Keller; *regit* Harl., Voss., Einsidl. paucique alii; prob. Or., Haupt, Vahlen.

carminibus dederat Catullus, pro leviore experimento habuisse videtur Horatius, illius haud nimius admirator. Cfr. Sat. 1, 10, 19. — *pressi pede*] „Non aliena exempla anxie imitatus sum.“ Lucret. 3, 3: *inque tuis* (Epicuri) *nunc Ficta* (antique pro *Fixa*) *pedum pono pressis vestigia signis.* Similiter dicebant *stringere vestigia.* Ovid. Met. 1, 536. — *Qui sibi fidet*] „ac propterea nova temptabit, fiet dux ceterorum, quorum ingenium minus aptum est ad nova genera invenienda atque excolenda.“ — *Dux* cet.] „imitatus regem apium.“ PORPHYR. — *examen*] Sic Cratinus Meinekii p. 16: *Οἷον σοφιστῶν* (poëtarum) *σμῆνος ἀνεδιφήσατε!*

23-27. *Parios-iambos*] Vocabulo Iambus, *ἴαμβος*, primum significatur pes: *syllaba longa brevi subiecta* ⏑—; deinde carmen eiusmodi pedibus compositum. Singuli versus ex iambis compositi nominantur *iambea ἰαμβεῖα*, cf. A. P. 253. Quoniam autem versus iambici trimetri multo ante Horatium usitati erant apud Latinos, *Parii iambi* significant *epodos*, antea in litteris Romanis inauditos. *Ostendere* autem, ut *ἀναδεικνύναι* apud Hermesianactem 2, 47. Schneidew.: *Λέσβιος Ἀλκαῖος δὲ πόσους ἀνεδείξατο κώμους, Σαπφοῦς φορμίζων ἱμερόεντα πόθον, Γιγνώσκεις·* ex venusta de Anacreontis et Sapphus amoribus fabula. — *numeros animosque*] „metra et fervorem impetumque poëticum. — *Archilochi*] Archilochum Parium Gygis (qui regnavit annis a. Chr. 716-678) aequalem fuisse dicit Herodotus 1, 12. Cornelius autem Nepos (ap. Gellium 17, 21, 8) eum Tullo Hostilio Romae regnante (annis 773-642) fuisse poëmatis clarum et nobilem tradit. Ad Romuli aetatem eum refert Cicero Tusc. 1, 3. Conferatur Quintiliani de eo iudicium inst. or. 10, 59 sq.: *Ex tribus receptis Aristarchi iudicio scriptoribus iamborum ad ἕξιν maxime pertinebit unus Archilochus. Summa in hoc vis elocutionis, cum validae tum breves sententiae, plurimum sanguinis atque nervorum.* — *non res* cet.] „neutiquam vero simpliciter in Latinum converti Archilochi in *Lycamben* eiusque filias iambos.“ V. ad Epod. 6, 13. Ovid. Ib. 53: *in te mihi liber iambus Tincta Lycambeo sanguine tela dabit.* — *agentia*] „agitantia, persequentia; quae eum ad suspendium adegerunt.“ Terent. Ad. 319: *Ceteros ruerem agerem raperem tunderem et prosternerem.* Epod. 5, 89: *Diris agam vos — foliis-ornes*] Od. 4, 3, 6: *Deliis Ornatum foliis ducem,* — *brevioribus*] „minoribus;“ non,

Temperat Archilochi Musam pede mascula Sappho,
Temperat Alcaeus, sed rebus et ordine dispar,
Nec socerum quaerit, quem versibus oblinat atris, 30
Nec sponsae laqueum famoso carmine nectit.
Hunc ego non alio dictum prius ore Latinus
Volgavi fidicen; iuvat immemorata ferentem

ut alii volunt, „mox flaccescentibus," etsi novimus *breve lilium, nimium breves flores rosae.* Recte Porphyrio: „ne me parcius laudes, tamquam in metris nihil innovare ausum." „Ne tu, Maecenas," inquit, „idcirco minorem laudem mihi impertias, quod nolui componere nova metra et invenire genus poësis melicae a Graeca prorsus diversum (quia probe perspexeram, eadem metra, quibus Graeci usi sunt, aptissima esse Latinae quoque poësi), scito temperare" cet.

28. 29. *Temperat* cet.] Noli construere cum aliis: *Sappho mascula temperat pede* (suo) *Musam Archilochi;* sed: *Sappho mascula temperat Musam* (suam) *pede Archilochi* sicque etiam *temperat Alcaeus,* idem facit poëtriae aequalis Alcaeus. Par hoc nobile referunt nunc ad Olymp. 42, 2 (611 a. Chr.) „Sappho et Alcaeus," inquit, „carminibus suis scite immiscuerunt numeros (ῥυθμούς) et varia versuum genera, quibus Archilochus (ut vel ex eius reliquiis constat) praeter iambos usus est (vid. Bentleium), sed dispares sunt illi *rebus,* eo, quod alia argumenta tractarunt, et *ordine* versuum ab Archilocho inventorum, ex quibus Lesbii poëtae una cum iis numerorum ac versuum generibus, quae ipsi invenerunt, strophas suas composuerunt. Atque propter hoc maxime, quod alia et nova argumenta sibi proposuerunt, eandem laudem merentur atque Archilochus, totius generis inventor." — *pede*] „numeris." Cfr. Od. 4, 6, 35: *Lesbium servate pedem.* A. P. 79: *Archilochum proprio rabies armavit iambo: Hunc socci cepere pedem* (versum senarium) *grandesque cothurni.* — *mascula Sappho*] „quae, quamquam mulier, tamen ingenii viribus ac furore vere poëtico vel praesentissimos poëtas aequavit." — *Alcaeus*] Cfr. Od. 1, 32, 5 sqq.

30. 31. *Nec socerum* cet.] Exemplo manifesto atque indubio demonstrat, quomodo Sappho et Alcaeus alia atque Archilochus argumenta tractarint. — *quaerit*] „certo consilio deligit, quem veluti luto inquinans infamet versibus perniciem ei afferentibus." — *atris*] „venenosis ac mortiferis," ut *atrae viperae* Od. 3, 4, 17. Ipsum venenum dicitur *atrum* Od. 1, 37, 27. Cfr. Epod. 6, 15: *si quis atro dente me petiverit.* — *sponsae*] Neobulae. — *famoso carmine*] „famam eius laedente." Sic Sueton. Caes. 73: *famosa epigrammata* (Calvi). Octav. 55: *famosi libelli.*

32-34. *Hunc*] Proxime quidem refertur ad Alcaeum, non, ut multi voluerunt, ad Archilochum, nec, ut nonnulli, ad v. *pedem,* verum, quemadmodum vv. 30. 31 non minus ad Sapphonem spectant quam ad Alcaeum, sic quod ad huius loci sensum universum attinet utrumque poëtam simul significat. Cfr. Od. 2, 13, 24 sqq. Od. 3, 30, 13 sq. — *Latinus-fidicen*] „poëta lyricus," ut Od. 4, 3, 23: *Romanae fidicen lyrae.* — *Volgavi*] „Sapphus et Alcaei genus omnibus iam meis popularibus notum reddidi." — *immemorata*] „a

Ingenuis oculisque legi manibusque teneri.
Scire velis, mea cur ingratus opuscula lector 35
Laudet ametque domi, premat extra limen iniquus?
Non ego ventosae plebis suffragia venor
Impensis cenarum et tritae munere vestis;
Non ego nobilium scriptorum auditor et ultor
Grammaticas ambire tribus et pulpita dignor: 40

nullo Latinioris ante me dicta." PORPH. — *ferentem*] „tamquam gratum donum a me Latinis oblatum." — *Ingenuis*] „generosis et candidis lectoribus," quales illi erant, quos enumerat Sat. 1, 10, 81-87.

35-38. *Scire* cet.] Forsitan scire velis, cur mea carmina (*opuscula*, ut Ep. 1, 4, 3) ipsi aemuli mei intra domesticos parietes prope inviti admirentur, sed, cum in similium iniquorum meorum circulos devenerint, certatim eis obtrectent; hoc ideo fieri scito, quod cet. — *ingratus*] „qui cum debeat gratus mihi esse pro carminibus meis, ea in congressionibus familiarum reprehendere solet." — *premat*] „deprimat atque elevat." Verg. Aen. 11, 401: *Ne cessa --extollere vires Gentis bis victae, contra premere arma Latini.* Quintil. 12, 10, 14: *Praecipue presserunt eum* (M. Tullium), *qui videri Atticorum imitatores cupierunt.* — *Non ego* cet.] Tota imago a candidatis honores petentibus ducta est. — *ventosae*] „mobilis atque inconstantis falsisque semper iudiciis utentis," ut Ep. 1, 8, 12. — *plebis*] „poëtarum et grammaticorum infimi ordinis." — *suffragia venor*] ut „θηρῶμαι," „aucupor, capto." (Ep. 2, 2, 103: *populi suffragia capto.*) Scriptor ad Her. 4, 3, 5: *vereor, ne, qua in re laudem modestiae venentur, in ea ipsa re sint impudentes.* — *tritae munere vestis*] „Nam, si vellem muneribus vel vilissimis eorum gratiam mihi conciliare, facile possem."

39. 40. *nobilium scriptorum*] quales tunc erant Pollio, Vergilius, Varius, Tibullus, Fundanius cet. Manifesto v. *nobilium* extra εἰρωνείαν positum ἀντίθεσιν efficit *grammaticarum tribuum.* — *ultor*] Alii, ut Wieland, serio accipiunt. „Hos scriptores ab iniquis vituperationibus defendere eorumque patrocinium suscipere soleo." Quod tamen cum arrogantius dictum videatur, gratum nunc agnosco iocum cum Lambino, Bentleio, aliis, ut *ultor* eum significet, qui vicissim illis carmina sua recitet eosque ita veluti puniat; quam sententiam expressit Iuvenalis 1, 1: *Semper ego auditor tantum? numquamne reponam Vexatus totiens rauci Theseïde Codri?* — *Grammaticas* cet.] Imagine rursus ab ambitu petita *grammaticae tribus* sunt quasi sectae *(cliques)* grammaticorum, id est, criticorum, imprimis antiquarii illi, qui veteres poëtas Ennium, Pacuvium, Accium, Lucilium, aequalibus suis, Vergilio maxime atque Horatio, anteponebant. Hi igitur, inquit, velut essent XXXV tribus populi Romani, ius sibi arrogant suffragia de poëtis ferendi, quis primo loco dignus sit, qui in secundo tertiove subsistere debeant. — *pulpita*] magistrorum sellas. Quintil. 11, 3, 130: *cum in angusto quodam pulpito stans diceret.* Quo vocabulo simul lepide significat homines illos non esse nisi

Hinc illae lacrimae. 'Spissis indigna theatris
Scripta pudet recitare et nugis addere pondus'
Si dixi, 'Rides' ait 'et Iovis auribus ista
Servas: fidis enim manare poëtica mella
Te solum, tibi pulcher.' Ad haec ego naribus uti 45
Formido et, luctantis acuto ne secer ungui,
'Displicet iste locus,' clamo et diludia posco.

ludorum magistros, ad quorum iudicia respicere infra poëtae dignitatem sit positum.

41. 42. *Hinc illae lacrimae*] „Propterea quod horum hominum gratiam non quaero, mihi sunt tantopere infesti." Proverbium petitum ex Terent. Andr. 126. Cic. pro Caelio 61: *Hinc illae lacrimae nimirum et haec causa est horum omnium scelerum et criminum.* — *Spissis* cet.] „Si dixi ex animi mei sententia: Nugas meas (opuscula) frequenti auditorum corona indignas recitare et hoc actu ipso iis *addere pondus,* id est, demonstrare me magni eas facere, profecto me pudet; perperam illi sensus meos interpretantur et simulatorem me credunt." Similia sunt A. P. 205: *spissa sedilia.* Ep. 2, 1, 60: *arto stipata theatro - Roma. Theatra* autem h. l. manifesto sunt auditoria, in quibus scripta sua poëtae imprimis, tum etiam historici et oratores, coram multis recitare solebant.

43—45. *Rides* cet.] „Ludificaris nos, inquit grammaticus mihi iniquus, et ista nobis invidens uni Augusto recitanda servas." — *ait*] ut apud Pers. 1, 40. Iuven. 9, 63, de auditore, quem obloquentem nobis cogitamus: qua significatione frequentius est *inquit.* — *Iovis auribus*] fere ut Sat. 2, 6, 52; *deos quoniam propius contingis.* Ovid. Trist. 1, 1, 81 de Augusto: *Me quoque, quae sensi, fateor Iovis arma timere:* item Trist. 5, 2, 46 de eodem: *Si fas est homini cum Iove posse loqui.* — *fidis enim* cet.] „Nam persuasum est tibi, te versus edere quovis melle dulciores, id est, te unum egregium poëtam esse." — *manare*] transitive, ut Ovid. Met. 6, 312: *lacrimas etiam nunc marmora manant.* Etiam in prosa oratione. Plin. H. N. 14, 20, 25: *Arborum succo manantium picem resinamque* cet. Sic alibi *flere, rorare, fluere, erumpere.* — *poëtica mella*] Lucret. 1, 945: *volui tibi suaviloquenti Carmine Pierio rationem exponere nostram Et quasi musaeo dulci contingere melle.* Pind. fragm. 163: *Μελισσοτεύκτων κηρίων Ἐμὰ γλυκερώτερος ὀμφά.* — *tibi pulcher*] „Iudicio tuo contentus te ipsum laudas." PORPHYR.

45-49. *naribus uti*] „sannis vituperantium uti." PORPH. Conf. Sat. 1, 6, 5: *naso suspendis adunco Ignotos.* Sat. 2, 8, 64: *Balatro suspendens omnia naso.* Cum haec atque talia audio, nescio qua formidine perculsus (ait *κατ' εἰρωνείαν*) timeo nares corrugare, id est, aperte gestu verbisque illis demonstrare, quantopere eos contemnam, et, ne male me mulcent, quam celerrime possum, iis me subtraho." — *luctantis*] „me adorientis mecumque contendentis;" imago petita ab athletis potius quam a gladiatoribus. — *acuto - ungui*] Significatur iniquorum livor atque malitia detestabilis. — *Displicet* cet.] De hoc loco L. Müller in Lect. Horat. pg. 714

Ludus enim genuit trepidum certamen et iram,
Ira trucis inimicitias et funebre bellum.

EPISTULA XX.

Vertumnum Ianumque, liber, spectare videris,

ita disseruit: 'Queritur Horatius de importunitate eorum, qui carmina ipsius, antequam in publicum ederentur, ab ipso vellent audire recitata. Quorum cavillationibus respondet his versibus. Ad *diludia* in scholiis, quae feruntur sub Acronis nomine, notata sunt haec: 'd. dicuntur tempora, quae gladiatoribus conceduntur, ut inter dies quinque pugnent.' Haec cur recte testari scholiastam negemus nulla certe apparet causa, nec magis cur Horatius nulla usus comparatione recitandi publice munus quod sibi taediosissimum esse supra indicarat, hoc loco ludi nomine significarit. Sed ut fecerit, tamen ineptissime adiecti leguntur versus duo ultimi, quoniam antea demonstrarat Horatius ea ipsa re offensiones et rixas sibi oriri, quod non soleat carmina sua advocatis auditoribus legere. Igitur quamquam scio aegre admodum laturos scholiasticos, quod damnarim hos versus, qui adeo in proverbium et communem usum abierunt, tamen donec levarentur crimina modo prolata, monente A. Nauckio semovi a ceteris. Nihil enim videbantur continere quam falsam vocabuli, quod est *diludia*, explicationem.' At Porphyrion recte explicat '*diludia posco:* intermissionem ludorum vel dilationem.' Cf. Plin. n. h. 36, 27, 203: *M. Varro licet videre, inquit, gladiatores, cum deluserunt, hac iuvari potione.* Atqui *ludus* (v. 48) nihil nisi recitationem illam significat, ex qua, ut ex omni ludorum genere *certamen* oriri solet: *genuit* enim est aoristus gnomicus, de quo usu cfr. ad ep. 1, 2, 48, — *trepidum*] „in quo trepidant ii. qui inter se certamen acre committunt," — *funebre bellum*] „prope internecivum, in quo multi occidunt."

XX. Epilogus manifesto hic est primi epistularum libri; iam cum v. 28. Lepidi et Lollii consulum nominibus designetur a. u. c. 733, multi crediderunt aliter fieri non potuisse, nisi ut ipso eo anno haec epistula composita sit. At vero cum constet epistulas 12 et 18 scribi non potuisse nisi a. u. c. 734, inextricabiles nonnullis inde oriri visae sunt difficultates, adeo ut Kirchnerus (Quaestt. Horat. pag. 37) ab Horatio epistulam hanc quasi comitem Epodon libro (cuius editionem propter rationes πολιτικὰς usque ad a. u. c. 733 distulerit) compositam eamque una cum illo volumine ad Augustum, Maecenatem aliosque fautores et amicos missam esse existimet. Qua quidem opinione nihil videtur improbabilius. Quocirca sic de ultimis versiculis statuendum est. Hoc Horatius dicit, se a. u. c. 733 ad quadragesimum quartum aetatis annum pervenisse, neutiquam vero, se ipso illo anno hanc epistulam composuisse; immo scripta est a. 734 mense aut Octobri aut Novembri, certe post Augusti diem natalem (a. d. IX. kal. Octobr., vid. ep. 1, 5, 9) et ante ipsius diem natalem (a. d. VI. id. Decbr.), quo die aetatis annum

Scilicet ut prostes Sosiorum pumice mundus.
Odisti clavis et grata sigilla pudico;
Paucis ostendi gemis et communia laudas,

quadragesimum quintum impleturus erat. Ceterum festiva ludens dilogia librum suum eadem cum sollicitudine et cura ficticia hac epistula a se dimittit ac dominus servulum sibi carum, qui prope iam liberti condicione utens extra domum erilem evagari ac liberiore vita frui cupit, verum propter hoc ipsum multis, imprimis corruptionis, periculis expositus est. Rationem eandem fere tibi finge, quae fuit inter Ciceronem et Tironem, Atticum et Alexin, quibus servis carissimis domini vix quidquam negare poterant. Per totam autem epistulam pueri delicati et venusti libri duplex imago mirum in modum permixta et confusa est. Non male Porphyrion: 'Cum libro suo videtur loqui, quem impositum ante finem cupidum esse dicit in publicum prodeundi, cum domi continendus sit, ne in malignos lectores incidens vituperetur.'

1. 2. *Vertumnum*] deum omnium vicissitudinum ac mutationum (Sat. 2, 7, 14), hinc etiam „vertendarum rerum," id est, emendarum et venalium. Is ad Forum in vico turario s. Tusco sacellum cum simulacro habebat, in cuius vicinia erat *Ianus* (cfr. Ep. 1, 1, 54); ibi etiam librarii suas tabernas et pilas s. columnas (Sat. 1, 4, 71. A. P. 373), sed lenones quoque et meretrices fornices suos ac pergulas habebant. Conferantur Iordani topogr. Rom. I 2 pg. 217; Preller-Iordan Mythol. Rom. I [3] pg. 451 sq. — *spectare*] „magna cum exspectatione ac desiderio oculos eo dirigere." — *prostes*] verbum ambiguum de quavis merce, etiam de meretricibus et scortis *(prostibulis)*. — *Sosiorum*] Sosii fratres fuere bibliopolae, memorati etiam A. P. 345. (*Sosii Seneciones* gens plebeia non ignota. *C. Sosius* consul fuit a. u. c. 722. Bibliopolae vero Horatii e genere libertino videntur fuisse.) — *pumice*] Partem membranarum exteriorem, quae asperior est, pumice levigabant et poliebant glutinatores. Catull. 22, 6: *chartae regiae, novi libri, Novi umbilici, lora rubra, membrana Directa plumbo, et pumice omnia aequata.*

3. 4. *clavis et-sigilla*] Cfr. versus Martialis 1, 66, 5 sqq. supra allatos. Librorum volumina in capsis asservabantur, quas in scriniis domini anulo signatis custodiebant. Sic etiam interdum uxores, concubinae, pueri delicati domi in custodia retinebantur, ostiis sigillo munitis. Menander pag. 185 M.: *Ὅστις δὲ μοχλοῖς καὶ διὰ σφραγισμάτων Σώζει δάμαρτα, δρᾶν τι δὴ δοκῶν σοφόν, Μάταιός ἐστι καὶ φρονῶν οὐδὲν φρονεῖ.* Haec autem ipsa custodia puero *pudico*, cui propositum est uni ero morem gerere, *grata* accidit, cum ita eius fidelitas extra omnem dubitationem ponatur. — *Paucis*] „Amicis dumtaxat meis." Cfr. Sat. 1, 4, 73. Recte Franke F. H. p. 72: „Antequam liber emissus esset, epistulae singulatim in aliorum quoque hominum" (ego dicere malim *amicorum*) „manus pervenisse videntur, si qua fides verbis *Paucis* cet." — *communia*] „vitam liberiorem in locis publicis." *Loca communia* autem etiam lupanaria honestius nominabantur. Seneca Contr. 1, 2, 5. *Meretrix vocata es, in communi loco stetisti, superpositus est cellae tuae titulus, venientem recepisti.*

Non ita nutritus. Fuge, quo descendere gestis: 5
Non erit emisso reditus tibi. 'Quid miser egi?
Quid volui? dices, ubi quid te laeserit; et scis
In breve te cogi, cum plenus languet amator.
Quodsi non odio peccantis desipit augur,
Carus eris Romae, donec te deseret aetas; 10
Contretactus ubi manibus sordescere volgi

Ep. XX. 5. *descendere* cod. paene omnes, *discedere* pauci deteriores. — 7. *quid* codices plerique, *quis* Acorr. paucique alii. — 10. *deseret* S paucique alii, Haupt, Vahlen, L. Müller, *deserat* maior cod. pars, Orelli, O. Keller; *deserit* Leidensis, Einsidlensis, Bentley, Th. Schmid.

5-8. *Non ita nutritus*] „Atqui ego tam bene et pudice non ideo te educavi, ut tu tam lascivus evaderes.“ Detracta imagine hoc dicit, sed ironice: „Primo amicis dumtaxat, non librariis et publicae lectioni destinatae erant epistulae a me compositae. Iam vero, ut iubent me populares mei, edendae sunt.“ — *Fuge*] Seneca Epist. 108, 25: *Numquam Vergilius* dies *dicit* ire, *sed* fugere, *quod* currendi *genus concitatissimum est.* „I nunc, proripe te in Forum;“ quod cum in loco plano et humili esset, eo ituris *descendendum* erat ex collibus propinquis; hinc v. proprium est de foro. Q. Cicero de pet. cons. 1, 2: *Prope quotidie ad Forum tibi descendenti meditatum hoc sit.* Confer etiam Od. 3, 1, 11: *descendat* in campum petitor. Epist. 2, 1, 269: *deferar in vicum* [Tuscum] *vendentem tus et odores.* — *emisso*] Dilogia de puero a custodia semel emisso et de libro edito. Cic. ad Fam. 7, 33, 1: *si quando aliquid dignum nostro nomine emisimus.* — *In breve te cogi*] de libro: „scis te artum in volumen convolvi et in capsa reponi, ex qua fortasse numquam postea rursus promere;“ de puero: „desertus ab amatore in angustias redigeris.“ Sic Terent. Heaut. 669: *Ita hac re in angustum oppido nunc meae coguntur copiae.* — *plenus*] ut Sat. 2, 2, 43. Ep. 2, 1, 100 et Ovid. ex Ponto 3, 4, 55: *Illa bibit sitiens lector, mea pocula plenus*, „satur, fastidiosus.“ — *Languet* autem et auditor vel lector (Quintil. 9, 3, 27) et is, cuius amor refrixit. Ovid. A. A. 2, 436: *Et si nulla subest aemula, languet amor.*

9. 10. *Quodsi non* cet.] Construe: *Quodsi augur non desipit* (si non prorsus falsa tibi vaticinor) *odio tui.* — *odio*] h. l., ut saepe, accedit ad irae et taedii potius quam simultatis notionem. — *peccantis*] de libro: „praepropere edi cupientis;“ dilogia inest in eo, quod v. *peccare* usurpatur etiam de amantium infidelitate et de venere illicita. — *Carus eris, - donec te deseret*] usque ad id tempus cum te deseret; futurum necessarium est, ut apud Vergil. Aen. 1, 272: *Hic - - regnabitur, - - donec regina - - dabit Ilia prolem.* — *aetas*] ὥρα, h. l. de adulescentia. Cic. Verr. Accus. 5, 64: *si qui senes aut deformes erant, eos in hostium numero ducit; qui aliquid formae, aetatis artificiique habebant abducit omnes.* Hinc *flos aetatis, aetatulae.*

11. 12. *Contrectatus*] Hoc quoque verbo per dilogiam utitur.

Coeperis, aut tineas pasces taciturnus inertis,
Aut fugies Uticam aut vinctus mitteris Ilerdam.
Ridebit monitor non exauditus, ut ille,
Qui male parentem in rupis protrusit asellum 15
Iratus: quis enim invitum servare laboret?
Hoc quoque te manet, ut pueros elementa docentem
Occupet extremis in vicis balba senectus.

15. *protrusit* cod. plerique, *protudit* unus Blandinius, aliquot cod. Feae, Monac. E.

Cfr. Tac. Ann. 14, 35: *contrectatam filiarum pudicitiam ulcisci.* — *sordescere*] ambigue, et de externa specie (cfr. Sat. 1, 4, 72), et de contemptione in quam paulatim veniet liber. (Cfr. Ep. 1, 11, 4.) — *tineas pasces*] Vid. ad Sat. 2, 3, 119. — *taciturnus*] „a nullo recitatus vel lectus." — *inertis*] „quae prope immobiles lente chartas et vestes corrodunt."

13. *Aut fugies* cet.] Horatii tempore multi libri in illas provincias, quae iam Latino sermone utebantur, tum demum perveniebant, cum Romae iam obsoleverant. Cfr. A. P. 345. „*Fugies* ultro in Africam provinciam, novos ut tibi amatores captes, ab iis, quos in Urbe repereras, destitutus, aut etiam *vinctus mitteris*," de libro: „loris, ut aliae merces, colligatus;" de puero: „relegabere," ut aediles interdum adulteras in exsilium agebant. Liv. 25, 2 extr. Alii male accipiunt de fugitivo deprenso et ad dominum remisso. — *Ilerdam*] Hispaniae Tarraconensis urbem, hodie *Lerida*. „Aut Romae oblivione obruere, aut, ut fit in libris Romae iam neglectis, a provincialibus subrusticis aliquantisper legere.

14-18. *Ridebit* cet.] „Tunc maligne ridebo, propterea quod monitis meis non obtemperaveris." — *protrusit*] Exemplum petitum ex aliqua fabella Aesopia vel alia narratiuncula populari; hinc perfectum, non praesens *protrudit*. At vero verbum ipsum *protrudere* recte se habet: „asellum ante se agens mulio iracundus eo usque trusit, quo tandem in voraginem praecipitaretur;" *detrusit* est ex glossemate. — *invitum servare*] A. P. 467: *Invitum qui servat, idem facit occidenti.* — *Hoc quoque* cet.] Sine imagine: „Hoc quoque malum tibi impendet, ut ad extremum in miseris ludis litterariis ex te, ab hominibus elegantioribus iamdudum seposito, pueri elementa discant." Hoc per dilogiam ita proponit: „Tu ipse, puerule delicate, obrepente tibi sensim senectute rursus, ut infantia, balbutiente, fies fortasse aliquando pauperculus ludi magister, quales in extremis Urbis vicis, minus frequentatis et ubi egeni dumtaxat habitant, pueros elementa docent, ut olim mihi, Livii Andronici scriptis usus, ea tradidit Orbilius." — *Occupet*] „obrepat," ut Tibull. 1, 10, 40: *quem -- Occupat in parva pigra senecta casa.* — Egregius locus de hac prima institutione puerili, quae etiam sub dio fiebat, exstat apud Dionem Chrysostomum Or. 20, 9. p. 492 R.: *οἱ τῶν γραμμάτων διδάσκαλοι μετὰ τῶν παίδων ἐν ταῖς ὁδοῖς κάθηνται, καὶ οὐδὲν αὐτοῖς ἐμποδών ἐστιν ἐν τοσούτῳ πλήθει τοῦ διδάσκειν τε καὶ μανθάνειν.*

Cum tibi sol tepidus pluris admoverit auris,
Me libertino natum patre et in tenui re 20
Maiores pennas nido extendisse loqueris,
Ut, quantum generi demas, virtutibus addas;
Me primis Urbis belli placuisse domique;
Corporis exigui, praecanum, solibus aptum,

24. *solibus aptum* codices paene omnes; *solibus ustum* W. Herbst, *solibus atrum* Roscher, *solibus assum* Ieep; *praeconum sordibus aptum* O. Müller, Eckstein (qui in textum recepit).

19. *Cum tibi sol* cet.] Hic non iam, ut plerique putant, de schola, a qua cogitatione eius animus abhorrebat, scribere pergit, sed de multo etiam maiore lectorum, quos se inventurum esse sperabat, numero. Hi cum partim a primo fere mane patronorum salutationi, foro, iudiciis, omnis generis negotiis vel, si *studiosi* erant (Plin. Ep. 4, 13, 11), disciplinis severioribus ac philosophiae vacassent usque ad horam fere septimam, meridiatione, balneo, corporis exercitationibus sese aliquantum recreabant, deinde cenati hora fere nona, cum aestatis tempore *sol* iam *tepidus* esset (cfr. Sat. 1, 4, 30), circa horam decimam animi causa perlegebant carmina nuper in lucem emissa. Cfr. Martial. 4, 8, 7: *Hora libellorum decima est, Eupheme, meorum.* Hos igitur benevolos lectores per domos suas dispersos velut unum in locum congregatos sibi *aures* praebere fingit, librum recitatorem faciens.

20-23. *Me libertino* cet.] Imitari videtur grammaticos, qui scholarum suarum a poëtarum vitis enarrandis initium sumebant. „Tum clare dicito, me re vera patre libertino natum esse.“ Cfr. Sat. 1, 6, 6. 46. — *Maiores pennas*] „Dices me maiora omnino ausum atque etiam felicius adeptum esse, quam concedere visa sit tenuis mea origo.“ Construe autem *pennas maiores nido* (quam nidus capiebat) *extendisse*, explicasse ad volatum. Contraria imagine Ep. 2, 2, 50 post aciem Philippensem se *decisis humilem pennis* fuisse dicit. — *Me primis* cet.] Cfr. Sat. 2, 1, 75 sq. Ep. 1, 17, 35: *Principibus placuisse viris non ultima laus est.* Noli propter versus caesuram coniungere: *me belli domique placuisse viris primis;* sed cum Porphyr.: *„me placuisse viris primis belli domique*, id est, *quorum virtus fuerat domi militiaeque cognita*, ut ait Cicero Tusc. 5, 55. Haec autem scribens significat Augustum Maecenatem, Agrippam, Asinium Pollionem, Munatium Plancum, Messallam alios.

24. 25. *Corporis* cet.] Festive transit ad corporis sui habitum, cuius naevi per iocum ab amicis interdum deridebantur, quibus ipse, ut hoc loco, arridere solebat, probe conscius in hoc corpusculo *spiritum Graiae tenuem Camenae*, quem natura ipsi concesserat, inclusum esse. — *exigui*] Sat. 2, 3, 308: *longos imitaris ab imo Ad summum totus moduli bipedalis.* Augustus in epistula ad Horatium apud Suetonium in vit. Hor.: *Sed si tibi statura deest, corpusculum non deest. Itaque licebit in sextariolo scribas, cum circuitus voluminis tui sit ὀγκωδέστατος, sicut est ventriculi tui.* — *praecanum*] ἅπαξ εἰρημένον. Porphyr.: ‘propera canitie et ante annos albo capillo,’

Irasci celerem, tamen ut placabilis essem. 25
Forte meum si quis te percontabitur aevum,
Me quater undenos sciat implevisse Decembris,
Collegam Lepidum quo duxit Lollius anno.

28. *duxit* codices paene omnes: *dixit* unus Berolinensis, coniecit Doering prob. Meineke, L. Müller, O. Keller, Haupt (Vahlen *duxit*).

ut fuit Traianus (Plin. Paneg. 4, 7: *festinatis senectutis insignibus*), Boëthius (Cons. Philos. 1. Metr. 1, 11: *Intempestivi funduntur vertice cani*), Petrarcha iam vigesimo quinto aetatis anno. Et Horatius anno 730 cum quadraginta annos implevisset, scripsit *lenit albescens animos capillos* Od. 3, 14, 25; cf. etiam Od. 2, 11, 15. — *solibus aptum*] „apricationibus gaudentem frigorisque metuentem.“ Sic Plin. Ep. 6, 16, 5: *usus ille sole, mox frigida.* Iuven. 11, 203: *Nostra bibat vernum contracta cuticula solem.* Quod cum improbarent alii alias emendationes temptaverunt. — *Irasci celerem* cet.] Propter hoc quoque eum per iocum videntur reprehendisse Augustus et Maecenas, ut a Lydia se appellari fingit *iracundiorem Hadria* Od. 3, 9, 23. Quocirca subicit: „ita tamen iracundus (ἀκρόχολος, ὀξύθυμος) sum, ut facillime rursus placer.“ Cic. ad Att. 1, 17, 4: *et irritabiles animos esse optimorum saepe hominum et eosdem placabiles.*

26—28. *Forte meum* cet.] Hoc quoque volebat ut innotesceret posteris, qua aetate fuisset tum, cum in epistulis potissimum elaborandis versatus erat. — *quater undenos--Decembris*] poëtice pro „annos quadraginta quattuor.“ Cfr. Od. 2, 4, 23: *Cuius octavum trepidavit aetas Claudere lustrum.* Horatius autem natus a. u. c. 689. a. u. c. 733 XLIV annos natus erat. — *Collegam Lepidum quo duxit*] Explicandum hoc est ex Cassio Dione 54, 6. Per Augusti absentiam (a. u. c. 732) populus Romanus in creandis consulibus seditione agitatus est. Consulatûs quidem locus alter Augusto servabatur, ideoque anni 733 initio M. Lollius primum solus consulatum gessit; Caesare autem eum honorem non accipiente Q. Aemilius M'. F. Lepidus et L. Silanus eum petiverunt; itaque ambitu omnia sic conturbarunt, ut prudentes viri Augustum Romam revocarent. Ipse quidem Romam non rediit, sed candidatos ad se profectos acriter increpuit, iussosque cum suffragia ferrentur abesse dimisit. Nihilo inde sedatius res acta est, sed tantum denuo factionum ac turbarum exstitit, ut vix tandem Lepidus consul crearetur. Itaque veluti *praecedens* Lollius post se quasi comitem aliquanto tardiorem *duxit* Lepidum. (Doeringii lectio *dixit* est ex iis coniecturis, quae ingeniosae illae quidem, sed non prorsus necessariae certaeque sunt. Firmare autem eam conatus est Liv. 7, 24: *ingenti studio patrum creatus consul* (Camillus) *collegam Ap. Claudium dixit.* Id. 37, 47: *Fulvius consul unus creatur: --isque postero die Cn. Manlium--collegam dixit.*)

Q. HORATII FLACCI

EPISTULARUM

LIBER SECUNDUS.

EPISTULA I.

Cum tot sustineas et tanta negotia solus,

I. Epistularum librum primum editum esse satis constat a. 734 exeunte; hic autem alter liber quibus annis compositus sit de hac re alii aliter sentiunt ac ne id quidem exploratum est Horatiusne an alius quidam illas de Romanorum litteris disserentes epistulas uno volumine duobusve coniunctas ediderit. Nam quod Bentleius statuit: 'Quartum carminum et epistularum secundum librum *longo* post cetera *intervallo* emissos esse, plenissimum est Suetonii testimonium' hoc ad carmina sola pertinet; nec magis certum est quod idem Bentleius proposuit: postremo (i. e. post editum carminum librum quartum et carmen saec. i. e. post annum urbis conditae 740) annis incertis epistularum librum alterum et artem poëticam edidisse Horatium. Atqui Suetonius in vita Horatii (vid. vol. I pg. 2) narrat Augustum post sermones quosdam lectos [quo nomine nihil nisi epistulas significari libro primo collectas certissimum est, cf. etiam Mommsen in Hermae vol. XV 107] questum esse nullam sui mentionem habitam et expressisse eclogam ad se, cuius initium est '*Cum tot sustineas*' cet. Ergo epistulam hanc post annum urbis 734 — quo liber epist. primus editus est — atque etiam post annum 737 — quo carmen saeculare compositum est, quod v. 111 sqq. significavit — ac propter verba v. 15 *praesenti tibi* cet. anno 741 Horatius videtur scripsisse, posteaquam Augustus a. d. IV. non. Iulias ex Gallia in urbem revertit. 'Hoc autem argumentum sibi sumpsit poëta utpote ad principem scribens et elegantis iudicii et poëtas egregios foventem et omnibus praesidiis ad Romanas Musas excitandas atque alendas instructum. Post splendidum exordium (vv. 1-17) nimiam veterum poëtarum admirationem exagitat et ostendit, quam parum firmum et rectum sit eorum iudicium, qui poëmata tantum ex vetustate aestiment (v. 49). Tum his ipsis veteribus Romanorum poëtis ita enumeratis, ut et criticorum sibimet ipsi plerumque iniquorum atque antiquissima quaeque in invidiam novae, ut ita dicam, poëtarum sectae unice praedicantium, et propriam suam de iisdem sententiam exponat (v. 89), extremis quasi

Res Italas armis tuteris, moribus ornes,

Ep. I. 2. *tuteris* maior cod. pars, *tuearis* perpauci. *moribus* codices omnes, *moenibus* Bentlei suspicio.

lineamentis descriptam, sed perquam ingeniose Graecorum et Romanorum indolem vitaeque rationes inter se comparat (v. 106), eo quidem consilio, ut demonstret, si Graecorum vetustissima quaeque carmina re vera sint etiam optima, hoc idem iudicium in Romanorum carminibus locum habere non posse. Deinde cum antiquiorum Romanorum ingenio a subtilioribus Musarum artibus alieno non sine aliqua derisione fervidum illud studium componit, quo suae aetatis homines ad versus scribendos rapiantur, additque poësis laudationem, in qua a iocosa et submissa tractatione usque ad sublimem gravitatem assurgit (v. 138). Postea fautori suo poësis condicionem et rationem, qualis tunc Romae fuit, scenicae imprimis, exponit (v. 213) atque etiam reliquos poëtas praeter scenicos principi commendat, eo potissimum nomine non negligendos, quod generosi et populi et principis intersit praeclaros praeclare factorum praecones nancisci (v. 250); quod dum dicit sponte quasi et ipsa sermonis via ad eam excusationem defertur, qua haud semel in poëmatis suis utitur, se quidem tantis tamque splendidis rebus ab Augusto gestis imparem esse celebrandis.' ZELL.

1. 2. *sustineas*] „administres ita, ut tanto oneri par sis viribus." „*Sustinere* autem *negotia*, ut *onus*. Cic. ad Fam. 5, 9, 1: *hoc, quidquid est oneris et muneris, pro mea dignitate tibi tuendum ac sustinendum puta.* Sallust. Catil. c. 53: *forte lubuit attendere, quae res maxime tanta negotia sustinuisset.* — *solus*] Tacit. Ann. 1, 3: *eadem magistratuum vocabula; - - omnes exuta aequalitate iussa principis adspectare.* Quo tempore autem haec epistula scripta est, iamiam omnes dignitates, quibus uti volebat, Augustus assumpserat. — *Res Italas* cet.] „Imperium Romanum tam potens reddidisti, ut nullus iam hostis ei metuendus sit." Cfr. Od. 4, 15, 13 sqq. — *tuteris*] Od. 4, 14, 43: *o tutela praesens Italiae dominaeque Romae.* — *moribus ornes*] „operam navans, ut mores per bella imprimis civilia foede corrupti ad priorem decorem integritatemque revocentur, idque partim proprio exemplo, partim severe punitis adulteris atque impudicis, partim lege de adulteriis lata et altera de maritandis ordinibus saltem praeparata." Qua de re disseruit Th. Mommsen R. St. R. 2 [2] pg. 686. Cfr. Od. 4, 5, 21 sqq. 4, 15, 9 sqq. Ovid. Met. 15, 832 de Augusto: *Pace data terris animum ad civilia vertet Iura suum legesque feret iustissimus auctor, Exemploque suo mores reget.* Adde Sueton. Octav. 27: *Recepit et morum legumque regimen perpetuum.* Pariter autem *leges* et *mores* Horatius componit Od. 3, 24, 25: *Quid leges sine moribus Vanae proficiunt?* Od. 4, 5, 22: *Mos et lex maculosum edomuit nefas.* Propterea quod pristinum nominis Romani decus restitutum erat, utitur verbo *ornes*, ut Plin. epist. 1, 8, 15: *benefacta sua verbis adornant.* Bentleii vero *moenibus*, id est, ut volt, „aedificiis magnificis," (quam tamen significationem v. *moenia* numquam habet, sed interdum pro „oppidis cum aedificiis suis" ponitur), nec convenit ceteris huius praedicationis membris et sententiam praebet longe tenuiorem; etenim hoc vel Nero fecit.

Legibus emendes, in publica commoda peccem,
Si longo sermone morer tua tempora, Caesar.
Romulus et Liber pater et cum Castore Pollux, 5
Post ingentia facta deorum in templa recepti,
Dum terras hominumque colunt genus, aspera bella
Componunt, agros assignant, oppida condunt,
Ploravere suis non respondere favorem

3. *publica commoda* codices paene omnes, *c. p.* unus Schmidii. — 6. *fata* Bentleius coni. postea in Schmidii cod. secundo (Guelferbytano) reperta. — *revecti* unus Feae.

3. 4. *Legibus emendes*] Significat praecipue emendationem formae rei publicae totius post turbulenta illa bellorum civilium tempora, imprimis accuratam et Italiae et provinciarum administrationem. Splendidum Augusti elogium exstat apud Philonem, Leg. ad Gaium 21: *σύμπαν τὸ ἀνθρώπων γένος δι' ἕνα ἄνδρα καὶ ἡγεμόνα, τὸν Σεβαστόν, ἧκεν ἐπὶ τὸ βέλτιον, ὃν ἄξιον καλεῖν ἀλεξίκακον. Οὗτός ἐστι Καῖσαρ, ὁ τοὺς καταῤῥάξαντας πανταχόθι χειμῶνας εὐδιάσας - -, οὗτος ὁ εἰρηνοφύλαξ, ὁ διανομεὺς τῶν ἐπιβαλλόντων ἑκάστοις, ὁ τὰς χάριτας ἀταμιεύτους εἰς μέσον προθείς κτλ.* — *in p. c. peccem* cet.] „rei publicae utilitati officiam, si ab illius cura te diutius avocem *longo sermone*, qualis fortasse tibi videbitur haec ipsa epistula, quae instar est sermonis. Verum esto, audebo tamen.“ — *morer*] Cfr. Ep. 1, 13, 17: *Carmina, quae possint oculos aurisque morari Caesaris.* — *tua tempora*] „quae in negotia publica insumere decrevisti.“ Corn. Nep. Att. 4: *cum omnia reliqua tempora aut litteris aut Atheniensium rei publicae tribueret* cet.

5. 6. *Romulus* cet.] „Heroes illi antiqui bene de genere humano meriti post mortem demum ab hominibus, antea invidis, iustis honoribus affecti ac pro dis culti sunt: sapientius quidem te, invidia maiorem, iam nunc, ut mereris, veneratur populus Romanus; sed idem in poëtarum meritis vere aestimandis minus recto iudicio uti consuevit.“ Cfr. Od. 3, 3, 9 sqq. Mira arte vocabulo *Caesar* subiungit v. *Romulus;* nam Octavianus alter *Romulus* fuit, ut senatores nonnulli eum appellandum censuerant: praevaluit tamen *Augusti* nomen. Sueton. Octav. 7. Dio Cass. 53, 16: *Ὁ Καῖσαρ ἐπεθύμει μὲν ἰσχυρῶς Ῥωμύλος ὀνομασθῆναι· αἰσθόμενος δὲ ὅτι ὑποπτεύεται ἐκ τούτου τῆς βασιλείας ἐπιθυμεῖν, οὐκέτ' αὐτοῦ ἀντεποιήσατο, ἀλλὰ Αὔγουστος, ὡς καὶ πλεῖόν τι ἢ κατὰ ἀνθρώπους ὤν, ἐπεκλήθη.* — *Post ingentia facta* cet.] „Post res gestas eximia virtutis gloria in perpetuum memorabiles in deorum numerum relati.“ Bentley coni. *fata;* sed neque aptum est apud Horatium *fatorum ἐπίθετον ingentia*, nec Bacchi praesertim mortem memorare poterat poëta. Cfr. Flor. 4, 12, 66: *Ob haec tot facta ingentia dictator perpetuus et pater patriae dictus* (Augustus). — *deorum in templa recepti*] „ab hominibus,“ significatione v. *templa* propria, non: „in caelum,“ ut est apud Ennium (Varro L. L. 7, 6): *Unus erit, quem tu tolles in caerula caeli Templa.*

7-9. *Dum - - condunt, Ploravere*] Sic iungendum est, non cum aliis

Speratum meritis. Diram qui contudit hydram 10
Notaque fatali portenta labore subegit,
Comperit invidiam supremo fine domari.
Urit enim fulgore suo, qui praegravat artis
Infra se positas; exstinctus amabitur idem.
Praesenti tibi maturos largimur honores 15
Iurandasque tuum per numen ponimus aras,

16. *numen* Blandin. antiquissimus, Monac. E, R, duo Bersmanni, Servii codices ad Verg. georg. 1, 24, ed. plerique, *nomen* ceteri codices, Orelli.

plene distinguendum post v. *condunt*. Hoc enim dicit: „Dum bene merentur de hominibus, aegre tulere saepeque conquesti sunt de ingrato illorum animo“ cet. — *Terras colere* est „regiones steriles atque asperas fertiles reddere,“ *hominum genus colere*, „artibus et legibus mortales expolire,“ *agros assignare* hominibus νομάδων ἀμαξοβίων vitam ante agentibus, „eos unum in locum congregare, certis sedibus datis.“ Cfr. illustrem locum Cic. de Invent. 1, 2. Solita autem in hac re formula *agros assignare* usus satis significat id ab Augusto quoque veteranos Caesarianos ac suos remunerante proprio verbi sensu factum esse.

10-14. *qui contudit hydram*] Hercules τῷ ῥοπάλῳ τὰς κεφαλὰς αὐτῆς ἔκοψεν. Apollod. 2, 5, 2. Proprie igitur *contudit* dixit pro *peremit*. Cfr. Od. 4, 4, 61 sq. — *fatali - labore*] fatali necessitate Herculi imposita ab Eurystheo, quia hic, rem ita moderante Iunone, prior illo natus erat. — *Comperit invidiam* cet.] „Comperit unum tamen monstrum, invidiam, aliter non posse domari nisi morte eius, cui invidetur;“ nam, ut ait Aristot. Rhet. 2, 10: πρὸς τοὺς μυριοστὸν ἔτος ὄντας ἢ πρὸς τοὺς ἐσομένους ἢ τεθνεῶτας (φιλοτιμεῖται) οὐδείς. Conf. ad Od. 3, 24, 31: *Virtutem incolumem odimus, Sublatam ex oculis quaerimus invidi.* — *portenta*] Cfr. Od. 1, 22, 13. Lucret. 5, 37 de feris ab Hercule victis: *Cetera de genere hoc quae sunt portenta perempta.* — *supremo fine*] *Finis* etiam absolute dicitur pro *morte;* cf. ad Od. 2, 18, 30. (Tac. Ann. 15, 63.) Clarior autem ea significatio fit addito v. *supremo*. Ovid. Met. 3, 136: *dicique beatus Ante obitum nemo supremaque funera debet.* — *Urit* cet.] „Splendore enim suo laedit aequales, qui ceterorum artes virtutesque suis longe inferiores praeponderare et propterea ipso suo pondere atque vi ingenti deprimere in tenebras videtur;“ *urere* ergo est „laedere, offendere eo, quod aliena gloria tamquam fulgor oculos reliquorum praestringit,“ *praegravare* autem „deprimere,“ ut Sat. 2, 2, 78. — *artis* cet.] latissima significatione, „ἐπιτηδεύματα, studia, etiam in rebus civilibus, ideoque homines simul, qui tales artes minore peritia quam ipse ille vir summus atque experientissimus exercent.“ „*Artis* autem accusativus est non solum v. *praegravat* potestati obnoxius, sed alterius quoque *urit*.“ DILLENB. — *exstinctus*] apte opponitur *fulgori* illi.

15—17. *Praesenti* cet.] „Nos contra hac in re priscis illis Graecis sapientiores iam nunc ultro agnoscimus praeclaras tuas virtutes teque, dum inter nos versa-

Nil oriturum alias, nil ortum tale fatentes.
Sed tuus hic populus, sapiens et iustus in uno
Te nostris ducibus, te Grais anteferendo,
Cetera nequaquam simili ratione modoque 20
Aestimat et, nisi quae terris semota suisque
Temporibus defuncta videt, fastidit et odit,
Sic fautor veterum, ut tabulas peccare vetantis,
Quas bis quinque viri sanxerunt, foedera regum
Vel Gabiis vel cum rigidis aequata Sabinis, 25

18. *hoc* e cod. Coll. Trin. Bentleius.

ris, honoramus." — *maturos*] „tempestivos in vita, non seros post mortem." — *honores*] praesertim libationes. Cfr. Od. 4, 5, 31 sq., atque in universum de sacrificiis Vergil. Aen. 1, 632: *divom templis indicit honorem.* — *Iurandasque* cet.] Cultum Larum in compitis Urbis celebratum ita restituit Augustus, ut Laribus duobus, quos inde ab illo tempore Augustos appellatos esse constat, tertius accederet genius Augusti. — Iam cum Horat. ipse Od. 4, 5, 35 dicat *et Laribus tuum miscet numen*, inde colligendum est anno fere u. c. 739 vel 740 senatus consultum factum esse, ut in iure iurando Iovi Laribusque genius (numen) Augusti adderetur. Iurabant igitur Romani publice *per Iovem et genium imperatoris Augusti deosque Penates.* Qua de re conf. Mommsen R. St. R. II ² pg. 783; id. Hermae vol. XV pg. 108. Inde intellegitur ex optimo cod. scribendum esse *numen.* — *Nil oriturum* cet.] Cfr. Od. 4, 2, 37: *Quo* (Augusto) *nihil maius meliusve terris Fata donavere bonique divi Nec dabunt.*

18—22. *Sed* cet.] deditus in te uno (solo) anteferendo sapiens est: i. e. te unum praefert antiquis et externis ducibus, in ceteris rebus sua spernit prae antiquis atque externis. — *terris semota*] non, ut volunt nonnulli, „peregrina, Graeca," sed: „remota iam e terris, propterea quod *suis temporibus defuncta* sunt, id est, quod ex fati legibus mortem obierunt operum illorum auctores.

23-25. *veterum*] genere neutr., „omnium veterum linguae nostrae monumentorum." Suetonius Oct. 86 inter antiquarios ab Augusto reprehensos nominat Veranium Flaccum, qui teste Festo in v. *Mille urbium* composuit librum, quem inscripsit *priscarum vocum.* Hic igitur similesque Horatii loci magnopere placere Augusto debebant. — *tabulas*] XII a decemviris quattuor saeculis ante hanc epistulam conscriptam sancitas. Cic de Or. 1, 193: *plurima est in omni iure civili et in pontificum libris et in XII tabulis antiquitatis effigies, quod et verborum prisca vetustas cognoscitur* cet. ubi Ellendtius: „Perapte dicitur *prisca vetustas*, i. e. vetustas, qua effecit, ut verba ex memoria hominum sublata in desuetudinem venirent." Cfr. Seneca Epist. 114, 43: *Multi ex alieno saeculo petunt verba: duodecim Tabulas loquuntur.* — *foedera regum*] Quintil. 8, 2, 12: *Obscuritas fit etiam verbis ab usu remotis, ut, si commentarios quis pontificum et vetustissima foedera et exoletos scrutatus auctores id ipsum petat* cet.] — *Gabiis*] De foedere inter Tarqui-

Pontificum libros, annosa volumina vatum
Dictitet Albano Musas in monte locutas.
Si, quia Graiorum sunt antiquissima quaeque
Scripta vel optima, Romani pensantur eadem
Scriptores trutina, non est quod multa loquamur: 30
Nil intra est oleam, nil extra est in nuce duri;

28. *Graiorum* Bland. antiquissimus, Gothanus, Monacensis E, duo Torrentii, Reginensis Bentlei, recep. Bentl., Meineke, Lehrs, Ribbeck, L. Müller, Haupt, Vahlen; *Graecorum* ceteri codices prob. Orelli, O. Keller. — 31. *oleam* codices paene omnes, *olea* coni. Bentleius prob. Meineke, Haupt, Vahlen, L. Müller, O. Keller.

nium Superbum et Gabinos icto v. Liv. 1, 54. Paul. Diac. s. v. Clypeum. Dionys. Halic. 4, 58, qui praeter exspectationem aequum fuisse tradit, haec subiungens: *Τούτων ἐστὶ τῶν ὁρκίων μνημεῖον ἐν Ῥώμῃ κείμενον ἐν ἱερῷ Διὸς Πιστίου, ὃν Ῥωμαῖοι Σάγκτον καλοῦσιν, ἀσπὶς ξυλίνη βύρσῃ βοείᾳ περίτονος τοῦ σφαγιασθέντος ἐπὶ τῶν ὁρκίων τότε βοός, γράμμασιν ἀρχαϊκοῖς ἐπιγεγραμμένη τὰς γενομένας αὐτοῖς ὁμολογίας.* — *rigidis*] Sabini saepe vocantur rigidi, duri, tetrici ob morum severitatem. Cicero in Vatin. 37. Sabinos *severissimos homines* vocat. Foedera autem intelleguntur inter Romulum et T. Tatium vel inter Tullum Hostilium et Sabinos (Dionys. Hal. 3, 33) vel primis liberae rei publicae temporibus icta. — *aequata*] „aequis et iustis condicionibus icta."

26. 27. *Pontificum libros*] Intellege pontificum et Libros rituales et Indigitamenta et Annales maximos *a Pontifice maximo* usque ad a. u. c. 620 confectos; in quibus certe quattuor primorum Urbis saeculorum res gestae prisco sermone expositae erant. Cic. de Legg. 1, 2, 6: *Annales Pontificum maximorum, quibus nihil potest esse iucundius* (Ursinus: *ieiunius*). — *volumina vatum*] „veteres libros Marcii, vatis aut Sibyllae." PORPHYR. Recte interpretabere: vaticinia versibus Saturniis composita a Cn. Marcio," Liv. 25, 12, ubi ipsa vatis verba, quod erant antiquiora, paulum sunt immutata. Plin. H. N. 7, 33. Cicero de Divinat. 1, 89. *Marcios fratres* memorat. Contra quae Sibyllae tribuebantur carmina fatidica hexametris Graecis erant composita. Cfr. v. 86. — *Dictitet*] „communi consensu pronuntiet." — *Albano* cet.] Ut Musae in Parnasso et Helicone Graecam poësin condiderunt, sic ex eorum, quos irridet, opinione a Camenis in monte Albano Iovi Latiali sacro versantibus poësis Latina profecta erat. Ennius Ann. 1, 3: *Musae, quas memorant Camenas esse Latini.*

28—33. *Si, quia* cet.] „Atqui si, quoniam, ut ego quoque cum omnibus ultro fateor, scripta Graecorum antiquissima quaeque (imprimis Homeri et Archilochi poëmata) eadem etiam praestantissima sunt, idcirco scriptores Latini simili ratione aestimantur, ut priscis primus locus tribuatur, pluribus verbis non iam opus est; immo absurdissima quaeque *ἐνθυμήματα* illi similia probare licet." — *trutina*] *τρυτάνη* (in quo v. prima syllaba est longa, a Latinis corripitur) pr. foramen, intra quod est ligula s. examen in libra, plerumque pro libra bilanci

Venimus ad summum fortunae, pingimus atque
Psallimus et luctamur Achivis doctius unctis.
Si meliora dies, ut vina, poëmata reddit,
Scire velim, chartis pretium quotus arroget annus. 35
Scriptor abhinc annos centum qui decidit, inter
Perfectos veteresque referri debet, an inter
Vilis atque novos? Excludat iurgia finis.
'Est vetus atque probus centum qui perficit annos.'
Quid? qui deperiit minor uno mense vel anno, 40

et statera ipsa, ut Sat. 1, 3, 72. — *Nil intra* cet.] Est *ἐνθύμημα* contractum et implicatum ex his: 1) „Oliva et nux similes sunt fructus, quoniam ex utraque oleum trapeto conficitur. 2) Nihil duri est intra nucem; ergo neque intra olivam. 3) Nihil duri est extra oleam; ergo neque extra nucem." Iam his falsissimis argumentationibus, quibus tamquam fallaciae exemplis fortasse in scholis interdum utebantur logicae disciplinae magistri, aequiparat illam: „Graecorum antiquissimi poëtae iidem sunt optimi; ergo etiam Latinorum antiquissimi quique." Cfr. Plin. H. N. 15, 28, 34: *Alia* (gignuntur) *bacis, quarum intus lignum et extra caro, ut olivis, cerasis. -- Aliorum intus corpus et foris lignum, ut nucum. — oleam*] Variata constructio, ab omnibus codicibus firmata, cur mutetur in *olea*, non video. Cfr. Hand Turs. II p. 681 et III p. 440 exempla afferentem, ubi in eodem enuntiatio, ut hic, *intra* est praepositio, adverbium *extra*. Liv. 31, 24: *intra eam* (portam) *extraque*, Horat. Ep. 1, 2, 16: *Iliacos intra muros peccatur et extra*. — *Venimus* cet.] Artissime haec cum praecedentibus cohaerent. Hoc enim dicit: „Eodem prorsus iure, id est, aeque absurde, contendere possumus nos in omnibus rebus primas tenere ideoque nullum progressum facere posse, non solum in arte militari, sed etiam in iis artibus, quas, quicumque caecus non est, scitius a Graecis olim exercitatas esse atque ex parte etiamnunc exerceri fatetur." — *ad summum fortunae*] Eurip. fr. Antig. 169 N.: *ἐπ' ἄκραν ἥκομεν γραμμὴν κακῶν*. — *Achivis*] Traianus ad Plin. Ep. 10, 49: *Gymnasiis indulgent Graeculi*. — *unctis*] Graeci cum assidue in palaestras suas descendere solerent, frequenter oleo ungebantur.

34-44. *Si meliora* cet.] Iam astute usus sorite ostendit, quam absurda sint volgi litteratorum iudicia. Ineptos huiusmodi antiquarios deridet etiam Martialis 11, 90, 5: *Attonitusque legis* terraï frugiferaï, *Attius et quidquid Pacuviusque vomunt*. — *arroget*] „velut arrogatione in comitiis curiatis facta legitime afferat ac tribuat." Sic Od. 4, 14, 39: *optatum peractis Imperiis decus arrogavit*. — *decidit*] „mortuus est," imagine a foliis caducis repetita. Plaut. Trinumm. 544: *ita cuncti solstitiali morbo decidunt*. Od. 4, 7, 14: *Nos, ubi decidimus, Quo Pater Aeneas, quo divus Tullus et Ancus, Pulvis et umbra sumus*. — *Perfectos*] „Ideo perfectos quia veteres," COMM. CR.; item *κατ' εἰρωνείαν*. — *Excludat iurgia finis*] „Definitio temporis certusque terminus dirimat litem et controversiam componat." —

Inter quos referendus erit? veteresne poëtas,
An quos et praesens et postera respuat aetas?
'Iste quidem veteres inter ponetur honeste,
Qui vel mense brevi vel toto est iunior anno.'
Utor permisso caudaeque pilos ut equinae 45
Paulatim vello et demo unum, demo etiam unum,
Dum cadat elusus ratione ruentis acervi,
Qui redit in fastos et virtutem aestimat annis,
Miraturque nihil, nisi quod Libitina sacravit.

42. *respuat* Bland. antiquissimus, Vossianus, Oγ aliique pauci, alii *respuet* vel *respuit*. — 46. *etiam* Lipsiensis corr., Gothanus, Monac. E, OSbcγ ed. plerique; *et item* Vossianus, Harleianus, Einsidlensis, Leidensis, *φψλ*, *et idem* R paucique alii. — 48. *in fastos* cod. plerique, *infastos* vel *ad fastus* pauci.

perficit] „nunc ipsum absolvit." — *deperiit*] Sic Ovidius Trist. 4, 10, 82 verbo *perire* usus est item de morte naturali. Martial. 8. 9: *Miraris veteres, Vacerra, solos, Nec laudas nisi mortuos poëtas. Ignoscas petimus, Vacerra: tanti Non est, ut placeam tibi, perire.* — — *poëtas - - aetas*] ὁμοιοτέλευτον conf. A. P. 99. 100. — *Iste*] „iste tuus, quem tu modo significasti." — *honeste*] ita ut huius iudicii neminem pudere debeat."

45—49. *caudae - - equinae*] Fortasse recordabatur notae de Sertorio narratiunculae apud Plut. Sert. 17. Is, ut milites suos ad concordiam et patientiam adhortaretur, produxisse dicitur duos equos, alterum plane infirmum et iam veterem, alterum procerum et robustum et caudam mira pilorum crebritate habentem. Infirmo equo adstabat vir magnus et validus, robusto parvus ac debilis; iam cum uterque caudam equo evellere iuberetur, robustus infirmi equi caudam totam, debilis robusti singulos pilos, ille quidem risum spectantibus praebuit, hic sine multo labore equum cauda privavit. Conf. etiam sophisma (*Φαλακρόν*) Eubulidis Milesii (Diog. Laërt. 2, 108), soritae simile, quo quaesitum videtur, quot quis pilis deinceps amissis calvus appellandus esset. — *cadat elusus*] ut gladiator ab adversario artem magis callente *elusus* et tandem victus concidit. — *ratione ruentis acervi*] „eodem modo, quo necessario corruit tandem acervus, cui continuo unum granum post alterum subtraxeris; cum scita soritae s. *argumentationis acervalis* (Cic. de Divinat. 2, 11. Academ. 2, 49) significatione. — *Qui redit in fastos*] „Qui unice antiquitatis rationem init." Haec lectio melius quam altera *ad fastos* significat antiquarios istos operose quaerere in fastis aetatis singulorum scriptorum testimonia. Praeterea *redire ad*-volgatius est neque facile quisquam *in* excogitasset. *Fastos* autem dicit omnem temporum computationem; sic in Fastis consularibus proprie dictis, si aliunde noverant, quibus consulibus scriptor aliquis floruerat, illorum nomina quaerendo scriptoris aetatem investigare poterant. — *virtutem*] „poëtarum ingenium et artem." — *Libitina*] „mors;" „quasi ab

Ennius et sapiens et fortis et alter Homerus, 50
Ut critici dicunt, leviter curare videtur,
Quo promissa cadant et somnia Pythagorea.
Naevius in manibus non est et mentibus haeret
Paene recens? Adeo sanctum est vetus omne poëma.

53. *non est, at mentibus haeret* sine interrog. signo cum Dacierio Doering. *non mentibus haeret* Cuningham; *sed mentibus haeret* Frenzel.

ipso feretro venerationem acceperit poëta defunctus." PORPH. Conf. Od. 3, 30, 7. Sat. 2, 6, 19.

50-52. *Ennius*] Cfr. Od. 4, 8, 20. Ep. 1, 19, 7 sqq. — *sapiens*] Suum ingenium ipse descripsit (A. Gellius 12, 4 fr. Ann. 249-255 V.), ubi inter alia haec leguntur: *doctus, fidelis - - verbum Paucum, multa tenens antiqua, sepulta, vetustas Quem fecit mores veteresque novosque tenentem, Multorum veterum leges divumque hominumque; Prudenter qui dicta loquive tacereve possit.* — *fortis*] magis refertur ad eius genus dicendi grande atque robustum spiritusque bellicosos, quos *Annales* et *Scipio* prae se ferebant, quam ad id, quod Scipionis Africani maioris fuerat comes: quamquam ut fortem bellatorem Ennium praedicat Silius Italicus 12, 393 sqq. — *et alter Homerus*] „quemadmodum scilicet critici nostri Latini, elegantes illi profecto ac periti, contendunt, aequiparandus Homero;" in quibus vv. satis inest, ut opinor, ironiae. — „Adeo praestans ergo est poëta, ut *leviter curare*, prorsus securus esse possit de suorum promissorum eventu, quae nunc magis, quam fortasse ipse sperarat, impleta sunt." — *somnia Pythagorea*] Pseudocornutus ad Persium Sat. 6, 10: *Cor iubet hoc Enni, postquam destertuit esse Maeonides, Quintus pavone ex Pythagoreo.* „Sic enim ait Ennius in Annalium suorum principio, ubi se dicit vidisse in somniis Homerum dicentem, fuisse se quondam pavonem et ex eo translatam esse animam in se secundum Pythagorae definitionem, qui dicit, animas humanas per *παλιγγενεσίαν* exeuntes de corporibus in alia posse corpora introire." Ex eo somnio supersunt hae reliquiae: *Transnavit cita per teneras caliginis auras* (anima Homeri). — *Visus Homerus adesse poëta — Tum memini fieri me pavum.* Facete igitur Grammaticorum Romanorum iudicium nimis benignum de Ennio affert idque clam deridet.

53. 54. *Naevius* cet.] „Ipse ille Naevius, etsi Ennio sane postponendus, nonne permultos etiamnunc lectores habet atque admiratores?" Cn. Naevius Campanus a. u. c. 519 primam fabulam docuit, mortuus a. u. c. 550. Uticae, in exsilio. Praeter tragoedias et comoedias celebratur eius Bellum Punicum primum, Saturniis versibus conscriptum, de quo vid. Cic. Brut. 75 sq. Sine interrogatione autem, quam primus apposuit Bentleius, totus locus fit absurdus neque ullo modo explicari potest. — *in manibus - est*] „lectitatur." Sueton. Calig. 16: *Cassii Severi scripta senatus consultis abolita requiri et esse in manibus lectitarique permisit.* — *haeret*] Cic. Tusc. 3, 3: *poëtae - - audiuntur, leguntur, ediscuntur et inhaerescunt penitus in mentibus.* — *Paene recens*]

Ambigitur quotiens uter utro sit prior, aufert 55
Pacuvius docti famam senis, Accius alti,
Dicitur Afrani toga convenisse Menandro,

56. *Accius* codices Horatiani paene omnes, quibuscum cetera testimonia consentiunt. Vide O. Ribbeck in frg. trag. Rom. pg. XLIX. *Attius* vel *Actius* pauci codices.

„Tamquam prope noster aequalis esset."

55. 56. *Ambigitur* cet.] Salse persequitur solitas et plerumque ineptas criticorum sui temporis disputationes de antiquioribus poëtis inter se comparandis atque inde aestimandis, ita ut cuiusque character uno alterove epitheto definiatur. Totus igitur locus continet laudes, quas grammatici et mali poëtae illius aetatis, Anseres, Bavii, Maevii, poëtis veteribus tribuere solebant, quo recentiores (Horatium, Vergilium, Varium) deprimerent ac laederent. — *aufert*] „quasi dono vel praemio accipit, et *docti* existimationem obtinet." — *Pacuvius*] M. Pacuvius, Brundisinus, Ennii sororis filius, natus a. u. c. 534, amicus C. Laelii, cum LXXX annos natus novam docuisset fabulam, Tarentum migravit ibique mortem obiit prope nonagenarius. Ex eius tragoediis, quas duodecim minimum composuit, clarissimae fuerunt *Antiopa* et *Dulorestes*. — *docti*] „probe versati maxime in Graecis poëtis et epicis et tragicis, ex quibus suarum tragoediarum argumenta desumpsit praeterquam unius praetextae *Pauli*." Is a Varrone apud Gell. 7, 14, 6 *ubertatis* fuisse dicitur *exemplar*. — *Accius*] L. Accius (s. Attius) natus a. u. c. 584 vitam eo usque produxit, ut viderit C. Iulium Caesarem Strabonem Vopiscum, oratorem et poëtam tragicum, qui a. u. c. 667 aedilicius periit. Praeter tragoedias scripsit etiam Didascalicon libros. Conf. Sat. 1, 10, 53. A. P. 258 sq. — *alti*] „sublimis." Repete autem *senis;* non enim, ut aliis placuit, supplere possumus *poëtae*. Suo iure utrumque *senem* appellavit, ut Lucilium Sat. 2, 1, 34. Statius Silv. 1, 2, 253: *Callimachusque senex*. — Perverse Commentator Cruquii et Glossator Codicis E: *senis*, „Sophoclis"; *alti*, „Euripidis". Immo interpretis loco fungatur Quintil. 10, 1, 97: *Tragoediae scriptores veterum Accius atque Pacuvius grandissimi gravitate sententiarum, verborum pondere, auctoritate personarum. Ceterum nitor et summa in excolendis operibus manus magis videri potest temporibus quam ipsis defuisse. Virium tamen Accio plus tribuitur: Pacuvium videri doctiorem, qui esse docti affectant, volunt.*

57. *Afrani*] L. Afranius floruit circiter a. u. c. 660. Quintil. 10, 1, 100: *Togatis excellit Afranius, utinam non inquinasset argumenta puerorum foedis amoribus, mores suos fassus!* Cic. Brut. 167: *L. Afranius poëta, homo perargutus, in fabulis quidem etiam, ut scitis, disertus.* Supersunt adhuc plus XL fabularum eius nomina et reliquiae. Hoc igitur dicebant critici: „Afranii fabulas togatas, et quidem tabernarias, prope accedere ad Menandri fabulas (palliatas): illum vitam moresque Romanorum eadem felicitate imitatum esse ac Menander expresserit Atticos; hunc in Attico sermone summam elegantiam consecutum esse, illum in Latino." In prosa or. fortasse dixisset: *con-*

Plautus ad exemplar Siculi properare Epicharmi,
Vincere Caecilius gravitate, Terentius arte.
Hos ediscit et hos arto stipata theatro 60
Spectat Roma potens; habet hos numeratque poëtas
Ad nostrum tempus Livi scriptoris ab aevo.

ventura fuisse. — *Menandro*] Menander poëta eximius comoediae novae, cuius argumenta ad res privatas pertinebant, natus est a. 342, mortuus a. 291 a. Chr.

58. *Plautus*] T. Maccius Plautus, Sarsinas, natus c. a. u. c. 500, mortuus a. 570. Versiculus ipse per se difficillimus est explicatu, quia nos Plautum cum Epicharmo contendere nullo modo possumus. Dicere hoc videtur: „Plauti comoediae maxime sunt motoriae et, ut in alio genere Homerus, sic ille *semper ad eventum festinat* (A. P. 148); *properat* igitur, ut rapido progressu ad fabulae cuiusque καταστροφὴν perveniat, neque umquam in rebus minutis immorando retardat spectatorem.“ V. *properare* igitur absolute positum est; vv. autem *ad exemplar* ex Latina consuetudine significant, quod minus recte recentiores dicunt *secundum*, *iuxta exemplar*. Conf. Aristoph. Eccl. 583: ὡς τὸ ταχύνειν χαρίτων μετέχει παρὰ τοῖσι θεαταῖς. — *Siculi - Epicharmi*] Siculus dicitur, quia vix trimestris e patria in Siciliam venit. Est enim in insula Co natus, aequalis Pindaro atque Aeschylo. Vitam produxit usque ad tempus Hieronis tyranni a. ante Chr. 477.

59. *Caecilius*] C. Caecilius Statius, natione Insuber Gallus, servus genere, Ennii familiaris, posteriore parte saeculi Romani VI floruit et tribus annis post Ennii obitum, a. u. c. 588, mortuus est. Cic. de opt. gen. dic. 2: *licet dicere et Ennium summum epicum poëtam, si cui ita videtur, et Pacuvium tragicum et Caecilium fortasse comicum.* Sed idem ad Att. 7, 3, 10: *malus auctor Latinitatis est.* Volcatius Sedigitus apud Gell. 15, 24: *Caecilio palmam Statio do mimico; Plautus secundus facile exsuperat ceteros.* Varro apud Non. in v. *Poscere* p. 374 M.: *In argumentis Caecilius poscit palmam, in ethesi Terentius, in sermonibus Plautus.* — *Terentius*] P. Terentius Afer Karthagine natus a. u. c. 569; studiorum causa cum Graeciam petivisset, inde rediens mortuus est a. 595. De eo Afranius apud Sueton. Vit. Ter. 5. *Terentio non similem dices quempiam.* Contra Volcatius: *in sexto sequitur hos loco Terentius.* — *gravitate*] sententiarum imprimis, quibus πάθη excitabat, *Nachdruck.*

60-62. *arto*] propter spectatorum multitudinem. Cfr. Ep. 1, 19, 41: *spissis - theatris.* — *ediscit*] „frequenter et legendo et spectando.“ Vera autem ratio, cur tantopere amarentur a populo poëtae, quos enumerat, haec erat, quod post Accium tragoedia, post Afranium comoedia Latina degenerarat, nec eo quo scripsit tempore ulla prope fabula vera laude digna prodierat, praeter Varii Thyestem. — *Livi*] Livii Andronici, Tarentini, ut videtur, saltem ibi a Romanis capti, a M. (potius quam a C.) Livio Salinatore ob ingenii meritum libertate donati (a quo *Livii* nomen assumpsit). Is, natus a. u. c. fere 470, a. 514, anno ante Ennium natum, primus Romae fabulam docuit, Odysseamque in Latinum convertit versibus Saturniis. Cic. Brut. 71: *Odyssea Latina est*

Interdum volgus rectum videt, est ubi peccat.
Si veteres ita miratur laudatque poëtas,
Ut nihil anteferat, nihil illis comparet, errat. 65
Si quaedam nimis antique, si pleraque dure
Dicere credit eos, ignave multa fatetur,
Et sapit et mecum facit et Iove iudicat aequo.
Non equidem insector delendave carmina Livi
Esse reor, memini quae plagosum mihi parvo 70
Orbilium dictare: sed emendata videri

67. *credit* codices et editiones paene omnes, *cedit* e cod. regiae societatis Bentl. prob. Meinekio. — 69. *delendave* Blandinius antiquissimus, Gothanus, Monac. E, Sbγ paucique alii prob. Bentleio, Haupt (ed. 2, 3), Vahlen, L. Müller, O. Keller; *delendaque* Leidensis, Vossianus, Harleianus, Einsidlensis, Rφψλ aliique; rec. Meineke, Orelli, Haupt ed. 1. — *Livi* Gothanus, Sbc paucique alii, *Livii* Harleianus, Vossianus, Einsidlensis, Leidensis, φψλ, *Laevi* Bentlei cod. Reginensis, Lipsiensis, O R pr.; rec. Bentley. *Levi* pauci.

sic tamquam opus aliquod Daedali, et Livianae fabulae non satis dignae, quae iterum legantur.

66-68. *nimis antique*] „ἀρχαϊκῶς, in modum, qui praesenti consuetudini Latinae repugnat.“ Sic etiam Augustus, cuius sententiam pulchre noverat poëta, *cacozelos et antiquarios, ut diverso genere vitiosos, pari fastidio sprevit.* Sueton. Octav. 86. — *pleraque*] „permulta,“ non: „plurima.“ — *dure*] in compositionibus a Latinae linguae indole abhorrentibus, constructionibus intricatis, scabris versibus. Eodem referas licet Pers. 1, 71: *Sunt quos Pacuviusque et verrucosa moretur Antiopa, aerumnis cor luctificabile fulta.* — *credit*] Hanc veram esse arbitror lectionem propterea, quod, ut est in v. *fatetur*, requiritur hic quoque actio libera et spontanea; ac parum concinne profecto dicas: „qui mihi hoc vel illud concedit, mecum facit et sapit.“ — *ignave*] „sine nervis ac sanguine.“ „Ἀργὰ καὶ τὸν ἀκροατὴν ἠρεμεῖν ἐῶντα, ut de oratore Dionys. Long. περὶ ὕψους 34, 4, id est, quae nullam vim habent ad movendum auditorem; quibus opponuntur τὰ ἐναγώνια, ἐμπαθῆ, παθητικά.“ WEICHERT. — *Iove-aequo*] „propitio, si quidem Iove irato fit, ut errent homines ac delirent.“ PORPH.

69-72. *insector*] Construe: *Non insector carmina Livii delendave ea esse reor*, id est, „non equidem tam infenso sum animo in veteres nostros poëtas, ut exempli gratia Livii Andronici scripta obliteranda vel ex hominum manibus in perpetuum extorquenda censeam.“ — *Orbilium*] Orbilius Pupillus Beneventanus, teste Suetonio Gramm. 9, primum apparitor magistratuum, dein miles, postremo studiis, quae iam inde a puero non leviter attigerat, repetitis, quinquagesimo demum anno Romam rediit a. u. c. 691, adeo ut, cum Horatius natus a. 689 eum audire poterat (a. u. c. 704-706), minimum LXIV annos natus esset. Is autem fortasse solus fuit, qui propter nimiam antiquitatis admi-

Pulchraque et exactis minimum distantia miror.
Inter quae verbum emicuit si forte decorum,
Si versus paulo concinnior unus et alter,
Iniuste totum ducit venditque poëma. 75
Indignor quidquam reprehendi, non quia crasse

73. *decorum* duo codices collegii Trinitatis apud Bentleium, totidem Torrentii, Monacensis E, Oγ, recep. Bentl., Meineke, Haupt, Vahlen, O. Keller; *decorum et* cod. plerique probante Orellio. — 75. *venditque* cod. et ed. paene omnes, *venitque* ex cod. Regin. Bentleius.

rationem pueris explicaret Livium illum, qui inter Latinos artificialem poësin, a Graecae imitatione profectam, primus excoluit. Bentlei autem lectionem *Laevi* egregie refutavit Weichert in Comment. de Laevio, Poëtt. Lat. p. 19 sq. Hic fuit aequalis Hortensii et Ciceronis; non igitur inter veteres poëtas referri poterat; praeterea eius *Ἐρωτοπαίγνια* parum apta erant, quae pueris in scholis explicarentur. — *reor*] Vid. ad Sat. 1, 9, 49. — *plagosum*] „plagas inferre gaudentem.“ COMM. CRUQ. Sueton. Gramm. 9: *Fuit autem* (Orbilius) *naturae acerbae non modo in antisophistas, quos omni sermone laceravit, sed etiam in discipulos, ut Horatius significat plagosum eum appellans et Domitius Marsus scribens Si quos Orbilius ferula scuticaque cecidit.* — *dictare*] „voce lente praeire, ut calamo exciperentur dictata et, explicata cum essent, memoriae mandarentur.“ Cfr. Sat. 1, 10, 75. Ep. 1, 18, 13. — *emendata*] „ita elimata, ut mendae ex eis sublatae sint.“ — *exactis*] „ἐξειργασμένοις, διηκριβωμένοις, perfectis;“ proprie de signis marmoreis ad unguem exactis. Cfr. Ovid. Metam. 1, 405: *Forma hominis, sed uti de marmore coepto, Non exacta satis, rudibusque simillima signis.*“ — *miror*] Idem iam fuerat Ciceronis iudicium nominatim de Livio, Brut. 71. (Vid. ad. v. 62.)

73-75. *emicuit*] „Inter quae carmina Livii et cetera antiqua si verbum „ex insperato apparuit“ (COMM. CRUQ.) et prae ceteris pulchritudinis suae specie animum lectoris ad se advertit.“ — *concinnior*] „non solum regulis metricis satisfaciens, verum etiam sono ipso auribus gratus ac rei, quam exprimit, prorsus conveniens.“ — *ducit*] „sine causa et immerito verba et versus aliquot pulchri secum ducunt totum poëma, quo sine his locis illustribus pervenire non posset, id est, in theatra, in grammaticorum scholas, in privatorum quoque bibliothecas, atque talia in loca perductum *vendunt* s. commendant, plausum ei conciliant.“ *Vendere* enim *venditare poëma* vel *orationem* est „eam commendare.“ Cic. ad Att. 13, 12, 2: *Ligarianam praeclare vendidisti.* ad Att. 1, 16, 16: *Valde te venditavi.* Sic *vendibilis orator* Cic. Brut. 174, „probabilis, qui populo placet.“

76-78. *quidquam*] i. e. quodcumque est. Pronomen *quidquam*, quod plerumque in sententiis negativis locum habet, notionem rei amplificat; quisquam quicumque est. Cic. Cat. 1, 6: *quamdiu quisquam est qui te defendere audeat, vives.* Id. de leg. 3, 42: *nihil exitiosius civitatibus, quam - quid-*

Compositum illepideve putetur, sed quia nuper,
Nec veniam antiquis, sed honorem et praemia posci.
Recte necne crocum floresque perambulet Attae
Fabula si dubitem, clament periisse pudorem 80
Cuncti paene patres, ea cum reprehendere coner,
Quae gravis Aesopus, quae doctus Roscius egit:
Vel quia nil rectum, nisi quod placuit sibi, ducunt,
Vel quia turpe putant parere minoribus et, quae
Imberbi didicere, senes perdenda fateri. 85

85. *Imberbi* Cruquius ex lemmate commentatoris, ut videtur, Bentleius, Meineke, L. Müller, Haupt, Vahlen; *Imberbes* codices h. l. omnes, Orelli, O. Keller.

quam agi per vim. Terent. Andr. 434, SI. *Quid Davos narrat?* DA. *Aeque quidquam nunc quidem?* — *crasse*] ut *crassa Minerva.* (Sat. 2, 2, 3.) Cic. ad Fam. 9, 12, 2 orationem suam pro Deiotaro vocat *munusculum levidense crasso filo*, metaphora desumpta a lanificio, ut *pingui Minerva* ab obesitate. — *honorem*] „summum plausum."

79-81. *Recte* cet.] Fabula vere pulchra *recte*, id est, firme ac numquam titubante vel claudicante ingressu, scenam *perambulare* dicitur simili metaphora atque dicunt *fabulam stare* vel de contrario eventu *cadere*, ubi exploditur. Sententia est: „Utrum etiamnunc laudem mereantur Attae togatae necne cet." T. Quinctius Atta scriptor togatarum, satirarum epigrammatumque mortuus a. u. c. 676 teste Hieronymo in Chron. ed. Roncallii p. 395. Fronto 4, 3. pg. 62 ed. Naber: *particulatim elegantem Attam in verbis* (an *diverbiis?*) *muliebribus* vocat. — *crocum*] liquidum. Plin. H. N. 21, 6, 17: *Vino mire congruit, crocum, praecipue dulci; tritum ad theatra replenda.* Fabulam igitur Attae dicit in scenam productam, quae scena floribus et croco spargi solet. Lucret. 2, 416: *Et cum scena croco Cilici perfusa recens est.* Ovid. A. A. 1, 104: *Nec fuerant liquido pulpita rubra croco.* — *patres*] „seniores," non: „senatores." Cfr. v. 85.

82-85. *Aesopus*] nobilissimus tragicarum fabularum actor, *summus artifex et semper partium in re publica tam quam in scena optimarum*, ut ait eius familiaris Cicero pro Sestio 120; *gravis* autem vocatur, quia primas illas partes tragoediarum egregie agebat, ut Agamemnonem, Aiacem, Eurysacen. Vixit certe usque ad a. u. c. 699. — *Q. Roscius* comoedus aeque nobilis, pro quo exstat Ciceronis oratio, huiusque *amores et deliciae*, de Divin. 1, 79; *doctus* autem, *quod hoc est consecutus, ut, in quo quisque artificio excelleret, is in suo genere* Roscius *diceretur.* Cic. de or. 1, 130. Roscius cum mortuus sit a. u. c. 693. (Cic. pro Arch. 17), si anno 690 in scena comparebat neque artem desierat, sane qui a. u. c. 744 vivebant circiter septuagenarii, utriusque actoris probe meminisse poterant. — *parere minoribus*] „iuniorum iudiciis sese accommodare ac fidem tribuere." — *Imberbi*] ita scripsimus contra omnem ut videtur librorum auctoritatem, nisi Cruquium h. l. commentatorem ex Blandiniis cod.

Iam Saliare Numae carmen qui laudat et illud,
Quod mecum ignorat, solus volt scire videri,
Ingeniis non ille favet plauditque sepultis,
Nostra sed impugnat, nos nostraque lividus odit.
Quid si tam Graecis novitas invisa fuisset 90
Quam nobis, quid nunc esset vetus? aut quid haberet,

90. *Graecis* codices, ut videtur, omnes. *Graiis* Bentleius coni.

descripsisse credendum est; nam altero loco A. P. 161 cum optimis libris scribendum est *Imberbus;* qua forma auctore Nonio pg. 493 M.) usi sunt etiam Lucilius et Varro. — *perdenda*] „missa facienda, oblivioni tradenda."

86-89. *Iam*] gradationi inservit: „iam vero, *vollends nun, vollends gar.*" — *Saliare Numae carmen*] Liv. 1, 20: *Salios item duodecim Marti Gradivo* (Numa) *legit, tunicaeque pictae insigne dedit et super tunicam aeneum pectori tegumen, caelestiaquo arma, quae ancilia appellantur, ferre ac per urbem ire canentes carmina cum tripudiis sollemnique saltatu iussit.* Cum carmine fratrum Arvalium hoc Saliare versibus Saturniis compositum, quod *axamenta* dictum fuisse Festus tradidit, antiquissimum fuit, de quo accepimus. Apud Varronem L. L. 7, 27 exstat hic eius versiculus: *Divom empta* (al. *exta*) *cante, divom deo* (al. *deom*) *supplicante* (al. *supplice cante.*) Idem ibid. 7, 2: *Aelii (Stilonis) hominis in primo in litteris Latinis exercitati, interpretationem carminum Saliorum videbis et exili littera expeditam et praeterita obscura multa.* Idem 7, 3: *quorum* (verborum poëticorum) *si Pompili regnum fons in carminibus Saliorum, neque ea ab superioribus accepta, tamen habent DCC annos.* Inde ex Aelii tempore (circiter a. u. c. 650) alii quoque Grammatici multum in eis explicandis videntur desudasse, ut ea *scire* (intellegere) viderentur, quae Vergilius, Horatius, Tibullus sane nec intellegebant neque intellegere curabant. Similiter Quintil. 1, 6, 40: *Saliorum carmina vix sacerdotibus suis satis intellecta.* — *non ille favet*] „non ex animi sui sententia probat antiqua carmina, quae ab ipso haud intellecta eum vere delectare minime possunt." — *sepultis*] „scriptoribus ante multos annos mortuis et iam oblivioni traditis." — *Nostra sed*] Aptissime, ut poëta, vocabulum, in quo sententiae cardo vertitur, praeponere potuit, id quod in pedestri oratione facere haud licebat. Cfr. Od. 4, 4, 33. — *lividus*] „malitiose invidus, ipse cum nihil nostrorum carminum simile elaborare possit." Ovid. ex Ponto 3, 4, 73: *Scripta placent a morte fere, quia laedere vivos Livor et inviso carpere dente solet.*

90—92. *Graecis*] Iam admirabilem in modum Graecorum indolem poëticam exprimit ac describit, demonstrans, quantopere insito pulchri sensu Romanos superarint promptioresque semper fuerint ad poëtarum suorum merita ultro agnoscenda. Ceterum Bentleius ut v. 28 ex cod. Bland. antiquissimo ita hoc etiam loco vel sine testimonio librorum scripsit *Graiorum*, probavitque L. Müller (lect. Horat. pg. 715), non tam ideo, quod sequitur versu 93 Graecia, quam quod malunt poëtae latini in oratione graviore magisque remota ab usu quoti-

Quod legeret tereretque viritim publicus usus?
Ut primum positis nugari Graecia bellis
Coepit et in vitium fortuna labier aequa,
Nunc athletarum studiis, nunc arsit equorum, 95
Marmoris aut eboris fabros aut aeris amavit,
Suspendit picta voltum mentemque tabella,

diano omnino *Graios* dicere quam *Graecos*, excepto ubi indicatur contemptus, ut Od. 3, 24, 57.' — *tereret*] de assidua lectione, ut Cic. ad Fam. 9, 25, 1: *Παιδείαν Κύρου -- contriveram legendo.* — *viritim*] „singuli cives Romani et qui praeter hos Latine sciunt.“ Liv. 41, 8: *Genera autem fraudis duo mutandae viritim civitatis inducta erant.* — *publicus usus*] usus s. usus fructus rerum, quas antiqui publicas vel communes appellabant, quarum dominium, ut aiunt ICti, nemo ita poterat occupare, ut excluderet alios. Tales sunt aër, aqua profluens, mare eiusque litora. Gaius 2, 11: *quae* (res) *publicae sunt, nullius videntur in bonis esse; ipsius enim universitatis esse creduntur.* Ita et poëmata publico usui inserviunt, quoniam omnibus aeque eis delectari licet.

93. 94. *Graecia*] Haec omnia praecipue de Atheniensibus valere manifestum est. — *positis*] Verg. Aen. 1, 291: *Aspera tum positis mitescent saecula bellis.* — *nugari*] „se dare ad omnia poësis genera, ad picturae, sculpturae, musicae artes, ad ludos gymnasticos;“ quae omnia cum atrocissimis illis bellis comparata partim ingeniorum sunt lusus, partim virium ludicrae exercitationes, *nugae* igitur, sine reprehensionis significatione. — *bellis*] maxime post composita bella Persica. Aristot. Polit. 8, 6, 6: *Σχολαστικώτεροι γενόμενοι διὰ τὰς εὐπορίας καὶ μεγαλοψυχότεροι πρὸς τὴν ἀρετήν, ἔτι τε πρότερον καὶ μετὰ τὰ Μηδικὰ φρονηματισθέντες ἐκ τῶν ἔργων πάσης ἥπτοντο μαθήσεως, οὐδὲν διακρίνοντες, ἀλλ' ἐπιζητοῦντες· διὸ καὶ τὴν αὐλητικὴν ἤγαγον πρὸς τὰς μαθήσεις.* — *in vitium*] „deliciarum propter prosperitatem fortunae.“ COMM. CRUQ. Vocabulo *vitium* admodum malitiose usus est ideo, quod *βαναύσοις* inter Romanos omnia haec Graecorum studia *vitiosa* et supervacanea videbantur. Significat autem morum mutationem, quae paulatim inde a Pericle usque ad Philippum Macedonem facta est, cum a prisca simplicitate et ab illa *μεγαλοψυχίᾳ* (libenter Aeschyleam dixerim), quam bella Persica eis instillarant, pedetemtim recedentes effuse se dederent cunctarum artium illecebris donec discordiis debilitati atque in mollitiem lapsi tandem in Macedonum potestatem pervenerunt. — *labier*] Cfr. ad Sat. 1, 2, 35.

95-102. *athletarum*] Cfr. Liv. 33, 32: *Spectaculi studium insitum genti* (Graecae), *quo certamina omnis generis artium viriumque et pernicitatis visuntur.* — *arsit*] Quo ardore Graeci Olympia spectarint, lecto loco Sophocleo in Electra 680 sqq. penitus persentisces. — *eboris*] Huius materiae usus frequens erat in celebratissimis quibusque deorum simulacris, ut in Phidiae Iove Olympio et Minerva, cuius *πρόσωπον ἐλεφάντινον* erat. Plato Hipp. mai. p. 290 B. — *fabros*] *τεχνίτας.* — *Suspendit* cet.] „Tabulas pictas attentissime spectavit, ita ut oculos cogitationemque ab eis vix

Nunc tibicinibus, nunc est gavisa tragoedis;
Sub nutrice puella velut si luderet infans,
Quod cupide petiit, mature plena reliquit. 100
Quid placet aut odio est, quod non mutabile credas?
Hoc paces habuere bonae ventique secundi.
Romae dulce diu fuit et sollemne reclusa
Mane domo vigilare, clienti promere iura,
Cautos nominibus rectis expendere nummos, 105

101. *Quid-credas* transposuit post v. 107 Lachmannus probantibus Haupt ed. 2. 3., Vahlen, O. Keller. — 105. *Cautos* codices, *Scriptos* e codice (?) Barthii (Advers. 37, 18) Bentleius.

removere posset, cum pulchri species atque exemplar in intimos eius affectus penetrasset." (Hellas) — *tibicinibus*] „symphoniacis," ex quibus unum genus nominat. — *tragoedis*] „actoribus tragicis simulque fabulis ipsis, quas agebant." — *Sub nutrice*] „moderante nutrice," ut Ep. 1, 16, 77: *saevo te sub custode tenebo.* Nutrices autem apud antiquos primum fere per triennium infantes educabant; postea eis paedagogi dabantur. — *petiit*] In prosa or. procul dubio scripsisset *petierat.* — *mature plena*] „ἀψίκορος, celeriter satiata *Graecia*," non, ut alii volunt, *puella.* — *Quid placet* cet.] „Ex humanae naturae condicione nihil in perpetuum aut placet aut spernitur; haud igitur mirum est, si Graeci quoque ab una ad aliam artem praecipue colendam transierunt." Hoc versu, si quid in Graecorum studiis inesse videatur levitatis atque inconstantiae, quodammodo excusat. — *Hoc*] „Hunc omnium artium amorem et cultum." — *paces*] non: „diversa pacis foedera," sed: „*bona* (dulcia et grata) pacis tempora et artibus et vitae commodis imprimis faventia." — *ventique secundi*] „Prospera fortuna hoc effecit, ut tali modo tantoque cum successu Graeci liberalibus artibus operam darent;" imagine a re navali frequenter repetita etiam apud prosae orationis scriptores. Cic. ad Att. 2, 1, 6: *Quid, si etiam Caesarem, cuius nunc venti valde sunt secundi, reddo meliorem, num tandem obsum rei publicae?* Cfr. Ep. 2, 2, 201 sq.

103-105. *Romae* cet.] „Romanorum contra ab artibus liberalibus primum aversorum haec fuerunt praecipua studia" cet. Conf. A. P. 323 sqq. — *sollemne*] „consuetudine usitatum." COMM. CRUQ. — *Mane*] Sat. 1, 1, 10: *Sub galli cantum consultor ubi ostia pulsat.* — *clienti promere iura*] Sensu proprio accipiendum reor: „clienti patronum consulenti de iure respondere utiliaque consilia dare, interdum etiam lites inter duos clientes ortas diiudicare." Od. 3, 5, 53 sqq. — *Cautos*] „per chirographum." Gloss. Codicis E. Formularum sermone perquam scite hic usus est, ut apparet ex Plin. Ep. 10, 62, 2: *distribuendam inter decuriones pecuniam ita, ut recte rei publicae caveant.* Cod. 2, 4, 2: *recte cauta pecunia*, et sic aliquotiens apud Gaium *recte*, id est, „optimo iure, legitime." Est igitur: „pecuniam *recte*, id est, a debitore legitimis chirographorum (v. Gaium 3, 134)

Maiores audire, minori dicere, per quae
Crescere res posset, minui damnosa libido.
Mutavit mentem populus levis et calet uno
Scribendi studio; pueri patresque severi
Fronde comas vincti cenant et carmina dictant. 110
Ipse ego, qui nullos me adfirmo scribere versus,
Invenior Parthis mendacior et prius orto

109. *pueri patresque* codices meliores omnes, ed. plerique, *pueri-que patresque* ex paucis cod. cum Cruquio Bentley, Meineke.

formulis *cautam* huic credere (fenori dare) atque *expendere* (expensam ferre).“ Quotiens enim pecunia mutua dabatur, creditor suis in tabulis expensi et accepti nomen eius, cui pecuniam dabat, perscribebat. Inde *nomen* significat et *debitum* et *debitorem*. Iungo autem *nummos cautos nominibus rectis* ablat., non *expendere nominibus* dativ.

106-108. *Maiores* cet.] Non sine quadam malitia in hoc potissimum versatam esse dicit summam doctrinae, quam adulescentes, cum se tamquam contubernales aut iuris civilis studiosi ad maiores natu applicassent, ab his acceperint, quomodo rem familiarem continuo augerent neque vero omnis generis *libidinibus* ac luxurie dilapidarent. Cfr. A. P. 325 sqq. — *damnosa*] Cfr. Ep. 1, 18, 21: *damnosa Venus*. — *Mutavit* cet.] Animi tunc fessi erant discordiis intestinis libenterque fruebantur pace ab Augusto confirmata, ita tamen, ut longe minor civium pars quam vetere re publica aut domi muneribus civilibus et eloquentia aut militiae bellica virtute gloriam sibi parare et vellet et posset; praeterea Graecae litterae in dies magis innotescebant. Iam propter haec omnia permulti, ne vitam otio tererent, poëticis studiis sese dederunt, eoque magis, quod Augustum et Maecenatem his favere videbant; quo in fervore omnium aliter vix fieri poterat, nisi ut multa poëmata non solum mediocria, sed etiam mala prodirent, ac plerique servilem Graecorum imitationem numquam egrederentur. Hanc subitam igitur ingeniorum ac studiorum mutationem lepide deridet, ironia in semet ipsum quoque vafre usus. — *calet*] Prope ut Abderitae apud Lucianum de conscr. hist. 1: *πυρέττειν (φασὶν Ἀβδηρίτας) πανδημεὶ ἅπαντας-- λιπαραὶ τῷ πυρετῷ.--ἅπαντες γὰρ ἐς τραγῳδίαν παρεκινοῦντο καὶ ἰαμβεῖα ἐφθέγγοντο*. Cfr. Sat. 2, 3, 80: *luxuria tristive superstitione Aut alio mentis morbo calet*.

109-113. *pueri*] Bentley *pueri-que patresque* quod suavius et modulatius esse dixit. Nos codicum auctoritatem neglegere ausi non sumus, etsi brevem syllabam sequente *tr* Horatius in thesi perraro (epist. 1, 7, 92. A. P. 468. sat. 2, 3, 119) produxit. — *severi*] „qui propter aetatem severi esse debent, ipsi nugis indulgent.“ — *Fronde*] lauri, olivae, hederae poëtarum habitum sumentes pro solita corona ex apio, myrto, rosis nexa. — *dictant*] „Sub finem cenae carmina (utique prius composita) tam graviter alta et sonora voce recitant, quasi a convivis, quibus interea dura tacendi necessitas imposita erat, calamo excipienda essent.“ Sic senties verbi gratam *εἰρωνείαν*. — *Parthis mendacior*]

Sole vigil calamum et chartas et scrinia posco.
Navem agere ignarus navis timet; abrotonum aegro
Non audet, nisi qui didicit, dare; quod medicorum est, 115
Promittunt medici; tractant fabrilia fabri:
Scribimus indocti doctique poëmata passim.
Hic error tamen et levis haec insania quantas
Virtutes habeat, sic collige: vatis avarus
Non temere est animus; versus amat, hoc studet unum; 120
Detrimenta, fugas servorum, incendia ridet;
Non fraudem socio puerove incogitat ullam

114. *Navem* plerique cod., *navim* pauci eisque obsecutus Orelli.

Proverbium est, ut de Punica et Graeca fide ac de Cretensibus ἀεὶ ψευσταῖς. Sic Od. 4, 15, 23: *infidi Persae.* — *scrinia*] librariola (Cic. de legg. 1, 7), capsae, in quibus libros et chartas asservabant, etiam singulorum voluminum capsulae. Sic Ovid. Trist. 1, 1, 106: *Contigerisque tuam, scrinia curva, domum.* Pollux 10, 61 ea vocat κιβώτια γραμματοφόρα.

114-117. *Navem* cet.] Similia reperies A. P. 379 sqq. et erat omnino locus communis et a Socraticis et a Sophistis decantatus. Xenoph. Mem. 3, 5, 21. Max. Tyr. 9, 1. — *ignarus navis*] „navis gubernandae artem non callens.“ — *abrotonum*] artemisia abrotonum L. Plin. H. N. 21, 21, 92: *Usus et foliis, sed maior semini ad excalfaciendum; ideo nervis utile, tussi, orthopnoeae* cet. — *qui didicit*] „quando et quantum eius aegroto dandum sit.“ — *quod medicorum* cet.] „Sapienter relinquimus medicinam medicis et fabris omnia, quae ad eorum artem pertinent; contra carmina omnes componimus.“ — *fabrilia fabri*] Speciem habet proverbii. Eurip. fragm. inc. 978 N.: Τέκτων γὰρ ὢν ἔπρασσες οὐ ξυλουργικά. — *passim*] „omnes promiscue, docti cum indoctis mixti.“

118—125. *Hic error* cet.] Hanc tamen carmina pangendi *insaniam*, sed *levem* neminique noxiam commoda etiam quaedam habere Augusto candide simulque callide ostendit; callide, quatenus simulat se de tota illa poëtarum turba verba facere, cum ea, quae affert, tantummodo de veris summisque poëtis possint affirmari. — *avarus*] Ovid. A. A. 3, 541 de poëtis: *Nec nos ambitio, nec amor nos tangit habendi.* — *Non temere* Quomodo haec locutio sensim pervenerit ad significandum idem prope ac *non facile*, optime perspicitur ex Plauti Bacch 83: *Rapidus fluvius est hic: non hac temere transiri potest*, ubi cum proprie sit „non inconsiderate,“ simul inest difficultatis notio. Cfr. Sat. 2, 2, 116. Ep. 2, 2, 13. — *hoc studet unum*] V. *studere* cum accusativo dumtaxat pronominalium gen. neutr. constructum reperitur, ut Cic. Philipp. 6, 18: *unum sentitis omnes, unum studetis*, exceptis locis, Plaut.: Mil. gl. 1437: *has res studeant;* Titin. 85 res Graecas studet; Laber. 55. — *socio*] in negotiatione aliqua vel in publicanorum societate. Cic.

Pupillo; vivit siliquis et pane secundo;
Militiae quamquam piger et malus, utilis urbi,
Si das hoc, parvis quoque rebus magna iuvari. 125
Os tenerum pueri balbumque poëta figurat,
Torquet ab obscenis iam nunc sermonibus aurem,
Mox etiam pectus praeceptis format amicis,
Asperitatis et invidiae corrector et irae;
Recte facta refert, orientia tempora notis 130
Instruit exemplis, inopem solatur et aegrum.
Castis cum pueris ignara puella mariti
Disceret unde preces, vatem ni Musa dedisset?

Verr. 3, 50: *Socii putandi sunt, quos inter res communicata est.* — *incogitat*] „intendit, molitur;“ quod verbum apud solum Horatium nunc reperitur. Est fortasse, ex illis, quae *Graeco fonte parce detorsit*, ἐννοεῖ, ἐπιβουλεύει. — *siliquis*] „leguminibus omnis generis, pisis, fabis, vicia, fortasse interdum etiam siliqua Graeca s. silicula proprie dicta, κερατίοις.“ — *pane secundo*] „non siligineo, non primo nec postremo, sed dispensatorio.“ COMM. CRUQ. Dicitur etiam *secundarius*, *cibarius*. — *Militiae*] dativus pro „piger ad militiam“; Tac. Ann. 3, 48: *impiger militiae et acribus ministeriis*, *bonus* autem *alicui rei* cum rectissime dicatur, quidni apud poëtam etiam *malus*, parum idoneus? — *Si das hoc*] „Si concedis his quietis quoque virtutibus, fide ac temperantia, rem publicam legesque stabiliri.“ Conf. Sat. 1, 4, 39. 1, 10, 5. 2, 2, 94.

126-131. *figurat*] „format puerorum ora,“ ut ait Quintil. 11, 3, 31 et τὸ στόμα πλάττειν Plato Cratyl. p. 414 D.; ediscendis enim poëtarum locis et accurate recitandis γραμματισταὶ id spectabant, ut in tenera iam aetate esset *absolutius os et expressior sermo*, Quintil. 1, 1, 37, id est, ut distincta atque eleganti pronuntiatione accurate efferret Latini sermonis singula verba.“ — *Torquet*] cet.] „Et cum *mature* assuescant pueri ad poëtarum nobilem elegantemque sermonem, eo facilius abstinere se a verbis plebeiis et inficetis omnique aeschrologia discunt.“ — *iam nunc*] „inde a tenera aetate.“ Cfr. Od. 3, 6, 23. — *Mox etiam*] „Deinde cum progrediente aetate adulescentes iam idenei fiunt ad praecepta virtutis et sapientiae intellegenda ac retinenda, talia eis praebent poëtae, et *grata* quidem, amica et benevola, minus dura atque aspera, quam sunt pleraque philosophorum.“ — *orientia tempora*] non tam „adulescentes“ quam „unam hominum aetatem post alteram, ut prima quaeque *oritur*, in lucem editur ac priori succedit. — *notis*] „veteribus, quae ab omnibus celebrantur.“ — *aegrum*] „animi aegrum, sollicitum.“

132-138. *Castis* cet.] Iam transit ad poësis vim utilitatemque in sacris ac religionibus. — *ignara-mariti*] Silius 2, 68: *Haec ignara viri vacuoque adsueta cubili.* — *unde*] „a quo,“ ut Od. 1, 12, 17. — *preces*] a choris puellarum et puerorum patrimorum ac matrimorum recitatas, quarum exemplum habes Carmen saeculare, atque iam antiquitus Livii Andro-

Poscit opem chorus et praesentia numina sentit,
Caelestis implorat aquas docta prece blandus, 135
Avertit morbos, metuenda pericula pellit,
Impetrat et pacem et locupletem frugibus annum.
Carmine di superi placantur, carmine Manes.
Agricolae prisci, fortes parvoque beati,
Condita post frumenta levantes tempore festo 140
Corpus et ipsum animum, spe finis dura ferentem,
Cum sociis operum, pueris et coniuge fida,

140. *levantes* codices omnes, *euhantes* L. Müller. — v. 141 eiciendum censet A. Nauck prob. L. Müller. — 142. *operum, pueris* Harleianus, Vossianus, Einsidlensis, Lipsiensis, Gothanus, ORγπ aliique; *operum et pueris* Leidensis, Monac. E, φψλ paucique.

nici carmen, quod propter varia prodigia virgines ter novenae per urbem euntes Dianae cecinerunt anno u. c. 545 (Liv. 27, 37), ex prisco quidem more Italico; sic etiam Faleriis χοροὶ παρθένων ὑμνουσῶν τὴν Ἥραν ᾠδαῖς πατρίοις, Dionys. Halic. 1, 21. — *praesentia*] „propitia, opitulantia." Cfr. Od. 1, 35, 2. — *Caelestis-aquas*] „pluviam." Cfr. Od. 3, 10, 19: *aquae Caelestis.* Liv. 4, 30: *caelestes-defuerunt aquae.* Si quando Romae aquae inopia erat, sacra instituebantur Iovi Pluvio, aquilicia dicta, quippe quibus imbres caelo elicerentur; nudipedalia agebantur, id est, populus nudis pedibus pompam ducebat per Urbem. Cfr. Festum in v. *Aquilicium.* — *docta prece blandus*] „blande supplicans dis carmine, quod poëta eum docuit;" *docta* est participium, non adiectivum. — *Avertit morbos*] maxime Apolline invocato; cfr. Od. 1, 21, 13. — *metuenda*] „quippe portentis significata." — *Manes*] „di inferi, Dis pater, Proserpina, Hecate," ut Verg. Aen. 12, 646: *Vos o mihi Manes Este boni, quoniam Superis aversa voluntas.* Plin. n. h. 32, 2: *imus in viscera terrae et in sede Manium opes quaerimus.*

139-144. *Agricolae*] Iam poëtarum et poësis in cunctam civitatem ac deorum cultum meritis expositis originem atque historiam poësis Romanae exponere aggreditur, rem scenicam potissimum spectans. — *fortes*] „ad laborem validi et seduli." SCHOL. Sic Sat. 2, 2, 115: *fortem colonum.* — *Condita* cet.] Arist. Eth. Nic. 8, 9, 6: αἱ ἀρχαῖαι θυσίαι καὶ σύνοδοι φαίνονται γίγνεσθαι μετὰ τὰς τῶν καρπῶν συγκομιδὰς οἷον ἀπαρχαί· μάλιστα γὰρ ἐν τούτοις ἐσχόλαζον τοῖς καιροῖς. — *spe finis*] „Sententia est, tolerabilem fieri laborem laboris fine proposito." PORPH. Spuria haec videntur A. Nauckio, quae de quovis qui labores subiret, perinde dici possint, neque ferendum esse pronomen *ipsum.* Quod cum probaret L. Müller, ne *levantes* v. 140 obiecto suo careret, coniecit *euhantes.* 'Etenim, id quod ipsum advertit Porphyrionem, ne potuit quidem Bacchi omitti prorsus mentio, cum praesertim constet vindemiae potissimum tempore per vinalia rustica exsultasse agricolas Romanos eo modo quem Hor. indicat, sicut Vergilius testatur Georg. II 385 sqq.' — *Cum sociis* cet.] Explica: „cum sociis operum, imprimis liberis

Tellurem porco, Silvanum lacte piabant,
Floribus et vino Genium memorem brevis aevi.
Fescennina per hunc inventa licentia morem 145
Versibus alternis opprobria rustica fudit,
Libertasque recurrentis accepta per annos
Lusit amabiliter, donec iam saevus apertam

143. *porca* Lambini suspicio, quam firmat tertius Schmidii, recepit Cuninghamius. — 145. *invecta* Bentleius cum Barthio.

utriusque sexus et casta coniuge." Raro enim prisci illi agricolae servos possidebant aut operarios adhibebant. — *Tellurem*] Varro R. R. 1, 1, 4 *duodecim deos* invocat, *qui maxime agricolarum duces sunt. Primum, qui omnes fructus agriculturae caelo et terra continent, Iovem et Tellurem; -- secundo Solem et Lunam; -- tertio Cererem et Liberum; -- quarto Robigum ac Floram; -- Minervam et Venerem; -- Lympham ac Bonum Eventum.* — *porco*] Genere feminino utitur Oraculum Sibyllinum apud Zosim. 2, 6: *Αὖθι δὲ Γαίῃ Πληθομένῃ χοῖρός τε καὶ ὗς ἱεροῖτο μέλαινα.* Similiter ante messem Cereri, ut ait Cato R. R. 134. *porca praecidanea, porco femina* fieri oportet. Uno loco, Od. 3, 23, 4, feminino utitur Horatius, ceteris masculino. — *Silvanum*] Cfr. Preller-Iordan Mythol. R. I 394 sqq. Omnino cultum huius dei priscorum agricolarum perdiu servatum esse complures inscriptiones demonstrant. Cfr. Epod. 2, 17 sqq. Vergil. Georg. I 20. — *piabant*] „sibi propitios reddebant." Omne enim sacrificium est et animi in deos grati testificatio et expiatio culparum, quarum ipsi nobis conscii fortasse non sumus. — *Genium*] Cfr. Ep. 2, 2, 187. Censorin. 3: *Genius est deus, cuius in tutela, ut quisque natus est, vivit. Hic sive quod ut genamur curat, sive quod una genitur nobiscum, sive etiam quod nos genitos suscipit ac tutatur, certe a* genendo *genius appellatur. -- Genius autem ita nobis assiduus observator appositus est, ut ne puncto quidem temporis longius abscedat, sed ab utero matris acceptos ad extremum vitae diem comitetur.* — *memorem brevis aevi*] Ipse Genius quoniam una cum eo, quem tutatur, et nascitur et interit eademque laetitia et maestitia afficitur, qua homo, non minus quam hic memor est brevis vitae, eiusque cursus ut quam prosperrime procedat optat.

145. 146. *Fescennina -- licentia*] Fescennia (sic Plin. H. N. 3, 5, 8), Etruriae oppidum prope Tiberim erat, ubi nuptialia inventa sunt carmina procacium ac licentiosorum iocorum plena, quorum similia dicit Latinorum opprobria illa rustica. (Serv. ad Aen. 7, 695, apud quem est *Fescennium.*) Catull. 61, 126: *Ne diu taceat procax Fescennina locutio.* — *inventa*] „Cum hic mos dierum festorum a rusticis celebratorum semel invaluisset, ex hoc more paulatim eo progressi sunt, ut carmina Fescennina invenirent." — *alternis*] Alter enim alteri opprobria regerebat, fere ut in Theocriti et Vergilii bucolicis *ἀμοιβαίοις.* — *opprobria rustica*] Cfr. omnino ad Sat. 1, 7, 29 sqq.

147-150. *recurrentis*] „quotannis eodem messis tempore revertente." — *accepta*] non „recepta," sed potius *„willkommen*, grata semper

In rabiem coepit verti iocus et per honestas
Ire domos impune minax. Doluere cruento 150
Dente lacessiti; fuit intactis quoque cura
Condicione super communi; quin etiam lex
Poenaque lata, malo quae nollet carmine quemquam

149. *coepit verti* cod. maior pars; *verti coepit* Leidensis, Bern. c, Paris. φψλν. — 153. *lata* Lipsiensis, Gothanus, Monac. E, OSbγ; *nata* Leidensis, Harleianus, Vossianus, Einsidlensis, Rφψλπ.

Romanis, quando *condita post frumenta* ludebat. — *Lusit amabiliter*] „iocata est sine cuiusquam offensione, comiter ac facete, nec ulla inde rixa oriebatur. — *In rabiem*] „Iocus antea innocens in rabiem verti coepit, adeo ut *saevus* fieret, id est, irrisos vehementer laederet ac morderet. Cfr. A. P. 49: *Archilochum proprio rabies armavit iambo.* — *Ire*] „impetuose grassari." — *impune minax*] „nullâ etiamtunc poenâ famosis carminibus constitutâ." Omnino meminisse debemus Horatium h. l. nobis tradere historiam poësis Romanae, ut ita dicam, poëticam, id est, talem, qualem ipse sibi coniectura informarat. Primam poësis scenicae originem recte utique repetit a carminibus illis Fescenninis ἀμοιβαίοις ex lascivis iocis et conviciis constantibus, quorum genus aliquod etiamtum supererat in carminibus nuptialibus. Praeterea cum sciret iam duodecim tabulas capite sanxisse, si quis carmen condidisset, quod infamiam faceret alteri, ex hac lege ipsa collegit, iocos illos primum innocentes paulatim degenerasse atque conversos esse in famosa carmina, quibus homines honesti ac nobiles acerrime laesi sint; ob quam intolerabilem licentiam iam Decemviris (a. u. c. 303) visum esse fustuarii poenam constituere in eos, qui cives infamassent. (Primarius est Ciceronis locus de rep. l. 4, 10 ab Augustino de C. D. 2, 9 servatus, in editione Tur. 2. Vol. IV pg. 838: *Nostrae contra duodecim Tabulae, cum perpaucas res capite sanxissent, in his hanc quoque sanciendam putaverunt* SI QVIS OCCENTAVISSET, *sive carmen condidisset, quod infamiam faceret flagitiumve alteri;* ubi Cod. Corbeiensis antiquiss. glossa in Dübneri ed. Augustini Paris. 1838: „*Occentare* est infame carmen nominata persona edere. *Occentare*, contrarium canticum cantare." Cfr. Tusc. 4, 2, 4. „Severa autem illa legis poena deterriti," inquit, „poëtae ad iocos, qui nullam offensionem haberent, proferendos, nominatim ad comoedias palliatas, togatas, Atellanas componendas redacti sunt."

151—155. *cruento Dente lacessiti*] „obtrectatione et maledicentia, quae lacerat etiam probos;" *cruentum* autem dicit *dentem* morsu cruorem elicientem. Cfr. Ep 1, 18, 82. — *fuit intactis* cet.] „Ei quoque, qui nondum probris petiti erant, idem malum oblata prima quaque occasione sibi imminere rati sunt, cum omnium eadem esset condicio; neminem enim a maledicorum livore malisque, id est, famosis carminibus tutum esse cernebant." Sat. 2, 1, 23: *sibi quisque timet, quamquam est intactus, et odit.* — *lex Poenaque lata*] facillimo zeugmate pro: „lex lata poenaque irrogata

Describi; vertere modum, formidine fustis
Ad bene dicendum delectandumque redacti. 155
Graecia capta ferum victorem cepit et artis
Intulit agresti Latio; sic horridus ille
Defluxit numerus Saturnius, et grave virus

155. spurium esse existimavit A. Nauck prob. L. Müller.

est.“ — *malo quae nollet carmine* cet.] Cfr. Sat. 2, 1, 82. — *Describi*] ut Sat. 1, 4, 3 „notari, χαρακτηρίζεσθαι.“ — *fustis*] Cum teste Cicerone de rep. 4, 10 capite sanxerint XII tabulae, *si quis occentavisset*, de supplicio fustuario, non de simplici castigatione fustibus s. baculis et vitibus facta accipiendum est. — *Ad bene dicendum*] „Coacti sunt abstinere se a male dicendo singulis; quo ipso nemo iam laedebatur, omnes delectabantur.“ De toto hoc versu L. Müller in lect. Hor. pg. 716 haec disseruit: ‘Serio Horatium dicere potuisse eos, qui Fescennina agerent, metu verborum adactos, ut non iam male dicerent hominibus, sed bene, equidem numquam concedam. Neque enim carminibus illis umquam laudationes hominum Romanorum sunt prolatae, sed longe alia eorum fuisse argumenta constat inter omnes. Quod si statuetur *bene* positum esse pro *eleganter*, nihilo melius se habebit sententia. Quid enim? Num carmina, quia sunt maledica, sua elegantia destituta esse dicentur? Ac ne hoc quidem poterit contendi talia scripta non facere ad delectandos homines, exceptis nimirum eis qui laesi sunt. Probabiliter igitur A. Nauckius v. 55 adiectum esse statuit ab interpolatore, qui illa: *vertere modum formidine fustis* sua explicatione indigere crederet.’

156. 157. *Graecia capta* cet.] Etiam in his potius inest poëtica veritas quam historica; siquidem Graecia capta proprie est demum Corintho deleta (a. u. c. 608), cum ea aetas, qua litterae Graecae Romam invectae antiquissimam poësin Romanorum sacram (Saliaria carmina cet.) et profanam, qua regum et ducum suorum laudes atque virtutes celebrabant, suam ad indolem sensim traduxerunt, repetenda sit a Livio Andronico (a. u. c. 514), Naevio, Ennio, Pacuvio, qui omnes ante Graeciam captam floruerunt. Quid, quod Livii Andronici aetas multis annis praecessit etiam captas Syracusas (a. u. c. 542), de quibus Livius 25, 40: *inde primum initium mirandi Graecarum artium opera.* — *cepit*] *Capit* et is, qui vincit, et is, qui delectat. Hoc igitur dicit: „Artes et disciplinae Graecorum Romanis etiamtunc *agrestibus* (rudioribus) adeo placuerunt, ut tamquam si ipsi devicti essent a Graecis, propriam indolem ad hos conformarent.“ Cato apud Liv. 34, 4: *Iam in Graeciam Asiamque transcendimus omnibus libidinum illecebris repletas et regias etiam attrectamus gazas; eo plus horreo, ne illae magis res nos ceperint quam nos illas.*

158—160. *Defluxit*] „Paulatim Latini eo uti desierunt.“ — *Saturnius*] Hermannus Epit. doctr. metr. p. 214: „Numeros habet hos: *Dabunt malum Metelli Naevio poëtae.* (Naevius: *Novem Iovis concordes filiae sorores.*) Sed et caesuram saepe neglexerunt rudes isti poëtae, et omni genere solutionum usi sunt. -- Postremus Romanorum, qui hoc metro uteretur,

Munditiae pepulere; sed in longum tamen aevum
Manserunt hodieque manent vestigia ruris. 160
Serus enim Graecis admovit acumina chartis,
Et post Punica bella quietus quaerere coepit,
Quid Sophocles et Thespis et Aeschylus utile ferrent.
Temptavit quoque rem, si digne vertere posset,
Et placuit sibi natura siblimis et acer; 165
Nam spirat tragicum satis et feliciter audet,

Varro fuisse videtur in Satiris." — *virus*] plerumque sucus noxius ac venenatus, tum et foedus odor, ut castorei, Verg. Ge. 1, 58, et ingratus sapor, ut aquae marinae, quae notio h. l. aptior videtur quam aut virus serpentium, aut sanies canum rabiosorum aut *virus acerbitatis.* (Cic. Lael. 23, 87.) Non enim tam refertur ad famosa carmina et rabiem (v. 148), quam ad totam indolem rusticam atque incultam priscae poësis Latinae, ex iudicio saltem Horatii. *Grave* autem solitum est huius voc. *ἐπίθετον (widerlich).* — *Munditiae*] partim metra Graeca, partim cultior et purior sermo; idem prope atque *elegantia*, quacum iungitur *munditia* a Cicerone in Orat. 23, 79. — *hodieque*] praecipue in carminibus Fescenninis et in mimis Atellanisque. — *ruris*] „rusticitatis." Catull. 22, 14 de Suffeno: *Idem infaceto est infacetior rure, Simul poëmata attigit.*

161—163. *Serus enim* cet.] „Etenim Romanus, prius litteris Graecis non initiatus, demum post primum et secundum Punicum bellum, cum omnia tranquilla essent, acutum suum ingenium ad accuratius studium scitamque imitationem poëtarum Graecorum convertit." Porcius Licinus apud Gell. 17, 21, 45: *Poenico bello secundo Musa pinnato gradu Intulit se bellicosam in Romuli gentem feram.* Atque de eadem aetate explicanda sunt Horatii verba. — *quietus*] *εἰρήνην ἄγων*, iunge cum vv. *post Punica bella*, non cum v. *quaerere.* Cfr. v. 93. — *Thespis*] Cfr. A. P. 276 sq. H. l. honoris causa nominatur, utpote quem pro tragoediae inventore (Olymp. 61 a. Chr. 536) haberent Grammatici; non quod eius fabulas (si umquam Romam pervenerunt, de quo ipso dubitare licet) imitati sint Livius Andronicus posterioresve tragici Latini. — *Aeschylus*] Cfr. A. P. 278 sqq. — *utile*] „dignum, quod imitarentur."

164—167. *Temptavit*] Periculum fecit, incertus etiamtunc, utrum prosperum successum habiturus esset necne." Iunge autem: *temptavit rem*, „inceptum," non: *vertere rem*, id est, ut volunt, „quas tunc habebant tragoedias Graecas." Cfr. A. P. 285 seqq. — *vertere*] „vertendo imitari." — *Et placuit sibi*] Refertur hoc imprimis ad ingentem illum numerum tragoediarum (sunt autem Livii XV, Ennii XXVI, Naevii IX, Pacuvii XVII, Accii LII; omnes CXIX, quarum nomina novimus), quae in scenam delatae sunt a Livio usque ad Accium. — *Nam* cet.] „Ei enim sunt Romanorum spiritus, ea animorum elatio, ut idonei sint generi tragico excolendo, cuius praecipuus *χαρακτὴρ* est sublimitas et gravitas coniuncta cum arte affectus dolentium, iratorum, in-

Sed turpem putat inscite metuitque lituram.
Creditur, ex medio quia res arcessit, habere
Sudoris minimum, sed habet comoedia tanto
Plus oneris, quanto veniae minus. Adspice, Plautus 170
Quo pacto partis tutetur amantis ephebi,
Ut patris attenti, lenonis ut insidiosi;
Quantus sit Dossennus edacibus in parasitis,

167. *inscite* cod. plerique, *in scriptis* Lips., Goth., Monac. E, pauc Parisini, duo Schmidii, *in libris* unus ex Coll. Trin., *inscitus* Bentleius coniecturâ.

dignantium, infeliciter amantium vere atque apte exprimendi." — *spirat tragicum*] ut Stat. Silv. 5, 3, 12: *altum spirans*. Sic etiam Graeci Aeschyl. Eumen. 840: *Πνέω τοι μένος ἅπαντά τε κότον*. — *feliciter audet*] Spectat non tam ad inventionem novorum argumentorum ac personarum (in quibus sane exemplaria sua satis presse plerumque sequebantur), quam ad lumina sententiarum et ad ipsum sermonem (A. P. 56 sqq.), in quo multa innovarunt, quod ad compositiones maxime audaciores et formas verborum attinet, ut sunt apud Accium *aeternabilis*, *tabificabilis*, *minitabiliter*, *indecorabiliter*, *adauctare*, *grandaevitas*, *squalitudo*, *miseritudo*, *magnitas*, *inenodabilis*, *famulitas*, *obsesse*, *mertare*, *orbificari*, *globosi turbines*, *sanctescere*, *vitisator*, *caprigenus*, *nitidare*, *fallaciloquentia*, sane *pleraque dure dicta*. (v. 66.) — *Sed* cet.] „Verum in eo neglegentiores erant tragici nostri, quod fabulas suas non satis elimarent atque expolirent." — *inscite*] quatenus partim ipsi se satis limato dicendi genere uti opinabantur, partim quod spectatores lectoresque quid operis perfectioni atque absolutioni deesset nondum perspiciebant. — *lituram*] Caecina in Cic. Ep. ad Fam. 6, 7, 1: *mendum scripturae litura tollitur*. Cfr. A. P. 293.

168-172. *Creditur* cet.] „Verum, quae dico, non solum de tragoedia, sed etiam de comoedia Romana valent." Cfr. Sat. 1, 4, 45 sqq. — *ex medio*] „Quia argumenta ex vita quotidiana petita tractat, videtur minimum difficultatis habere." — *veniae minus*] Quia, ubi quid minus veri simile nec recte ex natura moribusque hominum expressum est, statim omnes vident, etiam idiotae. — *Adspice*, *Plautus* cet.] Plautum acri ironia usus reprehendit, quod minus vere et eleganter quam Menander, Philemo, Diphilus, partes, quas exempli gratia enumerat, *tutatus* sit, id est, usque ad fabulae *καταστροφὴν* scite et ad artis leges accomodate perduxerit. — *attenti*] „ad rem, nimis parci." Cfr. Sat. 2, 6, 82.

173—176. *Dossennus*] „Atellanarum scriptor." COMM. CRUQ. Silent Acro et Porphyrio. At glossatores quidam: „*Dossennus*, persona comica." Qui Dossennum pro poëta comico sive Atellarum, sive togatarum, sive palliatarum scriptore habent, aliunde nobis eum prorsus ignotum esse fateantur necesse est. Videtur autem satis rustice scurrarum semper esurientium ac gulosorum personas in tabernariis suis expressisse. Aeque autem atque in palliatis etiam in togatis ac mimis hoc hominum genus crebro describeba-

Quam non adstricto percurrat pulpita socco.
Gestit enim nummum in loculos demittere, post hoc 175
Securus, cadat an recto stet fabula talo.
Quem tulit ad scenam ventoso Gloria curru,
Exanimat lentus spectator, sedulus inflat:
Sic leve, sic parvum est, animum quod laudis avarum

175. *demittere* Blandinii, Harleianus, Vossianus, Monac. E, b pr.; *dimittere* codicum maior pars. — 178. *instat* Gesnerus e collatione Saxiana.

tur, uti patet ex reliquiis Afranii (in Vopisco) et Titinii (in Gemina). Festus p. 326. Müll.: *Secundarum partium actor fere omnibus in mimis parasitus inducitur.* — *edacibus in parasitis*] Terent. Heaut. Prol. 37: *Ne semper servus currens, iratus senex, Edax parasitus, sucophanta autem impudens, Avarus leno, assidue agendi sint mihi.* — *socco*] Comoediae *soccus* opponitur tragoediae *cothurno.* A. P. 80. Iam, qui soccis *non* satis *adstrictis*, sed laxis incedit, neglegentem et rusticum se esse ostendit. Sine imagine significat rude ac dissolutum dicendi genus, et omnis generis vitia atque errores in moribus imitandis commissos. — *Gestit* cet.] „Non enim laudis poëticae causa antiqui illi, Plautus, Dossennus, alii, comoedias composuerunt, sed ideo dumtaxat, ut quam primum fabulas venderent aedilibus.“ — *loculos*] „capsulas asservandae pecuniae destinatas.“ — *post hoc* cet.] Post lucrum autem receptum parum solliciti erant, utrum fabulae *caderent*, id est, exploderentur (ut ἐκπίπτειν), an *starent* in scena, quod est verbum proprium de eis fabulis, quae populo placent frequenterque reposcuntur. Terent. Hec. Prol. 2, 7: *vix steti* (ego, id est, fabula). Cic. Orat. 98: *magnus orator, - - si semel constiterit, numquam cadet.* Cfr. Sat. 1, 10, 17. — *recto - - talo*] „firmiter,“ ut apud Graecos ὀρθῷ ἱστασας ἐπὶ σφυρῷ Pind. Isthm. 6, 12. Pers. 5, 104: *recto vivere talo.*

177-181. *Quem tulit* cet.] „Contra ei, qui vili quaesticulo contempto verae laudis appetens fabulis componendis operam dat, multa impedimenta apud nos superanda sunt, quae oriuntur ex spectatorum ipsorum perversis iudiciis ac studiis; quocirca mirandum non est, si his temporibus pauci sunt (ut Pollio, Varius, Fundanius), qui tragoediis comoediisque scribendis multas molestias incurrere velint; ego certe numquam adducar, ut hoc genus tractem.“ — *Gloria*] Noli credere cum nonnullis ab Horatio reprehendi eos, qui *laudis avari* ad scenam accedant; immo opponuntur hi *lucri cupidis.* Gloria igitur dea poëtam verae laudis avidum ad scenam fert, id est, ad fabulas conscribendas excitat; sed cum ipsa sit *ventosa* s. inconstans, levis, quippe quae a multitudinis saepe imperitae arbitrio pendeat, hoc ἐπίθετον eius currui tribuitur. *Gloriae currum fulgentem* vidimus iam Sat. 1, 6, 23. — *lentus spectator*] „Spectatores languide et minime attenti poëtam contristant et angunt, quemadmodum qui intenti sunt et alacres animum ei addunt atque faciunt, ut super-

Subruit aut reficit. Valeat res ludicra, si me 180
Palma negata macrum, donata reducit opimum.
Saepe etiam audacem fugat hoc terretque poëtam,
Quod numero plures, virtute et honore minores,
Indocti stolidique et depugnare parati,
Si discordet eques, media inter carmina poscunt 185
Aut ursum aut pugiles; his nam plebecula gaudet.
Verum equitis quoque iam migravit ab aure voluptas
Omnis ad incertos oculos et gaudia vana.

180. *aut* plerique, *ac* e codicibus Bentleius. — 185. *discordet* plerique cod., *discordat* S. — 186. *gaudet* Blandinius antiquissimus, Gothanus, Lipsiensis, Monac. E, OSby, Bentley, Meineke, L. Müller, Haupt, Vahlen, O. Keller; *plaudet* ceteri codices, *plaudit* Orelli. — 187. *equitis* codices paene omnes, *equiti* Bentl. coniecit prob. Meinekio. — 188. *incertos* cod., *ingratos* Bentl. coniecit.

biat.“ — *Subruit*] „percellit, maerore afficit et affligit; opponitur *reficit*, „recreat atque erigit.“ — *Valeat*] ut χαιρέτω pro ἐρρέτω. Cic. ad Att. 8, 8, 2: *At ille tibi* πολλὰ χαίρειν τῷ καλῷ *dicens, pergit Brundisium.* — *res ludicra*] „fabulae scenicae, opus vanum et inutile.“ — *macrum*] „afflictum et tristem.“ — *reducit*] domum, ut Olympionicen Od. 4, 2, 17. — *opimum*] „laetum ac beatum.“ SCHOL.

182-186. *Saepe etiam* cet.] „Perversum in plerisque cum sit populi iudicium, ideo etiam excusandi sunt poëtae, qui, quamvis possint, aut nullam scenae operam dant, aut, si dant, non satis elaboratas politasque fabulas imperito popello exhibent, quippe cui alia omnia cordi sint, quam ut rite poëtarum merita aestimet.“ — *audacem*] „qui despiciens volgi levitatem, semel ausus est fabulam deferre in scenam, sed plebeculae stultitiam expertus in posterum a fabulis componendis prorsus absterretur.“ — *depugnare*] „manus intentare;“ — *eques*] „equites vel propter domesticas facultates litteris instructi atque omnino plebe longe cultiores. Sat. 1, 10, 76: *satis est equitem mihi plaudere.* Cfr. A. P. 113. 248 sqq. — *ursum*] quocum pugnent molossi. Liv. 44, 18. Sic Pompeius sescentos mulos in Clytaemnestra induxit (Cic. ad Fam. 7, 1, 2), Augustus tigridem in scena populo exhibuit. (Sueton. Oct. 43.) — *pugiles*] πύκτας, πυγμάχους diversos a gladiatoribus. Ipse Augustus *spectavit studiosissime pugiles et maxime Latinos.* (Suet. Oct. 45.) Similiter autem Hecyram suam bis disturbatam esse, primum a funambulo, iterum a gladiatoribus, queritur Terentius Prol. 2, 25 sqq.

187—190. *Verum equitis* cet.] „Verum, quod sane dolendum est, ipsi illi equites, qui politioris ingenii esse debent, iam oblectamenta puerorum praeferunt fabulis.“ — *incertos*] „vagos et inconstantes, qui nusquam consistunt neque eadem re diu delectantur, sed modo ad hoc, modo ad illud se convertunt.“ Quintil. 8, 3, 68: *fuga incerta*, „vaga et sine certo consilio capta.“ Cfr. Sat. 1, 3,

Quattuor aut pluris aulaea premuntur in horas,
Dum fugiunt equitum turmae peditumque catervae; 190
Mox trahitur manibus regum fortuna retortis,
Esseda festinant, pilenta, petorrita, naves,
Captivum portatur ebur, captiva Corinthus.

109: *venerem incertam rapientes more ferarum.* Incredibilibus coniecturis *(ingratos, incestos, ad intentos oculos in g. v., ad intortos oculos in g. v.)* elegans atque profecto aptissimum ἐπίθετον eliminare conati sunt critici. — *aulaea premuntur*] „Ea aulaea significantur, quae erant ante proscenium et *premebantur*, hoc est, ex alto demittebantur, ita, ut quamdiu in scena ageretur, humi iacerent; tollebantur autem, hoc est, in altum trahebantur, ut scenam obducerent fabula finita. Voss. ad Georg. 3, 25.“ RIEDEL. „Siparium autem, mimicum velum, obsistebat, dum fabularum actus commutabantur.“ Libell. de Trag. et Comoed. p. XXXIII. Ed. Terent. London 1820. Conf. A. P. 154. Hoc igitur dicit: „In una fabula agenda quattuor aut plures horae interdum consumuntur propter varias pompas pugnasve peditatus et equitatus (Cic. ad Fam. 7, 1) oblata occasione ipsi fabulae insertas,“ veluti cum in Troasin Graeci praedam Troianam in naves importarent, in Epinausimache cum Troianis pugnam pugnarent. Id autem temporis punctum, quo hostes varium post proelium tandem fugere incipiebant, illud fuisse consentaneum est, quod spectatorum oculos maxime in se converteret; adeo, ut nihil obstet, quo minus v. *fugiunt* proprie explicemus. Alii tamen interpretantur: „celeriter per scenam praeterferuntur;“ ut est sane apud Verg. Ge. 3, 461: *acerque Gelonus Cum fugit in Rhodopen atque in deserta Getarum.*

191-193. *Mox* cet.] „Post proelii simulacrum triumphus agitur in scena.“ RIED. — *trahitur*] Eodem verbo de captivis per triumphum ducendis usus est etiam Od. 4, 2, 34: *quandoque trahet* (Augustus) *feroces Per sacrum clivum - - Sugambros. — manibus - - rectortis*] Cfr. Od. 3, 5, 22: *Retorta tergo bracchia libero. — regum fortuna*] „reges olim fortunati, nunc captivi.“ — *Esseda*] „vehicula a Belgis primum reperta, quibus ceteri Galli atque Britanni in pugnis utebantur.“ Duabus rotis imposita erat sella aperta, in qua miles et auriga sedebat. — *pilenta, petorrita*] Pilentum, vehiculi genus tectum, quo matronae ferebantur, ita libratum duabus rotis, ut considentes in pulvinis in aëre suspensae agitari viderentur, differebat a petorrito, quod quattuor rotas habebat; pilentum fuit inventum vel Tuscorum vel Hispanorum, petorritum Gallorum. Conf. Sat. 1, 6, 104. — *naves*] aut navium captarum simulacra aut ipsarum rostra vehiculis imposita. Alii explicant ipsas naves machinis per scenam ductas. — *ebur*] „signa et omnis generis ornamenta eburnea.“ Nisi vero mavis intellegere dentes eburneos; apud Livium certe 37, 59 in triumpho de Antiocho *eburnei dentes MCCXXXI* portati esse dicuntur. — *captiva Corinthus*] Plerique interpretantur: „tanta vis signorum aeneorum marmoreorumque, quanta a L. Mummio Corintho Romam est advecta.“ Praestare tamen videtur Acronis explicatio: „vasa Corinthia,“ cum etiam Pompeius ludis suis in Equo Troiano

Si foret in terris, rideret Democritus, seu
Diversum confusa genus panthera camelo, 195
Sive elephas albus volgi converteret ora;
Spectaret populum ludis attentius ipsis,
Ut sibi praebentem nimio spectacula plura;
Scriptores autem narrare putaret asello
Fabellam surdo. Nam quae pervincere voces 200
Evaluere sonum, referunt quem nostra theatra?
Garganum mugire putes nemus aut mare Tuscum,
Tanto cum strepitu ludi spectantur et artes
Divitiaeque peregrinae, quibus oblitus actor

196. *converteret* plerique codices Horat., *converterit* γ et Prisciani (V. 2, 7. 4, 23) cod. optimi, rec. Bentley. — 198. *nimio* Blandinius antiquissimus, Gothanus, Monac. E, ORπ, Haupt, Meineke, L. Müller, Vahlen, O. Keller, *mimo* ceteri, rec. Orelli.

exposuerit *craterarum* (non *cetrarum*) *tria milia*. (Cic. ad Fam. 7, 1, 2.)

194—199. *Democritus*] Hunc omnes res humanas perpetuo risu, Heraclitum easdem fletu perpetuo prosecutum esse narrabant in scholis philosophi. Cfr. Ep. 1, 12, 12. Iuven. 10, 33: *Perpetuo risu pulmonem agitare solebat Democritus.* — *Diversum-genus*] „mire mixtum inter se ex formis quam maxime discrepantibus; non, „diversum tamen ab utroque, camelo et panthera, genus," id quod dici nihil attinebat. Est autem v. *genus* appositio potius quam, quem dicunt, accusativus Graecus: *συγχυθεῖσα κατὰ γένος διάφορον*, „confusa in diversum genus." Significat *camelopardalin*, *Giraffe*. Plin. H. N. 8, 18, 27: *Camelopardalis dictatoris Caesaris Circensibus ludis primum visa Romae. Ex eo subinde cernitur, aspectu magis quam feritate conspicua, quare etiam* ovis ferae *nomen invenit.* — *albus*] Elephantes albi rariores sunt. — *ludis-ipsis*] „quam ludos ipsos." Cfr. Sat. 1, 1, 97. — *Scriptores* cet.] „Poëtas autem scenicos ipsos operam ludere putaret, cum plebeculae tam stultae fabulas darent." — *asello*] Duo proverbia coniunxit: *surdo narrare fabulam.* Terent. Heaut. 222, et Graecum illud: *Ὄνῳ τις ἔλεγε μῦθον· ὁ δὲ τὰ ὦτα ἐκίνει· εἰς ἀναισθησίαν τινῶν ἡ παροιμία εἴρηται κτλ.* Zenob. 5, 42.

200—207. *pervincere-Evaluere*] „Quae voces tantopere validae esse possunt, ut pervincant sonum cet.?" Sic Verg. Aen. 7, 756: *non Dardaniae medicari cuspidis ictum Evaluit.* — *theatra*] „s. spectacula hominibus inquietis et turbulentis plena, verbo, ipsi spectatores *referunt* (reddunt) sonum ita turbulentum, quem vincere scenicorum voces non possunt." GESN. — *Garganum*] montem Apuliae silvosum. Cfr. Od. 2, 9, 6: *Aquilonibus Querceta Gargani laborant.* — *ludi*] „pompae et pugnae ludicrae ac simulatae in fabulas intrusae." — *artes*] „opera artis, statuae, vasa caelata, item Corinthia," ut Od. 4, 8, 5. Ep. 1, 6, 17. — *Divitiae*] „vestimenta splendida, auro picta, ab antiqua simplicitate Romana aliena." —

Cum stetit in scena, concurrit dextera laevae. 205
Dixit adhuc aliquid? Nil sane. Quid placet ergo?
Lana Tarentino violas imitata veneno.
Ac ne forte putes me, quae facere ipse recusem,
Cum recte tractent alii, laudare maligne:
Ille per extentum funem mihi posse videtur 210
Ire poëta, meum qui pectus inaniter angit,
Irritat, mulcet, falsis terroribus implet,
Ut magus, et modo me Thebis, modo ponit Athenis.
Verum age et his, qui se lectori credere malunt

oblitus] „coopertus ac prope nimis ornatus.“ — *concurrit dextera laevae*] „maximus plausus extemplo oritur propter pretiosum et splendidi coloris syrma.“ — *adhuc*] „usque ad hoc temporis punctum.“ — *violas imitata*] „ianthina, violacea vestis.“ *Tarentino-veneno*] „φαρμάκῳ, medicamento, id est, h. l., muricis suco, purpura,“ ut Verg. Ge. 2, 465: *Alba neque Assyrio fucatur lana veneno.* Od. 3, 5, 28: *Lana medicata fuco.* Plin. H. N. 9, 39, 63: *Nepos Cornelius, Me, inquit, iuvene violacea purpura vigebat, cuius libra denariis centum venibat, nec multo post rubra Tarentina. Huic successit dibapha Tyria.*

208-213. *Ac ne forte* cet.] Ep. 1, 1, 13: *Ac ne forte roges* cet. „Ne tamen videatur artem scenicam parvi aestimare vel eam ob causam poëtas Romanos parce laudare vitiaque indicare et difficultates enarrare, quibus tota res scenica Romae premebatur, quod non e re sua duxerit eam tractare, affirmat sibi in summo artis fastigio stare videri, quicumque huius generis legibus ac proposito ex toto satisfecerit.“ RIEDEL. — *recusem*] propria significatione = repudiare. Est igitur: „nolim,“ addita tamen causa; non, ut alii volunt: „non possim.“ — *laudare maligne*] „propter nescio quam invidentiam parce ac frigide laudare, et ita quidem, ut, quae laus videatur, re vera sit occulta irrisio.“ — *Ille*] Ex recentiorum linguarum indole sic pergendum foret: *hoc scito, sic habeto, illum mihi--videri.* Cfr. Sat. 2, 1, 80. Cic. ad Fam. 5, 12, 9: *Ac ne forte mirere, cur--a te id tantopere petamus: illa nos cupiditas accendit.* — *per extentum funem Ire*] Proverbium de incepto difficili ac periculoso. Arrian. Epict. 3, 12, 2: *Δύσκολόν ἐστι καὶ τὸ ἐπὶ σχοινίου περιπατεῖν· καὶ οὐ μόνον δύσκολον, ἀλλὰ καὶ ἐπικίνδυνον.* „Ille rem factu perquam difficilem praestare neque vel tantillum aberrare ab artis regula, summus igitur poëta esse mihi videtur.“ „Exponit deinde, quid scenicus poëta in audientium animos valeat.“ DILLENB. — *inaniter*] quia fictum est argumentum. — *Irritat*] „Vehementes animi affectus movet.“ — *Ut magus*] „Ut magi exempli causa umbris ex Orco excitatis, cadaveribus ad tempus in vitam revocatis consultores perterrefaciunt.“ — *Thebis--Athenis*] quibus in urbibus plerique *μῦθοι* a tragicis tractati sedem suam habebant.

214-218. *Verum age et* cet.] Sic Cic. de N. D. 1, 84: *Age et his vocabulis deos esse faciamus, quibus a nobis nominantur.* — *se*

Quam spectatoris fastidia ferre superbi, 215
Curam redde brevem, si munus Apolline dignum
Vis complere libris et vatibus addere calcar,
Ut studio maiore petant Helicona virentem.
Multa quidem nobis facimus mala saepe poëtae —
Ut vineta egomet caedam mea —, cum tibi librum 220
Sollicito damus aut fesso; cum laedimur, unum
Si quis amicorum est ausus reprehendere versum;

216. *Curam impende* e cod. coll. Trin. Bentleius. — 222. *reprehendere* Blandinii aliique boni cod., *reprendere* S paucique alii deteriores, rec. Bentleius, Meineke, Haupt, Vahlen.

lectori credere] „lectoris iudicium exspectare, quod plerumque magis integrum et consideratum esse solet quam turbae in theatro congregatae.“ — *sp. fastidia ferre superbi*] Verg. Ecl. 2, 14: *Amaryllidis - - superba pati fastidia.* — *redde*] *Reddere* non est idem ac *restituere*, ab alio quod acceperis, nec *dare* simpliciter, sed „dare ea, quae aut propter qualemcumque causam debentur iis, quibus dantur, aut ad eos quocumque modo pertinent,“ velut *reddere dis votum*, *reddere alicui epistulam.* (Od. 2, 7, 17: *obligatam redde Iovi dapem.*) H. l. modestissime suadet Augusto, ut pro poëtarum meritis (v. 118), etiam pro studio, quo ipsius res gestas celebrent, *reddat*, id est, vicissim impendat eis curam aliquam brevem dumtaxat propter multa eius negotia. Lectio *impende* autem merum est glossema. — *munus Apolline dignum*] Od. 1, 31, 1. Ep. 1, 3, 17. Dio Cass. 53, 1: *τὸ Ἀπολλώνιον τό τε ἐν τῷ Παλατίῳ καὶ τὸ τεμένισμα τὸ περὶ αὐτὸ τάς τε ἀποθήκας τῶν βιβλίων ἐξεποίησε καὶ καθιέρωσεν.* (a. u. c. 726). In eam autem bibliothecam non recipiebantur nisi libri meliores, *scriptores classici, non proletarii*, ut ait Gell. 19, 8, 15. Hoc igitur dicit: „Si bonorum poëtarum augere vis numerum.“ — *addere*] in prosa or. *admovere*, *adhibere*, etiam *subdere calcar*, h. l. „excitare eorum studia;“ quam sententiam ornat grata *Heliconis virentis* imagine.

219—228. *Multa* cet.] „Duobus propositis egregie hisce versibus satisfacit Horatius, alteri, ut Augustum urbanissime excuset, si interdum minorem quam par erat curam impendisset poëtis; alteri, ut poëtas sibi solis placentes nimiumque amatores proprii ingenii et scripta sua importune Augusto aeque atque cuivis alii obtrudentes tali modo irrideat, ut nemo eorum aegre id ferre posset, quippe cum se ab eorum grege non semoveat, sed una se ipse cavillari videatur.“ RIEDEL. — *Ut vineta* cet.] Proverbium in eos dicitur, qui mentis aliquo errore abrepti vel iracundia vel stultitia sibi ipsi nocent. Tibull. 1, 2, 100: *Quid messes uris acerba tuas?* Neque abhorret aliud proverbium Latinum: *suo se ense laceravit*, apud Hieronymum Ep. 70 p. 427. Vall. — *Sollicito damus aut fesso*] Cfr. Sat. 2, 1. 18: *nisi dextro tempore Flacci Verba per attentam non ibunt Caesaris aurem.* Ep. 1, 13, 2: *Augusto reddes signata volu-*

Cum loca iam recitata revolvimus irrevocati;
Cum lamentamur non apparere labores
Nostros et tenui deducta poëmata filo; 225
Cum speramus eo rem venturam, ut simul atque
Carmina rescieris nos fingere, commodus ultro
Arcessas et egere vetes et scribere cogas.
Sed tamen est operae pretium cognoscere, qualis
Aedituos habeat belli spectata domique 230
Virtus indigno non committenda poëtae.
Gratus Alexandro regi Magno fuit ille
Choerilus, incultis qui versibus et male natis

233. *Choerilus* Einsidlensis, Gothanus, O; *Choerilos* Rπ, praeterea Lipsiensis, Vossianus, Harleianus φψλ pr., O. Keller ed. 2.

mina, Vini, Si validus, si laetus erit, si denique poscet. — *loca*] Hac significatione Cicero et Quintilianus semper utuntur genere masculino. — *revolvimus*] „denuo evoluto libro iterum recitamus locum aliquem, qui pulcherrimus nobis videtur, etsi nemo hoc a nobis petiit. — *irrevocati*] Revocari proprie dicuntur actores, qui a spectatoribus ῥῆσιν aliquam insignem repetere iubentur. Cic. pro Sest. 120. 123. — *non apparere*] „non ita, ut debent, in oculos cuiusque incurrere et mente sive auditoris sive lectoris perspici riteque aestimari.“ — *labores*] ut Itali *fatiche*, imprimis de diligenti lima et de recondita doctrina, ex Alexandrinis poëtis maxime hausta. — *tenui* cet.] frequenti imagine a lanificio ducta carmina elegantia ac suavia comparantur cum *tenui* filo a colo *deducto;* etiam absolute. Verg. Ecl. 6, 5: *deductum dicere carmen.* Conf. Sat. 2, 1, 4. — *commodus*] „facilis ac liberalis. Cfr. Od. 4, 8, 1. — *egere vetes*] „largis muneribus nos afficias.“ Sed ridicule expressum: „egestate nos liberes, tamquam tibi ipsi rem magnopere gratam facturos, si non iam egeamus.“

229—234. *Sed tamen* cet.] Iam commonefacit aequales suos tantummodo a praestantissimis poëtis digne celebrari posse Augusti laudes, neque numquam eum in hoc fore Alexandri M. similem, qui Choerilum, malum poëtam, regie remuneratus sit. „Quocirca,“ inquit, „is, qui sibi conscius non sit se digna Augusto carmina compositurum, ab hoc incepto prorsus abstineto.“ — *est operae pretium*] formula Enniana. Cfr. Sat. 1, 2, 37. Sat. 2, 4, 63. Persius 6, 9: *Lunai portum, est operae, cognoscite, cives. Cor iubet hoc Enni.* — *Aedituos*] Virtus Augusti est tamquam dea, quae aedem habet; poëtae igitur, cum panegyricos aliave carmina in Augusti laudem componunt, sunt illius deae quasi *aeditui.* Sic enim templorum custodes, ἱεροφύλακες, νεωκόροι, visentibus narrant μύθους eius numinis, cui ministrant, et, quaecumque in aede ipsa donaria et signa visu maxime digna sunt, monstrant atque describunt. — *Choerilus*] non Samius, sed Iasensis (Ἰασεύς, ab Iaso, Cariae oppido), comes Alexandri M., de quo conf. A. P. 357, ubi vide Scholiastarum narratiunculas fabulosas. —

Rettulit acceptos, regale nomisma, Philippos.
Sed veluti tractata notam labemque remittunt 235
Atramenta, fere scriptores carmine foedo
Splendida facta linunt. Idem rex ille, poëma
Qui tam ridiculum tam care prodigus emit,
Edicto vetuit, ne quis se praeter Apellen
Pingeret aut alius Lysippo duceret aera 240

239. *Apellen* codices plerique, rec. edit. recentiores paene omnes; pauci *Appellen* vel *Apullem*. — 240. *duceret* cod., *cuderet* Lambinus coniecit, recepit Bentley.

incultis cet.] „neque arte neque natura bonos versus facientem.“ PORPHYR. — *versibus*] dativus, ut Ovid. Trist. 2, 10: *Acceptum refero versibus, esse nocens.* — *natis*] Cfr. Sat. 2, 3, 8. — *Rettulit*] *Acceptum referre* et *in acceptum referre* proprie est scribere in tabulis te accepisse, quemadmodum *expensum ferre* est scribere te dedisse vel expendisse.“ RIEDEL. — *regale nomisma*] „gloriatus est vel gloriari potuit se ab Alexandro *Φιλιππείους στατῆρας*, Philippeos nummos, regis effigie ac nomine signatos pro versibus suis accepisse.“

236-244. *Atramenta*] „cuiusque generis (scriptorium et pictorium) contrectata maculas *remittunt* (pr. retro mittunt), relinquunt in manibus.“ (*Labes* h. l. macula.) — *fere scriptores* cet.] „Sic mali poëtae plerumque inquinant ac deturpant praeclara facta etiam apud posteros.“ Cfr. Ep. 1, 19, 30: *quem versibus oblinat atris.* — *Idem* cet.] Dictum hoc est cum quadam quasi admiratione, quomodo fieri potuerit, ut Alexander, cum de pictura et de sculptura rectissime iudicaret, in poësi nihil viderit, „id quod in te, Caesar, longe secus est.“ — *vetuit*] Plin. H. N. 7, 37, 38: *Idem hic imperator edixit, ne quis ipsum alius quam Apelles pingeret, quam Pyrgoteles sculperet, quam Lysippus ex aere duceret.* — *Apellen*] Plin. H. N. 35, 10, 38: *Omnes prius genitos futurosque postea* (pictores) *superavit Apelles Cous Olympiade CXII. Picturae plura solus prope quam ceteri omnes contulit, voluminibus etiam editis, quae doctrinam eam continent. Praecipua eius in arte venustas fuit.* — *alius Lysippo*] *ἄλλος Λυσίππου*, ut Ep. 1, 16, 20: *alium sapiente bonoque.* Plin. H. N. 34, 8, 19: *Statuariae arti plurimum traditur contulisse* (Lysippus) *capillum exprimendo, capita minora faciendo, quam antiqui, corpora graciliora siccioraque, per quae proceritas signorum maior videretur.* Cfr. Posidippi epigramma in Anth. Pal. II. p. 661: *Λύσιππε, πλάστα Σικυώνιε, θαρσαλέη χείρ, Δάϊε τεχνῖτα, πῦρ τοι ὁ χαλκὸς ὀρῇ, Ὃν κατ' Ἀλεξάνδρου μορφᾶς χέες· οὐκέτι μεμπτοὶ Πέρσαι· συγγνώμη βουσὶ λέοντα φυγεῖν.* — *duceret aera*] pro: „duceret ex aere Alexandri effigiem.“ Nam in ceteris locis ubi v. *ducere* pro „formare, effingere,“ usurpatur (Verg. Aen. 7, 634: *Aut leves ocreas lento ducunt argento.*) illud tamen discrimen servatur, ut *forma ducatur ex argento, aere* cet., non, ut hic, *ducatur ipsa materia in formam aliquam;* nec tamen propterea *cuderet* recipiendum est, quo verbo de aereis statuis (numquam *σφυρηλάτοις*, sed semper *χωνευταῖς*) uti omnino non poterat Ho-

Fortis Alexandri voltum simulantia. Quodsi
Iudicium subtile videndis artibus illud
Ad libros et ad haec Musarum dona vocares,
Boeotum in crasso iurares aëre natum.
At neque dedecorant tua de se iudicia atque 245
Munera, quae multa dantis cum laude tulerunt
Dilecti tibi Vergilius Variusque poëtae;
Nec magis expressi voltus per aënea signa,
Quam per vatis opus mores animique virorum
Clarorum apparent. Nec sermones ego mallem 250

247. *Vergilius* R b et Schmidii primus, ceteri *Virgilius*. — *Varius* Monac. E, Gothanus, ORγ, ceteri, in his Bland. antiq. *Varus*.

ratius. — *Fortis Alexandri*] *„cuius regnum a Thraciae angulo porrectum est usque ad litus incogniti maris.“* Seneca de Benef. 5, 6, 1. — *simulantia*] „accurate exprimentia,“ ut A. P. 19: *cupressum-simulare.* — *videndis artibus*] „in diiudicandis artium operibus, utrum perfecta sint artifexque speciem, quam mente conceperat, attigerit necne.“ — *Boeotum*] genit. plur., non, ut volunt Comm. Cruq. et Lambinus, accus. sing. Cic. de Fato 4, 7: *Athenis tenue caelum, ex quo acutiores etiam putantur Attici; crassum Thebis, atque pingues Thebani et valentes.*

245—249. *At neque* cet.] „Tu contra tantummodo praestantissimis poëtis faves.“ Sueton. Octav. 89: *Ingenia saeculi sui omnibus modis fovit. Recitantes et benigne et patienter audivit, nec tantum carmina et historias, sed et orationes et dialogos. Componi tamen aliquid de se nisi et serio et a praestantissimis offendebatur.* Recte Lambinus: „non dedecorant tua de se iudicia, quia, quales eos esse iudicasti, tales eos esse consuetudo vitae et dies et eorum scripta comprobarunt, neque eidem munera, quae abs te acceperunt, dedecorant, quia apud dignos sunt collocata.“ — *Munera*] Non liquet, utrum verum sit, necne, illud quod tradit Comm. Cruquii: „Quia iam his singulis donaverat Augustus decies sestertium.“ — *multa dantis cum laude*] „ita dantis, ut ab omnibus Vergilii Variique aequis aestimatoribus merito laudere.“ — *Vergilius Variusque*] Vergilius mortuus est a. u. c. 735 et *Varius* item videtur ante hanc epistulam compositam mortem obisse. Sane minus amicorum pudori consuluisset, si de vivis hoc dixisset; convenienter contra memoravit benificia in mortuos ab Augusto collocata. Cfr. Sat. 1, 5, 40. — *Nec magis* cet.] Cfr. Od. 4, 8, 13 sqq. „Nec magis voltus exprimuntur in statuis clarorum virorum quam in poëmatibus mores eorum atque animi.“ PORPHYRIO. — *expressi*] Curtius 3, 7, 16: *simulacra ex auro argentoque expressa.* — *aënea* Edd. nonnullae *ahenea*. Apud Vergilium constanter scribitur *aënus*. — *apparent*] „clare se demonstrant.“ Cfr. v. 224.

250—256. *sermones*] „satiras et epistulas, quae sermonem quotidianum referunt.“ Scr. ad Her. 3, 13, 23: *Sermo est oratio remissa et finitima quotidianae locutioni.* Hinc *repentes per humum*, humili

Repentis per humum quam res componere gestas,
Terrarumque situs et flumina dicere et arcis
Montibus impositas et barbara regna tuisque
Auspiciis totum confecta duella per orbem
Claustraque custodem pacis cohibentia Ianum 255
Et formidatam Parthis te principe Romam,
Si, quantum cuperem, possem quoque; sed neque parvum
Carmen maiestas recipit tua nec meus audet
Rem temptare pudor, quam vires ferre recusent.
Sedulitas autem stulte, quem diligit, urget, 260
Praecipue cum se numeris commendat et arte:
Discit enim citius meminitque libentius illud,

262. *Discit* cod. plerique, *Discet* Bland. antiquissimus.

stilo conscriptos dicit. Cfr. Sat. 2, 6, 17. Rursus se excusat, cur a genere panegyrico abstineat. Cfr. Od. 1, 6. 4, 15. — *res componere gestas*] „carmine epico vel panegyrico res a te gestas praedicare." — *Terrarumque*] „a te in dicionem Romanam redactarum." — *arcis Montibus impositas*] „quae, quamvis montibus impositae essent, tamen a te captae sunt." Conf. Od. 4, 14, 11: *arces Alpibus impositas.* — *tuisque Auspiciis*] Suet. Oct. 21: *Domuit partim ductu partim auspiciis suis Cantabriam, Aquitaniam, Pannoniam Delmatiam cum Illyrico omni: item Raetiam et Vindelicos ac Salassos.* Cfr. Od. 1, 7, 27. Od. 4, 14, 33. — *Ianum*] Od. 4, 15, 9. Sueton. Oct. 22: *Ianum Quirinum semel atque iterum a condita Urbe memoriam ante suam clausum, in multo breviore temporis spatio, terra mariqué pace parta, ter clusit* (a. u. c. 725. 729 et 744, de quo tamen anno Dio 54, 36: ἐψηφίσθη μὲν οὖν τὸν Ἰανὸν τὸν Γέμινον -- κλεισθῆναι· οὐ μέντοι καὶ ἐκλείσθη, propter nova bella cum Dacis et Delmatis orta). — *Parthis*] Cfr. Od. 3, 5, 2 sq. 4, 5, 25. Carm. saec. 53 sq. Sat. 2, 5, 62. Ep. 1, 12, 27.

257—259. *Si quantum* cet.] „Hoc vetus esse dictum Aristarchi ferunt, qui, cum multa reprehenderet in Homero, aiebat: *Nec se posse scribere, quemadmodum vellet, neque velle quemadmodum posset.*" PORPH. Sat. 2, 1, 12: *Cupidum -- vires deficiunt.* — *recipit*] „admittit." Liv. 29, 24: *re iam non ultra recipiente cunctationem.* — *pudor*] „rectus sensus eius, quod decet." — *ferre recusent*] A. P. 39: *quid ferre recusent, Quid valeant umeri.*

260-263. *Sedulitas*] i. e. Officiosa industria. „Talis autem sedulitas (Sidonii Apollinaris Carm. 23, 478 *officiositas*) tunc imprimis, cum versus suos artificiumque poëticum venditans nobis se commandare studet, molesta nobis accidit," ob causam, quam statim affert. — *stulte, quem diligit, urget*] „Homo sedulus videlicet id agit, ut amico suo commodet; sed fit ut nimio studio (cfr. Ep. 1, 13, 4) incommodet potius ei, quem diligit. Stulte ergo facit, si quidem id ipsum, quod volt, non assequitur." HERBST. — *Discit enim*] „aliquis," non, ut alii volunt: „is, cui carmina ob-

Quod quis deridet, quam quod probat et veneratur.
Nil moror officium, quod me gravat, ac neque ficto
In peius voltu proponi cereus usquam, 265
Nec prave factis decorari versibus opto,
Ne rubeam pingui donatus munere, et una
Cum scriptore meo capsa porrectus operta
Deferar in vicum vendentem tus et odores
Et piper et quidquid chartis amicitur ineptis. 270

268. *operta* codices paene omnes prob. Bentley, Haupt, Vahlen, L. Müller, O. Keller; *aperta* Sd paucique alii deteriores. — 270. *ineptis* cod. paene omnes, *inemptis* perpauci.

truduntur." „Significat maiore studio ridiculos versus (panegyrici alicuius ab hominibus festivis) edisci ac memoria teneri quam admirabiles; ergo in aeternam memoriam foedatus est, quem tale carmen polluerit." ACR. Etenim tales loci ridiculi satirae instar sunt in eum conscriptae, quem laudare volebat poëta.

264—267. *Nil moror* cet.] „Ad me certe quod attinet, Caesar, si isto essem loco, ut quis me laudare vellet, sed inscite id propositum exsequeretur, nihil facerem, immo respuerem officium, quod mihi oneri potius, quam honori esset." — *ficto In peius*] Plin. Ep. 5, 10: *pictores pulchram absolutamque formam raro nisi in peius effingunt.* Aelian. V. H. 4, 4: *Ἀκούω κεῖσθαι νόμον Θήβησι προστάττοντα τοῖς τεχνίταις καὶ τοῖς γραφικοῖς καὶ τοῖς πλαστικοῖς εἰς τὸ κρεῖττον τὰς εἰκόνας μιμεῖσθαι. Ἀπειλεῖ δὲ ὁ νόμος τοῖς εἰς τὸ χεῖρόν ποτε ἢ πλάσασιν ἢ γράψασι ζημίαν τὸ τίμημα δρᾶν.* — *proponi cereus*] Cfr. Sat. 2, 3, 183: *aëneus ut stes.* Probabile est Horatii temporibus cereas imagines virorum illustrium, ducum, oratorum, poëtarum, philosophorum, venales fuisse per tabernas, quae ab emptoribus in bibliothecis maxime proponerentur. Iam si a ceroplasta aliquo imperito in peius effictae erant, eos, quorum erant imagines, propterea stomachatos esse consentaneum est. — *decorari*] *κατ' εἰρωνείαν* pro „deturpari." — *Ne rubeam*] „Ne insulsi praeconii, versibus ineptis compositi, pudere me debeat."

268-270. *una Cum scriptore meo*] „Una cum eo malo poëta, qui me laudibus extollere inepte conatus est." — *porrectus*] „Bene *porrectus* et in capsa *opertus* quasi mortuus in feretro deferar in vicum turarium." PORPH. Cfr. Epod. 10, 22. — *operta*] clausa ne volgi oculis conspiciatur. Confer Marquardt antiq. Rom. VII p. 344. — *vicum*] Tuscum. Hic vicus (Sat. 2, 3, 228) in loco inferiore Urbis erat; hinc proprie usurpat v. *deferar.* — *odores*] „liquores odoratos atque unguenta." — *quidquid*] ut scombri (Pers. 1, 43) ceteraque salgama. Cfr. Mart. 6, 60, 7: *Quam multi tineas pascunt blattasque diserti, Et redimunt soli carmina docta coci!* — *ineptis*] Miro casu Wakefieldii coni. *inemptis* confirmatur codicibus aliq. et edist. vett. Sed, ut taceam vocabulo *ineptis*, quod subridere nos cogit, multo aptius claudi epistulam quam v. inemptis, accedit, quod v. *inemptus*, ubi reperitur (Epod. 2, 48: *Dapes inemptas*, Verg. Ge. 4, 133: *dapibus - - inemptis.*), non significat

EPISTULA II.

Flore, bono claroque fidelis amice Neroni,
Si quis forte velit puerum tibi vendere natum

ea, quae propter summam, in qua iacent, neglectionem a nullo emuntur, verum quae non empta sunt, sed, ut dapes illae, ex domini hortis pascuisve provenerunt.

II. „Excusaturus se Iulio Floro (cfr. Epist. 1, 3), quod nihil litterarum neque carminum ad eum miserit primum lepida similitudine significat, se nihil proficiscenti amico promisisse, immo suam in scribendo pigritiam ingenue professum esse (vv. 1—25). De carminibus ridens respondet, se quondam non nisi paupertate ad versus faciendos adactum, nunc quidem meliore fortuna utentem beatum otium his laboribus longe praeferre (vv. 25—54); deinde serio excusat aetatem suam, importuna lectorum fastidia, urbanae vitae impedimenta atque turbas (vv. 55—86), et significat se pertaesum esse omnis huius carminum pangendorum studii ob ineptos ac misellos tot poëtarum sui temporis ad favorem hominum atque laudem captandam tumultus cum legitimae artis ignorantia, simulque saniora quaedam et severiora artis praecepta eis opponit (vv. 87—140). Postremo studium, quod tam frequenter in his epistulis profitetur, sapientiae excusat, cui nunc relictis versuum lusibus unice deditus sit, atque aurea quaedam sanae rationis praecepta hoc ipso studio sibi comparata cum amico communicat (vv. 141 ad finem).“ ZELL. Quo tempore haec epistula scripta sit parum exploratum est: nihil enim nisi tempus aliquod significatur, quo Florus Tiberio Neroni extra Italiam versanti comes erat. Suetonius autem narrat (vit. Tib. c. 9): *Stipendia prima* (Tiberius) *expeditione Cantabrica tribunus militum fecit, dein ducto ad Orientem exercitu regnum Armeniae* Tigrani *restituit;* (a. u. c. 734, quo tempore ad eundem Florum Horatius tertiam libri primi epistulam scripsit: unde in urbem revertit cum Augusto a. d. IV. id. Octobr. a. 735. Eo autem anno si haec altera epistula composita esset, certe Horatius non scripsisset v. 20: *proficiscenti tibi dixi .... ne-iurgares quod epistula nulla rediret.*) — *Post hoc Comatam Galliam anno fere rexit* (a. 738) — *exin Raeticum Vindelicumque bellum* (a. 739) *inde Pannonicum* (a. 742-744) *gessit.* Iam de annis 738. 739 cogitari non potest, quod paulo ante carmen saeculare proximisque duobus quarti libri carmina pleraque composita esse constat. Itaque hanc nostram epistulam ad expeditionem Tiberii Pannonicam pertinere statuimus, ad quod tempus optime quadrant illa (v. 55 sq.): *Singula de nobis anni praedantur euntes: eripuere iocos, venerem* cet. Itaque Horatius cum iam antea (a. 734 ep. 1, 1) arti lyricae renunciavisset, parumper Augusti hortatu eodem revocatus proximo tempore carminibus scribendis in perpetuum sibi abstinendum esse hac epistula pronunciavit.

1—17. *Flore* cet.] De Floro v. Ep. 1, 3. Dillenburger ad Ep. 1, 9, 4: „Versus neglegentius factus in epistula *sermoni propiore* reprehendendus non est. Similes sunt Sat. 1, 2, 39. 1, 8, 9. 17. 36. 50. 2, 8, 12. Epist. 1, 5, 27. 1, 9, 4. 1, 16, 20.“ — *bono*] De laudibus Ti. Claudio Neroni iuveni impertitis v. Ep. 1, 9. init. — *Si quis* cet.] „Non magis recte

Tibure vel Gabiis et tecum sic agat: 'Hic et
Candidus et talos a vertice pulcher ad imos
Fiet eritque tuus nummorum milibus octo, 5
Verna ministeriis ad nutus aptus erilis,
Litterulis Graecis imbutus, idoneus arti

tu mecum agis pigritiam meam reprehendens, quam si quis empto puero mangoni litem postea moveret, quamvis hic emptori omnia mancipii vitia exposuisset." Cfr. Cic. de rep. 3, 29: *Bonus vir si habeat servum fugitivum, -- utrum-me profitebitur fugitivum servum -- se vendere, an celabit emptorem?* cet. — *Tibure vel Gabiis*] „in villa aliqua Tiburtina vel Gabina, adeo ut *verna* (v. 6) sit, Latine igitur sciat, liberalibus sit artibus imbutus, pluris igitur aestimandus et magis idoneus ad omnis generis ministeria, quam si barbarus esset, Thrax vel Cappadox." De forma *Tibure* pro *Tiburi* cfr. ad Ep. 1, 8, 12. — *Candidus*] Pulchrae formae partem nominat, candidum colorem; neutiquam vero est, ut alii voluerunt, „integer, sine fallacia." Cfr. Epod. 11, 27. Nudi autem venales ab empturientibus spectabantur. Seneca Ep. 80, 9: *Mangones quidquid est quod displiceat aliquo lenocinio abscondunt; itaque ementibus ornamenta ipsa suspecta sunt: sive crus adligatum sive bracchium adspiceres, nudari iuberes et ipsum tibi corpus ostendi.* — *talos a vertice - ad imos*] Locutio proverbialis. Cic. p. Roscio Com. 20: *Nonne ab imis unguibus usque ad verticem summum ex fraude, fallaciis, mendaciis constare totus videtur?* — *milibus octo*] Idem pretium erat vinitoris ap. Colum. 3, 3, 8. Sed Martialis 11, 70, 1 memorat *pueros centenis milibus emptos*, quod idem clarius neque prorsus incredibiliter ita expressit 1, 58, 1: *Milia pro puero* (delicato) *centum me mango poposcit.* — *Verna*] Graecis *οἰκότριψ*, *δοῦλος οἰκογενής*. Tales libenter emere solebant partim propter ipsas formosae adulescentiae illecebras, partim propter procaces argutias, quibus a pueris assueti erant, quibusque eri delectabantur, etiam ubi petulantes illi probra in ipsos effundebant. Cfr. Sat. 2, 6, 66: *vernasque procaces libatis dapibus.* — *ministeriis*] „omnibus eri iussis." Manifesto est dativus, non, ut alii voluerunt, ablativus. — *nutus*] Cic. Orat. 24: *ad eorum arbitrium et nutum totos se fingunt.* „Singula eri iussa celeriter ac dextre exsequetur." — *Litterulis*] *Versteht sein Bischen Griechisch.* Wieland. „Litteris Graecis saltem leviter tinctus, utpote qui in divitis alicuius paedagogio educatus sit. Igitur eo uti poteris pro anagnosta, pro servo ab epistulis, a bibliotheca." Comparant Terent. Eun. 472—478: *Em eunuchum tibi; Quam liberali facie* (ut hic *candidus*), *quam aetate integra! -- Fac periclum in litteris, Fac in palaestra, in musicis; quae liberum scire aequomst adulescentem, sollertem dabo.* — *imbutus*] Cic. Tusc. 1, 14: *An tu dialecticis ne imbutus quidem es?* Sueton. de Gramm. 4: *Apud maiores, ait Orbilius, cum familia alicuius venalis produceretur, non temere quem litteratum in titulo, sed litteratorem inscribi solitum esse, quasi non perfectum litteris, sed imbutum.* Cic. ad Att. 7, 2: *Chrysippum* (servum) *propter litterularum nescio quid libenter vidi, in honore habui.* — *argilla*] „Vel, si mavis, tuo arbitratu destina eum arti alicui; quidquid tibi

Cuilibet; argilla quidvis imitaberis uda;
Quin etiam canet indoctum, sed dulce bibenti.
Multa fidem promissa levant, ubi plenius aequo 10
Laudat venalis qui volt extrudere mercis.
Res urget me nulla; meo sum pauper in aere.
Nemo hoc mangonum faceret tibi; non temere a me
Quivis ferret idem. Semel hic cessavit et, ut fit,
In scalis latuit metuens pendentis habenae: 15
Des nummos, excepta nihil te si fuga laedit:

Ep. II. 8. *imitaberis* Blandinii, Gothanus, Lipsiensis, Monacensis E, OSbpr.c, ed. recentiores paene omnes; *imitabitur* Leidensis, Harleianus, Vossianus, bcorr. dλ; *imitabimur* Rφψπ. — 11. *extrudere* Lipsiensis, Gothanus, Monacensis E, OSb; *excludere* Blandinii, Leidensis, Harleianus, Vossianus, Einsidlensis, Rcφψλπ. — 16. *laedit*

placebit, ex eo facies atque eum ita prorsus formabis, ut figulus ex argilla omnia conficit, quae volt." — *imitaberis*] Praeferimus hanc codicum antiquiss. et optimorum Blandin., aliorumque lectionem; etenim cum librarii nonnulli veram signficationem v. *imitaberis* („finges, exprimes") parum intellegerent, ad puerum transferentes mutarunt in *imitabitur*, id est, „bonus erit figulus. Cfr. A. P. 33. — *canet indoctum*] „quod sit indoctum, sine arte, natura tantum duce. Consulto mango extenuat aliquantum pueri peritiam; nam si re vera cantor esset, statim mirari debebat empturiens, cur non multo maius pretium ille peteret, ac suspicari dolum malum aliquem subesse. — *bibenti*] „quo tempore faciliores sumus ad veniam etiam servulis dandam." — *levant*] „leviorem faciunt, minuunt." COMM. CRUQ. — *extrudere*] „quam primum, interdum cum aliqua iactura, vendere atque alienare." — *meo--in aere*] „pauper quidem sum; attamen in aere alieno nullo, sed in meo, ut nulli quidquam debeam." Cic. Verr. Accus. 4, 11: *Hominem video non modo in aere alieno nullo, sed in suis nummis multis esse ac semper fuisse.* — *mangonum*] V. *mango*, a graeca voce *μάγγανον*, ut vv. *elogium*, *gerrae*, *strophae*, *dicis causa* aliaque, videtur ex eis vocabulis esse, quae Latini mature ex Magna Graecia et Sicilia mutuo sumpserunt. — *faceret tibi*] Ex solito mercatorum more: „ut tibi tam exiguo pretio servulum tam formosum ac sollertem venderet." — *non temere*] Cfr. Ep. 2, 1, 120. — *cessavit*] „in officio exsequendo leve aliquando peccatum commisit." Ad significationem huic loco aptam v. *cessare* pro „delinquere, *saumselig sein*," cfr. Sat. 2, 7, 100. A. P. 357: *qui multum cessat, fit Choerilus ille.* — *In scalis*] solita latebra. Cicero pro Mil. 15, 40: *cum se ille* (Clodius) *fugiens in scalarum latebras abdidisset.* — *pendentis habenae*] „Servos suos (Romani) ad gradus habenis i. e. loris ligatos flagellabant, idcirco in media domo a gradibus ad timorem servis incutiendum habenae pendebant." COMM. CRUQ. Afferunt Ulpian. L. 1 §. 53 de SC. Silan.: *Impuberes--terreri tantum solent et habena vel ferula caedi.* — *Des nummos* cet.] Verba sunt mangonis

Ille ferat pretium poenae securus, opinor.
Prudens emisti vitiosum, dicta tibi est lex:
Insequeris tamen hunc et lite moraris iniqua.
Dixi me pigrum proficiscenti tibi, dixi 20
Talibus officiis prope mancum, ne mea saevus
Iurgares ad te quod epistula nulla rediret.
Quid tum profeci, mecum facientia iura
Si tamen attemptas? Quereris super hoc etiam, quod
Exspectata tibi non mittam carmina mendax. 25
Luculli miles collecta viatica multis

Blandinius antiquissimus, unus ex cod. Bentlei, recepit Bentley, prob. Meineke, Haupt, Vahlen, L. Müller; *laedat* ceteri codices, ed. plerique, in his Orelli, O. Keller. — 22. *rediret* quattuor Blandinii, Gothanus, Graevianus, Vossianus, Einsidlensis, Monacensis E, Lipsiensis, OSbdπ, edit. plerique; *veniret* Leidensis, c$\varphi\psi\lambda$; Bentley, Meineke.

ad emptorem. „Emas eum licet, si fuga *excepta* (id est, indicata tibi et opposita pueri formae bonisque artibus) te minime offendat.“ Vid. ad Sat. 2, 285: *mentem, nisi litigiosus, Exciperet dominus, cum venderet.* — *Ille ferat* cet.] Est ἀπόδοσις v. 2: *Si quis — tecum sic agat.* — *poenae securus*] „non curans actionem redhibitoriam, quoniam fugam excepit.“

18-22. *dicta tibi est lex*] „Propter hoc ipsum, quod prudens et sciens emisti mancipium vitiosum, praefinitum est tibi ius, ex quo necessario litem, quam mangoni intendis, non obtinebis, sed amittes.“ — *Insequeris* cet.] „Nihilominus hunc insectaris et *moraris* (molestus ei fis) lite manifesto iniqua? Numquam pro certo, qua es prudentia, hoc facies. Attamen prope similis est ratio, qua mecum tu uteris. — *Talibus officiis*] quae tamen certo fine carent neutrique utilia sunt, quocirca ab eis, qui gravioribus rebus occupati sunt, libenter omittuntur.“ Confer Sat. 2, 6, 24. — *mancum*] proprie „manu debilem; qui quasi manu truncus esset aut resolutis nervis, scribere non potest.“ Aversionem autem suam ab epistulis conscribendis mitigat aliquanto addito v. *prope.* — *Iurgares*] Cic. de rep. 4, 8: *SI IURGANT, inquit* (Lex 12 Tabb.). *Benevolorum concertatio, non lis inimicorum, iurgium dicitur.* — *rediret*] Sic paulo maiore iure iracundus cum Horatio iurgare poterat Florus, quamquam ita quoque causa cadere debebat. Praeterea etiam ex seq. *quereris* apparet de Horatii responso frustra exspectato hic agi. Similiter *reddimus*, quod *dandum est*, cfr. Od. 1, 3, 7. Non recte Bentley et Meineke aliique scripserunt ex cod. deterioribus *veniret:* saepe in codicibus *redire* et *venire* inter se permutantur, ut Od. 4, 5, 31.

23—40. *tum*] „cum tibi dixi“ cet., „si tamen ius, quod me adiuvat, labefactare conaris?“ — *mecum facientia*] Conf. Ep. 2, 1, 68. — *attemptas*] i. e. impugnas; ut dicitur hostis, urbs *temptari, attemptari bello.* — *super hoc*] „praeter hoc, ad hoc;“ non, ut alii coll. A. P. 429 exponunt: „de

Aerumnis, lassus dum noctu stertit, ad assem
Perdiderat; post hoc vehemens lupus et sibi et hosti
Iratus pariter, ieiunis dentibus acer,
Praesidium regale loco deiecit, ut aiunt, 30
Summe munito et multarum divite rerum.
Clarus ob id factum donis ornatur honestis;
Accipit et bis dena super sestertia nummum.
Forte sub hoc tempus castellum evertere praetor
Nescio quod cupiens hortari coepit eundem 35
Verbis, quae timido quoque possent addere mentem:
'I, bone, quo virtus tua te vocat, i pede fausto,
Grandia laturus meritorum praemia. Quid stas?'
Post haec ille catus quantumvis rusticus: 'Ibit,
Ibit eo, quo vis, qui zonam perdidit' inquit. 40

32 *honestis* codices plerique, *opimis* Bland. antiquissimus, g λvar.

hoc." Cfr. Sat. 2, 6, 3. — *Luculli miles* cet.] „Nunc, cum satis locuples mihi videor, nulla iam carmina compono, prorsus ut miles ille Luculli, cum pecuniam nactus esset, noluit rursus discrimina belli subire." — *viatica*] *Viaticum* pro peculio et facultatibus militis dixit etiam Tac. Ann. 1, 37. Suet. Caes. 68. — *Aerumnis*] Cicero Tusc. 4, 18: *aerumna aegritudo laboriosa.* — *ad assem*] „ad assem ultimum," ut cum dicimus *ad unum omnes.* — *sibi*] propter neglegentiam, qua *zonam βαλλάντιον*, perdiderat. — *ieiunis dentibus acer*] Perseverat in lupi imagine. — *loco deiecit*] „castello, quod defendebant Mithridatis milites, depulit." Lucil. 29, 5: *Detrusus tota vi deiectusque Italia.* Cic. Philipp. 8, 6: *praesidium* (Antonii) *Claterna deiecit Hirtius.* — *divite*] Porphyrio significat ibi Mithridatis thesauros fuisse. Adiect. *dives* construitur hic cum genitivo, ut Od. 4, 8, 5: *divite-artium.* — *donis*] militaribus, hastis puris, phaleris, corona murali, cet. — *honestis*] „honorificis." — *super*] „insuper." — *sub hoc tempus*] „paulo post hoc tempus." Cfr. Epod. 5, 83. — *castellum evertere*] Sic etiam in prosa oratione. Cic. Offic. 1, 82: *De evertendis diripiendisque urbibus* cet. — *praetor*] pro „duce, imperatore," ut haud raro. Sic Cic. de Inv. 1, 33, 55: *Epaminondas, Thebanorum imperator, ei, qui sibi ex lege praetor successerat, exercitum non tradidit.* — *bone*] Conf. Sat. 2, 2, 1. — *laturus-praemia*] Conf. Od. 4, 8, 4: *neque tu pessima munerum Ferres.* — *Quid stas?*] „Quid cessas?" Cfr. Sat. 1, 1, 19: *Quid statis?* — *ille catus*] „callidus, astutus," Vocabulum est Sabinum, teste Varrone L. L. 7, 46, qui affert ex Ennio et *cata signa*, id est, acuta, et *cata dicta.* Cfr. Od. 1, 10, 3. — *quantumvis rusticus*] „Adeo ut talis calliditas vix ab eo posset exspectari." — *Ibit, Ibit*] *Ἀναφορὰ* haec belle respondet praecedenti: *I, bone--, i pede fausto.* Cfr. Od. 2, 17, 10. — *zonam*] Vid. ad v. 28.

Romae nutriri mihi contigit atque doceri,
Iratus Grais quantum nocuisset Achilles.
Adiecere bonae paulo plus artis Athenae,
Scilicet ut vellem curvo dinoscere rectum
Atque inter silvas Academi quaerere verum. 45
Dura sed emovere loco me tempora grato,

42. *Grais* cod. optimi, *Graiis* deteriores. — 44. *vellem* codices Torrentii, Hochederi antiquissimi quinque Monacenses, aliquot Feae, Ambrosianus (a Kelleri), Gothanus, Bern. c correctus, def. O. Keller. *possim* Leidensis, Graevianus, Vossianus, Einsidlensis, Lipsiensis, Rφψλν, *possem* Sb, pauci Parisini, editores plerique (Bentley, Meineke, L. Müller, Haupt, Vahlen alii). — *dinoscere* codices fere omnes, ut ep. 1, 15, 29 rec. O. Keller. *dignoscere* pauci codices deteriores, edit. plerique (Bentl., Meineke, L. Müller, Haupt, Vahlen). — 46. *emovere* Blandinii, ex ceteris optimi, *amovere* cod. aliquot Pulmanni paucique alii.

41-45. *Romae* cet.] „Similis huius militis rationi mea quoque est, ut tibi iamiam exponam.“ — *contigit*] „Mihi enim contigit esse tam felici, ut optimo patre sic volente non Venusiae, sed Romae educarer atque hic primum lecto Homero Graecis litteris instituerer.“ (Sat. 1, 6, 72.) — *doceri* cet.] Quintil. 1, 8, 5: *Optime institutum est, ut ab Homero atque Vergilio lectio inciperet.* — *bonae*] Gratam retinet vitae Athenis utiliter ac iucunde actae memoriam. Cic. de Offic. 1, 1, 1. Corn. Nep. Att. 3, 3. Athenas urbem vocat, *quae antiquitate, humanitate, doctrina praestet omnes.* Alii fortasse rectius *bonae* coniungunt cum v. *artis:* artes bonae (Ovid. trist. 3, 7, 32) id quod *liberales, optimae, ingenuae* cet. — *plus artis*] „culturae exactioris ea, quam Romae dumtaxat degens mihi parare potuissem, ut philosophiae morali operam dans virtutem distinguere a vitio discerem.“ *Rectum* h. l., ut Sat. 2, 6, 75: *usus rectumne.* — *Athenae*] Cic. de Or. 3, 43: *Athenis iam diu doctrina ipsorum Atheniensium interiit; domicilium tantum in illa urbe remanet studiorum, quibus vacant cives, peregrini fruuntur, capti quodammodo nomine urbis et auctoritate.* De Horatii Athenis commoratione vid. ad versum 82 sq. — *ut vellem*] „ut arderem studio veri reperiendi proprio animi instinctu.“ — *curvo dinoscere rectum*] Pers. 4, 12: *Rectum discernis, ubi inter Curva subit.* Graece σκολιόν, v. Scol. Athen. 15 pg. 695 [vol. III 255 Mein.]: εὐθὺν χρὴ τὸν ἑταῖρον εἶμεν καὶ μὴ σκολιὰ φρονεῖν. Noli autem *curvo* pro dativo habere, sed conf. Ep. 1, 15, 29. — *inter silvas Academi*] De heroe Academo cfr. Plut. Thes. 32. Eupolis ed. Kock Com. I pg. 265: Ἐν εὐσκίοις δρόμοισιν Ἀκαδήμου θεοῦ. Academicos igitur inter aliarum disciplinarum doctores audiit ab eisque didicit, verum quomodo cum perpetua tamen ἐποχῇ investigandum sit. Philosophos Epicureos sane non neglexit.

46—51. *emovere*] „vi, cui resisti non poterat, expulere.“ „Athenis enim evocatus est a Bruto, qui tunc Achaiam et Athenas tenebat, Bruto cognitus a studiis philosophiae, in qua tunc erat celebri nomine.“ COMM. CRUQ. Sat. 1, 6,

Civilisque rudem belli tulit aestus in arma
Caesaris Augusti non responsura lacertis.
Unde simul primum me dimisere Philippi,
Decisis humilem pennis inopemque paterni 50
Et laris et fundi paupertas impulit audax,
Ut versus facerem; sed quod non desit habentem
Quae poterunt umquam satis expurgare cicutae,
Ni melius dormire putem quam scribere versus?
Singula de nobis anni praedantur euntes; 55

48: *Quod mihi pareret legio Romana tribuno.* Cfr. Sat. 1, 7, 18. — *Civilisque* cet.] Construe: *Civilis aestus* (*furor civilis* Od. 4, 15, 18) me *rudem belli* caeco quodam impetu *tulit in arma*, imagine desumpta ab torrente omnia secum *ferente*, abripiente. Cfr. Od. 2, 7, 15: *Te rursus in bellum resorbens Unda fretis tulit aestuosis.* — *non responsura*] „fato sic iubente, paria non futura.“ — *lacertis*] „fortitudini ac multo maiori potentiae,“ quasi de luctatore robustissimo. — *simul primum*] Frequentius est *ut primum, ubi primum, simulac.* — *demisere*] „Tamquam si missionem accepissem, a militia me subduxi, aliter atque fecit Pompeius ille, *meorum primus sodalium.*“ Od. 2, 7, 15. Revera ab Octaviano victore veniam redeundi accepit, vide vitam Suetonii vol. I pg. 1. — *Philippi*] ubi Brutus et Cassius interierunt a. u. c. 712. — *Decisis - pennis*] Cic. ad Att. 4, 2, 5: *iidem illi, qui mihi pinnas inciderant, nolunt easdem renasci.* — *Et laris et fundi*] Cum post Octaviani et Antonii victoriam horum veteranis agri assignarentur, ipse quoque paternum fundum et domum amisit, ut ex parte saltem etiam Vergilius et Tibullus. — *paupertas impulit*] ut Theocrit. 21, 1: Ἁ πενία, Διόφαντε, μόνα τὰς τέχνας ἐγείρει. Plaut. Stich. 178 paupertas *artis omnis perdocet;* Pers. prol. 10. — *versus*] epodos et satiras: quibus carminibus, in vitia moresque depravatos suae aetatis magna audacia et acerbitate invectus est, nihil enim ab eis quos impugnavisset sibi eripi posse videbat. Huc pertinet quod scribit *audax paupertas:* quae verba nonnulli non recte retulerunt ad pecuniae comparandae necessitatem; certe tum bibliopolae redemptores, velut Sosii (ep. 1, 20 2), pecuniam scriptoribus dare non solebant. Cf. Marquardt de vita privata R. (1882) pg. 805. Sed tamen primis illis libris Vergilii Variique familiaritatem sibi conciliavit, ab eisque Maecenati commendatus est (Sat. 1, 6, 55), cuius liberalitate ac munificentia ipsius condicio melior facta est.

52—57. *quod non desit habentem*] „Postquam habeo, quod mihi satis sit quodque deesse non debeat ad vitam commode degendam, tam insanus essem, si scribere versus mallem quam in diem dormire, ut quantumvis cicutae numquam posset satis me *expurgare*, aestum febrilem refrigerare;“ nam auctore Celso 5, 15 cum aliis multis (velut aere combusto, papaveris lacrima, sesamo) *mollit* etiam *cicutae semen.* Plin. n. h. 25, 13, 95: *Cicutae semini et foliis refrigeratoria vis.* — *Singula* cet.] „Insuper progrediente sem-

Eripuere iocos, venerem, convivia, ludum;
Tendunt extorquere poëmata; quid faciam vis?
Denique non omnes eadem mirantur amantque:
Carmine tu gaudes, hic delectatur ïambis,
Ille Bioneis sermonibus et sale nigro. 60
Tres mihi convivae prope dissentire videntur,
Poscentes vario multum diversa palato.
Quid dem? quid non dem? renuis tu, quod iubet alter;

63. *renuis tu, quod* Graevianus, Vossianus, Einsidlensis, Lipsiensis, OSbcd, L. Müller, O. Keller; *renuis quod tu*, Leidensis, Rφψλπ paucique alii prob. Bentley, Meineke, Haupt, Vahlen.

per aetate languidior quoque fio ad scripta elaboranda." Inest in his maestitia quaedam mire tamen mixta cum nescio qua ironia; atque tales cum etiam tunc epistulas componeret, de lyricis carminibus iam non cogitavit. — *praedantur*] Pseudoplato Epinom. 976 A: *ὅσων ὧραι--ληΐζονται τὴν τῶν ζῴων φύσιν.* — *euntes*] Od. 2, 14, 5: *quotquot eunt dies.* Od. 4, 5, 7: *gratior it dies.* Ovid. A. A. 3, 62: *Ludite: eunt anni more fluentis aquae.* — *extorquere*] „invito mihi," quo verbo significat se multo magis retinere cupere facultatem poëticam quam *cetera ludicra* (Ep. 1, 1, 10), idque ipsum significat scita hac gradatione: *praedari*, *eripere*, *extorquere*, *entführen*, *entreissen*, *entwinden* Merkel. — *quid faciam vis?*] „Sed cedendum est necessitati. „Sic Itali: *Che vuoi ch' io faccia? Che fare?* Cfr. Sat. 2, 1, 24.

59-64. *Carmine*] „genere lyrico," ut ad Florum scribens Ep. 1, 3, 24: *seu condis amabile carmen.* Cfr v. 91. — *ïambis*] „ad Archilochi exemplum compositis, ut Epodi." Cfr. Ep. 1, 19, 23. — *Bioneis*] Bion Borysthenites, discipulus Theophrasti, exemplar Luciani, floruit circa Ol. 130 (256 a. Chr.), Cyrenaicae, post Cynicae sectae addictus. Van Heusde Lucil. p. 298: „Fuit Bion, ut Wyttenbachii verbis utar, nobilissimus inter philosophos sophista et inter sophistas philosophus, plane factus ad vanas opiniones pravasque cupiditates mordaci dicacitate confutandas." Diog. Laërt. 4 §. 52: *Εὐφυὴς ἦν καὶ παρῳδῆσαι, οἷά ἐστιν αὐτοῦ καὶ ταῦτα, Ὦ πέπον Ἀρχύτα ψαλληγενές, ὀλβιότυφε, Τῆς ὑπάτης ἔριδος πάντων ἐμπειρόταται ἀνδρῶν· καὶ ὅλως καὶ μουσικὴν καὶ γεωμετρίαν διέπαιζεν.* „Hic autem Bion, qui Sophistes cognominatus est, in libro, quem edidit, mordacissimus salibus ea, quae apud poëtas sunt, ita laceravit, ut ne Homero quidem parceret." ACR. — *sale nigro*] acriore igitur, quam quod magis purgatum est. Sat. 2, 4, 74. Sine imagine: „satiris tam virulentis, quam sunt sermones Bionei." Confer etiam Sat. 1, 10, 3. — *prope*] „Vix aliter fieri potest, quam ut, si tantummodo tres (qui convivii minimus est numerus, Gell. 13, 11) mensae accumbant, inter se dissentiant." — *multum diversa*] Ep. 1, 10, 3: *multum dissimiles.* Cfr. Sat. 1, 3, 57. — *Quid dem?*] „Mire iam dramatico charactere tamquam ad ipsos convivas loquitur, unumquemque eorum appellans id po-

Quod petis, id sane est invisum acidumque duobus.
Praeter cetera me Romaene poëmata censes 65
Scribere posse inter tot curas totque labores?
Hic sponsum vocat, hic auditum scripta, relictis
Omnibus officiis; cubat hic in colle Quirini,
Hic extremo in Aventino, visendus uterque;
Intervalla vides humane commoda. — 'Verum 70
Purae sunt plateae, nihil ut meditantibus obstet.'
Festinat calidus mulis gerulisque redemptor,
Torquet nunc lapidem, nunc ingens machina tignum,
Tristia robustis luctantur funera plaustris,

70. *humane commoda* codices paene omnes; *homini uni commoda* O. Ribbeck, *naturae c.* M. Schmidt, *haud* (O. Keller *haut*, L. Müller *hau*) *sane c.* Fröhlich, prob. O. Keller, L. Müller, Lehrs.

scentem, quod ceteris displicet." PORPH. — *sane*] „pro certo, profecto, *gewiss*."

65—72. *Praeter cetera*] 'Alia causa non scribendi, quod Romae prae occupationibus nihil condignum memoria scribi potest.' PORPHYR. — *labores*] quos sic enumerat Plin. Ep. 1, 9, 2: *Si quem interroges, Hodie quid egisti? respondeat: Officio togae virilis interfui; sponsalia aut nuptias frequentavi; ille me ad signandum testamentum, ille in advocationem, ille in consilium rogavit.* — *sponsum*] Sat. 2, 6, 23: *Romae sponsorem me rapis.* — *auditum scripta*] Nihil autem molestius quam mediocrium poëtarum recitationes. Cfr. v. 105. Ep. 1, 19, 39 sq. — *officiis*] non moralibus, ut ita dicam; sed civilibus, erga amicos praesertim. — *cubat*] „aegrotus iacet." Vid. ad Sat. 1, 9, 18: *Trans Tiberim longe cubat is.* — *extremo in Aventino*] „in extrema parte collis Aventini, qui *Quirinali* (quod volgare erat nomen: Cic. de rep. 2, 20) e regione oppositus multum ab eo distat. — *humane*] prorsus ut ἐπιεικῶς et μετρίως, pro „satis, admodum, plane." Plat. Gorg. 493 C.: *ταῦτ' ἐπιεικῶς μέν ἐστιν ὑπό τι ἄτοπα.* Polit. 261 A: *τοῦτο μετρίως ἀφέστηκεν ἀπ' ἐκείνων.* At multi, quod nemo praeterea vocabulum *humane* illa vi adhibuit, coniecturas proposuerunt, ex quibus maxime nobis probatur: *haud sane*, ut ironia ab hoc loco aliena tollatur. — *Verum* cet.] Haec sibi ipse κατ' εἰρωνείαν obicit, ut statim refutet. — *Purae*] „vacuae obstaculis, non: „caeno." Liv. 24, 14, 6: *dimicaturum puro ac patenti campo.* — *plateae*] πλατεῖαι ὁδοί, penultima brevi, longa demum apud Ausonium, Prudentium (Symmach. 1897), Paulinum Nolanum. — *Festinat* cet.] „Immo omnia ibi tumultus plena." — *calidus*] „studio aedificandi incensus et valde occupatus, ita ut occurrentium nullam curam gerat." — *mulis gerulisque*] ablat. „cum mulis et baiulis." — *redemptor*] ἐργολάβος, qui aedes exstruendas suscepit: Od. 3, 1, 35.

73-78. *Torquet* cet.] „Torquendo per trochleas attollit lapidem, qui, nisi cavemus, facile nos collidat." — *robustis-plaustris*] „magnis lar-

Hac rabiosa fugit canis, hac lutulenta ruit sus: 75
I nunc et versus tecum meditare canoros.
Scriptorum chorus omnis amat nemus et fugit urbis,
Rite cliens Bacchi somno gaudentis et umbra:
Tu me inter strepitus nocturnos atque diurnos
Vis canere et contracta sequi vestigia vatum? 80
Ingenium, sibi quod vacuas desumpsit Athenas,

77. *urbis* Leidensis, Vossianus, Graevianus, Dessauiensis, Gothanus, Rφψλπ, Bentley, Meineke, L. Müller, Haupt, Vahlen; *urbem* Lips., Monac. E, OSbcd, Orelli, O. Keller. — 80. *contracta* Einsidlensis, Monacensis E, Barcinonensis (Heinianus), Porphyr.; edit. paene omnes; *contacta* cod. plerique, *cantata* Bland. antiq., *non tacta* Bentl. de coniectura scripsit.

gumque spatium occupantibus." Plautrorum strepitum Caesar dictator coercuit, v. C. I. L. I pg. 121. — *funera*] Cfr. Sat. 1, 6, 43. „Ex una plateae parte veniunt funera, ex altera ingentia rusticorum plaustra, et vicissim sese impediunt atque urgent." — *fugit*] „celerrime currit," ut est natura huius pestiferi morbi. Lectio *furit* reicienda vel propter v. *rabiosa;* bis enim idem diceret. — *lutulenta*] „ideoque luto te inquinatura." Conf. Ep. 1, 2, 26: *amica luto sus.* — *I nunc*] „si potes. Vid. ad Ep. 1, 6, 17. Iuven. 10, 166: *I demens et* (non *i*) *saevas curre per Alpes.* Ita Graeci quoque. M. Antoninus 9, 29: Ὕπαγε νῦν καὶ Ἀλέξανδρόν μοι λέγε. — *canoros*] „bene modulatos;" unus apud Feam *sonoros,* ex glossemate. — *fugit urbis*] Praestantior haec lectio optimorum codicum et antiquiss. vel eo nomine videtur, quod *fugit urbem* (Romam praecipue, non alias quoque urbes) clarius hoc exprimit: „vitat multitudinem," cum *fugit urbis* potius significet: „vitat turbas hominum." Recte autem *nemus* unum aliquod ποιητικώτερον. quam *nemora.* — *Rite*] „merito, quemadmodum debet, cliens" cet. — *cliens*] „qui in tutela est Bacchi, qui deus eum inspirare solet." — *somno* cet.] in locis umbrosis et solitariis. Cfr. Od. 3, 25, 1.

80. *contracta*] Ex frequenti imagine summi quique poëtae per vias incedunt aut ab ipsis patefactas aut certe difficiles; hinc ipsi in vita arta vestigia *contrahant* necesse est. Propert. 4, 1, 14: *Non datur ad Musas currere lata via.* Lectionem *contacta* qui defendunt, admodum artificiose et parum probabiliter explicant: „donec contigeris." Dillenburger autem, qui recepit, interpretatur: „Vis me vestigia vatum contingere et sequi?" Recte Mitscherlich: *contracta* „arta, nondum imitatorum turba protrita ac dilatata."

81—86. *Ingenium* cet.] „Quid, quod saepe videmus eos ipsos, qui per longum tempus in loco ab omni strepitu vacuo et quietissimo, ut sunt Athenae, summum per otium litteris, poësi imprimis, vacare potuerunt, non eo pervenire, ut in Urbem reversi cum successu et popularium plausu poësin colant, sed eos saepius sibimet displicentes ac meticulosos silentium servare videbis, adeo ut simplicem eorum timiditatem volgus irrideat; quanto mi-

Et studiis annos septem dedit insenuitque
Libris et curis, statua taciturnius exit
Plerumque et risu populum quatit; hic ego rerum
Fluctibus in mediis et tempestatibus urbis 85
Verba lyrae motura sonum connectere digner?
Frater erat Romae consulti rhetor, ut alter

87. post *rhetor* Dan. Heinsius et Meineke aliquid excidisse censent.

nus ego in his perpetuis molestiis turbisque potero componere carmina mihi ipsi satis facientia!" — *vacuas*] „otiosas, quietas," ut Ep. 1, 7, 45: *vacuum Tibur.* — *desumpsit*] „certo consilio ceteris urbibus praeferens sibi delegit." Liv. 7, 10: *florentem populum Romanum ac felicissimum bello sibi desumerent hostem.* — *annos septem*] Nonnulli proprie hoc accipiunt, quasi Horatius hic significarit semet ipsum Athenis septem annos studiis dedisse, id quod temporum rationi prorsus repugnat. Eo enim profectus esse videtur adulescens vicenarius a. u. c. 709, et a. 712 depugnavit Philippis. Immo festiva hyperbola utitur, ut in illo: *nonum prematur in annum.* — *insenuitque* cet.] „ex librorum assidua lectione senium contraxit." „Impalluit, immortuus est." PORPH. Cfr. Ep. 1, 7, 85 etsi aliis de studiis: *Immoritur studiis et amore senescit habendi.* — *curis*] „diligente meditatione, *μελέταις*," imprimis poëticis, rhetoricis, philosophis, praemeditatione etiam scriptionum aliquando elaborandarum. — *statua taciturnius* cet.] „meditatione persaepe absorptus poëta prodit in publicum et mira sua taciturnitate voltuque contracto popelli cachinnationem movet." Lucian. Imag. 1: *ἀχανῆ σε καὶ τῶν ἀνδριάντων ἀκινητότερον ἀποφανεῖ.* — *exit*] non Athenis (ut multi exposuerunt), sed Romae, quo post septem annos (i. e. post plures) tandem revertit. (Alii rectius coll. A. P. 22: *currente rota cur urceus exit?* explicant „fit, evadit, efficitur.") — *Fluctibus* cet.] Cfr. ad Ep. 1, 1, 16: *mersor civilibus undis.* — *digner?*] Optime cum perspiciam Romae arti poëticae exercendae non esse locum, cur tandem coner atque operae pretium esse ducam carmina componere, propter quae paucis amicis fortasse exceptis nemo ex animo gratias mihi agat?"

87—90. *Frater* cet.] „Praeter illum Urbis strepitum molestissimae sunt et a carminibus scribendis me deterrent ipsae illae cum nostrorum poëtarum, hominum saepe vanorum, multitudine rationes atque prope inevitabiles necessitudines, quae, nisi inurbanus esse volo, me quoque cogunt, ut nimias et falsas poëtis etiam mediocribus laudes tribuam, ubi, dura necessitate mihi imposita, insulsis eorum recitationibus adesse debeo. Iam vero mos iste, quo nostrae aetatis homines litterati modo ex animi sententia, modo ficte et simulate se invicem laudant, admonet me profecto miri illius, quod nosti, fratrum paris." — *Romae*] „Duo enim," inquit, „erant Romae fratres, iureconsultus unus, alter orator, et quidem uterque ita animatus, ut propter mutuam caritatem alter alterum continuo dilaudaret; idcirco alterum C. Gracchum appellabat oratorem iuris peritus, hunc orator alterum Q. Mucium Scaevolam, pont. max. Nonne eodem prope

Alterius sermone meros audiret honores,
Gracchus ut hic illi, foret huic ut Mucius ille.
Quî minus argutos vexat furor iste poëtas? 90
Carmina compono, hic elegos. Mirabile visu
Caelatumque novem Musis opus! Adspice primum,
Quanto cum fastu, quanto molimine circum
Spectemus vacuam Romanis vatibus aedem;

89. *Gracchus* codices omnes, *Crassus* Bentlei suspicio. — *foret huic-ille* editio Britannici (a. 1516), prob. Lambino, Bentleio ceterisque paene omnibus; *hic-illi* cod. omnes. — 90. *vexat* cod. omnes, *versat* Bentl. coniecit. — 92. *Sacratumque* Bentleius coni.

furore se invicem nimis laudandi percussi sunt etiam nostri poëtae?" Meinekius hunc locum lacunosum esse arbitratus haec proposuit persuasitque L. Müllero: *Frater erat-rhetor*, uterque Alterius laudum sic admirator *ut alter Alterius* cet. — *consulti*] Vid. ad Sat. 1, 1, 17. — *meros honores*] nihil nisi honores plane ut apud Catull. 13, 9: *Sed contra accipies meros amores.* Cfr. Ep. 1, 7, 84. — *Gracchus*] Cum Cicero Brut. 125 sq. Gaium oratorem fuisse praestantiorem censeat quam Tiberium, ille ut potius intellegatur consentaneum est; sic etiam Q. Mucius P. M. videtur iuris peritia antecessisse et P. Mucium et Q. Mucium augurem: nisi vero praestat cum Dillenburgero totam quaestionem omittere, ita ut Ti. vel C. Gracchus γενικῶς pro illustri oratore, Mucius pro peritissimo ICto ponatur. — *Quî minus*] „Qua ratione s. quomodo minus?" Plaut. Amphitr. Prol. 76: *Quî minus Eadem histrioni sit lex, quae summo viro?* Cic. pro Cael. 63: *Quî minus enim Licinius comprehendi potuit--?* Cfr. Sat. 2, 3, 311. 2, 7, 96. — *argutos*] „canoros," ut Musae ipsae δι' ᾠδῆς εἶδος λίγειαι. Plat. Phaedr. p. 237. A. Cfr. Od. 4, 6, 25: *Doctor argutae fidicen Thaliae, Phoebe.*

91—94. *Carmina* cet.] „Statim, ubi nos conspicimus, alter alteri acclamat: Carmina tua lyrica, tui elegi. sunt opus prorsus perfectum, quasi a Musis ipsis *caelatum*, id est, magna cum arte elaboratum ac propterea summa admiratione dignum. (Eadem imagine A. P. 441: *Et male tornatos incudi reddere versus.* Crinagoras Anth. Pal. II. p. 193: τορευτὸν ἔπος.) Iam, cum mutuas laudes sic cumulamus, vicissim nos superbia inflamus." Egregia cum ironia se ipse aequiparat atque immiscet poëtarum illi catervae, quam deridet. — *novem Musis*] „ab omnibus Musis ideoque absolutum." — *fastu*] Ridiculam hanc imaginem expingit: „Ego lyricus et alter elegorum scriptor multo cum fastu et eximia gravitate, quae voltu gestuque se prodit, incedimus per plateam ante templum Apollinis Palatini, cui contigua est bibliotheca publica (Ep. 2, 1, 216), asservandis optimis quibusque scriptis Latinis ab Augusto destinata. In hanc igitur nos ambo cupidos oculos conicimus, sperantes mox fore, ut nostra quoque carmina in eam recipiantur." — *quanto molimine*] Vox est fere poëtica, numero sing. casu tantum ablat. adhuc reperta, tum plur. *molimina.* — *circum-Spectemus*] „Una pars orationis est divisa in duos

Mox etiam, si forte vacas, sequere et procul audi, 95
Quid ferat et quare sibi nectat uterque coronam.
Caedimur et totidem plagis consumimus hostem
Lento Samnites ad lumina prima duello.
Discedo Alcaeus puncto illius; ille meo quis?
Quis nisi Callimachus? Si plus adposcere visus, 100

versus Lucilii more et antiquo." PORPHYR. (Nulli iam supersunt huius generis versus Luciliani.) Cfr. Sat. 1, 2, 62. — *vacuam*] „iam patentem et eos quasi exspectantem."

95—98. *si forte vacas*] „si nihil aliud habes, quod agas." — *procul*] „ex quadam distantia, unde exaudire eorum sermocinationem possis." Cfr. ad Sat. 2, 6, 105 sicque Liv. 2, 6, 7: *Aruns, ubi ex lictoribus procul* (recentiores scripsissent: *haud ita procul*) *consulem esse, deinde iam propius ac certius facie quoque Brutum cognovit* cet. — *Quid ferat*] „Quid proferat; quibus verbis et quo fine alter alterius praeconium faciat." — *Caedimur* cet.] Proverbium apud Schol. Aristid. Fromm. pag. 196: *τὸν ξύοντα ἀντιξύειν.* „Adeo certamus in mutuis laudibus proferendis, ut totum certamen simile sit gladiatorum pugnae in divitis alicuius epulis. Ego et novus ille Callimachus sumus velut Samnitium par; laudes similes sunt crebris illis plagis, quas uterque accipit, uterque reddit, atque ita alterum, quasi adversarium in pugna ludicra *consumit*, id est, defatigat." — *Lento--duello*] Cfr. Ep. 1, 2, 7. — *Samnites*] Livius 9, 40: *Campani ab superbia et odio Samnitium gladiatores, quod spectaculum inter epulas erat, eo ornatu* (quo Samnites devicti a Romanis erant usi) *armarunt Samnitiumque nomine compellarunt.* — *ad lumina prima*] „Graeci *περὶ λύχνων ἁφάς.* *Vespertina lumina* dicit Ammianus Marc. 16, 8, 9, quae sublatis mensis primis in triclinium inferri solebant; tempus ipsum *lumina prima, primam facem*, recentiores *lucernarem horam*, *τὸ λυχνικόν*, quod tempus quodammodo definit Galenus de Praenot. ad Epig. c. 11 p. 638. T. XIV *ὥρας ἐννάτης ἄρτι λύχνων ἡμμένων.*" LOBECK ad Soph. Ai. ed. tert. p. 171. Cfr. Sat. 2, 7, 33. Est ergo: „usque ad primas faces nocturnas, quibus accensis finitur gladiatorium illud ludicrum incruentum."

99—102. *Discedo* cet.] „Finitis mutuis hisce laudibus ego domum redeo alter Alcaeus factus elegorum scriptoris suffragio et iudicio." — *Alcaeus*] Cfr. Ep. 1, 19, 29. — *puncto*] „In comitiis creandorum magistratuum distribuebantur suffragium laturis tabellae ceratae, inscripta habentes nomina candidatorum per singularias litteras expressa, ex. gr. *M. T. C.*, h. e. Marcus Tullius Cicero, ut patet ex Cic. de dom. 112. Diribitores, quot quisque suffragia tulisset, puncto apposito notabant, ut constat etiam ex Festo in v. *Suffragatores.* Hinc *puncta* accipiuntur pro suffragiis, quia illis haec indicabantur." FORCELL. Cic. pro Planc. 53: *nonnullas (tribus) punctis paene totidem (tulerunt).* Mur. 72. Tuscul. 2, 62. Cfr. A. P. 343. — *Callimachus*] Notus poëta Cyrenaeus, a. a. Chr. 280. Magna iam haec erat laus. Crinagoras in Anthol. Palat. II. p. 193: *Καλλιμάχου τὸ τορευτὸν ἔπος τόδε· δὴ γὰρ ἐπ' αὐτῷ Ὠνὴρ τοὺς Μουσέων πάντας ἔσεισε κάλως.*

Fit Mimnermus et optivo cognomine crescit.
Multa fero, ut placem genus irritabile vatum,
Cum scribo et supplex populi suffragia capto:
Idem finitis studiis et mente recepta
Obturem patulas impune legentibus auris. 105
Ridentur mala qui componunt carmina; verum

Quintil. 10, 1, 58: *elegiae princeps habetur Callimachus.* Attamen vere Ovid. Am. 1, 15, 13: *Battiades semper toto cantabitur orbe, Quamvis ingenio non valet, arte valet.* Haud inscita fuit Torrentii coniectura, Horatium tecte hic iocatum esse in Propertium, qui de semet ipso 5, 1, 64: *Umbria,* inquit, *Romani patria Callimachi.* Atque omnino mirum est neutrum alterius ullam mentionem fecisse, cum ab utroque et Maecenas et Vergilius magnopere laudetur. — *adposcere*] „Si hoc illi parum fuerit et plus a me exegerit laudis.“ PORPH. — *Mimnermus*] Colophonius Olymp. 37, 4; a. Chr. 627. „Mimnermus duos libros luculentos scripsit.“ PORPH. Is multorum iudicio longe superabat ingenio et nativa simplicitate Callimachum nimis plerumque arti indulgentem. Propert. 1, 9, 11: *Plus in amore valet Mimnermi versus Homero.* Receptus erat in canonem grammaticorum Alexandrinum cum Callino Mimnermus, Callimachus cum Phileta: hos duos autem potissimum sibi sumpserat imitandos Propertius. (3, 1, 1.) Cfr. Ep. 1, 6, 65. — *optivo*] Hoc v. praeterea reperitur apud Gaium 1, 154: *Vocantur hi* (tutores), *qui ex optione sumuntur, optivi.* Est igitur: „nomine ex libera optione assumpto;“ „quodcumque nomen ei placet, hoc ei dare soleo.“ — *crescit*] „maior etiam poëta evadit.“

102—105. *Multa fero*] „Multas molestias patienter sustineo, dum, ut inurbanitatis ac superbiae reprehensionem effugiam neque iracundos poëtas offendam, vanis eorum sermonibus aurem praebeo, fastum tolero, recitationibus adsum; quae mala ferre necesse erit, quamdiu ipse carmina componere pergam ac propterea populi plausum magni facere debebo.“ — *supplex*] κατ' εἰρωνείαν. — *Idem finitis*] „Verum cum desiero semel studia poëtica et ad sanam mentem rediero, facili opera me ab his aerumnis liberabo.“ — *Obturem patulas impune legentibus auris*] Ipsa versus caesura iubet nos cum Iacobsio Lectt. Venus. p. 206 iungere: *impune legentibus;* et v. *legentibus* sine epitheto incredibiliter languet. Hoc ergo dicit: „Si nullis iam recitationibus adero, mali illi poëtae recitabunt carmina sua prorsus securi a periculo, ne ego vicissim eos puniam et enecem mea scripta recitando;“ quam ultionem s. poenam iocose magis quam serio eis instare minitatur, quamdiu non finierit studia mentemque receperit; iocose, inquam; siquidem ipse publicas recitationes numquam instituit, ita ut re vera illis nulla eiusmodi *poena* instaret. (Accedit Iuvenalis imitatio Sat. 1, 1: *Semper ego auditor tantum? numquamne reponam--impune ergo mihi recitaverit ille togatas, Hic elegos? impune diem consumpserit ingens Telephus?*) Illustria autem exempla, quantopere intenti esse debeant interpretes versuum caesurae, praebent Vergil. Ge. 3, 263: *Nec moritura super crudeli funere virgo,* ubi ple-

Gaudent scribentes et se venerantur et ultro,
Si taceas, laudant quidquid scripsere beati.
At qui legitimum cupiet fecisse poëma,
Cum tabulis animūm censoris sumet honesti; 110
Audebit, quaecumque parum splendoris habebunt
Et sine pondere erunt et honore indigna ferentur,
Verba movere loco, quamvis invita recedant

rique iungunt *super crudeli funere*, recte contra Wagnerus: *Nec moritura super*. Ge. 4, 316: *Unde nova ingressus hominum experientia cepit?* ubi male nonnulli iungunt *ingressus hominum*.

107. 108. *Gaudent scribentes*] Graeca constructione, ἥδονται γράφοντες. — *se venerantur*] „se ut divinos poëtas laudant.“ — *quidquid scripsere beati*] Eleganter hanc ipsam sententiam expressit Catullus 22, 14: *Idem* (Suffenus) *infaceto est infacetior rure, Simul poëmata attigit, neque idem umquam Aeque est beatus ac poëma cum scribit: Tam gaudet in se tamque se ipse miratur.*

109-114. *At qui legitimum cupiet* cet.] Stultis illis laudibus opponuntur severa artis praecepta, quibus satisfacere debet poëta, ut opus suum *legitimum* saltem vocare audeat, nondum pulchrum, nondum admirabile. (*Legitimum* igitur est *poëma* et inventione et compositione et toto genere dicendi artis regulis consentaneum. Conf. A. P. 274.) — *fecisse*] ἀορίστως. Cfr. Ep. 1, 17, 5. — *Cum tabulis*] ceratis. „Cum scribere incipit, simul acre iudicium exercere debet de singulis prope verbis, quibus utitur;“ grata comparatione cum *censore honesto*, id est, „integro, suum qui munus ea qua par est severitate exsequitur.“ Hinc etiam festiva dilogia inter *tabulas* et ceratas, in quibus scribimus, et *censorias*. — *Audebit*] „Facile a se impetrabit, falso pudore non impeditus.“ Cfr. Ep. 1, 2, 40: *sapere aude*. Atque sic Graeci τολμᾷν usurpant. Plato Menex. p. 245 C: τοὺς ἐν τῇ ἠπείρῳ Ἕλληνας -- ἡμεῖς οὐκ ἐτολμήσαμεν - ἐκδοῦναι. — *parum splendoris*] „verba humilia, sordida, parum illustria.“ — *habebunt*] Futura propter praecedens *audebit* posita sunt, hac videlicet significatione: „quae parum splendoris ipsi habere videbuntur, eodem tempore amovebit.“ — *sine pondere*] „gravitate carentia et inania.“ A. P. 320: *Fabula nullius veneris, sine pondere et arte.* — *honore indigna*] „indigna carmine, quod plausum sibi postulet.“ — *ferentur*] Imago repetita est a turbida torrentis aqua, quae rapido cursu fertur, *fluit lutulenta* (Sat. 1, 4, 11). Alii (coll. Verg. Aen. 6, 823: *Utcumque ferent ea facta minores, Vincet amor patriae*) explicant: „ab ipso habebuntur, iudicabuntur.“ — *movere loco*] quemadmodum censor indignos homines senatu vel tribu movet. Cfr. Sat. 1, 6, 20. — *invita recedant*] „quasi negantia sese umquam inde excessura.“ Sine imagine: „Quamvis difficile tibi videatur alia aptiora eis substituere ac te interdum tacite excuses apud animum tuum, ea nondum edita esse nec iudicio publico exposita, quocirca neglegentiae culpam nemodum in te conferre queat.“ — Cum *penetralibus* autem *Vestae*, in quae nemini introire neque res sacras ibi asservatas intueri lice-

Et versentur adhuc intra penetralia Vestae.
Obscurata diu populo bonus eruet atque 115
Proferet in lucem speciosa vocabula rerum,
Quae priscis memorata Catonibus atque Cethegis
Nunc situs informis premit et deserta vetustas;
Adsciscet nova, quae genitor produxerit usus.
Vemens et liquidus puroque simillimus amni 120

120. *Vemens* ed. plerique, *Vehemens* cod. plerique, pauci *Et vehemens liquidus* vel *Et liquidus vehemens*. Cf. supra v. 28.

bat nisi Virginibus Vestalibus, comparat carminum singula verba, tamquam si res essent arcanae, custoditae *adhuc* (usque ad hoc temporis punctum, ante librum emissum) in domo poëtae, Musarum sacerdotis. — *Vestae*] „Id est, domi, per quam metaphoram ostendit, quae in animo nostro fixa versentur, tamen excludenda esse.“ PORPH.

115-119. *Obscurata* cet.] „Poëta *bonus*, id est, benevolus ac liberalis, obsoleta, sed speciosa rerum vocabula *populo* (in usum populi), cui eadem diu *obscurata* (tenebris involuta) sunt, eruet ex antiquis scriptoribus atque denuo consuetudini reddet.“ Simul significat, quem ad usum praecipue crebro legendi sint veteres poëtae Latini. — *speciosa*] „quae φαντασίαν ita movent, ut certam et claram *speciem*, imaginem rei, quam significant, nobis proponant.“ Cfr. A. P. 319. — *memorata*] „quae olim usurpare solebant veteres.“ — *Catonibus*] Lucan. 1, 313: *nomina vana Catones*, ubi Cortius: „*Catones* propter celebritatem dixit, ut alibi Camillos, Curios et similes multitudinis nomine citat.“ Conf. A. P. 56: *Ego cur, acquirere pauca Si possum, invideor, cum lingua Catonis et Enni Sermonem patrium ditaverit.* — A M. Cornelio Cethego consule a. u. c. 550. (Ennio *Suadae medulla*) Cicero Brut. 57. Latinorum oratorum seriem orditur; quem statim excipit M. Porcius Cato Censorius sive *priscus*. Cethegorum autem familia umero exserto et cinctu singulari diu antiquitatis speciem retinuit. A. P. 50: *Fingere cinctutis non exaudita Cethegis Continget.* — *situs*] „qui res a se obductas deformat.“ Ut hic, Seneca Epist. 58, 3: *ut ex hoc exemplo intellegas, quantum apud Ennium et Accium verborum situs occupaverit*, Cfr. A. P. 61: *verborum vetus interit aetas Et iuvenum ritu florent modo nata vigentque.* — *deserta*] „ab omnibus iam neglecta.“ — *nova*] ab ipso vel ab aliis ita facta, ut linguae Latinae analogiam sequantur.“ — *genitor - usus*] Singularis brachylogia pro his: „quae simulac facta sunt, ab omnibus approbantur et usurpantur, ita ut inde ab ipsis linguae primordiis in consuetudine fuisse videantur.“ Cfr. A. P. 70: *Multa renascentur, quae iam cecidere, cadentque Quae nunc sunt in honore vocabula, si volet usus, Quem penes arbitrium est et ius et norma loquendi.*

120-123. *Vemens*] scribendum esse efflagitat metrum, ut Gellius n. a. XVI 5, quippe quo mentis vim et impetum significari putaret; fortasse etiam supra, ep. 1, 13, 5; 2, 2, 28 ita scribendum erat, etsi repugnant codices. Conf. Lach-

Fundet opes Latiumque beabit divite lingua;
Luxuriantia compescet, nimis aspera sano
Levabit cultu, virtute carentia tollet,
Ludentis speciem dabit et torquebitur, ut qui
Nunc Satyrum, nunc agrestem Cyclopa movetur. 125
Praetulerim scriptor delirus inersque videri,

manum ad Lucret. pg. 132. — *liquidus*] in quo nulla insit vitiosa obscuritas nec ullae sermonis rustici cordes. Mira his intercedit similitudo cum Ciceronis iudicio de M. Calidii oratione Brut. 274: *primum ita pura erat, ut nihil liquidius, ita libere fluebat, ut nusquam adhaeresceret;* nec tamen de imitatione consulto quaesita cogitarim. — *Fundet opes*] „insignis erit poëta et verborum et sententiarum copia atque propter hoc ipsum Latinos, quorum linguam et ornat et auget, summopere delectabit.“ — *Luxuriantia compescet*] „Dum beata copia praeditus est, luxuriem tamen sermonis ac tumorem vitabit.“ *Luxuries* pr. de segetibus vitibusque sine fructu nimis laete pubentibus et crescentibus, quae luxuries *depasci* debet in segete (Cic. de Orat. 2, 96. Verg. Ge. 1, 112), *compesci* in vite (Ge. 2, 370), in carminibus stilo *astringi*. (Quintil. 10, 4, 1.) Cfr. A. P. 447: *ambitiosa recidet Ornamenta.* — *Levabit*] Utique expoliet et levia (nitida ac plana) reddet, quae sunt nimis aspera et scabra, ita tamen, ut hic cultus s. perpolitio nervos ac sanitatem eis non detrahat.“ A. P. 26: *sectantem levia nervi Deficiunt animique.* — *virtute carentia*] V. 112. *sine pondere* refertur potius ad singula verba; hoc ad sententias, „quae propter tenuitatem nullam aut exiguam vim exercent in lectoris animum.“ — *tollet*] Equidem explico ex Quintil. 10, 4, 1: *Sequitur emendatio, pars studiorum longe utilissima. - - Huius autem operis est - - premere tumentia, humilia extollere, luxuriantia astringere, inordinata digerere, soluta componere, exsultantia coërcere.* Id. 8, 6, 11: *Praecipue ex his oritur sublimitas, quae audaci et proxime periculum translatione tolluntur.* Est igitur *heben*, „vim qualicumque modo addere verbis, sententiis, ipsi versuum sono.“ Cfr. Cic. Tusc. 5, 37 de Orat 3, 104. Plerique tamen interpretantur ut sit „removere, delere.“ Verum haec est otiosa repetitio eius, quod iam inest in v. *compescet.*

124. 125. *Ludentis speciem* cet.] „Cum summa facilitate eius poëmata se commendent lectori, tamen *torquebitur*, id est, externam hanc speciem multis laboribus et continuo limae usui debebit, velut pantomimus, qui difficillimas partes et quidem contrarias diversasque pari cum dexteritate agit, nunc petulantem agilemque Satyrum, nunc Cyclopa rusticum ac propter immanem corporis molem tarde sese moventem.“ — *Satyrum*] Verg. Ecl. 6, 73: *Saltantes Satyros imitabitur Alphesiboeus.* — *Cyclopa movetur*] „ita saltat, ut exprimat Cyclopa.“ Gloss. *imitatur* est in Ed. Zar. 1477. Conf. Sat. 1, 5, 63: *Pastorem saltaret uti Cyclopa rogabat.* V. *moveri* de saltando usurpavit etiam A. P. 232.

126. 127. *delirus*] „absurdus, quod partim ad inventionem et compositionem, partim ad sententias et versificationem attinet.“ — *iners*] „qui artis praecepta non callet.“ Sic A. P. 445 *versus* dicuntur *in-*

Dum mea delectent mala me vel denique fallant,
Quam sapere et ringi? Fuit haud ignobilis Argis
Qui se credebat miros audire tragoedos
In vacuo laetus sessor plausorque theatro; 130
Cetera qui vitae servaret munia recto
More, bonus sane vicinus, amabilis hospes,
Comis in uxorem, posset qui ignoscere servis
Et signo laeso non insanire lagenae,
Posset qui rupem et puteum vitare patentem. 135
Hic ubi cognatorum opibus curisque refectus

ertes. — *Dum mea* cet.] „dummodo mei errores atque vitia mihi placeant, vel nisi delectent, tamen lateant;“ *fallere* enim manifestum est hic dici, quae non animadvertantur, et ignorentur, non quae decipiant.“ De semet ipso haec dicit cum perspicua ironia, probe conscius se nec delirum neque ineptum poëtam esse. — *ringi*] Proprie *ringi* dicuntur canes, cum rictum diducendo, dentes ostendendo et hirriendo viatoribus morsus minitantur; Ter. Phorm. v. 341 (2, 2, 27): *Ille ringitur, tu rideas*; ubi Donatus: „*Ringi* est stomachari tacitum; est enim tralatio a canibus latraturis.“ Cic. ad Att. 4, 5, 2: *Ii subringentur, qui villam me moleste ferunt habere.* Est ergo: „stomachari et cruciari, cum *sapiam* quidem, id est norim artis regulas, nec tamen iis satisfacere queam, ac propterea mihimet ipsi iratus perspiciam mea vitia et peccata;“ quibus rursus adversariis suis significat, ut in omnibus rebus, ita imprimis in poësi difficillimam esse optimi perfectionem atque absolutionem.

128-140. *Fuit*] „Sic,“ inquit, „cum notus ille *Argivus delirus* mente recepta rursus *sapiebat, ringebatur* (sese excruciabat) propter violenter sibi extortam continuo spectandi tragoedias voluptatem.“ — *haud ignobilis*] Ut Cicero aliquotiens de municipiorum incolis: *vir domi suae nobilis.* „Hic Lycas dictus est.“ COMM. CRUQ. — *Argis*] Est ex iis historiis, quae in scholis philosophorum narrari solebant. Similia refert de Thrasyllo Atheniensi Aelianus V. H. 4, 25, idem de Abydeno quodam Pseudaristot. de mirab. Ausc. 31. p. 70. Beckm.: *Λέγεται δέ τινα ἐν Ἀβύδῳ παρακόψαντα τῇ διανοίᾳ καὶ εἰς τὸ θέατρον ἐρχόμενον ἐπὶ πολλὰς ἡμέρας θεωρεῖν ὡς ὑποκρινομένων τινῶν καὶ ἐπισημαίνεσθαι. καὶ ὡς κατέστη τῆς παρακοπῆς, ἔφησεν ἐκεῖνον αὐτῷ τὸν χρόνον ἥδιστα βεβιῶσθαι.* — *Cetera qui vitae* cet.] „Quamvis per eandem insaniam reliqua vitae negotia recte ac prudenter exsequeretur.“ — *recto More*] „prorsus ut ceteri homines sani ex recepta semel consuetudine omnibus rebus se gerunt.“ — *bonus sane vicinus*] „Commoda occasione percurrit officia boni patris familias.“ PORPH. — *posset*] „facile a se impetraret.“ Vis huius verbi admodum augetur eo, quod bis deinceps (v. 133 et v. 135) pronomini relativo praepositum est. — *signo laeso*] quemadmodum servi vinosi interdum lagenas exsiccabant. Est igitur: „qui furenter non irasceretur ut plerique, cum lagenam (*λάγηνος*, *λάγυνος*) a se obsignatam comperisset a servulo esse resignatam.“ - *rupem et puteum*] Cfr. Sat. 2, 3, 55. A. P. 459. — *cognatorum*] Ep. 1, 1, 102. —

Expulit elleboro morbum bilemque meraco
Et redit ad sese: 'Pol me occidistis, amici,
Non servastis,' ait, 'cui sic extorta voluptas
Et demptus per vim mentis gratissimus error.' 140
Nimirum sapere est abiectis utile nugis
Et tempestivum pueris concedere ludum
Ac non verba sequi fidibus modulanda Latinis,
Sed verae numerosque modosque ediscere vitae.
Quocirca mecum loquor haec tacitusque recordor: 145
Si tibi nulla sitim finiret copia lymphae,
Narrares medicis; quod, quanto plura parasti,
Tanto plura cupis, nulline faterier audes?

opibus] in prosa oratione „ope, auxilio," ut Ep. 1, 10, 36. — *Expulit-morbum*] Tibull. 4, 4, 1: *Huc ades et tenerae morbos expelle puellae.* — *elleboro*] solito adversus insaniam medicamento. Cfr. Sat. 2, 3, 82. — *bilemque*] *μέλαιναν χολήν*, quae pro morbi causa habebatur. Part. *que* hic, ut saepe, *ἐπεξηγήσει* inservit. — *meraco*] „puro et nulla sorbitione diluto, quo vis eius sit efficacior." Pers. 4, 16: *Anticyras melior sorbere meracas.* Lucianus *ἐν Πλοίῳ* 45: *τοῦτο καὶ ὁ ἐλλέβορος ἱκανὸς ποιῆσαι (παύειν σε μωραίνοντα) ζωρότερος ποθείς* — *occidistis*] „infelicissimum me reddidistis;" „ut *occidere, enecare* apud Comicos. Terent. Phorm. v. 672: *Geta, occidisti me tuis fallaciis.*

141-144. *Nimirum* cet.] Narrata hac historia, quae exemplo illustrat sententiam v. 126, ultimam addit rationem, cur relinquat poësin certe lyricam; reliquam enim vitam sapientiae studiis esse dicandam." — *sapere*] „ad sapientiae praecepta vitam componere, omissis vanis oblectamentis, etiam studiis poëticis." — *nugis*] Cfr. Ep. 1, 1, 10: *Nunc itaque et versus et cetera ludicra pono.* — *tempestivum* cet.] Cfr. Ep. 1, 14, 36: *Non lusisse pudet, sed non incidere ludum.* „Dativum *pueris* refer et ad *tempestivum* et ad *concedere*." DILLENB. — *Ac non*] Hand. Turs. I. p. 473: „Ubi alicui notioni alia quae negatur definitionis causa adiungenda ideoque in aequo ponenda est, eam Latini non per *nec* sed per *ac non* tum nectunt, cum inter utramque intercedit oppositio recta, in qua etiam copulam omittere licet. -- Differt hic usus a verbis *et non*, quia in *ac non* inest aliquod consecutionis vel conclusionis indicium. Cfr. Sat. 2, 3, 135. Ep. 1, 10, 46. — *sequi*] „sectari, quaerere" cet., id est, „summa cum cura componere carmina lyrica." — *numerosque modosque*] *ῥυθμοὺς καὶ μέλη*. Ad moralem doctrinam de vita recte constituta et secum ipsa constanter concordante transfert musicorum metricorumque vocabula. Cfr. Diog. Laërt. 6, 37 de Diogene Sinopensi: *Καὶ μὴν καὶ ἐθαύμαζε τοὺς μουσικοὺς τὰς μὲν ἐν τῇ λύρᾳ χορδὰς ἁρμόττεσθαι, ἀνάρμοστα δὲ ἔχειν τῆς ψυχῆς τὰ ἤθη.*

145-169. *recordor*] „Proprie est *rursus in cor revocare*, ut ait Varro L. L. 6, 46, hoc est, in mente agitare, cogitando repetere, reputare." FORCELL. — *Si tibi* cet.] Cfr.

Si volnus tibi monstrata radice vel herba
Non fieret levius, fugeres radice vel herba 150
Proficiente nihil curarier. Audieras, cui
Rem di donarent, illi decedere pravam
Stultitiam; et, cum sis nihilo sapientior, ex quo
Plenior es, tamen uteris monitoribus isdem?
At si divitiae prudentem reddere possent, 155
Si cupidum timidumque minus te, nempe ruberes,
Viveret in terris te si quis avarior uno.
Si proprium est, quod quis libra mercatus et aere est,
Quaedam, si credis consultis, mancipat usus:

152. *donarunt* unus Bersmanni, *donarant* unus ex Collegio Trinitatis et Feae aliquot, *donarint* Bentleius coni. — 158. *mercatus et aere est* Blandinius antiquissimus, Ambrosianus, Monacensis E, S paucique alii, *mercatus et aere* Lips., Rπ, *mercatur et aere* Leidensis, Graevianus, Vossianus φψλ, cum aliis, *quicquid libra mercamur et aere* tres Blandinii.

Od. 2, 2, 13 sqq. — *faterier*] De infinitivi forma cfr. v. 151. Sat. 1, 2, 35. Od. 4, 11, 8. — *fugeres*] „indignabundus nolles, recusares.“ De constructione cfr. Od. 1, 9, 13: *fuge quaerere.* — *Audieras*] a volgo. — *donarent*] Bentleii *donarint* repugnat rectae temporum consecutioni, quae est: *audisti, cui rem donent* vel *donarint*; *audieras cui rem donarent* vel *donassent.* Cfr. Verg. Aen. 1, 19: *Progeniem sed enim Troiano a sanguine duci Audierat, Tyrias olim quae verteret arces.* — *ex quo*] „Cicero non dixisse videtur *ex quo* hac quidem temporis significatione, sed *ex quo tempore.* Apud Livium nihil frequentius.“ HAND Turs. II. p. 648. — *monitoribus isdem*] „adhuc audis opulentiae laudatores, quibus iam semel credendo deceptus es.“ PORPHYR. — *cupidum timidumque*] Od. 2, 16, 15: *timor aut cupido Sordidus.* Ep. 1, 2, 51: *Qui cupit aut metuit.* Cfr. Ep. 1, 6, 9 sq. *nempe*] „sine dubio, ut facile intellectu est, *natürlich.*“ — *Viveret in terris*] Ep. 2, 1, 194: *Si foret in terris.*] — *libra*] Gaius 1, 19: *Est mancipatio--imaginaria quaedam venditio;--eaque res ita agitur, adhibitis non minus quam quinque testibus, civibus Romanis puberibus, et praeterea alio eiusdem condicionis, qui libram aeneam teneat, qui appellatur libripens: is, qui mancipio accipit, rem tenens ita dicit: Hunc ego hominem ex iure Quiritium meum esse aio, isque mihi emptus est hoc aere aeneaque libra: deinde aere percutit libram, idque aes dat ei, a quo mancipio accipit, quasi pretii loco.* — *consultis*] Vid. ad Sat. 1, 1, 17. — *usus*] id est usucapio, quae auctore Ulpiano Fr. 19, 8 est *dominii adeptio per continuationem possessionis anni vel biennii, rerum mobilium anni, immobilium biennii;* quibus adde Gaii 2, 44: *Quod ideo receptum videtur, ne rerum dominia diutius in incerto essent; cum sufficeret domino ad*

Qui te pascit ager, tuus est, et vilicus Orbi, 160
Cum segetes occat tibi mox frumenta daturas,
Te dominum sentit. Das nummos, accipis uvam,
Pullos, ora, cadum temeti: nempe modo isto
Paullatim mercaris agrum, fortasse trecentis
Aut etiam supra nummorum milibus emptum. 165
Quid refert, vivas numerato nuper an olim?
Emptor Aricini quondam Veientis et arvi
Emptum cenat olus, quamvis aliter putat; emptis
Sub noctem gelidam lignis calefactat aënum;
Sed vocat usque suum, qua populus adsita certis 170

161. *daturas* quattuor Blandinii, in eis antiquissimus, Leidensis, Dessauiensis, Graevianus, Vossianus, Lipsiensis, λφψ pr.; *daturus* Monac. E, Gothanus, ORSbcd, O. Keller.

inquirendam rem suam anni aut biennii spatium, quod tempus ad usucapionem possessori tributum est.

160—169. *vilicus Orbi*] „Orbius, ignotus latifundiorum possessor. De re Comm. Cruquii: „*Ager* qui te pascit, quamvis alterius sit proprietas, tamen tuus est, quia ea uteris et fructus percipis.“ Nam accepto a te pretio vilicus tibi fruges vendit; tu igitur vere dominus es, ille videtur esse, eo insuper discrimine, ut tu hodie cum uvas, cras pullos, deinde frumenta et vina emas, paulatim merceris totum agrum (id est, omnes eius proventus), quem possessor trecentis milibus simul solutis sibi emit.“ DILLENB. — *occat*] Colum. 11, 2, 82: *Sementi facta inoccare oportet, quod sparseris.* — *daturas*] Cfr. Verg. Ge. 2, 440: *Ipsae Caucasio steriles in vertice silvae -- Dant alios aliae fetus, dant utile lignum Navigiis pinos.* 2, 520: *dant arbuta silvae.* Sic autem codices Blandin. et Kelleri aliquot magis poëtica ratione quam *vilicus -- daturus*, quod non minore bonorum codicum auctoritate firmatum Kellero placuit.. — *sentit*] „accepto a te frumenti pretio in te verum dominum agri Orbiani agnoscit.“ — *temeti*] Plin. n. h. 14, 13: *Cato ideo propinquos feminis osculum dare* (scripsit), *ut scirent, an temetum olerent. Hoc tum vino nomen erat, unde et temulentia appellata.* — *Emptor* cet.] Iunge *emptor quondam*, „is, qui quondam emit.“ De adverbii cum substantivo coniunctione conf. Od. 3, 17, 9. — *Aricini - Veientis et arvi*] *Aricia* oppidum Latii, notum propter lacum Nemorensem et cultum Dianae (cfr. Sat. 1, 5, 1); *Veii*, hodie *Isola Farnese.* Cfr. Sat. 2, 3, 143. — *aënum*] „dum in foco aperto aquam fervefacit, ipse quoque calefit gratoque hoc sensu fruitur adveniente *gelida nocte*,“ quae imago consulto addita est.

170-174. *usque*] „usque ad eum locum, ubi populus arbor sita cet.“ COMM. CRUQ. — *adsita*] „Consulto iuxta sata sive plantata,“ non „iuxta sita,“ id quod esset naturae opus. Verg. Ecl. 9, 7: *qua se subducere colles Incipiunt -- Usque ad aquam et veteres, iam fracta cacumina, fagos*, itidem

Limitibus vicina refugit iurgia; tamquam
Sit proprium quidquam, puncto quod mobilis horae
Nunc prece, nunc pretio, nunc vi, nunc morte suprema
Permutet dominos et cedat in altera iura.
Sic quia perpetuus nulli datur usus, et heres 175
Heredem alterius velut unda supervenit undam,

171. *refugit* cod. plerique, *refigit* ex cod. quibusdam Lambini et corr. Petrensi Bentleius, *refringit* Horkel, *refligit* Holder, *refutat* O. Ribbeck. — 175. *Sic quia* cod. Gothanus, Monacensis E corr. paucique alii, *Si quia* maior pars codicum, *Sed quia* duo Schmidii. — *heres Heredem alterius* codices, *heres Heredem heredis* Peerlkamp ad Verg. Aen. 12, 529. — 176. *alternis* Bentleius coniect. quod postea in cod. Lovaniensi repertum est.

finium agri notas. Varro R. R. 1, 15: *Praeterea sine saeptis fines praedii sationis notis arborum tutiores fiunt, ne familiae rixentur cum vicinis ac limites ex litibus iudicem quaerant. Serunt alii circum pinus, -- alii cupresssos, -- alii ulmos, -- quod ubi id pote, -- nulla potior arbor serunda, quod maxime fructuosa, quod et sustinet saepem ac colit aliquot corbulas uvarum.* Ex hoc Varronis loco v. *adsita* recte duces a verbo. *adserere.* Cfr. Epod. 2, 9 sq. Catull. 61, 106: *adsitas Vitis implicat arbores.* — *refugit*] quasi ipsa populus limitaris iurgia odisse soleat; perfectum ἀορίστως, ut Ep. 1, 19, 48: *Ludus enim genuit trepidum certamen et iram:* „impediit, semper atque etiamnunc impedit, ne iurgia, rixae, lites inter vicinos oriantur.“ Cfr. Ep. 2, 1, 201. Ad rem cfr. Verg. Aen. 12, 898: (saxum) *Limes agro positus, litem ut discerneret agris.* — *tamquam Sit proprium quidquam*] Sat. 2, 2, 129: *propriae telluris erum natura neque illum Nec me nec quemquam statuit: nos expulit ille; Illum aut nequities aut vafri inscitia iuris, Postremum expellet certe vivacior heres.* Antiphanes in Grotii Exc. p. 627: *ὅστις ἄνθρωπος φυεὶς Ἀσφαλές τι* (*quod sit certum ac proprium* Grot.) *κτῆμ' ὑπάρχειν τῷ βίῳ λογίζεται, Πλεῖστον-ἡμάρτηκεν.* — *puncto*] Sat. 1, 1, 7: *horae momento; mobilis* autem, ut Ovid. Met. 15, 180: *neque enim consistere flumen, Nec levis hora potest.* — *Nunc prece, nunc pretio*] Non insolita allitteratio. Ovid. Fast. 2, 805: *Instat amans hostis precibus pretioque minisque: Nec prece nec pretio nec movet ille minis.* — *morte suprema*] Hinc sumpsit Silius 5, 416: *morte suprema*, ut saepe hic poëta et Tacitus Vergilianis atque Horatianis modis usi sunt. Cic. ad Fam. 6, 21, 1: *omnium rerum mors-extremum.* Hoc enim ipsum Latini exprimere solebant hac formula *ultima mors, mors suprema.* Lucilius minor apud Senec. Ep. 24, 20: *Mors non una venit, sed quae rapit ultima mors est.* — *cedat in altera iura*] „transeat in alterius ius ac dominium.“ Eadem constr. Gaius 4, 13: *in publicum cedebat summa sacramenti.*

175—179. *Sic quia* cet.] „Quia hoc modo, quem significavi“ cet. In altera lectione *si* quo referatur non habet. — *usus*] usus fructus. — *heres Heredem alterius*] Tres igitur memorantur personae, velut avus, pater, filius. Codicis Lovaniensis et Bentleii lectio *alternis*

Quid vici prosunt aut horrea? quidve Calabris
Saltibus adiecti Lucani, si metit Orcus
Grandia cum parvis, non exorabilis auro?
Gemmas, marmor, ebur, Tyrrhena sigilla, tabellas, 180
Argentum, vestis Gaetulo murice tinctas,
Sunt qui non habeant, est qui non curat habere.
Cur alter fratrum cessare et ludere et ungi
Praeferat Herodis palmetis pinguibus, alter

significaret duas dumtaxat, et quidem Titium Seio, Seium rursus Titio hereditatem tradentes, id quod sane fieri nequit. — *supervenit*] „Ut fluctus super se invicem veniunt, cum ex immenso volvuntur mari.“ Ovid. Met. 15, 181: *sed ut unda impellitur unda Urgueturque eadem veniens urguetque priorem.* — *vici*] h. l. rustici, id est, villae, ubi aestate habitat dominus, cum pluribus tuguriis, in quibus degunt coloni partiarii. Cic. ad Att. 1, 4, 3: *Quod si assequor, supero Crassum divitiis atque omnium vicos et prata contemno.* — *Calabris* cet.] „Lucani saltus cum Calabris coëmpti et continuati.“ Cfr. Epod. 1, 27 sq. — *Saltibus*] „pascuis per colles montesve sitis,“ cf. ad Od. 2, 3, 17. — *adiecti*] Od. 3, 16, 41: *si Mygdoniis regnum Alyattei Campis continuem.* — *metit*] Eurip. Hypsip. fr. 757, 5 ed. Nauck: ἀναγκαίως δ' ἔχει βίον θερίζειν ὥστε κάρπιμον στάχυν quae in Latinum convertit Cic. Tusc. 3, 59: *vita omnibus Metenda, ut fruges. Sic iubet necessitas.* Cfr. Od. 4, 14, 31. — *non exorabilis*] Cfr. Od. 2, 18, 34 sqq.

180-182. *Gemmas, marmor, ebur* cet.] Ep. 1, 6, 17: *argentum et marmor vetus areaque et artes Suspice, cum gemmis Tyrios mirare colores.* — *Tyrrhena sigilla*] signa Tuscanica aerea, parva deorum simulacra. Tertull. Apolog. 25: *Ingenia Tuscorum fingendis simulacris urbem inundaverunt.* Horatii quidem temporibus non tam propter pulchritudinem quam propter antiquitatem videntur esse quaesita. — *Argentum*] factum, caelatum. — *Gaetulo*] „Afro ac per hoc: Mauro; significat enim purpuram Girbitanam.“ PORPHYR. (Girba s. Meninx insula *a dextro Syrtis minoris promuntorio M. passibus CC. sita.* Plin. n. h. 5, 7). Od. 2, 16, 35: *te bis Afro Murice tinctae Vestiunt lanae.* Pomp. Mela 3, 11; *Nigritarum Gaetulorumque passim vagantium ne litora quidem infecunda sunt purpura et murice efficacissimus ad tingendum.* — *est, qui non curat*] „sapiens;“ quod quia certum est, indicativo utitur, cum illud *Sunt, qui non habeant* a casu tantum pendeat.

183-186. *Cur alter fratrum* cet.] „Unde autem oriatur tanta ingeniorum studiorumque diversitas saepe vel inter fratres, ut unus voluptati atque otio sit deditus, alter laboriosus et nimis ad rem attentus, equidem nescio; est enim hoc humanae naturae arcanum.“ Cfr. Sat. 2, 1, 26 sqq. — *cessare*] „otiari ac iucunde vivere.“ COMM. CRUQ. Cfr. Ep. 1, 7, 57. — *ludere*] praeter ludos proprie dictos intellege etiam de rebus venereis. Od. 4, 13, 4. Ep. 1, 14, 36. — *Herodis*] Magni illius, mortui a. u. c. 750. Maximus eius reditus constabat ex *pinguibus* (fertilibus) palmetis prope Hiericuntem, qua de urbe Strabo 16, 2, 41: ἐνταῦθα

Dives et importunus ad umbram lucis ab ortu 185
Silvestrem flammis et ferro mitiget agrum,
Scit Genius, natale comes qui temperat astrum,
Naturae deus humanae, mortalis in unum
Quodque caput, voltu mutabilis, albus et ater.
Utar et ex modico, quantum res poscet, acervo 190

δ' ἐστὶν ὁ φοινικών, μεμιγμένην ἔχων καὶ ἄλλην ὕλην ἥμερον καὶ εὔκαρπον, πλεονάζων δὲ τῷ φοίνικι, ἐπὶ μῆκος σταδίων ἑκατόν, διάῤῥυτος ἅπας καὶ μεστὸς κατοικιῶν· ἔστι δ' αὐτοῦ καὶ βασίλειον καὶ ὁ τοῦ βαλσάμου παράδεισος. Plin. n. h. 5, 14: *Hiericuntem palmetis consitam, fontibus irriguam.* Tacit. Hist. 5, 6 de Iudaea: *Palmetis proceritas et decor.* — *importunus*] „semper irrequietus sibique et aliis molestus.“ — *flammis*] „incensis virgultis et rubis, caesis abietibus, fagis, ilicibus.“ — *mitiget*] „culturae aptum reddat.“ Cfr. Ep. 1, 2, 45.

187—189. *Genius*] Varro apud August. de C. D. 7, 13: *Genium dicit esse uniuscuiusque animum rationalem, et ideo esse singulos singulorum.* Dio Chrys. Or. 25 p. 519 R.: *Τί νομίζεις τὸν δαίμονα εἶναι; Ἐγὼ μὲν τὸ κρατοῦν καὶ καθ' ὃν ζῇ τῶν ἀνθρώπων ἕκαστος. -- Τοῦτο δὲ ἐν αὐτῷ νομίζεις εἶναι τῷ ἀνθρώπῳ, τὸ κρατοῦν ἑκάστου, ὃ δαίμονα καλεῖς, ᾗ ἔξωθεν ὄν, ἄρχον τε καὶ κύριον τοῦ ἀνθρώπου; Ἔξωθεν ἔγωγε.* Apul. de Deo Socr. c. 16 p. 156 Oud.: *Genius in rebus incertis prospector, dubiis praemonitor, periculosis tutator, egenis opitulator* cet. — *natale -- astrum*] *ἄστρον γενέθλιον*, horoscopum, quo cuiusque vita et vicissitudines praefiniuntur; huius autem vim quatenus potest mitigat atque in melius flectit Genius. Tibull. 4, 5, 19: *At tu, Natalis quoniam deus omnia sentis, Adnue.* „*Natalis*, idem, qui Genius, cfr. 2, 2, 1.“ DISSEN. Menander p. 203 M.: *Ἅπαντι δαίμων ἀνδρὶ συμπαρίσταται Εὐθὺς γενομένῳ μυσταγωγὸς τοῦ βίου Ἀγαθός· κακὸν γὰρ δαίμον' οὐ νομιστέον Εἶναι βίον βλάπτοντα χρηστόν.* Seneca Epist. 110, 1: *Sepone in praesentia, quae quibusdam placent: unicuique nostrum paedagogum dari deum, non quidem ordinarium, sed hunc inferioris notae ex eorum numero, quos Ovidius ait de plebe deos.* Cfr. Od. 2, 17, 17 sqq. — *Naturae* cet.] „deus cuiusque, qui humanam sortitus est naturam s. qui homo natus est.“ Serv. ad Ge. 1, 302: *Genium dicebant antiqui naturalem deum uniuscuiusque loci vel rei aut hominis.* — *mortalis in unumquodque caput*] „in singulos homines.“ Etenim cum leto fatali exstinguitur homo, eius Genius redit in Iovem, id est, in aetherem s. animam mundi, ex qua processerat, ut homini et animam et vitam daret eumque tutaretur, donec in vivis esset. Macrob. Saturn. 1, 10: *Aestimaverunt antiqui animas a Iove dari et rursus post mortem eidem reddi.* Cfr. Ep. 2, 1, 144: *Genium memorem brevis aevi.* — *mutabilis*] „Uti vicissitudines singulorum mortalium variant, ita ipse quoque fit vel laetus vel maestus, vel *albus* (felix) vel *ater* (aerumnosus et infelix).“

190—198. *Utar* cet.] „Libere fruar modicis meis facultatibus, quantum necesse est ex eis absumens, non ut mea disperdam; *usus* enim rationi consentaneus est, non *abusus*, id est, omnium consumptio.“ (Cic. Top. 17.) — *ex*

Tollam, nec metuam, quid de me iudicet heres,
Quod non plura datis invenerit; et tamen idem
Scire volam, quantum simplex hilarisque nepoti
Discrepet et quantum discordet parcus avaro.
Distat enim, spargas tua prodigus, an neque sumptum 195
Invitus facias neque plura parare labores,
Ac potius, puer ut festis Quinquatribus olim,
Exiguo gratoque fruaris tempore raptim.
Pauperies immunda domus procul absit: ego, utrum

199. *immunda domus procul absit* codicum maior pars, prob. O. Keller, *domus procul* omisso *absit* R pr., omissis *domus* et *absit* Graevianus, Vossianus, *φψλπ*, *procul procul absit* codex Pulmanni, prob. Bentley, Haupt, Vahlen; *modo procul* Gesner, Meineke; *modo ut procul* Jeep; *tamen procul* L. Müller, *immunda, precor, procul* Bentlei suscipio.

modico--acervo Tollam] Cfr. Sat. 1, 1, 51: *At suave est ex magno tollere acervo.* — *heres*] Cfr. Ep. 1, 5, 13. — *datis*] „a me, qui liberos, legitimos heredes, non habeo, ei legatis, testamento ex libera mea voluntate relictis. — *scire volam* cet.] „Et debeo scire et scio re vera," id est, „etsi sum hac sententia, utendum esse paratis, tamen hoc mihi meo iure vindico, ut sciam et numquam obliviscar, quantum discrimen sit inter hominem *simplicem* (non tectum neque subdolum), qui vel propterea hilarior etiam est ac largior in conviviis apparandis, et luxuriosum atque prodigum, in quae vitia ne umquam incidam, probe cavebo." — *Discrepet--discordet*] duo ὁμώνυμα pro: „quam diversi sint." Constructio eadem est atque Ep. 1, 18, 4: *scurrae distabit amicus.* — *spargas*] Verbum rarioris usus pro „dissipes, prodigas, dilapides, quasi nummos popello e fenestra spargens." — *plura parare*] „plura videlicet quam necesse est; cum, quae iam nunc possides, ad te honeste sustentandum sufficiunt." — *festis Quinquatribus*] Festus p. 254 M.: *Quinquatrus appellari quidam putant a numero dierum, qui feriis iis celebrantur; qui scilicet errant;--forma autem vocabuli eius exemplo multorum populorum Italicorum enuntiata est, quod post diem quintum Iduum* (Martiarum, XIV. Kal. April.) *est is dies festus ut apud Tusculanos Triatrus et Sexatrus et Septematrus et Faliscos Decimatrus.* (Ovid. Fast. 3, 809: *fiunt sacra Minervae, Nomina quae a iunctis quinque diebus habent* cet.) Cf. Preller-Iordan Mythol. Rom. I. p. 293. — *olim*] Cfr. Ep. 1, 3, 13. „Ut solent pueri omnes per quinque illos dies, quibus ludi litterarii clausi sunt."

199—204. *Pauperies*] Nihil impedit, quo minus pauperies (probe distinguenda ab egestate, inopia, mendicitate) munda sit; quocirca addit *immunda*, „sordida ac propterea molesta et mihi et aliis, qui mecum versantur." Iam *domus*, ut plerique codices habent, esse debet casu genetivo ac *pauperies domus* positum pro paupertate domestica. Quod alii habent *procul domus*, alii *domu procul*

Nave ferar magna an parva, ferar unus et idem. 200
Non agimur tumidis velis aquilone secundo;
Non tamen adversis aetatem ducimus austris,
Viribus, ingenio, specie, virtute, loco, re
Extremi primorum, extremis usque priores.
Non es avarus: abi; quid cetera, iam simul isto 205
Cum vitio fugere? Caret tibi pectus inani
Ambitione? Caret mortis formidine et ira?

206. *fugere? Caret* Argentoratensis, Vossianus, Graevianus, Leidensis, Lipsiensis, Rφψλπ aliique, *fuge. Rite caret* Blandinii, Monacensis M, Dessauiensis, Gothanus, OSbc aliique; *fuge rite. Caret* Bentl. in curis novissimis.

apud Lambinum, *domo procul* unus cod. Feae, plures *immunda procul procul* (repetitione adverbii profecto nimis concitata in voto tam tranquillo et placido), facit, ut cum Meinekio putem iam antiquitus excidisse verbum ab his omnibus diversum, varieque suppletum esse a grammaticis, ut factum videtur Od. 4, 6, 17: *Sed palam* captis *gravis* cet., et Plat. Phaed. 111. B: *θεῶν ἕδη τε καὶ ἱερά* cum excidisset *ἕδη* (v. Bekk. Comm. crit. I. p. 399), alii suppleverunt *ἅλση*, alii *τεμένη*. Atqui *domus* non solum otiosum, verum absurdum, quod sequitur *nave ferar*, et agitur de navigatione, qua allegoria ut saepius alibi (velut Od. 3, 2, 29) vitae nostrae cursus declaratur: itaque non in eadem sententia *domus et navis* locum habere possunt; suspicor scribendum esse *Pauperies immunda penus procul absit: ego* cet. Cic. n. d. 2, 68 *est omne, quo vescuntur homines, penus;* cf. supra ep. 1, 16, 72. Dicit igitur hoc: dummodo necessaria mihi suppetant, divesne sim an pauper mea non refert. — *Non agimur*] concitatius hoc quam volgare „si non agimur." Cfr. Ep. 1, 1, 33. 1, 6, 29. — *tumidis velis aquilone secundo*] Cfr. Od. 2, 10, 23: *Contrahes vento nimium secundo Turgida vela.* — *Non tamen*] „Ex particula *tamen* vides, qua ratione haec vivide prolata sententia coniungenda sit cum insequenti apodosi." DILL. — *aetatem ducimus*] Non est: „vitam regimus," uti olim plerique interpretari solebant; sed: „totam vitam lente ac maeste agimus." Sic Epod. 17, 63: *Ingrata misero vita ducenda est* cet. Ad imaginem ipsam cfr. Bassum in Anthol. Pal. II. p. 310: *Μήτε με χείματι πόντος ἄγοι θρασύς, οὐδὲ γαλήνης Ἀργῆς ἠσπασάμην τὴν παλινηνεμίην· - - κακὰς ἔχθαιρε θυέλλας· Εἰσί τινες πρηεῖς καὶ βιότου Ζέφυροι.* — *loco*] „condicione externa inter homines, ordine."

205-209. *Non es* cet.] „At num vere sapiens appellari potes propter id solum, quod non es avarus?" Sat. 2, 3, 159: *Quid, si quis non sit avarus, Continuo sanus?* Nec Floro neque sibi soli asperis his interrogationibus, sed lectoribus omnibus instat. — *abi*] Est sermonis quotidiani. Plauti Asin. 704: *Em sic: abi, laudo.* Ter. Adelph. 564: *Laudo; Ctesipho, patrissas: abi, virum te iudico.* — *Cum vitio fugere? Caret*] Bonorum codicum lectio *fuge. Rite caret* est interpolatio orta ex non intellecta forma perfecti. — *inani Ambitione*] „quae numquam ad

Somnia, terrores magicos, miracula, sagas,
Nocturnos lemures portentaque Thessala rides?
Natalis grate numeras? Ignoscis amicis? 210
Lenior et melior fis accedente senecta?
Quid te exempta levat spinis de pluribus una?
Vivere si recte nescis, decede peritis.
Lusisti satis, edisti satis atque bibisti:

212. *levat* tres codd. Blandin., Bentleius, Haupt, Vahlen, L. Müller aliique; *iuvat* ceteri codices prob. O. Keller.

finem suum pervenit.“ Cfr. Sat. 2, 6, 18. — *mortis formidine*] Diog. Laërt. 10, 124 de Epicuro: *Συνέθιζε ἐν τῷ νομίζειν μηδὲν πρὸς ἡμᾶς εἶναι τὸν θάνατον.* — *terrores magicos*] maxime in *νεκρομαντείαις*, quibus indulgebat vel Appius Claudius Pulcher, Ciceronis in auguratu collega. — *Nocturnos lemures*] ‘Umbras vagantes hominum ante diem mortuorum et ideo metuendas; et putant *lemores* esse dictos quasi *Remulos* a Remo, cuius occisi umbras frater Romulus cum placare vellet, Lemuria instituit, id est Parentalia, quae mense Maio per triduum celebrari solebant.’ PORPHYR. Conf. Ovid. Fast. 5, 419 sqq. Preller-Iordan Mythol. Rom. II pg. 118 sq. — *portentaque Thessala*] Thessalia propter sagas harumque praestigias infamis erat. Vid. Od. 1, 27, 21. Epod. 5, 45. Ut *portenta a terroribus magicis* (umbrarum praesertim apparitionibus) distinguas, cogita de luna e caelo deducta (Plin. n. h. 30, 1, 2: *Menander Thessalam cognominavit fabulam, complexam ambages feminarum detrahentium lunam*), de hominum in bestias mutatione cet.; *miracula* vero sunt globi ignei, lapidum pluvia, voces deorum, ut Silvani (Liv. 2, 7), Aii Loquentis et pleraque apud Iulium Obsequentem.

210-216. *Natalis grate numeras*] „Quod non faciunt nimium timidi ad senectutem et mortem, quia ex natalibus multis obitum iam propinquum perhorrescunt.“ PORPH. — *levat*] Haec vera videtur lectio, *iuvat* glossema, etsi hoc praebent codices plurimi. Recte Bentleius: „*levat* et aptius est sententiae et Horatio familiare. Conf. Epod. 11, 17. 17, 20. Carm. Saec. 63. Sat. 2, 3, 292. Epp. 1, 8, 8.“ — *spinis*] Sollicitudines vanas atque animi perturbationes cum spinis comparat. Sic Ep. 1, 14, 4: *Certemus, spinas animone ego fortius an tu Evellas agro.* — *recte*] „virtuti convenienter.“ — *decede peritis*] „Quoniam recte vivere nescis, qui vivas omnino indignus es; quocirca moriendo da locum sapientioribus, quibus tua pravitate ac desidia obstas.“ Observatus esse videtur poëtae animo similis locus Lucretii 3, 962: *nunc aliena tua tamen aetate omnia mitte, Aequo animoque, age dum, dignis concede.* — *Lusisti*] Intellege maxime de rebus venereis. Cfr. imprimis Naekii Choerilum p. 196 seqq., qui p. 246 affert versum ex Plut. de fort. Alex. Or. 2 p. 336 C: *Ἔσθιε, πῖνε, ἀφροδισιάζε· τἆλλα δὲ οὐδέν.* Livius Andronicus apud Festum in v. *Affatim: Affatim edi, bibi, lusi.* — *Tempus abire* cet.] „Tota tua vita cum lusui ac luxuriae

Tempus abire tibi est, ne potum largius aequo 215
Rideat et pulset lasciva decentius aetas.

216. *decentius* codices plerique, *licentius* Colbertinus Bentlei, Feae duo, ex Parisinis cod. 8213.

dedita fuerit, omni merito omnique laude caret. Ergo, ut quam primum morte finiatur, optandum est, ne mox ludibrio fias iunioribus turpis senex." — *pulset*] ut solet fieri in *παροινίᾳ*. — *lasciva decentius*] „quam magis decet lascivire ac ludere quam senectutem."

Q. HORATII FLACCI

DE ARTE POËTICA

LIBER.

PRAEFATIO.

'Hunc librum, qui inscribitur *de arte poëtica* ad Lucium Pisonem, qui postea urbis custos fuit, eiusque liberos misit. Nam et ipse Piso poëta fuit et studiorum liberalium antistes. In quem librum congessit praecepta Neoptolemi *τοῦ Παριανοῦ* de arte poetica non quidem omnia, sed eminentissima.' Porphyr. Quintilianus inst. orat. 8, 3, 60 primus Horatii de arte poëtica librum laudavit, et Charisius (pg. 202, 26 Keil) habet haec: 'Horatius epistularum [a. p. 75] *versibus impariter iunctis;* ubi Q. Terentius Scaurus in commentariis in *artem poëticum* libro decimo cet.' Servius de metriis Horatii extr. (IV pg. 472 Keil): 'His omnibus metris scripti sunt quattuor carminum libri — ceterum *artis poëticae* epistularum et sermonum heroico iugiter continentur.' Inde apparet hunc de arte poëtica librum epistulae loco esse, sed inde a primo post Chr. n. saeculo ieiunctum ab illis et nominatum et in codicibus collocatum esse; in nostris certe codicibus plerumque sequitur quartum carminum librum. — Praecepta autem de ea arte, in qua ipse satis multum ac diu elaboravisset explicaturus ea fere dispositione rerum usus est:

I. Exordio (v. 1—37) quodvis artis opus unum et simplex esse debere demonstratur.

II. Tractationis (v. 38—452) hae sunt partes:

1. praeter ceteros poëta praecipue res recte eligere ac disponere debet (38—44).
2. de elocutione idonea (45—118).
   a. de verbis (45 72).
   b. de metris (73—85).
   c. de oratione poëtica (86—118).
3. de fabulis earumque personis; quid ex Homeri carminibus repeti licet? (119—152).
4. de fabularum (vel tragoediarum vel comoediarum) compositione (v. 153—192).
5. de choro tragico (v. 193—220).
6. de carmine satyrico (v. 221—250).
7. de iambo et senario iambico (v. 251—274).
8. de Graecorum arte dramatica (v. 275—294).
9. de Romanorum poëtarum vitiis (v. 295—308).

10. quibus poëtae studiis formandi sunt? (v. 309—332).
11. quid propositum est arti poëtarum? (v. 333—390).
12. quantum generi humano poëtae prosunt? (v. 391—407).
13. quae res (ars an natura) requiruntur ad carmina componenda? (v. 408—452).

III. Conclusione (v. 453—472) describuntur poëtae quales plerumque ac praecipue Horatii aetate fuerunt.

Haec rerum dispositio etsi non ad artis dialecticae praecepta accommodata est — id quod poëtis facile condonamus — tamen satis idonea videtur neque probanda sunt eorum conamina, qui vel eiciendis (Peerlkamp, Lehrs, O. Ribbeck), vel transponendis (M. Schmidt) partibus singulisque versibus subtilem accuratumque ordinem restituere studuerunt.

Quo tempore haec epistula scripta sit accurate definiri non potest. Plerique eam omnium extremam compositam esse censent, O. Michaelis anno fere 734 eam tribuit, Vahlen anno 736. Nobis videtur Horatius aetatis annis extremis composuisse hanc epistulam, sed nec absolvisse nec edidisse. Eo varietatem inscriptionis locique referendam esse censemus.

Humano capiti cervicem pictor equinam
Iungere si velit et varias inducere plumas
Undique collatis membris, ut turpiter atrum

1-5. In exordio (v. 1—37) hoc potissimum inculcat, *simplex dumtaxat et unum* esse debere quodvis artis opus. Unde oppositionis causa primum proponit foedum ac ridiculum monstrum, in quo nullum est vestigium simplicitatis illius, quam nunc *unitatem organicam* dicere solemus. „Nec φαντασίας audacia se quisquam excuset, ubi in illam peccarit; neque vero singulae descriptiones ac ῥήσεις per se fortasse pulcherrimae, illa ubi deest, poëma aliquod absolutum ac perfectum reddunt.“ — *Humano*] Ipsa verborum collocatione (chiasmo) ἀντίθετα *Humano equinam, capiti cervicem* evidentiora fiunt. — *varias*] „disparium colorum.“ — *inducere plumas*] penicillo adiungere.“ SCHOL. Plin. n. h. 35, 6, 26: *Si* (pictores) *purpuram facere malunt, caeruleum sublinunt, mox purpurissum ex ovo inducunt* (in superficie). „Cetera membra praeter caput humanum et piscis caudam insuper plumis variegare, adeo ut totum monstrum compositum sit ex muliere, equo, aliis animalibus (nominatim in trunco et pedibus), avibus et pisce“, probe ut Vergilii Scylla Aen. 3, 426: *Prima hominis facies et pulchro pectore virgo Pube tenus, postrema immani corpore pistrix, Delphinum caudas utero commissa luporum.* — *collatis membris*] Non est dativus v. *inducere*, sed ablativus absolutus: „cum undique ita conferantur membra, *ut*“ cet. — *turpiter atrum*] Sic iunge, non *tur-*

Desinat in piscem mulier formosa superne,
Spectatum admissi risum teneatis, amici? 5
Credite, Pisones, isti tabulae fore librum
Persimilem, cuius velut aegri somnia vanae
Fingentur species, ut nec pes nec caput uni
Reddatur formae. Pictoribus atque poëtis
Quidlibet audendi semper fuit aequa potestas. 10
Scimus, et hanc veniam petimusque damusque vicissim,
Sed non ut placidis coëant immitia, non ut
Serpentes avibus geminentur, tigribus agni.

A. P. 7. *aegri* cod. maior pars, *aegris* Bernensis antiquissimus (B) OR paucique alii, def. O. Keller.

piter desinat. Cfr. Ep. 1, 3, 22: *ingenium-turpiter hirtum.* — *in piscem*] „in beluam marinam, id est, pistricem.“ ACR. — *Spectatum admissi*] Ubi tabulam finierat pictor, primum familiares suos spectatum advocabat — Ceterum graviter reprehendit aequalium in talibus picturis perversam licentiam Vitruvius 7, 5: *Pinguntur* (nunc) *tectoriis monstra potius quam ex rebus finitis imagines certae: -- ex coliculis flores dimidiata habentes ex se exeuntia sigilla, alia humanis, alia bestiarum capitibus similia: haec autem nec sunt nec fieri possunt nec fuerunt. -- Neque picturae probari debent, quae non sunt similes veritati.*

6-9. *isti*] contemptim. — *vanae*] „in rerum natura haud reperiendae, nequaquam verae.“ — *Fingentur*] Haec est legitima temporum consecutio: *fore fingentur*, non *finguntur*. Tibull. 1, 4, 65: *Quem referent Musae, vivet* cet., ubi alii male *referunt.* — *nec pes*] Plaut. Asin. 729: *nec caput nec pes sermoni adparet.* Cic. ad Fam. 7, 31, 2: *tuas res ita contractas, ut, quemadmodum scribis, nec caput, nec pedes.* — *uni*] Est adiectivi prolepsis poëtica: ita, ut una, certa ac finita, sit.“ — *Reddatur*] „conformetur ac respondeat.“ Natura rerum *dat*, poëta *reddit* ut debitum. — *formae*] Hoc v. complectitur et eam, quam nos dicimus interiorem formam, *ἰδέαν*, exemplar, quod artificis menti obversatur, et exteriorem, quam nobis proponit artifex vel poëta.

9—13. *Pictoribus* cet.] Est *ὑποφορά* (*subiectio*) e mente et ore ficti adversarii, quam statim sequitur *ἀνθυποφορά* (*responsio*): *Scimus* cet. — *Quidlibet audendi*] Diphilus apud Athen. 6, 1: *Ὡς οἱ τραγῳδοί φασιν, οἷς ἐξουσία Ἔστιν λέγειν ἅπαντα καὶ ποιεῖν μόνοις.* Lucian. Pro imagg. 18: *Παλαιὸς οὗτος ὁ λόγος, ἀνενθύνους εἶναι καὶ ποιητὰς καὶ γραφέας.* — *aequa*] Non est „par utrisque,“ sed „iure permissa et omnibus ultro concedenda,“ ut dicimus *aequam legem, aequa iura.* — *Scimus*] „Hoc,“ respondet ficto adversario, „equidem numquam negavi.“ — „*Petimus* quasi poëtae, *damus* quasi critici.“ ACR. — *placidis-immitia*] Ut si in tragoedia saevus aliquis tyrannus repente fieret rex clementissimus ac iustissimus. „Arcte,“ inquit, „copulari res insociabiles et contrariae a poëta non debent.“ — *coëant*] Cfr. Ep. 1, 5, 25: *ut coëat par Iungaturque pari.*

Inceptis gravibus plerumque et magna professus
Purpureus, late qui splendeat, unus et alter 15
Adsuitur pannus, cum lucus et ara Dianae
Et properantis aquae per amoenos ambitus agros
Aut flumen Rhenum aut pluvius describitur arcus.
Sed nunc non erat his locus. Et fortasse cupressum
Scis simulare: quid hoc, si fractis enatat exspes 20
Navibus, aere dato qui pingitur? Amphora coepit

18. *Rhenum* codices fere omnes, *Rheni* perpauci.

14—18. *Inceptis* cet.] „Poëmata epica et tragoediae, quae magna quaedam ac *non prius audita* promittunt, saepe in eo peccant, quod scriptores falsis lenociniis utentes hic illic non suo loco ornatum adhibent. — *Purpureus* -- *Adsuitur pannus*] Intellege vel de togae praetextae lato clavo vel de instita stolae. V. *adsuitur* ipsum significat huiusmodi descriptiones plerumque supervacaneas esse; loquitur enim maxime de intempestivis a re digressionibus, ἐπεισοδίοις. Singulis autem quae mox memorat notare videtur certa quaedam suae aetatis poëmata, veluti probabiliter Furium Bibaculum in flumine Rheno. Cfr. Sat. 1, 10, 37. — *lucus*] Respicit ad h. l. Persius 1, 10: *nec ponere lucum artifices;* veluti si Verg. Aen. 3, 676: *quales cum vertice celso Aëriae quercus aut coniferae cyparissi Constiterunt, silva alta Iovis lucusve Dianae,* cum dixit, deinceps in his describendis diu immoratus esset. Talis autem lucus copiose describi poterat et in utraque Iphigenia et ubi Dianam Nemorensem Ariciae cultam memoraret poëta. — *Et properantis* cet.] Versus ipsis numeris suis praeclare conformatus est ad rivi amoeni cursum imitandum. — *flumen Rhenum*] adiectiv. ut Od. 4, 4, 38: *Metaurum flumen.* Tacit. Hist. 4, 12: *mare Oceanum.* — *arcus*] qui quomodo non per putidam digressionem nec per inanes ambages, sed poëtice describendus esset, demonstravit Vergilius Aen. 4, 700: *Ergo Iris croceis per caelum roscida pinnis, Mille trahens varios adverso sole colores, Devolat.*

19-23. *cupressum*] „Cupresso nihil facilius pingi potest.“ VICUS. „Proverbium est in malum pictorem, qui nesciebat aliud pingere quam cupressum. Ab hoc naufragus quidam petivit, ut voltum suum et naufragium exprimeret. Ille interrogavit, num ex cupresso vellet aliquid adpingi; quod proverbium Graecis in usu est: *μή τι καὶ κυπαρίσσου θέλεις;*“ SCHOL. Qua in imagine haec latet sententia: „Nihil sane opus est ornamentis supervacaneis et ad propositum minime pertinentibus; immo talia quodque poëma turpiter dedecorant.“ — *simulare*] „μιμεῖσθαι, penicillo exprimere.“ Cfr. Ep. 2, 1, 241. — *exspes*] Vocab. est iam Accianum: Non. p. 12 M. in Eurysace: *ille orbus, exspes liberum,* idem Medea: *exsul inter hostis, exspes, expers, desertus, vagus.* Iuven. 14, 301: *mersa rate naufragus assem Dum rogat et picta se tempestate tuetur.* Cfr. Sat. 2, 1, 33. — *Navibus*] Haeserunt in hoc plurali, cum de uno naufrago agatur; verum eo tristior fit imago, si plures simul naves procellae impetu opprimuntur. — *Amphora*]

Institui: currente rota cur urceus exit?
Denique sit quidvis simplex dumtaxat et unum.
Maxima pars vatum, pater et iuvenes patre digni,
Decipimur specie recti: brevis esse laboro, 25
Obscurus fio; sectantem levia nervi
Deficiunt animique; professus grandia turget;

26. *levia* codices et edit. paene omnes, *lenia* Regii duo e codice Achillis Statii Bentleius, Meineke in ed. 1., L. Spengel.

Nova imago: „talibus digressionibus fit, ut prodeant poëmata deformia, quorum exitus nequaquam respondet argumento, quod tractandum susceperat scriptor.“ — *coepit Institui*] constructione a Cicerone numquam usurpata pro *coepta est institui*. Vid. Excursum II. — Proverbium erat Graecum *ἐν τῷ πίθῳ τὴν κεραμείαν ἐπιχειρεῖν μανθάνειν*. Plat. Gorg. p. 514 E. Laches p. 187. B. — *rota*] figulari — *urceus exit*] Qui temere ac fortuito rem peregit figulus, h. l. poëtae caeco impetu abrepti est imago. *Urceus* autem vas, si non minus amphorâ — nam *urceum, quod capiat quadrantalia quinque* memorat Cato R. R. 13. —, saltem formae ab amphora prorsus diversae. Ad v. *exit* cfr. Pers. 1, 45: *Non ego, cum scribo, si forte quid aptius exit, Quando haec rara avis est, si quid tamen aptius exit, Laudari metuam.* — *Denique*] „Ad summam,“ „ut quae dixi brevi complectar.“ — *quidvis*] „quodcumque poëma; cuius generis, nunc nihil refert.“ — *simplex dumtaxat*] „Nisi aliis virtutibus, certe hac sit praeditum simplicitatis,“ HAND Turs. II. pag. 336. Est autem *simplex*, „cuius singulae partes sibi non repugnant, ut altera alteri obsit eamve tollat;“ vel, si mavis, ut explicavit Lambinus: „non ex partibus dissimilibus compositum.“ — *unum*] „una forma organica;“ *ὥσπερ ζῷον ἓν ὅλον*, Aristot. Poët. 23, 1.

24-27. *Decipimur* cet.] Iam vitia omni poësis generi communia, in quae poëtae facile incurrant, enumerat, ac se quoque in errorem incidere posse ingenue fatetur. — *specie recti*] „id quod rectum et vere pulchrum nobis saepe immerito videtur, unice sectantes, propterea quod ab eo in errorem deducimur, haud raro in vitia incidimus.“ Postquam primarium illud praeceptum de operis unitate constituenda et servanda dedit, ad stili artem transit. — *brevis* cet.] Quintil. 8, 3, 82: *Hoc* (*βραχυλογίαν*) *male imitantes sequitur obscuritas.* — *levia*] Hoc agnoscunt iam Scholiastae exponentes: „splendentia.“ Et Graeci et Latini *τὴν λειότητα*, *levitatem*, non solum *τῇ τραχύτητι*, *asperitati*, sed etiam *τῇ δεινότητι*, *τῷ παθητικῷ καὶ ἐμψύχῳ*, *animis*, *nervis*, *viribus* opponunt; ut Quintil. 8, 3, 6: *nec effeminatam levitatem--amet, sanguine, et viribus niteat.* Idem 10, 1, 52 Hesiodo tribuit *levitatem verborum et compositionis probabilem.* Dionys. Halic. de vett. scriptt. censura 2, 2: *Ἡσίοδος μὲν γὰρ ἐφρόντισεν ἡδονῆς καὶ ὀνομάτων λειότητος καὶ συνθέσεως ἐμμελοῦς· Ἀντίμαχος δ' εὐτονίας καὶ ἀγωνιστικῆς τραχύτητος καὶ τοῦ συνήθους· τῆς ἐξαλλαγῆς.* Pro lectione *lenia* afferunt Cic. Brut. 177: *lenitas eius* (C. Iulii L. F.) *sine nervis.* — *professus grandia* cet.] „Qui sublime genus dicendi affectat, fit turgidus.“ Quintil. 10, 2, 16: *plerumque* (imi-

Serpit humi tutus nimium timidusque procellae;
Qui variare cupit rem prodigialiter unam,
Delphinum silvis adpingit, fluctibus aprum. 30
In vitium ducit culpae fuga, si caret arte.
Aemilium circa ludum faber unus et unguis

32. *unus* Graevianus pr., Oxoniensis Bentlei, Ioannes Sarisberiensis in praef. l. VI, recepit Bentl. et post eum plerique; *imus* codices plerique.

tatores) *declinant in peius et proxime virtutibus vitia comprehendunt fiuntque pro grandibus* (vel *grandiloquis* Cic. Orat. 20) *tumidi.*

28—31. *Serpit humi* cet.] Duae imagines sunt contractae, eius, qui numquam ad altiora eniti conatur, et eius, qui procellarum formidine litus radit. Hoc autem *humile* dicendi genus (Quintil, 8, 5, 32: *Huic quibusdam contrarium studium, qui fugiunt ac reformidant omnem in dicendo voluptatem, nihil probantes nisi planum et humile et sine conatu.* — *Ita, dum timent, ne aliquando cadant, semper iacent.* Ep. 2, 1, 250: *sermones repentes per humum.)* Graeci similiter τὸ χαμαιτυπές, χαμαιπετές, vocant. — *tutus*] Sic ἀσφαλής, Plato Soph. p. 231 A., pro cauto.“ — *timidusque procellae*] Eadem metaphora Od. 2, 10, 1: *Rectius vives, Licini, neque altum Semper urgendo neque, dum procellas Cautus horrescis, nimium premendo Litus iniquum.* De genitivo cfr. Ovid. Metam. 5, 100: *timidusque deorum.* — *Qui variare* cet.] „Qui amore novitatis variare argumentum cupit partim fabulis prorsus ineptis atque incredibilibus, partim imaginibus nimis audacibus, eo devenit, ut monstruosum evadat poëma.“ *Variare* autem, ποικίλλειν, est efficere, ut *una* (eadem) *res* sine necessitate ac sine lectoris oblectatione praebeat plures adspectus: in quod vitium haud raro inciderunt Ovidius, Seneca tragicus, Lucanus, Statius, qui eandem sententiam compluribus modis exprimunt variisque imaginibus, operose plerumque quaesitis, exornare student, quo scilicet omnes qui legant poëtarum ingenium admirentur, immo stupeant. — *Delphinum*] Est velut proverbium. Ion ap. Plut. Demosth. 3: δελφῖνος ἐν χέρσῳ βία. Rufinus Anthol. Palat. I. pag. 89: Βοσκήσει δελφῖνας ὁ δενδροκόμης Ἐρύμανθος Καὶ πολιὸν πόντου κῦμα θοὰς ἐλάφους. — *in vitium* cet.] „Qui vitia studiose vitat, eo ipso vitiosus solet fieri, si propriis virtutibus poëticis caret.“

32—37. *Aemilium circa ludum*] Est ludus gladiatorius ab Aemilio Lepido constitutus, „quod nunc Polycleti balneum est.“ PORPH. — *faber*] aerarius. — *unus*] „praeter ceteros,“ „melius quam reliqui omnes,“ ut Damasippus Sat. 2, 3, 24: *Hortos egregiasque domos mercarier unus Cum lucro noram.* Reicienda est omnino falsa lectio *imus*, quam, ut in talibus assolet, diversissimis modis interpretati sunt: 1) „*Imus*,“ nomen proprium; 2) „malus et ineptus, adeo ut tunc ceteris omnibus postponeretur; 3) „obscurus,“ ut Od. 3, 1, 15: *insignis et imos;* 4) „ultimus, quod in ima parte Circi tabernam suam locasset.“ COMM. CRUQ. Ille igitur excellebat utique in statuarum suarum capillitio, haud facili capitis parte, et unguibus expri-

Eprimet et mollis imitabitur aere capillos,
Infelix operis summa, quia ponere totum
Nesciet. Hunc ego me, si quid componere curem, 35
Non magis esse velim quam naso vivere pravo,
Spectandum nigris oculis nigroque capillo.
Sumite materiam vestris, qui scribitis, aequam
Viribus et versate diu, quid ferre recusent,
Quid valeant umeri. Cui lecta potenter erit res, 40
Nec facundia deseret hunc nec lucidus ordo.

37. *nigroque* cod. plerique, *nigrove* B, Monac. C.

mendis; sed idem in *operis summâ* (si quis totam operum eius formam spectaret) infelix et reprehensione dignus erat. „Non satis est," inquit, „ut una alterave pars poëmatis excellat, sed tota eius compositio perfecta esse debet." — *mollis*] „ita ut aeque molles (*weichwallend*) viderentur, ac sunt in homine ipso." Tibull. 1, 8, 9: *Quid tibi nunc molles prodest coluisse capillos?* Capillitium vero diligentius expressisse haud parva laus erat artificis. Conf. Plin. n. h. 34, 8, 19: *ipse tamen* (Myro) - - *capillum et pubem non emendatius fecisse* (*videtur*), *quam rudis antiquitas instituisset.* - - *Hic* (*Pythagoras Rheginus*) *primus nervos et venas expressit capillumque diligentius.* Aere autem et accuratius et mollius quam marmore exprimi solebant capilli, donec sub Antoninis marmorarii quoque in hac potissimum parte summa cum diligentia elaborarent. — *imitabitur*] V. *imitari* h. l. idem fere quod exprimere *(nachbilden)*, ut Cic. Brut. 70: *Canachi signa rigidiora esse, quam ut imitentur veritatem.* Ep. 2, 2, 8: *argilla quidvis imitaberis uda.* — *ponere*] „fingere, ut Od. 4, 8, 8: *Sollers nunc hominem ponere, nunc deum.* — *totum*] „omnes operis partes necessarias" (organicas). — *Hunc ego me* - - *Non magis esse velim*] Frequens constructio; sic Cic. de offic. 1, 113: *Quam multa passus est Ulixes in illo errore diuturno, cum* - - *in omni sermone omnibus affabilem et iucundum se esse vellet.* Catil. 1, 4: *Cupio p. c. me esse clementem.* — *pravo*] sensu proprio, „dextrorsum vel sinistrorsum detorto," — *Spectandum*] propter pulchritudinem, ut Od. 1, 32, 11: *Lycum nigris oculis nigroque Crine decorum.*

38-41. Prima κυρία δόξα fuerat de unitate, quam dicunt, organica; iam agit de inventione. — *aequam*] „accommodatam; cui pares sint vires vestrae." — *versate*] animo, „deliberate," imagine tamen desumpta a baiulis, qui onera manibus versant, antequam in humeros tollant. — *quid ferre recusent*] Ep. 2, 1, 258: *nec meus audet Rem temptare pudor, quam vires ferre recusent.* — *potenter*] „secundum posse," barbarum, sed rectum glossema in cod. Turicensi: „κατὰ δύναμιν, pro suis viribus." — *facundia*] „Ea virtus orationis est, qua quae dicuntur non a scriptore, sed ultro, ex se ipsis atque adeo natura prodire videantur, unde Homeri poëmata et picturae Nicomachi a Graecis αὐτοσχέδια dicebantur." VICUS. — *lucidus ordo*] Hic transit ad ordi-

Ordinis haec virtus erit et venus, aut ego fallor,
Ut iam nunc dicat iam nunc debentia dici,
Pleraque differat et praesens in tempus omittat.
In verbis etiam tenuis cautusque serendis, 46
Hoc amet, hoc spernat promissi carminis auctor. 45

42. *aut* Dessauiensis, Lipsiensis, ORSb$\gamma\pi$, *haut* vel *haud* maior pars cod. — 46. 45. Versuum odinem mutavit Bentley probantibus Peerlkampio, Meinekio, Hauptio, Vahlen, L. Müller, O. Keller; 45. 46. eum ordinem habent codices omnes.

nem, quem technographi *διάθεσιν*, dispositionem, vocant. Scr. ad Her. 1, 2, 3: *Dispositio est ordo et distributio rerum, quae demonstrat, quid quibus locis sit collocandum.* Opponitur *τῇ εὑρέσει*, inventioni. *Lucidus* autem *ordo* dicitur, qui per se ipse permultum confert ad argumentum ipsamque orationem perspicuam reddendam.

42—44. *Ordinis*] Consulto quaesita videtur haec quasi *ἀναφορά*. — *venus*] Cfr. v. 320: *Fabula nullius veneris.* Quintil. 6, 3, 18: *Venustum esse, quod cum gratia quadam et venere dicatur, apparet.* — *aut ego fallor*] Hac formula utuntur ii, qui rei a se affirmatae prorsus certi sunt. Seneca de tranq. an. 8, 3: *Aut ego fallor aut regnum est inter avaros, circumscriptores, latrones, plagiarios unum esse, cui noceri non possit.* Propter ignorationem huius usus multi mutarunt in: *haud ego fallor.* — *Ut iam nunc dicat* cet.] Vera h. l. interpretatio haec est: „Ut iam nunc dicat ea, quae revera nunc ipsum dici debent, id est, necessaria, videlicet ea, sine quibus omnino nec sensus poëtae neque historia, quam exponit, neque imagines et comparationes, quibus utitur, a lectore intelligi possent; *pleraque* (permulta) autem, quae alius poëta minus peritus, *toto sacco serens*, etsi non prorsus necessaria iam hic inculcasset, differat in locum magis opportunum atque propterea in praesentiâ omittat, magis artificioso et poëtico ordini studens, ut suspensum teneat lectorem; et quidem ita, ut persentiscat lector acutus, cur hunc *μῦθον*, hanc sententiam vel hanc imaginem *amarit*, ea consulto et cum dilectu quodam (*con amore*) usus sit, alias, in quibus poëta deterior facile luxuriatus esset, sapienter, *spreverit* reservaritque ad alium poëmatis locum, ubi id efficiant, ut priorum rursus memor factus lector utramque poëmatis partem mente connectat.“ — In verbis *differat* et *omittat* minime inest inutilis tautologia; illud enim poëtae consilium significat, hoc consilii exsecutionem. —

45—52. Iam acceditur ad elocutionem, quae apud rhetores etiam alterum in arte locum obtinet, ac primum de facundia desseritur. Hoc ubi perspexeris facile concedes Bentleio versus 45, 46 transponendos esse. Similis est Ciceronis expositio de orat. 3, 149: *Est quidam ornatus orationis, qui ex singulis verbis est; alius, qui ex continuatis coniunctisque constat. Ergo utemur verbis aut iis, quae propria sunt et certa quasi vocabula rerum paene una nata cum rebus ipsis, aut iis, quae transferuntur et quasi alieno in loco collocantur, aut iis, quae novamus et facimus ipsi.* — *tenuis*] ut *λεπτός*, subtilis iudicii, prorsus, ut acci-

Dixeris egregie, notum si callida verbum
Reddiderit iunctura novum. Si forte necesse est
Indiciis monstrare recentibus abdita rerum,
Fingere cinctutis non exaudita Cethegis 50
Continget, dabiturque licentia sumpta pudenter;
Et nova fictaque nuper habebunt verba fidem, si

49. *rerum* BCO, *rerum et* ceteri codices. — 52. *fictaque* codices paene omnes, *factaque* e cod. paucis deterioribus Bentley.

pienda sunt vv. Od. 2, 16, 38: *Spiritum Graiae tenuem Camenae*, ubi male alii interpretantur „parcum." — *cautus*] „cavens praesertim, ne in verbis insit aliquid ambigui aut obscuri aut quod propter ineptam verborum iuncturam sibi ipsi repugnet." — *serendis*] „inter se coniungendis atque recte collocandis. — *Dixeris egregie notum* cet.] Cic. de Orat. 3, 170: *Ita fit, ut omnis singulorum verborum virtus atque laus tribus exsistat ex rebus: si aut vetustum verbum sit, quod tamen consuetudo ferre possit; aut factum vel coniunctione vel novitate;-- aut translatum, quod maxime tamquam stellis quibusdam notat et illuminat orationem.* — *callida*] „occulta quadam arte lectoris mentem movens," ut sunt apud ipsum Horatium *splendide mendax, insanientis sapientiae consultus, animae magnae prodigus* cet. Dionys. Halic. de Comp. 3: *Οὐδέν ἐστι προὔργου λέξιν εὑρεῖν καθαρὰν καὶ καλλιῤῥήμονα, εἰ μὴ καὶ κόσμον αὐτῇ τῆς ἁρμονίας τὸν προσήκοντα περιθήσεις.* — *Si forte* cet.] „Quodsi iam, inquit, ad rem aliquam explicandam verba antiqua non sufficiunt, permittitur poëtae nova fingere" PORPH. — *Indiciis*] *σημείοις*. „*Indicia* verba appellavit; philosophi enim dicunt indicandarum rerum causa inventas esse voces." PORPH. — *abdita rerum*] „notiones novas, quas nemo ante verbis Latinis manifestavit." Cfr. Sat. 2, 2, 25: *vanis rerum.* — *cinctutis*] qui *cinctu* induebantur, „quae erat vestis infra pectus corpus ambiens et ad pedes pertingens; a viris gestabatur loco tunicae, ut expeditiores essent ad agendum; habebant enim soluta bracchia et ad exercendum habiliora." FORC. Hinc Lucanus 2, 543: *exsertique manus vesana Cethegi.* Silius 8, 585 de Cethego: *Ipse umero exsertus gentili more parentum.* (Ovid. Fast. 5, 101: *Semicaper, coleris cinctutis, Faune, Lupercis*, id est, „prope nudis et cinctu tantum pudenda velatis." Haec sola h. v. exempla adhuc reperta sunt.) — *non exaudita*] „verba maioribus nostris ante haec duo saecula plane incognita." — *Cethegis*] Cfr. Ep. 2, 2, 117. — *Continget*] „Aliter fieri non poterit, nisi ut fingas vocabula a veteribus nondum usurpata, attamen huius audaciae prosper erit successus." — *pudenter*] „Sed est modus in hoc quoque servandus, ne nimis crebro ac licenter verbis a nobis factis utamur." Quintil. 1, 5, 71: *Usitatis tutius utimur; nova non sine quodam periculo fingimus.* — *fictaque*] Per se rectum est etiam Bentleii *facta*, sed codd. antiquiss. auctoritate destituitur. — *habebunt-fidem*] „ita probabuntur

Graeco fonte cadent, parce detorta. Quid autem
Caecilio Plautoque dabit Romanus ademptum
Vergilio Varioque? Ego cur, acquirere pauca 55
Si possum, invideor, cum lingua Catonis et Enni
Sermonem patrium ditaverit et nova rerum
Nomina protulerit? Licuit semperque licebit
Signatum praesente nota producere nomen.

53. *cadent* codices plerique, in his Blandinii, *cadant* Dessauiensis, OSbγ, Servius ad Vergil. Aen. 4, 34. — *parce* codices plerique, *arte* B. — 55. *Vergilio* Rpr.γ; cf. ad Od. 1, 3, 6. 24, 10. 4, 12, 13. — — 59. *producere* optimi codices omnes, in his Blandinii, *procudere* e codicibus deterioribus Bentley prob. Meinekio in ed. 1. — *nomen* cod., *nummum* Bentl. ex coni. Luisini.

propter evidentiam atque elegantiam, ut oblata occasione alii quoque iis libenter usuri sint."

53—59. *si Graeco fonte cadent*] maxime in compositionibus ad Graeci sermonis analogiam factis, cuius generis apud Horatium sunt *centimanus, tauriformis, beluosus* (*μεγακήτης*), *inaudax*, *aurum vestibus illitum* (*χρυσόπαστος*), *impariter*, *ἀνίσως* v. 75; item in rebus ad philosophiam et grammaticam pertinentibus, ut *intermundia*, *indifferens*, *qualitas*, *aequilibritas* (*ἰσονομία*, Cic. de nat. deor. 1, 109), *veriloquium*. Sic Cicero *essentiam* (*οὐσίαν*) nec non *indolentiam* (*ἀπάθειαν*) nominavit, addens: *licet enim novis rebus nova nomina imponere;* confer Sidonium Apoll. Ep. Praef. Carm. 14; idem porro valet de constructionibus e Graeco sermone desumptis. Cfr. Quintil. 12, 10, 33: *Tanto est sermo Graecus Latino iucundior, ut nostri poëtae, quotiens dulce carmen esse voluerint, illorum id nominibus exornent. — cadent]* „Comparat verba latina e graeca lingua translata rivis, qui paulatim a fonte deflexi per montes cadunt." FISCHER. Futurum recte respondet praecedenti *habebunt.* — *parce detorta*] „Verum," inquit, „in hoc quoque *parsimonia* opus est, ne nimis graecisset oratio peregrinumque colorem ducat." Sane *detorta* h. l. sunt „deducta, ita ut Graeca esse desinant, vere Latina fiant." Sic iam Cato in quarto originum Prisc. 9, 51, I. pg. 487 H.): *Marrucini vocantur, de Marso detorsum nomen. — Quid autem* cet.] „Quid negatum erit praestantissimis nostrae aetatis poëtis, quod libenter nunc concedunt comicis saeculi sexti atque in his probant?" Cfr. Cic. de fin. 3, 15: *Si Zenoni licuit, cum rem aliquam invenisset inusitatam, inauditum quoque ei rei nomen imponere, cur non liceat Catoni? — Caecilio Plautoque*] Vide ad Ep. 2, 1, 58 sq. — *ademptum Vergilio Varioque*] „Noli colligere ex hoc loco, vixisse etiamtunc Vergilium et Varium; sed hi eius aetatis egregii poëtae contra priscos Caecilium et Plautum ponuntur; utrisque idem novandorum verborum ius vindicatur." DILLENB. — *acquirere pauca*] Admodum modeste: „paucis saltem verbis et constructionibus augere linguam Latinam;" ut videtur hoc ipso loco fecisse in verbo *invideor*, *φθονοῦμαι*, pro *invidetur mihi.* Cfr. Ep. 1, 5, 21: *imperor.* — *Catonis*] Cfr. Ep. 2, 2, 117. — *Enni* Cfr. Od. 4, 8, 20. Ep. 1, 19, 7. 2, 1, 50. — *Signatum* cet.]

Ut silvae foliis pronos mutantur in annos, 60
Prima cadunt, ita verborum vetus interit aetas,
Et iuvenum ritu florent modo nata vigentque.

60. *silvae foliis* cod. et ed. fere omnes, *silvis folia* Bentley. — 62. *vigentque* codices et editiones paene omnes, *virentque* cod. Vaticanus prob. Fea, Meineke.

Plin. n. h. 33, 3, 13: *Signatum est* (aes) *nota pecudum.* Simili imagine Iuven. 7, 54: *qui Communi feriat carmen triviale moneta.* — *praesente nota producere nomen*] Imagine ex parte desumpta a nummis, quorum notae tunc quotannis mutabantur ex arbitrio annuorum triumvirorum monetalium, in altera parte servat verba propria; quem usum Horatianum rem ipsam, *τὸ κύριον*, et imaginem sive *τρόπον* artificiose miscendi et quasi confundendi non satis respiciens Bentleius metaphoram continuavit recepta lectione *procudere nummum.* Verum ut *producere nummum* (veluti in hominum conspectum) significat nummo nuper cuso primum uti in commercio quotidiano, sic *producere nomen* „eo primum uti in sermone vel scripto.“ Ceterum frequens est imago. Quintil. 1, 6, 3: *Utendum plane sermone ut nummo, cui publica forma est.*

Vv. 60—72. ex ipsa vitae humanae natura fluxa et caduca necessitatem linguae semper novandae, ut efficaciam vigoremque suum quam diutissime conservet, magna cum arte demonstrat, insertis elegantibus Augusti laudibus.

60—62. *Ut silvae foliis* cet.] ablat. instrum.; proprie: „silvae per folia quotannis decidentia aliae fiunt.“ Verg. Aen. 6, 309: *Quam multa in silvis autumni frigore primo Lapsa cadunt folia.* Fundus frequentis similitudinis est Il. Z 146: *Οἵη περ φύλλων γενεή, τοιήδε καὶ ἀνδρῶν.* Mimnermus 2, 1: *Ἡμεῖς δ' οἷά τε φύλλα φύει πολυανθέος ὥρη Ἔαρος -- Τοῖς ἴκελοι πήχυιον ἐπὶ χρόνον ἄνθεσιν ἥβης Τερπόμεθα.* Quod Bentley coniecit *silvis folia* iam propter metrum reiciendum: numquam enim Horatius breves syllabas finales produxit ante duas proximi vocabuli consonas, ut Sat. 1, 5, 35: *praemia scribae.* — *pronos*] non tam, ut volt Acro, „volubiles et cito labentes atque instabiles,“ quam „ad finem vergentes,“ ut *pronus Orion* Od. 3, 27, 18; *„per autumnalia tempora.“* HAND Turs. III. p. 335. — *Prima*] Plerique explicant: „quae prius germinaverunt, etiam prius decidunt;“ quae explicatio nec per se foliorum naturâ nititur, siquidem saepe prius decidunt ea, quae posterius nata sunt, neque ad poëticam rationem quidquam attineret ordo decidendi, quem statuit. Optime contra Fischerus: „Folia, quae in arboribus sunt ineunte vere, defluunt autumno extremo.“ „Comparatio enim sic procedit: Ut folia, *primus* silvarum *honos*, anno ad finem vergente decidunt, ita temporis longinquitate *prima* verborum *aetas interit*, alia nascuntur verba, nova, quae et ipsa iuventae ritu florent ac vigent.“ OBBAR. — *vetus-aetas*] „verba inveterascentia atque obsoleta.“ — *ritu*] Cfr. Sat. 2, 3, 268. Sic Lucret. 4, 1265: *quadrupedumque magis ritu.* — *vigentque*] Hanc lect. firmant codd. antiquiss. et est hoc longe venustius, ut verba, quae proprie de iuvenibus usurpantur, ad verba transferantur; nam v. *florere* de

Debemur morti nos nostraque: sive receptus
Terra Neptunus classis aquilonibus arcet,
Regis opus, sterilisve palus diu aptaque remis 65
Vicinas urbis alit et grave sentit aratrum,

65. *Regis opus* codices, *regium opus* Meineke. — *sterilisve* Graevianus, Vossianus, Dessauiensis, ORγ paucique alii, *sterilisque* Leidensis, Lipsiensis, Bbcφψλ. — *palus diu* emend. I. M. Gesner, prob. Meineke, Lachmann, Haupt ed. 2., 3., Vahlen, O. Keller; *diu palus aptaque* codices, ut videtur, omnes; *palus prius* proposuit Bentley; *sterilisque palus pulsataque* Markland, *palus agitataque* L. Müller.

hominibus usurpatum tropi naturam iam exuerat.

63—69. *Debemur* cet.] Simonides fr. 122 Bgk.: θανάτῳ πάντες ὀφειλόμεθα. Ovid. Metam. 10, 32: *Omnia debemur vobis (diis inferis), paulumque morali Serius aut citius sedem properamus ad unam.* Similes sententiae sunt Od. 2, 14, 21 sqq. — *nos nostraque*] Cfr. Ep. 2, 1, 89. — *receptus Terra* cet.] Egregia arte usus Augusti laudes propter magnifica opera publica attexit, peritura haec quoque, ut periere, vaticinans. Heynius ad Verg. Ge. 2, 161: „A. u. c. 717 cum contra Sex. Pompeium male rem gessisset Octavianus Caesar, ut reficiendis classibus locum tutum haberet, Agrippae consilio portum Baianum in sinu Puteolano commodiorem ita reddidit, ut lacum Lucrinum interiecto aggere a mari seclusum cum lacu Averno, qui Lucrino adiacebat, coniungeret, aggerem autem, qui V stadiorum erat, postquam eo perfosso aditum navibus in portum fecerat, ita muniret, ut a fluctibus superari nequiret navibusque tutus intra eum esset receptus. Hic Portus Iulius vocatus. (Nunc est arundinetum palustre, *Mar morto.*)“ Cfr. Sueton. Oct. 16. Dion. Cass. 48, 50. Plin. n. h. 3, 5, 9. 36, 15, 24.“ — *Neptunus*] Cfr. Ep. 1, 11, 10. — *aquilonibus*] pro omnibus procellis, ut Verg. Aen. 4, 310: *Et mediis properas aquilonibus ire per altum.* Est autem ablativus. Cfr. Ep. 1, 8, 10. In prosa oratione: „aquilones arcet a classibus.“ Sed cum verbis arcendi, defendendi, mutandi ἀντίστροφα saepe permutantur. — *Regis opus*] „dignum vel rege potentissimo,“ ut Od. 2, 15, 1: *regiae moles.* — *sterilisve palus diu*] Vix credibile est Horatium ultimam syllabam voc. palus corripuisse, itaque transposuimus verba, ut hiatus esset, v. ad Sat. 1, 9, 38. ‘Communis poëtarum tantum non omnium regula est, ne post vocabulum iambicum in vocalem desinens syllaba acuta ponatur, nisi cum hiatu.’ Lachm. ad Lucret. pg. 176. — *aptaque remis*] „navigabilis.“ — *grave*] „in pinguem humum alte deprimendum.“ — Ceterum omnes explicant cum Acrone et Commentatore Cruquii: „Pomptinas paludes Augustus exsiccavit et habitabiles reddidit iniecto aggere lapidum et terrae;“ addentes ex Sueton. Caes. 44: *siccare Pomptinas paludes* (destinabat Iulius Caesar). Tale tamen Augusti opus a nullo praeterea memoratur; nam quod Schelle confidentius narrat: „Quod Caesar meditatus erat, perfecit Augustus, qui aquaeductibus XV. M. P. institutis Pomptinas paludes siccavit;“ desumptum est ex Sat. 1, 5, 11 seqq., ubi poëta loquitur de fossa navigabili a

Seu cursum mutavit iniquum frugibus amnis
Doctus iter melius: mortalia facta peribunt,
Nedum sermonum stet honos et gratia vivax.
Multa renascentur, quae iam cecidere, cadentque 70
Quae nunc sunt in honore vocabula, si volet usus,
Quem penes arbitrium est et ius et norma loquendi.
Res gestae regumque ducumque et tristia bella

67. *amnis*] *Arnus* cod. Dorvillii. — 68. *facta*] *cuncta* Bentleius coni. firmata a cod. Galeano.

Foro Appii usque ad Fanum Feroniae, quae a. u. c. 717 iam ducta erat, eo igitur tempore, quo hoc paludes siccandi consilium Augustus nondum agitare poterat. — *cursum-iniquum frugibus*] „crebris eluvionibus sata limo obducentem.“ — *amnis*] Minime interpretandum esse cum scholiastis de Velabro ab Agrippa Augusti iussu exsiccato, sed de cursu Tiberis ab Augusto aggeribus correcto (tempore quidem et modo nobis ignoto) demonstravit Fea. Nonnulli huc rettulerunt eluvionem memoratam Od. 1, 2, 13 sqq., a. u. c. 732, post quam Tiberis ripam aggere munitam esse perquam veri simile est. — *Doctus iter melius*] Ep. 1, 14, 29: *rivus, si decidit imber, Multa mole docendus aprico parcere prato.* — *mortalia facta peribunt*] „hominum opera vel magnificentissima, nedum vocabula;“ quo epiphonemate firmatur sententia v. 63 proposita. Lectione *cuncta* tollitur oppositio, quam Bentl. falso vituperat, inter *facta* et *sermones*. *Facta* autem et *opera* etsi semper quidem, ut videtur, in prosa oratione distinguuntur, a poëta hoc discrimen non servari reprehensione caret. Cfr. Ovid. Her. 10, 60: *Non hominum video, non ego facta boum*, βοῶν ἔργα Od. κ 98. — *sermonum*] „consuetudinis loquendi.“ Quintil. 1, 6, 43: *Et sane quid est aliud* vetus sermo *quam vetus loquendi consuetudo?* — *stet*] „firmiter duret stabilisque permaneat.“ — *honos et gratia*] Saepe sic iunguntur *honor et gratia, honor et decor.*

70—72. *Multa renascentur* cet.] Sic Frontonis potissimum aetate permulta verba obsoleta quasi postliminio in sermonem Latinum redierunt. — *usus*, *Quem penes*] „Poëtis licuit vocabulum, quod de hominibus dicebatur, ad res referre ab hominibus agendas.“ HAND Turs. IV p. 424. Scilicet *usui* per prosopopoeian quandam ab Horatio tyranni vices tribuuntur. — *arbitrium-et ius et norma*] Consulto cumulat vocabula, quo demonstret necessarium esse, ut vocabula a singulis vel facta vel composita a consuetudine approbentur, id est, ut a multis illico tamquam recta et apta usurpentur: *arbitrium* autem, quod statuimus nulla causa allata; *ius*, facultas, quam ceteri ultro agnoscunt; *norma*, regula a nobis praescripta, cui ceteri obtemperant. Hunc autem triplicem voluntatis nostrae exsequendae modum usui loquendi attribuit poëta. Cfr. Ep. 2, 2, 119: *Adsciscet nova* (vocabula), *quae genitor produxerit usus.*

73—78. Iam expositis generalibus de inventione, dispositione, stilo praeceptis vv. 73—85 prae-

Quo scribi possent numero, monstravit Homerus.
Versibus impariter iunctis querimonia primum, 75
Post etiam inclusa est voti sententia compos.
Quis tamen exiguos elegos emiserit auctor,
Grammatici certant, et adhuc sub iudice lis est.
Archilochum proprio rabies armavit iambo;

cipua poësis genera enumerat ac describit, carmen epicum, elegiam, iambos, comoediam, tragoediam, genus lyricum, singula praesertim ab aptissimo singulis versuum genere designans. — *Quo scribi possent*] Adde: „neque vero alio scribi deberent.“ Aristot. Poët. 24, 5: *Τὸ δὲ μέτρον τὸ ἡρωϊκὸν ἀπὸ τῆς πείρας ἥρμοκεν· εἰ γάρ τις ἐν ἄλλῳ τινὶ μέτρῳ διηγηματικὴν μίμησιν ποιοῖτο ἢ ἐν πολλοῖς, ἁπρεπὲς ἂν φαίνοιτο.* — *numero*] h. l. hexametris. — *Versibus impariter iunctis*] „hexametris et pentametris alternantibus.“ Charisius 2 p. 202 K.: *Impariter.* -- *Q. Terentius Scaurus in commentariis in artem poëticam lib. X: Adverbium, inquit, figuravit;* id est: Horatii (saltem nunc, postquam tot scriptores Latinos perdidimus) est *ἅπαξ λεγόμενον*, Graecorum *ἀνίσως*. — *querimonia*] non de spretis a puellis poëtarum amoribus, sed luctus et maeror de amicis vel civibus egregiis morte ereptis. *Θρηνώδη*, lugubrem, igitur putavit fuisse ab initio elegiam, secutus, ut videtur, notam illam notationem ab *ἐ ἐ λέγειν*, quam firmavit Godofr. Hermannus in diurnis Marburg. „Lugendi formula est *ἐ ἐ λέγε*, ex eaque et origo carminis elegiaci -- et appellatio explicari potest. Vix enim dubitandum videtur, quin antiquissimi illius lugubris carminis ea ratio fuerit, ut pentametrorum posterior pars haec esset: *ἐ ἐ λέγ' ἐ ἐ λέγε.* Illi igitur versus recte dicti sunt *ἔλεγοι.*“ — *voti-compos*] maxime in rebus amatoriis. „Post *θρηνητικὴν* elegiam,“ inquit, „orta est *ἐρωτική*,“ cuius Mimnermus auctor et exemplar erat; Callini ac Tyrtaei *προτρεπτικὴν* illam et *διδακτικὴν* Solonis ac Theognidis non memorat. — *sententia*] „sensus animi, quo quisque in amore fertur.“ — *exiguos elegos*] „tenues atque humiles,“ ubi compararis eorum et argumenta et metrum cum carminibus epicis. Ovid. Am. 2, 1, 11: *Blanditias elegosque leves, mea tela, resumpsi.* — *Grammatici certant* cet.] Haec cum leni ironia in incertas atque inanes Grammaticorum Alexandrinorum disquisitiones dicta videntur. Orion p. 58: *Εὑρετὴν δὲ τοῦ ἐλεγείου φασὶν οἱ μὲν τὸν Ἀρχίλοχον, οἱ δὲ Μίμνερμον· οἱ δὲ Καλλῖνον παλαιότερον· οὕτω Δίδυμος* (Horatii aequalis) *ἐν τῷ περὶ Ποιητῶν.* Quae posterior opinio non sine causa invaluit; certe omnium, quae ad nos pervenerunt, antiquissima est Callini elegia: *Μέχρις τεῦ κατάκεισθε; κότ' ἄλκιμον ἕξετε θυμόν, Ὦ νέοι; οὐδ' αἰδεῖσθ' ἀμφιπεριπτίοναις;* Stob. T. 51, 19. Floruisse autem videtur circiter a. 730 a. Chr., Archilochus a 715.

79—82. *Archilochum*] Dio Chrys. 33. p. 5. R. p. 454 Emp.: *Δύο ποιητῶν γεγονότων ἐξ ἅπαντος τοῦ αἰῶνος, οἷς οὐδένα τῶν ἄλλων ξυμβαλεῖν ἄξιον, Ὁμήρου τε καὶ Ἀρχιλόχου, τούτων Ὅμηρος μὲν σχεδὸν πάντα ἐνεκωμίασε, -- Ἀρχίλοχος δ' ἐπὶ τὴν ἐναντίαν ἦκε, τὸ ψέγειν, ὁρῶν, οἶμαι, τούτου μᾶλλον δεομένους τοὺς ἀνθρώπους, καὶ πρῶτον αὐτὸν ψέγειν.* — *ra-*

Hunc socci cepere pedem grandesque cothurni, 80
Alternis aptum sermonibus et popularis
Vincentem strepitus et natum rebus agendis.
Musa dedit fidibus divos puerosque deorum
Et pugilem victorem et equum certamine primum
Et iuvenum curas et libera vina referre. 85
Descriptas servare vices operumque colores

bies, Cfr. Epod. 6, 13 Ep. 1, 19, 25. — *proprio*] ab ipso invento, ut tradunt antiqui plerique; saltem tam egregie tractaverat, ut perpetuum eius exemplar maneret, quippe qui versus invectivis maxime aptus esset. — *iambo*] Ovid. Ib. 53: *Postmodo, si perges, in te mihi liber iambus Tincta Lycambeo sanguine tela dabit.* Aristot. Poët. 4, 8: *ἐν οἷς (τοῖς τῶν φαύλων ψόγοις) καὶ τὸ ἁρμόττον ἰαμβεῖον ἦλθε μέτρον· διὸ καὶ ἰαμβεῖον καλεῖται νῦν, ὅτι ἐν τῷ μέτρῳ τούτῳ ἰάμβιζον ἀλλήλους.* — *Hunc socci* cet.] „Et comoedia et tragoedia potissimum senario usa est.“ Cfr. Ep. 2, 1, 174. — *grandesque cothurni*] Sat. 1, 5, 64: *tragicis--cothurnis.* — *Alternis aptum sermonibus*] Aristot. Poët. 4, 14: *Μάλιστα λεκτικὸν τῶν μέτρων τὸ ἰαμβεῖόν ἐστιν· σημεῖον δὲ τούτου· πλεῖστα γὰρ ἰαμβεῖα λέγομεν ἐν τῇ διαλέκτῳ τῇ πρὸς ἀλλήλους, ἑξάμετρα δὲ ὀλιγάκις.* Cic. Orat. 191: *pes iambicus orationi simillimus; qua de causa fieri, ut is potissimum propter similitudinem veritatis adhibeatur in fabulis.* — *popularis Vincentem strepitus*] „altius sonantem in scena quam clamor populi.“ ACR. „Etsi strepit interdum spectatorum pars, nihilominus a reliquis facile exaudiuntur iambi propter ipsum numerorum genus, in quo facillime aures animadvertunt *ἄρσεις* et *θέσεις*.“ — *natum rebus agendis*] Arist. Poët. 24, 5: *Τὸ ἰαμβικὸν καὶ τετράμετρον κινητικά, τὸ μὲν ὀρχηστικόν, τὸ δὲ πρακτικόν.*

83—85. *Musa dedit* cet.] Poësis lyricae varia genera enumerat, hymnos, paeanes, dithyrambos, heroum laudes, *ἐπινίκια*, *ἐρωτικά*, *παροίνια*, omittens *θρήνους*, Cfr. Od. 4, 2, 10 sqq. Construe autem: *Musa dedit fidibus*, id est, generi lyrico, *referre divos*, non *referre divos fidibus*. Cfr. v. 323: *Grais dedit ore rotundo Musa loqui.* — *puerosque deorum*] „semideos, heroes.“ — *equum-primum*] „victorem,“ ut Pindarus Olymp. 1, 18. *Φερενίκου*, Hieronis equi, meminit. — *libera vina*] de *παῤῥησίᾳ* compotantium, ut Sat. 1, 4, 89: *Condita cum verax aperit praecordia Liber.* Sat. 2. 8. 37: *Potores-maledicunt liberius.* Cfr. v. 224: *potus et exlex.* Non: „larga vina.“

86—92. *Descriptas-vices*] „Cum varia haec, quae enumeravit, poësis *opera* s. genera certis legibus semel *descripta*, id est, singulatim constituta et divisa sint a Graecis potissimum, his legibus, quarum causa et ratio inest in ipsa mentis humanae natura, religiose obtemperandum est; quique eas leges vel non vovit vel licenter migrat, poëtae nomine indignus est. Imprimis autem vitanda prava generum confusio ac permixtio,“ cuius exemplum statim subiungit v. 89. — *colores*] Hoc vocabulum complectitur et dicendi genus (stilum quem dicimus, Graeci *τὸν χαρακτῆρα τοῦ*

Cur ego si nequeo ignoroque poëta salutor?
Cur nescire pudens prave quam discere malo?
Versibus exponi tragicis res comica non volt;
Indignatur item privatis ac prope socco 90
Dignis carminibus narrari cena Thyestae.
Singula quaeque locum teneant sortita decentem.
Interdum tamen et vocem comoedia tollit,
Iratusque Chremes tumido delitigat ore;

92. *decentem* Blandinius antiquissimus, Bernensis antiquissimus, aliique pauci, recep. Bentley, Meineke, Haupt, Vahlen, L. Müller; *decenter* codicum maior pars, Orelli, O. Keller.

λόγου, ἁδρόν, ἰσχνόν, μέσον. Gell. N. A. 7, 14, 1) et versificationem cuique generi aptam, cuius praecepti violati illustre dederat exemplum Chaeremon, qui *ἐποίησε Κένταυρον μικτὴν ῥαψῳδίαν ἐξ ἁπάντων τῶν μέτρων.* (Aristot. Poët. 1, 12.) Hoc sensu v. *color* saepe usurpat Quintilianus v. c. 9, 4, 17: *gratiam-simplicis atque inaffectati coloris.* Cfr. v. 236. — „*si nequeo*] per naturum; *ignoroque*, per artem, quam non didici.“ COMM. CRUQ. — *poëta salutor*] „appellor poëta ab omnibus, et ego tam honorificum nomen non recuso?“ — *pudens prave*] „inepte pudens, cum verear et dubitem facere ea, quae facere recte possim et debeam.“ Cfr. Ep. 2, 16, 24: *pudor malus.* — *privatis--carminibus*] „sermone versibusque hominum privatorum vitae quotidianae, qualem imitatur comoedia, aptis, non heroum tragicorum actionibus ac facinoribus. Quodsi tam imperite aliquis genera confundat, *indignatur* lector;“ pro quo, ut simul exemplum afferat, cenam Thyestae, summi horroris tragici argumentum (cfr. Od. 1, 6, 8. Epod. 5, 86), ponit. Ea vero *narrat* ὁ ἐξάγγελος, cum in scenam produci non possit. — 93. 94. *Interdum tamen* cet.] „Noli,“ pergit, „cunfundere *χαρακτῆρα* tragoediae et comoediae; quamquam probe novi, iram aliosque vehementiores personarum comicarum affectus partim sublimiore, partim acriore genere dicendi exprimendos esse, quam ubi tranquillus est animus eorum, qui in scena comparent.“ — *vocem-tollit*] Huius versiculi meminit Donatus ad Terent. Adelph. 5, 3, 3 (v. 789): DEMEA. *Ei mihi, quid faciam? quid agam? quid clamem aut querar? O caelum, o terra, o maria Neptuni!* Sic pater Caecilianus apud Cic. pro Cael. 37: *Nunc enim demum mihi animus ardet, nunc meum cor cumulatur ira.* — *Iratusque Chremes*] ille Terentianus Heautont. 5, 4, v. 1024 sq. ubi irascitur filio Clitiphonti propter meretricis amorem nimis prodigo eumque acriter castigat. Cfr. Sat. 1, 4, 48. — *tumido ore*] Proprio sensu hic commode interpretari possumus. Seneca de Ira 1, 1, 4: *Irascentium--foeda visu et horrenda facies depravantium se atque intumescentium.* 2, 35: *tumescunt venae, concutitur crebro spiritu pectus, rabida vocis eruptio colla distendit.* — *delitigat*] Alibi non-

Et tragicus plerumque dolet sermone pedestri 95
Telephus et Peleus, cum pauper et exsul uterque
Proicit ampullas et sesquipedalia verba,

dum repertum esse videtur hoc verbum. Simile est Ovid. Met. 11, 331: *delamentatur*.

95. 96. *tragicus*] Male olim puncto post v. *pedestri* posito explicabant vel „tragicus actor" vel „tragicus scriptor;" artissime enim iungendum est cum verbis *Telephus et Peleus*, quae personae semper sunt tragicae. Sic Cicero in Pis. 47: *Ergo te--non tragico illo Oreste aut Athamante dementiorem putem?* Sic etiam *comicos stultos senes* dixit Caecilius Statius apud Cic. Cat. m. 36, *comicam moecham* Prop. 5, 5, 44. — *plerumque*] „ubicumque eiusmodi partes, quales sunt Telephi cet., inducuntur." — *sermone pedestri*] τῷ πεζῷ λόγῳ, simplici atque minime τὸ ὕψος affectante. Demetr. Phal. 28: Ἁπλοῦν καὶ ἀποίητον βούλεται εἶναι τὸ πάθος. — *Telephus*] Telephi, Herculis filii ex Auge Alei, Mysiae regis, filia fabulas lege apud Diod. 4, 34. Hygin. 99-104. Telephus, qui miseriae humanae exemplum est etiam apud philosophos (vid. Synesium Narrat. Aeg. p. 31 Krabinger), tragice tractatus est ab Aeschylo, Sophocle, Euripide, Agathone, Ennio, Accio; sed hic et v. 104 personas ipsas potius quam certas quasdam fabulas respexit. Cfr. Epod. 17, 8. — Peleus] „Peleus, pater Achillis, ipse filius Aeaci, duos habuit fratres, Telamonem ex eodem patre et matre, Phocum ex patre tantum, sed natum dea marina, Salmace nomine, quem ipse interfecit, inde furiis exagitatus et exsilio damnatus est. Tandem receptus hospitio a Ceyce filio Solis a caede expiatur." ACR. NANNII. Cfr. Od. 3, 7, 17. „Hi ambo reges fuerunt, qui amissis regnis ad tantam inopiam devenerunt, ut exsules facti mendicando sibi undecumque victum conquirerent, omissis verbis grandibus et regiis." COMM. CRUQ. — *pauper*] Salse deridetur Euripides aliquotiens ab Aristophane, quod Telephum pannosum et mendicum induxerat, quo spectatorum misericordiam vehementius moveret. Prodibat enim Πτώχ' ἀμφίβλητα σώματος λαβὼν ῥάκη Ἀρκτήρια τύχης, Eurip. fr. Telephi 698 N. et ibid. fr. 701: Μή μοι φθονήσητ', ἄνδρες Ἑλλήνων ἄκροι, Εἰ πτωχὸς ὢν τέτληκ' ἐν ἐσθλοῖσιν λέγειν. Similiter apud Ennium trag. Rom. ed. Rib. v. 285. *Regnum reliqui*, inquit, *saeptus mendici stola*. Accio ibid. v. 617 est *opertus squalitate luctuque horrificabili*. Poterat autem *exsul* dici Telephus et cum ex Arcadia oraculi iussu matrem quaesitum in Mysiam ad Teuthrantem regem est profectus, et cum volneratus ab Achille Argis Graecorum principum concilium, ut ab eodem sanaretur, precatus est.

97. 98. *Proicit*] „respuit, talibus non utitur." — *ampullas*] Primus Horatius verbis Latinis *ampulla* et *ampullari* (Ep. 1, 3, 14) eodem sensu usus esse videtur, quo Graeci λήκυθος et ληκυθίζειν (Strabo 13, p. 609) usurpabant „de oratione nimis ornata (quasi ex colorum ac pigmentorum vase, ληκύθῳ·), ambitiosa et pigmentis veluti tumida." „Hoc a Callimacho sustulit." PORPH. Ille enim tragoediam Μοῦσαν ληκύθειον appellavit fragm. 319. Blomfield. Cic. ad Att. 1, 14, 3: *Totum hunc locum, quem ego varie meis orationibus--soleo pingere, de flamma, de ferro* (*nosti illas* ληκύθους), *valde graviter pertexuit.* — *sesqui-*

Si curat cor spectantis tetigisse querella.
Non satis est pulchra esse poëmata; dulcia sunto
Et quocumque volent animum auditoris agunto. 100
Ut ridentibus arrident, ita flentibus adsunt

101. *adsunt* vel *assunt* codices, *adflent* e Grammatico anonymo Bibliothecae Vigorniensis Bentleius, Haupt, Vahlen, L. Müller.

pedalia] Crates apud Meinek. fr. Com. II. I. p. 241: *Ἔπη τριπήχη Θετταλικῶς τετμημένα*, polysyllaba, qualia *ἁμαξιαῖα* vocat Aristophanes. Huiusmodi verba praesertim in compositionibus vocabulorum Latinorum apud veteres tragicos nescio quid affectati habent minusque apposita sunt verae maestitiae ac timori. Gellius 19, 7 ex Laevii Alcesti: *Aurora pudoricolor — curis intolerantibus — Nestor triseclisenex et dulcioreloquus.* Adde *rudentisibilus, velivolitantibus navibus*, similia. — *Si curat cor*] Dedita opera poëta caesuram in hoc versu neglexit, ut ipso versu dissoluto sollicitudinem imitaretur animi rebus adversis afflicti; nec debebat Schelle ex Piscatoris ed. et uno codice Feae recipere: *Si cor spectantis curat tetigisse querella.* Cfr. Pers. 1, 91: *Qui me volet incurvasse querella.* — *tetigisse*] *ἀορίστως*. Cfr. Ep. 1, 17, 5: *quod cures proprium fecisse.*

99. 100. *Non satis est* cet.] Artissime haec (vv. 99—107) connexa sunt cum antecedentibus, quippe cum ille dumtaxat, qui *servat operum colores*, qui *proicit ampullas* cet., intimos spectatorum affectus movere, vel laetitiam vel commiserationem ac maerorem in nobis excitare possit. — *pulchra*] „artis legibus prorsus satisfacientia," quae propter hoc ipsum delectant quidem ingenium, cum eis acclamatur euge, belle, sophôs, sed cor non tangunt. „Sunt quaedam poëmata, quae habent *οἰκονομίαν* et diserta probataque verba, sed interdum carent venustate et dulcedine, quibus opus est ad movendum spectatoris animum." COMM. CRUQ. — *dulcia*] *ψυχαγωγικά*, quae suavi etiam commiserationis voluptate afficiant animos. Eandem doctrinam proponens Dionysius Halicarn. de Comp. 10: *Ἡ Θουκυδίδου λέξις καὶ ἡ Ἀντιφῶντος καλῶς μὲν σύγκειται,-- οὐ μὴν ἡδέως γε πάνυ· ἡ δέ γε Κτησίου καὶ Ξενοφῶντος ἡδέως μέν, ὡς ἔνι μάλιστα, οὐ μὴν καλῶς γε, ἐφ' ὅσον ἔδει·--ἡ δὲ Ἡροδότου σύνθεσις ἀμφότερα ταῦτα ἔχει· καὶ γὰρ ἡ δεῖά ἐστι καὶ καλή.* — *sunto--agunto*] Similia *ὁμοιοτέλευτα*. v. 176. 177. Verg. Aen. 1, 625. 626. 2, 124. 125. 456. 457. 9, 182. 183. Verum inter omnia ista *ὁμοιοτέλευτα* nullum magis a criticis exagitatum est quam illud Vergilii Aen. 10, 804: *omnis campis diffugit arator, Omnis et agricola et tuta latet arce viator.*

101—107. *Ut ridentibus* cet.] Exponit vim *συμπαθείας*. „Sensus intimus ipse efficit, ut laeti simus cum laetis, maesti cum maestis atque utrumvis affectum etiam voltu prodamus." — *adsunt*] „praesto sunt; eos anxie comitantur semper variati spe metuque." Theod. Marcilius narrat in codicibus repertum esse *adflant*, unde coniecit *adflent*, quod repertum etiam in Grammatico anonymo bibliothecae Vigorniensis recepit Bentleius. (Verbum est Plautinum Poenul. 1106.) Sed nimis aperta ac prope putida esset *ἀντίθεσις* cum verbo *arrident*, et mox sequitur

Humani voltus: si vis me flere, dolendum est
Primum ipsi tibi; tunc tua me infortunia laedent,
Telephe vel Peleu; male si mandata loqueris,
Aut dormitabo aut ridebo. Tristia maestum 105
Voltum verba decent, iratum plena minarum,
Ludentem lasciva, severum seria dictu.
Format enim natura prius nos intus ad omnem
Fortunarum habitum; iuvat aut impellit ad iram,
Aut ad humum maerore gravi deducit et angit, 110
Post effert animi motus interprete lingua.
Si dicentis erunt fortunis absona dicta,
Romani tollent equites peditesque cachinnum.

113. *equitesque patresque* („librariorum populo valere iusso") Bentleius.

flere; praeterquam quod, *voltus possintne adflere*, vehementer dubito. — *Humani voltus*] Adiect. *humani* otiosum non est, sed significat: „adsunt propter id ipsum, quod homines sumus et condolescere cum aliis possumus, id quod brutis animalibus negatum est." — *ipsi tibi*] Quintil. 6, 2, 26: *Summa enim circa movendos affectus in hoc posita est, ut moveamur ipsi* cet. — *laedent*] „maestitia me afficient lacrimasque mihi excutient." — *male si mandata loqueris*] „si verba, quae te recitare iubet poëta, intimae illi animi tui sententiae, quam pro condicione tua promere deberes, non respondent (*male mandata*), sed vel tumida sunt vel frigida." Cfr. v. 176: *Ne forte seniles mandentur iuveni partes pueroque viriles.* — *dormitabo*] „nulla attentione te dignabor." — *Ludentem lasciva*] „hilarem iocosa." — *severum seria*] „Inter *serius* et *severus* hoc discriminis est, ut prius fere semper dicatur de rebus, posterius de hominibus." Ruhnkenius ad Terent. Eun. 3, 3, 7.

108-113. *Format enim* cet.] Confirmat praecedens praeceptum his verbis: „Veritas autem haec ἠθῶν καὶ παθῶν a bonis poëtis religiose servata vel ideo necessaria est, quod animorum habitus et affectus maxime pendent ac temperantur ab externis personarum fortunis: quae cuiusque fortuna cum nota sit spectatoribus, suo iure postulant, ut, quae loquitur, cum affectibus tali fortuna concitatis prorsus congruant: quod ni fit, fabula exploditur." — *habitum*] „statum et condicionem." Sic Iuvenal. 9, 18: *Deprendas animi tormenta latentis in aegro Corpore, deprendas et gaudia: sumit utrumque Inde habitum facies.* — *iuvat* cet.] „Vel laetitia nos afficit, vel affligit." — *tollent--cachinnum*] Cic. de Fato 5, 10: *in quo Alcibiades cachinnum dicitur sustulisse.* — *equites peditesque*] Est veluti formula universos Quirites complectens. Cic. de leg. 3, 7: *Censores--equitum peditumque prolem describunto.* Liv. 1, 44: *Omnes cives Romani equites peditesque.* Per iocum Plautus Poen. 831: *Equitem, peditem, libertinum, furem ac fu-*

Intererit multum divusne loquatur an heros,
Maturusne senex an adhuc florente iuventa 115
Fervidus, et matrona potens an sedula nutrix,
Mercatorne vagus cultorne virentis agelli,
Colchus an Assyrius, Thebis nutritus an Argis.

114. *divosne* antiqua scriptura BR, *divusque* E, *divusne* superscr. *a*, ut sit *Davusne* pauci. — 117. *virentis* Lipsiensis, Einsidlensis, Monacensis C, BO; *vigentis* maior pars cod.

gitivum velis. — *pedites*] „tenuiore loco orti.“ Nam etiam homines de volgo sympathia tacti persentiscunt, utrum affectus recte an secus expressi sint a poëta.

114. *Intererit multum* cet.] Iam cum in affectus animorum, in sententias, quas proferunt fabularum personae, atque in ipsum cuiusque personae genus dicendi praeter mutabilem fortunam magnam vim exerceat etiam aetas, sexus, vitae genus, stirps, natio, cautionum, quae ex his dissimilitudinibus oriantur, admonet Pisones vv. 113—118. Verum perdifficilis oritur quaestio, utra lectio praeferenda sit, *divusne loquatur an heros*, an *Davusne loquatur an heros;* nam ceterarum, quae vel in metrum peccant, ut *Davusne l. an Heros* (servi nomen esset *Eros*, prima brevi), vel manifestae interpolationi debentur, ut *Davusne loquatur Erosne* (Lamb.), *Davusne loquatur herusne* (Landin.), *divesne loquatur an Irus* (Erasmus), ratio haberi nequit. Externa utriusque lectionis auctoritas fere par est. Equidem propter has potissimum rationes *divusne* praetuli, quia per totum h. l. de tragoedia agit, a qua transit ad Satyros v. 220; satis inconvenienter igitur hic immisceretur persona comica, cum ceterae omnes rite ad tragoediam referri possint. Denique intolerabilis mihi saltem videtur eiusdem servuli Davi repetitio v. 237. V. 227 autem non opponuntur, sed, ut locus ipse requirebat, componuntur *deus* et *heros*. Et qui favent alteri lectioni, quomodo non viderunt re vera differre inter se sermones deorum et horum in tragoediis Graecis? Quippe illi (Apollo et Minerva in Eumenidibus, Minerva in Aiace, Diana in Hippolyto, ceteri) prae se ferunt nescio quid sublimioris spiritus, plus quam humani, vere caelestis, quippe qui summa tranquillitate atque aeterna beatitudine perfruantur, dum vel aestuant vel mortalium aegrimoniis malisque conflictantur heroes.

115-118. *Maturusne senex*] Vid. ad Od. 4, 4, 55. Verg. Aen. 9, 246: *annis gravis atque animi maturus Aletes.* — *iuventa Fervidus*] Sil ἡλικίας ζεούσης Achill. Tat. p. 90. Iacobs. — *matrona potens*] „quae domesticum quasi imperium tenet.“ Iuvenal. 1, 69: *Occurrit matrona potens,* — *sedula nutrix*] ut illa Cilissa in Aeschyli Coëph. 734 seqq. et aliae in Trachiniis et Hippolyto. — *Mercatorne vagus*] ut ἔμπορος in Philocteta. — *cultor--agelli*] tragicus ille αὐτουργὸς in Euripidis Electra. — *virentis*] Agrum pinguem atque uberem nobis ante oculos ponit: *ager vigens* ab ipsa Latinitate respui videtur. — *Colchus*] barbarus ferus et trux, et Aeetes. — *Assyrius*] „Astutum“ exponunt Scholiastae. Est potius „quaevis persona Asiatica, mollis, luxu dif-

Aut famam sequere aut sibi convenientia finge.
Scriptor honoratum si forte reponis Achillem, 120
Impiger, iracundus, inexorabilis, acer
Iura neget sibi nata, nihil non arroget armis.
Sit Medea ferox invictaque, flebilis Ino,

120. *honoratum* codices omnes cons. scholiis, *Homereum* Bentley prob. Meineke, Haupt, Vahlen, *Homeriacum* L. Müller.

fluens, pusilli animi, in rebus adversis meticulosa," ut in Persis Xerxes, in Oreste Phryx. — *Thebis-Argis*] Barbaris opponuntur Graeci, inter quos ipsos rursus est discrimen, ut inter Thebanos, Eteoclem et Creontem, et Argivos, illorum hostes. Cfr. Aeschyli Septem adversus Thebas et Euripidis Supplices. (Ceterum haec omnia exempli dumtaxat causa attuli, non ut credam has ipsas tragoedias solas neque vero alias ante Horatii mentem obversatas esse, cum haec scriberet.)

119. *Aut famam* cet.] Vv. 119-135 haec primaria sententia est: „Aut *μῦθον*, prout semel ab antiquis est traditus, servatis etiam personarum moribus atque tota indole, in tragoedia sequere, neque vero addendo, demendo, mutando eum deforma; nam, qui in talibus res novas molitur, plerumque offendit spectatores, qui volunt Achillem esse verum Achillem, non perverse mixtum cum alia, ut puta, Nestoris vel Ulixi persona; aut si argumentum eliges a nullo adhuc tractatum vel a temet ipso inventum (ut in Agathonis Flore et facta et nomina ficta sunt, Aristot. Poët. 9, 7), fac, ut omnibus eius partibus inter se conveniat ac personarum *χαρακτῆρες* scite serventur; id quod, verum ut fatear, longe difficilius est quam sequi famam antiquam semelque ab omnibus receptam, *μῦθον* a poëtis Graecis traditum.

120—122. *Scriptor*] h. l. „poëta tragicus." — *honoratum* - - *Achillem*] Homeri *ἀγαυόν, κλυτὸν Ἀχιλλῆα*, (*πρῶτον Ἑλλάδος* vocat mater Thetis apud Eurip. Androm. 1237), „tam illustrem ut omnes tamquam summi herois exemplar ultro eum praedicent," ut Cic. Or. 9, 32: *cum praesertim fuisset* (Thucydides) *honoratus et nobilis.* de leg. 1, 11, 32: *honoratis* opponuntur *inglorii.* — *reponis*] „si post tot alios tragicos rursus Achillis personam in scenam reducis." Cfr. v. 190: *Fabula, quae posci volt et spectata reponi.* — *Impiger*] „pugnandi semper cupidus otiumque aspernans." — *inexorabilis*] Il. *I* 636. Aiax ad Achillem: *σοὶ δ' ἄλληκτόν τε κακόν τε Θυμὸν ἐνὶ στήθεσσι θεοὶ θέσαν.* — *acer*] Il. *T* 467: *Οὐ γάρ τι γλυκύθυμος ἀνὴρ ἦν οὐδ' ἀγανόφρων Ἀλλὰ μάλ' ἐμμεμαώς.* — *Iura neget* cet.] „Affirmet nulla se teneri lege, quae aliis imposita sit: immo omnia in armorum vi posita esse." Il. *A* 295 ita Agamemnonem alloquitur: *Ἄλλοισιν δὴ ταῦτ' ἐπιτέλλεο, μὴ γὰρ ἔμοιγε Σήμαιν'. οὐ γὰρ ἔγωγ' ἔτι σοὶ πείσεσθαι ὀΐω.* — *arroget armis*] dativus: „tribuat armis, semper violentus."

123. 124. *Medea ferox*] Medeam *ζαμενῆ* vocat Pind. Pyth. 4, 10. In Neophronis Medea apud Stob. 20, 34, dum liberos perimit (cfr. v. 185), in haec vv. prorumpit: *ἤδη γάρ με φοινία μέγαν Δέδυκε λύσσα θυμόν.* — *invicta*] „inexorabilis." Eurip. Med. 1279. Chorus: *Τάλαιν', ὡς ἄρ' ἦσθα πέτρος*

Perfidus Ixion, Io vaga, tristis Orestes.
Si quid inexpertum scenae committis et audes 125
Personam formare novam, servetur ad imum,
Qualis ab incepto processerit, et sibi constet.
Difficile est proprie communia dicere; tuque

ἢ σίδαρος, ἅτις τέκνων ὧν ἔτεκες Ἄροτον αὐτόχειρι μοίρᾳ κτενεῖς. — *flebilis Ino*] „Ino, uxor Athamantis, Thebarum regis, et ex eo mater duorum filiorum, Learchi et Melicertae. Athamas de venatione rediens, in furorem versus, cum vidisset uxorem cum duobus liberis, putans se leaenam cum duobus catulis videre, irruit in eam et unum de pueris rapiens discerpsit. Illa autem cum altero fugiens se in mare praecipitavit.“ ACRON NANNII. Melicerta autem Neptuni favore in Palaemonem, deum marinum, quem cum suo Portuno s. Portumno confuderunt Latini, mater in Leucotheam s. Matrem Matutam mutati sunt. Ovid. Met. 4, 416 seqq. — *Perfidus Ixion*] Schol. Apollon. Rh. 3. 62: Ἰξίων γαμήσας Δίαν τὴν Ἠϊονέως θυγατέρα πολλὰ ὑπέσχετο δώσειν ἕδνα. Ἐλθόντος δὲ ἐπὶ ταῦτα τοῦ Ἠϊονέως, βέρεθρον ποιήσας καὶ πυρακτώσας, σκεπάζει αὐτὸ λεπτοῖς ξύλοις καὶ κόνει λεπτῇ· ἐμπεσὼν δὲ ὁ Ἠϊονεὺς ἀπόλλυται· λύσσα δὲ τῷ Ἰξίονι ἐνέπεσε διὰ τοῦτο κτλ. Cfr. Od. 3, 11, 21. Diod. Sic. 4, 69. — *Io vaga*] Argiva, Iovis pellex a Iunone in exsilium pulsa in bovemque mutata (quam μεταμόρφωσιν artifices antiqui cornibus dumtaxat ex eius fronte excrescentibus significant), propter Iunonis insectationem summopere anxia, ut comparet in Aeschyli Prometheo; idemque argumentum tractaverant Chaeremon et Accius. Cfr. Ovid. Metam. 1, 583 sqq. — *tristis Orestes*] Cfr. Sat. 2, 3, 133 sqq. Verg. Aen. 3, 331: *scelerum furiis agitatus Orestes.*

125—128. *Si quid* cet.] Refertur ad v. 119. „Si μῦθον ipse fingere audes, ante omnia necesse est, ut nulla eius pars alii repugnet.“ — *inexpertum*] „argumentum nondum ab alio poëta tractatum.“ — *servetur* cet.] Est quod Aristoteles dicit Poët. 15, 6: τέταρτον (ὧν δεῖ στοχάζεσθαι) το ὁμαλόν, ut χαρακτῆρες sibi constent. — *Difficile* cet.] „Verum,“ inquit, „*difficile est proprie communia dicere.*“ Quae vv. videntur quasi conversa ex Graeco: χαλεπὸν τὰ κοινὰ ἰδιῶσαι. — *communia*] Ut *communia* in iure civili vocantur ea, quae omnium sunt, velut aër, mare, litora, quaeque a nullo sunt occupata ac possessa et possunt fieri primi cuiusque occupantis, sic in poësi et eloquentia *communia* sunt omnia ea, quibus alius aeque uti potest atque ego, h. l. potissimum ἤθη generalia (*abstracta*, quae nunc appellamus), ut sunt hominis iracundi, crudelis, ferocis, callidi proditoris, viri generosi sed infelicis cet. Talia autem in argumento prorsus ficto, id est, non ex mythologia repetito, *proprie dicere* (*concreta* reddere, id est, ita formare et exprimere, ut sibi constent ac veritatis poëticae speciem prae se ferant, sane difficillimum est. Raro enim poëta, qui eiusmodi χαρακτῆρας secum in omnibus conspirantes ex notionibus generalibus sibi componit atque argumentum quoque prorsus imaginarium excogitat, ubi eos collocet, quemadmodum fecit Agatho in Ἄνθει illo ab Aristotele memorato, una cum indole actuosa (σὺν τῷ δραστηρίῳ) eandem illis evidentiam ac veritatem

Rectius Iliacum carmen deducis in actus,
Quam si proferres ignota indictaque primus. 130
Publica materies privati iuris erit, si
Non circa vilem patulumque moraberis orbem,

praebere poterit, quam per se iam habent Homeri et Tragicorum Atticorum personae. Quid, quod illud quoque accidere potest, ut, si describas heroem „impigrum, iracundum, inexorabilem, acrem," spectatores illico exclament: „En alter Achilles, totiens iam, sed vero sub nomine spectatus!" quocirca satius fuisset illi nomen quoque huius relinquere.

129. 130. *Rectius Iliacum c.* cet.] „Longe melius feceris, si utere in tragoedia *μύθοις* et personis Homericis," ut Aeschylus fabulas suas *τεμάχη τῶν Ὁμήρου μεγάλων δείπνων* appellare ipse solebat. Athen. 8, 8. Plato de Rep. 10 pag. 595 C: *ἔοικε γὰρ (Ὅμηρος) τῶν καλῶν ἁπάντων τούτων τῶν τραγικῶν πρῶτος διδάσκαλός τε καὶ ἡγεμὼν γενέσθαι.* — *deducis*] quasi filum; vid. ad Sat. 2, 1, 14. Ovid. Met. 4, 36: *levi deducens pollice filum.* Cfr. Ruhnken. ad Timaeum v. *κάταγμα.* Feae et Doeringii lectio *diducis*, quasi fontem ingentem in rivulos, tragici prope reprehensionem continet. „Rectius extendes *μῦθον* aliquem Homericum actione tragica, in qua et personae, quas induces, et *μῦθος* ipse copiosius explicentur, quam fieri potest in *ἐπεισοδίῳ* epico." Nam de his potissimum agit, ut caedes Agamemnonis Od. *λ* 404 sqq. deducta est in Agamemnonem Aeschyleum, Rhesus ex Dolonea Il. *K.* — *ignota indictaque*] „a temet ipso inventa et a nullo ante te tractata."

131. 132. *Publica materies* cet.] Ita haec nectuntur cum prioribus: „Sed, dices, ubi eiusmodi argumenta Homerica, nimis iam trita, tractabimus, periculum est, ne despiciamur ac reprehendamur. Tu contra sic habeto" cet. Male hanc *publicam materiem* nonnulli confuderunt cum *communibus* illis v. 128, cum sit universa copia *μύθων* ab epicis et tragicis tractatorum vel etiamnunc apud *λογογράφους* latentium, quibus cuique poëtae denuo uti licet. Verum laudem merebitur tunc tantummodo, si eam privati atque sui iuris fecerit, id est, si novus erit in oeconomia totius fabulae, in *ἤθεσι, πάθεσι, ῥήσεσι, γνώμαις.* Rem exemplum declarabit. Electrae argumentum erat publica materies; sui iuris eam tres fecerunt poëtae, Aeschylus, Sophocles, Euripides, quamquam hic cum minore successu, scena in rus translata atque inducto colono, probo illo quidem et casto, sed argumenti dignitati sane minus apto. — *vilem patulumque-orbem*] Hoc quoque *Graeco fonte cecidit*, ut *orbem* sic simpliciter vocaret locos communes et ab omnibus fere pertritos. Eupolis apud Stob. T. 35, 2: *Καὶ τοῦ μὲν ἐν κύκλῳ γε παύσομαι λόγου, φράσω δέ σοι τὸ πρᾶγμα διὰ τῶν χωρίων·* ubi tamen cfr. Meinekium Fr. Com. II. I. p. 468. Similiter Aristot. Rhet. 1, 9, 33: *τὸ δ' ἐγκώμιον τῶν ἔργων ἐστίν· τὰ δὲ κύκλῳ* (loci communes) *εἰς πίστιν, οἷον εὐγένεια καὶ παιδεία.* Cfr. ibid. 3, 14, 10: *οἱ δοῦλοι οὐ τὰ ἐρωτώμενα λέγουσιν, ἀλλὰ τὰ κύκλῳ*, id est, „per ambages loquuntur." Primum igitur vitium est, cum sine successu et exitu saepe immorantur in sententiis et *περιπετείαις vilibus* (nimis volgaribus). *Patulum* autem hunc orbem vocat propterea, quod *omnibus*, etiam perquam mediocribus,

Nec verbo verbum curabis reddere fidus
Interpres, nec desilies imitator in artum,
Unde pedem proferre pudor vetet aut operis lex. 135
Nec sic incipies, ut scriptor cyclicus olim:

133. *verbo verbum* codicum maior pars; *verbum verbo* CRS, Bentley, Meineke, Haupt, Vahlen.

poëtis introitus in eum *patet;* sine imagine, quod nihil novi neque exquisiti tales Graecorum imitationes prae se ferunt. (*Patulus* idem fere est, quod Iuvenalis 7, 54 vocat *expositum et triviale.*) „Cave," inquit, „ne prima quaeque, maxime obvia et quae iam evilescere coeperunt, volgari modo tractes, sed ea diligenter investiga et exprime, quae in personarum, quas nobis proponis, moribus atque affectibus sunt magis recondita et nova, ut propriam ac vere novam in te inventionem esse ultro agnoscamus.

133-135. *Nec* cet.] Cic. de opt. gen. or. 14: *Non converti* (Aeschinis et Demosthenis orationes) *ut interpres, sed ut orator, sententiis iisdem et earum formis tamquam figuris, verbis ad nostram consuetudinem aptis; in quibus non verbum pro verbo necesse habui reddere, sed genus omne verborum vimque servari.* — *verbo verbum*] Cfr. ad Ep. 1, 19, 6. — *curabis reddere*] „nec, si poëta Latinus et esse et nominari voles, in eo elaborabis, ut quam fidelissime Graecum aliquod exemplar in Latinum convertas; nam pravum hoc studium officit etiam sermonis elegantiae et pusillum prodit ingenium." — Secundum hoc erat vitium, ad quod proni erant Romani, cum Graecos imitarentur; vide modo Medeae Ennianae reliquias. Eurip. Med. 502: *Νῦν ποῖ τράπωμαι; πότερα πρὸς πατρὸς δόμους, Οὓς σοὶ προδοῦσα καὶ πάτραν ἀφικόμην; Ἢ πρὸς ταλαίνας Πελιάδας;* Ennius: *Quo nunc me vortam? quod iter incipiam ingredi? Domum paternamne? anne ad Peliae filias?* (Ribbeck v. 231) — *nec desilies imitator in artum*] „Si in rebus ac *περιπετείαις* (de verbis antea monuerat) statim ab initio nimis te applicaveris tragoediae alicui Graecae, te coartabis ipse et quasi vincula tibi inices; ex quo fiet, ut mox proprius pudor te impediat, ne liberius interdum exspatiere. Tuis enim ipse viribus nihil confidens non audebis neque addere quidquam nec demere nec mutare, timens, ne quaevis immutatio spectatoribus inscita ac temeraria videatur eosque laedat." — *aut operis lex*] „*οἰκονομία*, ordo ac descriptio eius tragoediae, quam imitandam sumpsisti; oeconomica dispositio omnibus nota et a qua deflectere vix poteris, cum, si hoc facere audeas, mutando imprimis *καταστροφὴν* atque exitum sapienter a Graeco poëta constitutum, statim omnes imperite te egisse clament.

136. *scriptor*] In hoc vocabulo non puto inesse ironiam. — *cyclicus*] Hanc formam, utpote qua grammatici plerumque usi sint, praeferimus alteri *cyclius*, etsi hanc codices optimi praebent et Pollianus Anthol. Pal. II. p. 358: *Τοὺς κυκλίους τούτους τοὺς αὐτὰρ ἔπειτα λέγοντας Μισῶ κτλ.*, qui tamen poëta de aequalibus suis, non de cyclicis antiquis loqui eosque intellegere videtur, qui, ut est v. 132, *circa vilem patulumque morabantur orbem*, Homerum putide imitati. Poëtarum autem

'Fortunam Priami cantabo et nobile bellum.'
Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu?

cyclicorum nomine Grammatici Alexandrini et Horatii aequales eos potissimum complectebantur, quos nominat Proclus in Chrestomathiae Excerptis apud C. G. Müllerum de Cyclo p. 39. Sunt τὰ *Κύπρια* Stasini vel Hegesini, quibus inde ab Helenae raptu exponebantur res ad Troiam ante Achillis iram gestae, ita ut Iliadem praecederent eiusque argumentum praepararent; Arctini (Olymp. 1—9) *Αἰθιοπίς*, quae continuabat Iliadem certe usque ad armorum iudicium; *Ἰλιὰς μικρά*, cuius scriptor ferebatur Lesches (Olymp. 30), usque ad *τὸν δούρειον ἵππον* in Troiam introductum; Arctini *Ἰλίου πέρσις*, *Νόστοι* heroum ab Agia (post Olymp. 20) compositi, poëma *παράλληλον* Odysseae; *Τηλεγονία* Eugammonis (Olymp. 53), continuatio Odysseae usque ad Ulixi mortem. Horum igitur poëtarum, qui aliquot saeculis post Homerica carmina eâ fere formâ, qua ad nos pervenere, constituta floruerunt, *φιλολογίας* magis quam poëticae dignitatis causa, *σύνταγμα* constituerant Alexandrini, suis locis insertis Iliade post Cypria, Odyssea post *Νόστους*; de quo corpore Photius Cod. 239: *σπουδάζεται τοῖς πολλοῖς, οὐχ οὕτω διὰ τὴν ἀρετήν, ὡς διὰ τὴν ἀκολουθίαν τῶν ἐν αὐτῷ πραγμάτων.* Omnia enim haec carmina cyclica carebant oeconomia illa poetica qua excellunt Ilias et Odyssea; ac plerumque res gestas multorum saepe annorum sine copia illa beata tenuiter et nimia cum simplicitate narrabant.

137—139. *Fortunam Priami* cet.] Huius versiculi exemplar Graecum nondum repertum est; unde triplex oritur suspicio: 1) Vel fuit exordium cycli Pseudopisandrei (Macrob. Saturn. 5, 2), 2) vel alius brevioris poëmatis cyclici, omnes Priami et Troiae vicissitudines complexi, sed nobis ignoti, cuiusmodi aliquod Tzetzae *Ἰλιακῶν* simile Horatii temporibus exstitisse nec pro certo affirmari neque negari potest; 3) vel *olim* ita explicandum est, ut solet usurpari in exemplis ac fabellis: „Ut fere consueverunt incipere scriptores cyclici.“ Falsissima est Scholiastarum opinio, hic iam Antimachum notari. Cfr. v. 146. Quinta aliorum olim opinio (nunc merito ab omnibus explosa) fuit ab Horatio liberius expressum esse Iliadis parvae initium: *Ἴλιον ἀείδω καὶ Δαρδανίην εὔπωλον, Ἣς πέρι πολλὰ πάθον Δαναοὶ θεράποντες Ἄρηος*, qui versus ipsi fortasse in scholis Grammaticorum tamquam exemplum exordii poëmatis cyclici proponi soliti fuerint. Tale autem veluti per manus traditum peperit tandem Ioannis Tzetzae nobile illud: *Ἀργαλέου πολέμοιο μέγαν κλόνον Ἰλιακοῖο Ἔννεπε Καλλιόπεια, ὑφ' ἡμετέρῃσιν ἀοιδαῖς· Ἀρχῆθεν δ' ἐπάειδε καὶ ἐς τέλος ἐξερέεινε.* — *feret*] „afferet lectori.“ Cum permagna et quod ad ambitum et ad varietatem attinet magno ore promittit, nihil aliud dat nisi informe poëma cyclicum. — *promissor*] qui magna pollicetur, nihil praestat. Conf. Sat. 2, 3, 6: *Dic aliquid dignum promissis: incipe. Nil est.* — *hiatu*] „ore ridiculum in modum late aperto;“ sine imagine: „cum fastu quodam et iactantia.“ — *Parturiunt*] proverbium Graecum, quod integrum servavit Athenaeus 14, 6: *Ὤδινεν ὄρος, Ζεὺς δ' ἐφοβεῖτο, τὸ δ' ἔτεκεν μῦν.* Conf. Phaedr. Fab. 4, 22. *Parturiunt* nunc; mox, inquiunt homines, *nascetur*. Futurum *Parturient*, quod plerique tuentur codd., ortum videtur ex v. *na-*

Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus.
Quanto rectius hic, qui nil molitur inepte: 140
'Dic mihi, Musa, virum, captae post tempora Troiae
Qui mores hominum multorum vidit et urbis.'
Non fumum ex fulgore, sed ex fumo dare lucem
Cogitat, ut speciosa dehinc miracula promat,
Antiphaten Scyllamque et cum Cyclope Charybdin. 145
Nec reditum Diomedis ab interitu Meleagri,

139. *Parturiunt* pauci codices, velut Bambergensis saec. X, Feae duo, *Parturient* longe plurimi, rec. O. Keller. — 141. *post moenia* cum codice pervetere Ach. Statii, Vigorniensi, Regiis duobus, Feae uno et Ausonii Periocha I. libri Odysseae Bentleius, *post funera* eiusdem dubia suspicio.

scetur. („Illa omnia quae in *URIO* desinunt, *parturio*, *nupturio*, *micturio*, *esurio*, quae meditativa recte vocant Grammatici, etiam in primo tempore futuri vim habent. *Parturio* perinde est, ac si dicas „meditor parere, inibi est, ut pariam." Ita quae Graeci *ἐπιθυμητικά*, *desiderativa*, vocant in *ΕΙΩ* exeuntia, qualia *γαμησείω*, *βρωσείω*, *πολεμησείω*, *χεσείω*, habere dicuntur *ἔμφασιν*, *τοῦ μέλλοντος*, *significationem futuri.*" BENTL.) Qui futurum praeferunt, haud male explicant: „Fiet, quod in proverbio est." — *ridiculus mus*] De versus clausula conf. Aen. 3, 390: *Litoreis ingens inventa sub ilicibus sus.* Ovid. Met. 8, 359: *In iuvenes certo sic impete volnificus sus Fertur.*

141—145. *Dic mihi* cet.] In duos versus contraxit Odysseae exordium: *Ἄνδρα μοι ἔννεπε, Μοῦσα, πολύτροπον, ὃς μάλα πολλὰ Πλάγχθη, ἐπεὶ Τροίης ἱερὸν πτολίεθρον ἔπερσε, Πολλῶν δ' ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα καὶ νόον ἔγνω.* Cfr. Ep. 1, 2, 19. — *fumum--fumo*] Lucian. Tim. 1: *Ἅπαντα γὰρ ταῦτα λῆρος ἤδη ἀναπέφηνε καὶ καπνὸς ποιητικὸς ἀτεγνῶς ἔξω τοῦ πατάγου τῶν ὀνομάτων.* — *fulgore--lucem*] *Fulgor* est lumen subitum et oculos praestringens, mox tamen in fumum ingratum desinens; contra *lux* oculis grata; sine imagine: „initium splendidum ac prope arrogans, quod excipit narratio taedii plena; contra initium simplex et prope humile, quod egregiae narrationes sequuntur." — *speciosa-miracula*] „*θαύματα*, *φαντασίας*, in quibus, etsi sunt res miraculosae, ut quae narrantur de Antiphate, Laestrygonum rege, Od. *κ* 100 sq., de Scylla et Charybdi Od. *μ* 85 sq., de Cyclope Od. *ι* 187 sq., inest tamen veri similitudo poëtica. Tales autem narrationes vere poëticas apud Cyclicos haud reperias."

146. *Nec reditum Diomedis ab interitu Meleagri*] Scholia haec sunt: „Meleager et Tydeus fratres fuerunt. Antimachus poëta reditum Diomedis narrans ab exordio coepit primae originis, id est, ab interitu Meleagri." ACRO. „Antimachus fuit cyclicus poëta; hic aggressus est materiam, quam sic extendit, ut viginti quattuor volumina impleverit, antequam septem duces usque ad Thebas perduceret." PORPH. „Meleager et Tydeus fratres fuere. Ex obliquo autem taxatur Antimachus

Nec gemino bellum Troianum orditur ab ovo:
Semper ad eventum festinat et in medias res

cyclicus, qui reditum Diomedis a Troia in Graeciam narrans eum incipit ab interitu Meleagri patrui." COMM. CRUQ. Inter antiquos interpretes constare vides, notari hic Antimachi, Platonis aequalis (ante Chr. 405), Thebaidem, longum quidem ac diffusum poëma, sed tamen magnis virtutibus minime carens. Cfr. Quintil. 10, 1, 53. In hac autem Thebaide cum mentio fieri non posset Diomedis reditus a Troia, Welckerus *ep. Cyclus* p. 103. locum Horatii explicavit de Diomedis in Aetoliam reditu post Epigonorum victoriam, quem nimis longe repetierit Antimachus ab interitu Meleagri per fatalem illum titionem ab Althaea matre crematum. At cum Horatii verba nonnisi artificiose ad alium Diomedis reditum quam ad illum a Troia in Graeciam detorqueri possint, recte Düntzerus Scholiastarum de Antimachi Thebaide interpretatione reiecta poëma significari putat, cuius praecipuum argumentum sit Diomedis a Troia reditus; quem reditum poëta a Meleagri interitu orsus esse dicitur, quo ipso et matre Althaea mortuis pater Oeneus Periboea in matrimonium ducta Tydea genuit, qui ob caedem aliquam Calydone perpetratam inde Argos aufugit ad Adrastum, cuius filia Deipyla ei nupta Diomedem peperit.

147. *Nec gemino* cet.] „Neque vero orditur bellum Troianum ab Helenae ortu prodigioso." V. *gemino* videtur explicandum cum Schol. Rhenaug. inedito: „Iuppiter cum Leda in specie cygni concubuit. Inde illa duo ova posuit; ex altero Pollux et Castor, ex altero Helena exivit." (Ipse etiam Horatius Castorem et Pollucem *ex eodem ovo prognatos* dicit Sat. 2, 1, 26.) Aliter Commentator Cruquii: „Duo ova peperisse dicitur Leda, alterum ex Iove sub specie cygni (cfr. Eurip. Helen. 18. Isocr. Hel. Enc. 26), ex quo nati sunt Pollux et Helena; alterum ex Tyndaro, ex quo Castor et Clytaemnestra." Hygino Fab. 77 convenit cum Commentatore Cruquii, nisi quod ovi vel ovorum mentionem non facit. Contra Bodii Mythogr. I. 204 p. 64: *Iuppiter concubuit cum Leda in specie cygni. Inde duo ova nata sunt, ex quorum altero Castor et Pollux, ex altero Clytaemnestra et Helena natae sunt.* Iam Eriphus apud Athen. 2, 50: *ὠὰ χήνεια.-- Οὗτος δέ φησι ταῦτα τὴν Λήδαν τεκεῖν.* Aliter rursus Servius ad Aen. 3, 328: „Ledam Iuppiter in cygnum mutatus gravidam fecit, quae ovum peperisse dicitur, unde nati sunt Helena, Castor et Pollux;" et sic Bodii Mythogr. III. p. 163. Helenae ortum, ut probabile est, haud procul ab exordio memorabant carmina Cypria, quae Stasino vel Hegesino tribuuntur, apud Athen. 8, 10 p. 334 c: *Τοῖς δὲ μετὰ τριτάτην Ἑλένην τέκε, θαῦμα βροτοῖσι· Τήν ποτε καλλίκομος Νέμεσις φιλότητι μιγεῖσα Ζηνί, θεῶν βασιλῆι, τέκε κρατερῆς ὑπ' ἀνάγκης.*

148—152. *eventum*] „*καταστροφὴν* atque exitum fabulae, quam narrat." — *festinat*] „ita procedit, ut numquam rhapsodiarum exordiis epilogisque et digressionibus supervacaneis se ipse implicet atque impediat." — *in medias res*] „ita, ut lector earum principium haud desideret;" veluti statim Od. α 11: *Ἔνθ' ἄλλοι μὲν πάντες, ὅσοι φύγον αἰπὺν ὄλεθρον Οἶκοι ἔσαν κτλ.* Cic. ad Att. 1, 16, 1: *Respondebo tibi ὕστερον πρότερον, Ὁμηρικῶς.* Quintil. 7, 10, 11: *ubi ab initiis incipiendum, ubi more*

Non secus ac notas auditorem rapit et, quae
Desperat tractata nitescere posse, relinquit, 150
Atque ita mentitur, sic veris falsa remiscet,
Primo ne medium, medio ne discrepet imum.
Tu, quid ego et populus mecum desideret, audi:
Si plausoris eges aulaea manentis et usque
Sessuri, donec cantor 'Vos plaudite' dicat, 155
Aetatis cuiusque notandi sunt tibi mores,

154. *plausoris*] *fautoris* Bentleius coniecturâ.

Homerico e mediis vel ultimis? — *Non secus ac notas*] quasi deberent iamiam notae esse lectoribus;" quae ipsa maxima est virtus narrationis evidentis ac dilucidae. — *Desperat tractata* cet.] „Omittit omnia, quae ex ipsius sensu vere poëtico tractari ideo non debent, quia nulla ars iis *nitorem*, id est, ornatum ac venustatem, praebere potest; itaque fines poësis numquam migrat. — *mentitur*] Consulto duriore hoc verbo usus est, ut significaret, quanta confidentia poëtica et quam felici successu Homerus etiam miracula ac portenta finxisset. — *medio ne discrepet imum*] Cic. de Fin. 5, 28, 83: *Respondent extrema primis, media utrisque omnia omnibus.*

Vv. 153—178. docet, quomodo in tragoedia et in comoedia exprimi debeant diversi diversarum aetatum mores et affectus, ut veritas poëtica sibi constet ac servetur. Usus autem esse videtur Aristotelis Rhetor. 2, 12 sq.

153—157. *Tu*] non unum Pisonem, sed quemlibet lectorum adloquitur, ut v. 119 et alibi. — *populus mecum*] „pariterque omnes spectatores, quia sic iubet sensus communis." — *plausoris*] Bentlei lectio *fautoris*, praeterquam quod per se parum probabilis est, ideo potissimum reicienda videtur, quia in re scenica significat eum, qui vel propter studium erga hunc illumve actorem vel etiam nummis conductus huic uni plaudit, dum alios exsibilat; *plausor* contra est, qui sincera artis admiratione impulsus applaudit poëtae magis quam histrioni. — *aulaea manentis*] „usque ad fabulae finem attenti;" quibus verbis simul significat se deinceps de genere dramatico praecepta daturum esse. „Pro forma et constructione theatrorum apud veteres aulaeum picturis ornatum vel intextum, ut scena aperiretur, non tollebatur in altum ut nunc; sed sub pulpita demittebatur sensim involutum cylindro. Apul. Met. 10, 29. 253. Princ.: *Aulaeo subducto et complicitis sipariis Paridis scena disponitur.* Finito actu vel integro spectaculo in altum tollebatur." FEA. Cfr. Ep. 2, 1, 189. Verg. Ge. 3, 25. Ovid. Met. 3, 111 sqq. — *cantor*] Bentleius ad Terent. Andr. extr.: „Cum actores omnes ex scena exirent, cantoris erat, depositis ex ore tibiis *Plaudite* insonare." Verum cum quae postremo loquitur persona manifesto illud *Plaudite* populo acclamet (cfr. Cic. Cat. mai. 70. Quintil. 6, 1, 52), rectius Hermannus Opusc. I. p. 302: „Horatius aperte cantorem et histrionem eundem esse significat." — *Mo-*

Mobilibusque decor naturis dandus et annis.
Reddere qui voces iam scit puer et pede certo
Signat humum, gestit paribus colludere et iram
Colligit ac ponit temere et mutatur in horas. 160
Imberbus iuvenis tandem custode remoto
Gaudet equis canibusque et aprici gramine campi,
Cereus in vitium flecti, monitoribus asper,
Utilium tardus provisor, prodigus aeris,
Sublimis cupidusque et amata relinquere pernix. 165

157. *naturis* codices omnes, *maturis* Bentley prob. Meineke, L. Müller, Haupt, Vahlen. — 161. *Imberbus* Blandinius antiquissimus, Monac. C. pr., *γ*, *imberbis* ceteri; cf. Ep. 2, 1, 85.

bilibus-naturis] „Naturae humanae mutabiles sunt pro singulorum hominum aetate progrediente; hae igitur mutationes sensim factae et notandae et decore imitandae sunt poëtae.“ Etsi speciosa est Bentlei lectio *maturis*, maxime ideo reicienda est, quod minus rectam *ἀντίθεσιν* infert inter vv. *mobilis* et *maturus*, qua Horatius pro certo numquam usus esset pro verbis *immaturus*, *viridis*, *florens*, opposito verbo *maturus*.

158—160. *Reddere voces*] „clare loqui, quasi reddens, id est, suo loco partim repetens ac proferens voces, quas a parentibus et nutrice *accepit*, didicit, partim interrogationibus apposite respondens.“ Verg. Aen. 1, 409: *veras audire et reddere voces*. — *Signat humum*] „vestigia solo imprimens.“ — *Colligit ac ponit temere*] „uti temere irascitur, ita facile rursus mitigatur.“ — *mutatur in horas*] significatione formae mediae, „in singulas horas alius fit,“ ut Sat. 2, 7, 10: *clavum ut mutaret in horas*.

161—165. *Imberbus*] Ita scribendum est cum optimo codice, cf. ad epist. 2, 1, 85. — *tandem*] impatientiam designat, qua adolescentes libertatem expetunt. — *custode remoto*] „paedagogo remoto post sumptam togam virilem.“ Cfr. Sat. 1, 6, 81. — *Gaudet equis* cet.] Terent. Andr. 55 sq. *Quod plerique omnes faciunt adulescentuli, Ut animum ad aliquod studium adiungant, aut equos Alere aut canes ad venandum aut ad philosophos* cet. — *gramine campi*] Martii, ubi corpora exercebant adulescentes Romani. Ovid. Fast. 3, 519: *Altera gramineo spectabis Equiria campo*. — *Cereus*] „flexibilis cerae instar.“ Plato de leg. 1. p. 633: *θωπείας κολακικάς, αἳ καὶ τῶν σεμνῶν οἰομένων εἶναι τοὺς θυμοὺς μαλάττουσαι κηρίνους ποιοῦσιν*. — *asper*] „repugnans ac pervicax.“ — *Utilium tardus provisor*] Aristot. Rhet. 2, 12, 6: *φιλοχρήματοι ἥκιστα (οἱ νέοι) διὰ τὸ μήπω ἐνδείας πεπειρᾶσθαι*. — *Sublimis*] *μεγαλόψυχος*, elatus, Aristot. l. l. *φιλότιμοι μέν εἰσι, μᾶλλον δὲ φιλόνικοι· ὑπεροχῆς γὰρ ἐπιθυμεῖ ἡ νεότης, ἡ δὲ νίκη ὑπεροχή τις*. §. 11: *Καὶ μεγαλόψυχοι· οὔτε γὰρ ὑπὸ τοῦ βίου πω τεταπείνωνται, ἀλλὰ τῶν ἀναγκαίων ἄπειροί εἰσι, καὶ τὸ ἀξιοῦν αὐτὸν μεγάλων μεγαλοψυχία*. — *relinquere pernix*] Aristot. Rhet. 2, 12, 4: *εὐμετάβολοι δὲ*

Conversis studiis aetas animusque virilis
Quaerit opes et amicitias, inservit honori,
Commisisse cavet quod mox mutare laboret.
Multa senem circumveniunt incommoda, vel quod
Quaerit et inventis miser abstinet ac timet uti, 170
Vel quod res omnis timide gelideque ministrat,
Dilator, spe longus, iners, avidusque futuri,
Difficilis, querulus, laudator temporis acti
Se puero, castigator censorque minorum.

172. *longus* codices, *lentus* Bentleius coniecturâ. — *avidusque* codices; *pavidusque* Bentleius coni. firmata aliquatenus erasa una littera ante v. *avidusque* in cod. Reginensi; L. Müller rec. in ed. nit. a. 1874.

καὶ ἀψίκοροι πρὸς τὰς ἐπιθυμίας, καὶ σφόδρα μὲν ἐπιθυμοῦσι, ταχέως δὲ παύονται.

166—168. *Conversis*] Non est: „in unum versis," sed: „prorsus mutatis." — *inservit honori*] „cupide petit honores." Cic. de offic. 2, 4: *Honoribus inservire coepi meque totum rei publicae tradidi.* — *Commisisse*] *ἀορίστως*, ita tamen, ut significet infectum quod commiserit fieri non posse. Cfr. v. 98. — *quod mox mutare laboret*] „quod, ubi eum paulo post poenituerit, corrigere plerumque frustra conetur." Cfr. v. 192. 435. Ep, 1, 3, 2.

169—174. *Quaerit*] absolute, ut Ep. 1, 7, 57: *et quaerere et uti.* Aristot. Rhet. 2, 13, 9: *Πρὸς τὸ συμφέρον ζῶσιν (οἱ πρεσβύτεροι) ἀλλ' οὐ πρὸς τὸ καλόν, μᾶλλον ἢ δεῖ, διὰ τὸ φίλαυτοι εἶναι.--οὔτ' ἐπιθυμητικοὶ οὔτε πρακτικοὶ κατα τὰς ἐπιθυμίας, ἀλλὰ κατὰ τὸ κέρδος.* — *gelide*] Aristot. l. l. §. 7: *κατεψυγμένοι γάρ εἰσιν, οἱ δὲ (νέοι) θερμοὶ· ὥστε προωδοποίηκε τὸ γῆρας τῇ δειλίᾳ· καὶ γὰρ ὁ φόβος κατάψυξίς τις ἐστίν.* — *spe longus*] Duae exstant h. l. interpretationes: 1) „tardus et difficilis ad sperandum" (Forcell.), „ad hoc iners, unde ipse nihil studiose alacriterque peragit (id quod haud immerito inter senectutis incommoda numeraveris), quid futurum tempus novi gratique ei casu afferat." Provocant ad Aristot. l. l. §. 11: *οἱ πρεσβύτεροι δυσέλπιδες διὰ τὴν ἐμπειρίαν.* et Cic. ad. Fam. 2, 16, 6: *Recordor desperationes eorum, qui senes erant adulescente me; eos ego fortasse nunc imitor et utor aetatis vitio.* Hunc ipsum autem sensum praebet inutilis Bentlei coniectura *spe lentus.* 2) „Senex sperat se vel post decennium hoc vel illud perfecturum vel adepturum, unde in praesentia iners manet, nihil strenue exsequitur," cetera, ut supra. Priorem rationem cum Gonodio nunc praefero — *avidusque futuri*] Aristot. l. l. §. 8. *φιλοζῴους* vocat. Sophocl. fr. 64. Dind.: *Τοῦ ζῆν γὰρ οὐδεὶς ὡς ὁ γηράσκων ἐρᾷ.* „Cupidus futuri, ut messis, vindemiae." COMM. CRUQ. Pro Bentlei coniectura *pavidusque* facit Aristotelis l. l. §. 7: *καὶ δειλοὶ καὶ πάντα προφοβητικοί,* verum a codicibus non discedendum. — *Difficilis*] Sat. 2, 5, 90: *Difficilem et morosum.* Cic. Cat. mai. 65: *At sunt morosi et anxii et*

Multa ferunt anni venientes commoda secum, 175
Multa recedentes adimunt: ne forte seniles
Mandentur iuveni partes pueroque viriles.
Semper in adiunctis aevoque morabimur aptis.
Aut agitur res in scenis aut acta refertur.
Segnius irritant animos demissa per aurem, 180
Quam quae sunt oculis subiecta fidelibus et quae
Ipse sibi tradit spectator: non tamen intus
Digna geri promes in scenam multaque tolles

iracundi et difficiles senes; si quaerimus, etiam avari. — *querulus*] et de singulis, quae sentit, incommodis, et de tota temporum condicione, cui minus iam se adaptare potest. Aristot. l. l. §. 15: *ὀδυρτικοί εἰσι, καὶ οὐκ εὐτράπελοι οὐδὲ φιλογέλοιοι.*

175—178. *anni venientes*] Cfr. ad. Od. 2, 5, 14: *illi, quos tibi dempserit, Apponet annos.* Soph. Trachin. 547: *Ὁρῶ γὰρ ἥβην τὴν μὲν ἕρπουσαν πρόσω, Τὴν δὲ φθίνουσαν.* „Anni autem *venire* dicuntur ad quadragesimum sextum usque annum, inde *abire* iam accedente senectute.“ COMM. CRUQ. — *Multa-adimunt*] Ep. 2, 2, 55: *Singula de nobis anni praedantur euntes.* — *recedentes*] Sic Francogalli: *un homme sur son retour.* — *Ne forte* cet.] „Ut ne pervertamus aetatum *χαρακτῆρας*, studiose ad naturam ipsam eos describemus.“ — *Mandentur*] Cfr. v. 104. — *seniles--viriles*] De homoeoteleutis cfr. ad v. 99 sq. Eustathius ad Il. *X* 383: *ἔχει δὲ κάλλος καὶ τὰ ἐν τέλει στίχων δύο πάρισα, τὸ τοῦδε πεσόντος καὶ Ἕκτορος οὐκέτ' ἐόντος.* — V. *aevo* ad utrumque v. *adiunctis* (*τοῖς παρακειμένοις*, „propriis“) et *aptis* pertinet. — *morabimur*] Qui praetulerunt *morabitur*, supplebant „poëta.“

Vv. 179—192 ita cohaerent cum prioribus: „Neque vero sufficit mores ac sermonem diversarum condicionum et aetatum observasse; quid scenae praeterea conveniat, probe attendendum est, ne offendantur oculi facinoribus nimis atrocibus, neve miraculo prorsus incredibili oculis proposito *θαυματοποιὸν* et *γόητα* potius quam poëtam videre atque audire nobis videamur; neu nimium brevis aut longa sit fabula ipsa, neu deus ex machina sine necessitate inducatur, neve inutilibus quartae alicuius personae sermonibus spectatorum animus distrahatur ac refrigescat.“

179—184. *aut acta refertur*] In tragoediis Graecis, quae extra scenam geruntur, ut Antigonae Haemonisque mortem apud Sophoclem, pugnae exitum in Euripidis Supplicibus, *ἄγγελος*, quae pone scenam in regia accidunt, ut mortes Eurydicae, Iocastae, Deïanirae *ἐξάγγελος* facunde narrat. — *Segnius* cet.] Est veluti proverbium iam apud Herodotum 1, 8: *ὦτα γὰρ τυγχάνει ἀνθρώποισι ἐόντα ἀπιστότερα ὀφθαλμῶν*, alibi sic inversum: *πιστοτέρα ὄψις ὤτων.* — *demissa per aurem*] Verg. Aen. 4, 428: *Cur mea dicta negat duras demittere in aures.* — *fidelibus*] „quibus quisque necessario fidem habet.“ Seneca Epist. 6, 4: *Homines amplius oculis quam auribus credunt,* — *intus Digna geri*] partim foeda et atrocia, quae nimio

Ex oculis, quae mox narret facundia praesens.
Ne pueros coram populo Medea trucidet, 185
Aut humana palam coquat exta nefarius Atreus,
Aut in avem Procne vertatur, Cadmus in anguem.
Quodcumque ostendis mihi sic, incredulus odi.
Neve minor neu sit quinto productior actu

horrore ac terrore spectatorem afficerent, partim incredibilia, ut transformationes illae Procnes et Cadmi a mythologis traditae, quae, si coram populo fierent, speciem praeberent prope ridiculam. — *facundia praesens*] „nuntius, qui horribilis aut prodigiosi alicuius facti testis fuit oculatus ac vel propterea facunde illud narrabit.“ Atque re vera, dum cessat actio, eo facundiores debent esse suntque apud Graecos huiusmodi narrationes, ut auditorum mentes detineant. Schol. Ven. Π. Z 58: *ἐν ταῖς τραγῳδίαις κρύπτουσι τοὺς ὁρῶντας τὰ τοιαῦτα (μισητὰ καὶ ὠμά) ἐν ταῖς σκηναῖς, καὶ ἢ φωναῖς τισὶν ἐξακουμέναις ἢ δι' ἀγγέλων ὕστερον σημαίνουσι τὰ πραχθέντα, οὐδὲν ἄλλο ἢ φοβούμενοι μὴ αὐτοὶ συμμισηθῶσι τοῖς ὁρωμένοις.*

185—188. *Ne*] Hanc particulam Bentleius recte restituit, in eo tamen falsus, quod haec omnia a vv. praecedentibus pendere opinatus est. Incipiunt hinc exempla aliquot eorum, quae ex oculis tollenda sint, et per se quidem posita. — *pueros*] „quorum nomina Medus et Mermerus.“ ACRON. — *Medea trucidet*] Cfr. v. 123. — *Procne*] Quam fabulam sapientissime, ut credere licet, tractavit Sophocles in Tereo, de quo tyranno in upupam mutato cfr. Aristoph. Aves 100 seq. cum Schol. — *Cadmus in anguem*] Cfr. Ovid. Metam. 4, 563 sqq. Tenuia quaedam supersunt vestigia Cadmi Euripidei (ap. Nauck. fr. 451.) — *incredulus*] Refertur non tam ad Medeam et Atreum filios Thyestae fratris coquentem (cfr. v. 91), quam ad Procnen in hirundinem (cfr. Od. 4, 12, 6) et Cadmum in draconem mutatum. — *odi*] „respuo;“ „intolerabile mihi videtur.“

189-190. *Neve-neu*] Hand Turs. IV. p. 174: *neu-neu* optimus quisque scriptor dicit, quando utrique parti una est ratio unumque verbum, sed *ne-neu*, ubi duobus verbis distinguuntur res, quarum neutri concedatur esse.“ — *minor --productior*] „Certum modum et *ἁρμονίαν* requirit fabula: nam si nimium brevis est, spectatoris mentem non explet nec satis *δι' ἐλέου καὶ φόβου περαίνει τὴν τῶν τοιούτων παθημάτων κάθαρσιν.* (Aristot. Poët. 6, 2.) Sin iustum modum excedit, ipsa haec productio minuit sensimque consumit spectantium affectus.“ — *quinto-actu*] In quinos actus Romani dividebant fabulas; contra veteres Graeci in *πρόλογον, ἐπεισόδια* (*τρία*) et *ἔξοδον*, ita ut reapse divisio ad idem rediret. Graecae artis vocabulis praesertim *ἐπεισοδίων* non facile reddendis Latini substituerunt magis obvium *actuum* nomen. Arist. Poët. 12: *Ἔστι δὲ πρόλογος μὲν μέρος ὅλον τραγῳδίας τὸ πρὸ χοροῦ παρόδου, ἐπεισόδιον δὲ μέρος ὅλον τραγῳδίας τὸ μεταξὺ ὅλων χορικῶν μελῶν, ἔξοδος δὲ μέρος ὅλον τραγῳδίας μεθ' ὃ οὐκ ἔστι χοροῦ μέλος.* Cicero quidem ad Q. Fr. 1, 1, 16, 46: *Illud te - - et oro et hortor, ut tamquam poëtae boni - - solent, sic-diligentissimus sis, ut hic tertius actus perfectissimus atque ornatissimus fuisse videatur.*

Fabula, quae posci volt et spectata reponi; 190
Nec deus intersit, nisi dignus vindice nodus
Inciderit; nec quarta loqui persona laboret.
Actoris partis chorus officiumque virile

190. *spectata* Leidensis, Lipsiensis, Graevianus, Vossianus, *luv* var., S paucique alii; *spectanda* Monacensis C, ORb*γν* rec. O. Keller, *exspectanda* Bernensis antiq.

Tertius autem Quinti annus imperii eius ultimus erat; Marcus igitur fabulae actum tertium manifesto pro ultimo habuit, separans ab actibus *πρόλογον* et *ἔξοδον*. Alioqui satis inconcinne locutus esset. — *spectata reponi*] Haec vera est lectio, non *spectanda;* quod ipsum iam inest in v. *reponi;* „fabula," inquit, „quae semel placuit, etsi iam *spectata*, a populo denuo *poscitur* ac *reponitur* in scena, rursus editur." *Sic fabulam iterum referre* Terent. Hec. Prol. 1, 7. Sat. 1, 10, 39: *Nec redeant iterum atque iterum spectanda theatris.*

191. 192. *Nec deus* cet.] Cic. nat. deor. 1, 53: *ut tragici poëtae, cum explicare argumenti exitum non potestis, confugitis ad deum.* Qua solutione nimis facili sed arti contraria, cum solutio ex ipsius fabulae oeconomica dispositione prodire ac per se dilucida esse debeat, saepe abusi sunt Euripides et illi, de quibus Aristoteles Poët. 18, 11: *πολλοὶ δὲ πλέξαντες εὖ λύουσι κακῶς.* Idem 15, 11: *φανερὸν ὅτι καὶ τὰς λύσεις τῶν μύθων ἐξ αὐτοῦ δεῖ τοῦ μύθου συμβαίνειν, καὶ μὴ ὥσπερ ἐν τῇ Μηδείᾳ ἀπὸ μηχανῆς.* Plato Cratyl. p. 425 D: *ὥσπερ οἱ τραγῳδοποιοί, ἐπειδάν τι ἀπορῶσιν, ἐπὶ τὰς μηχανὰς ἀποφεύγουσι θεοὺς αἴροντες.* — *intersit*] „in tragoediae fine interveniat ad solvendum tandem eius nodum alioquin inextricabilem." — *dignus vindice notus*] „cum aliter fieri nequit, ut apud Sophoclem sine Herculis interventu Philoctetes non Troiam, sed in patriam proficisceretur, in Euripidis Hippolyto, nisi Diana intercederet, ille cum patre in gratiam non rediret." *Vindex* igitur qui summo in periculo versantem subito liberat et eripit." GESN. Apposite Proclus ad Alcibiad. I. p. 141 edit. Creuz.: *ἐν τραγῳδίαις ἐκ μηχανῆς πολλάκις θεούς τινας εἰσάγουσιν οἱ ποιηταὶ τῶν παρόντων πραγμάτων διορθωτάς.* — *nec quarta* cet.] „Tragicus id cavere debet, ne attentum spectatoris animum eo dividat, quod in eadem scena post *πρωταγωνιστήν*, *δευτεραγωνιστήν*, *τριταγωνιστήν*, inducat etiam quartam personam, cuius partes paene supervacaneae sint, adeo ut *loqui laboret*, difficulter ac moleste sermoni sese intrudat." Quod studiose vitarunt Aeschylus et Sophocles. Sic in Choëphoris Pyladi tribuuntur tres dumtaxat versus 900—902, idem in Sophoclis Electra muta est persona. In Euripidis Andromacha 490 quattuor quidem personae in scena sunt, ipsa, filius Molossus, Menelaus, Peleus; sed simulatque comparet Peleus, Molossus muta fit persona.

193—195. *Actoris* cet.] Absolutis eis, quae de singulis personis et de eis, quae *ἀπὸ μηχανῆς* vocabant, erant tradenda, iam transit ad chori officium et *ἁρμονίαν* cum integra tragoedia vv. 193—201. Horatii autem praecepta ad chori Graeci potissimum exemplaria referri videntur, etsi similes ex

Defendat, neu quid medios intercinat actus,
Quod non proposito conducat et haereat apte. 195
Ille bonis faveatque et consilietur amice,
Et regat iratos et amet pacare tumentis;

197. *pacare tumentis* ex uno codice Victoris Giselini ap. Pulmannum Bentleius, prob. Meineke, Haupt, Vahlen, L. Müller; *pacare* duo codices, *peccare* plurimi et optimi; *timentis* vel *tumentis* maior cod. pars, *pacare timentis* O. Keller, *peccare timentis* ante Bentl. volgo, post eum Ritter, Dillenburger, Munro alii.

parte Graecis fuisse etiam Latinos choros minime ignorabat neque h. l. oblitus erat. Vix enim tam accurate chori leges exposuisset Horatius, si ex Romana tragoedia ille plane remotus esset, ut multi falso contenderunt, qui refutantur partim reliquiis ex Ennii et Pacuvii choris nobis servatis (Scr. ad Herenn. 2, 23, 36. Gell. 19, 10, 12), partim Accii Phoenissis, a choro sic inscriptis. „Chorus," inquit, „particeps sit actionis eamque *pro virili parte* adiuvet, hoc est, pro eo, quod officii eius est. — *Defendat*] „strenue officio fungatur." Cfr. Sat. 1, 10, 12. — *neu quid* cet.] „Ne canantur inter actus *μέλη χορικά*, in quibus de aliis omnibus agatur quam de actione ipsa." Mire concordat Aristoteles Poët. 18, 18: *Καὶ τὸν χορὸν δὲ ἕνα δεῖ ὑπολαβεῖν τῶν ὑποκριτῶν, καὶ μόριον εἶναι τοῦ ὅλου, καὶ συναγωνίζεσθαι μὴ ὥσπερ παρ' Εὐριπίδῃ ἀλλ' ὥσπερ παρὰ Σοφοκλεῖ· τοῖς δὲ λοιποῖς τὰ διδόμενα μᾶλλον τοῦ μύθου ἢ ἄλλης τραγῳδίας ἐστίν· διὸ ἐμβόλιμα ᾄδουσιν, πρώτου ἄρξαντος Ἀγάθωνος τοῦ τοιούτου· καίτοι τί διαφέρει ἢ ἐμβόλιμα ᾄδειν ἢ ῥῆσιν ἐξ ἄλλου εἰς ἄλλο ἁρμόττειν ἢ ἐπεισόδιον ὅλον;* Cum apud Euripidem chorus laxo cum ipsa actione vinculo coniunctus esset, posterioribus temporibus invaluit mos, absurdus ille quidem, sed ad minuendas expensas necessarius, ut in scena recitaretur tantum *τὰ ἰαμβεῖα*, omitterentur *τὰ μέλη*, ut testatur Dio Chrysost. Or. 19 p. 487 R. — *proposito conducat*] „iuvet et prosit primum ad implicationem, postremo ad solutionem fabulae, ut cum chorus praesagit sensim appropinquantem vindictam divinam." — *haereat apte*] „artissime cohaereat cum mytho ipso."

196. 197. *bonis faveat*] „semper cum personis probis atque honestis faciat;" etsi interdum veluti coactus atque cedens tyrannorum impotentiae, eorum minis atrocibusque iussis se subicit, ut fit in Antigona. — *et consilietur*] „consilium det." Cfr. Od. 3, 3, 17. — *regat iratos*] ut facit in Oedipo rege, in Antigona cet. — *amet pacare tumentis*] Qui defenderunt *peccare timentis*, provocarunt ad Ep. 1, 16, 52: *Oderunt peccare boni virtutis amore.* Nostram ad lectionem a summo Bentleio egregie defensam cfr. Sat. 2, 3, 213: *Purum est vitio tibi, cum tumidum est, cor?* Claudian. IV. Cons. Honor. 225 de virtute: *Hanc tamen haud quisquam, qui non agnoverit ante Semet et incertos animi pacaverit aestus, Inveniet.* Chorus *regit iratum* qui adversario absente saevum aliquod facinus in eum molitur, *pacat tumentis*, acerrime inter se altercantes ac mutuas minas alterum in alterum iacientes. Exempla manifesta reperies Oed. Tyr. 404 seqq. Aiac. 1091 seq. 1118 seq.

Ille dapes laudet mensae brevis, ille salubrem
Iustitiam legesque et apertis otia portis;
Ille tegat commissa deosque precetur et oret, 200
Ut redeat miseris, abeat fortuna superbis.
Tibia non, ut nunc, orichalco vincta tubaeque

202. *vincta* codices plerique, in his Blandinius antiquissimus, *iuncta* duo Blandinii, Monac. C, Dessauiensis, Einsidlensis, prob. Bentleio, Meinekio aliis.

Est autem hic locus ex eis, ubi unus dumtaxat codex veram poëtae manum servavit, ut Sat. 1, 6, 126: *fugio campum lusumque trigonem.*

198—201. *mensae brevis*] „sobriae.“ GLOSS. MONAC. Ep. 1, 14, 35: *Cena brevis.* Omnino chorus ubique inculcat illam Graecorum primariam sententiam: *Τὸ μέτρον ἄριστον.* — *Iustitiam*] Innumerabilibus enim locis celebratur in tragoediis Graecis *Δίκη ξύνεδρος Ζηνὸς ἀρχαίοις νόμοις.* (Oed. Col. 1382.) — *legesque*] praesertim ubi a tyrannis violantur. Cfr. Oed. Tyr. 863 seqq. — *apertis otia portis*] Cfr. Od. 3, 5, 23: *Portasque non clausas* cet. Sic Euripides Cresph. (462 N.): *Εἰρήνα βαθύπλουτε καὶ Καλλίστα μακάρων θεῶν, Ζῆλός μοι σέθεν, ὡς χρονίζεις.* — *tegat commissa*] Ep. 1, 18, 38: *Commissumque teges.* Illustria exempla sunt Soph. Electr. 469: *Σιγῆ παρ' ὑμῶν, πρὸς θεῶν, ἔστω, φίλαι.* Idem in Phaedrae fr. 609 D: *Σύγγνωτε κἀνάσχεσθε σιγῶσαι, τὸ γὰρ Γυναιξὶν αἰσχρὸν σὺν γυναικὶ δεῖ στέγειν.* Eurip. Hippol. 712: *ΦΑΙΔΡΑ. Σιγῇ καλύψαθ' ἁνθάδ' εἰσηκούσατε. ΧΟΡΟΣ. Ὄμνυμι σεμνὴν Ἄρτεμιν, Διὸς κόρην, Μηδὲν κακῶν σῶν ἐς φάος δείξειν ποτέ.* Id Electr. 271. *ΟΡ. Αἶδ' οὖν φίλαι σοι τοῦσδ' ἀκούουσιν λόγους; ΕΛ. Ὥστε στέγειν γε ταὐμὰ καὶ σ' ἔπη καλῶς.*

Vv. 202—219 sane referuntur ad scenam potissimum Romanam. Agit autem h. l. Horatius de necessaria tragoediae antiquae parte, de melopoeia, id est, de chori cantu ac symphoniis illius verba comitantibus, aptissime hunc locum capiti, quo chori officium tractaverat, subiungens. Est autem *μελοποιΐας* tragicae historia, ut ita dicam, poëtica, inter Athenas, Romam, poëtaeque *φαντασίαν* mire fluctuans. Hoc autem inde a v. 202 usque ad 219 imprimis demonstratum it, sicuti *μελοποιΐα* scenica paulatim magis strepitosa atque artificiosa facta sit, ita etiam chori eloquium partim sublimius, partim etiam obscurius, quam initio fuerit, quasi necessario evasisse.

202—207. *Tibia* cet.] „Tibia enim ante non erat ita ornata neque tam multis foraminibus tubae aemula. - - Ostendit luxuriam recentem et ambitionem ratam esse, antiquitatem vero severam fuisse.“ ACRO. — *non, ut nunc*] Cfr. Pratinam apud Athen. 14, 8 p. 617 d: *Ἐμὲ δεῖ κελαδεῖν, ἐμὲ δεῖ παταγεῖν. - - ὁ δ' αὐλὸς Ὕστερον χορευέτω· Καὶ γάρ ἐσθ' ὑπηρέτας κώμων μόνον.* — *orichalco*] Confer Platonis Critiam pag. 114 E. Strab. 13 pag. 909. Schneideri Ecl. phys. p. 116. „Tibia, qua intercinitur, non erat aut tam pretiosa aut tam magna, quam nunc est, quae orichalco ornatur,

Aemula, sed tenuis simplexque foramine pauco
Adspirare et abesse choris erat utilis atque
Nondum spissa nimis complere sedilia flatu; 205
Quo sane populus numerabilis, utpote parvus,
Et frugi castusque verecundusque coïbat.
Postquam coepit agros extendere victor et urbis
Latior amplecti murus vinoque diurno

203. *pauco* BCObγ, Lipsiensis, Dessauiensis, *parvo* Leidensis, Graevianus, Vossianus, Einsidlensis, duo Blandinii, R$\varphi\psi\lambda$. — 208. *urbis* codices et edit. paene omnes, *urbem* unus cod. Parisinus 7976, rec. post Lambinum et Cruquium Bentley. — 209. *Latior* codices, *Laxior* coniecit Bentley.

quod simillimum est bratteae aureae." PORPH. — *vincta*] Sive legis *vincta* sive *iuncta*, aeque explicandum est cum Fea: „Progressu temporis amplior et longior facta est, ut sonum graviorem redderet, *quod tibiae incremento longitudinis fiunt graviores*, ut inquit Censorinus c. 10. Haec ut facilius portaretur, in partes secabatur, quarum orae internae vel aura vel orichalco circumdabantur, ut ad opus committi et iungi possent, et postea disiungi et loculo servari." Iam consentaneum est, eas iuncturas sive vincturas etiam externas fuisse, tibiae ornamento destinatas. Quamquam in cod. antiquioribus vv. *vincta* et *iuncta* distingui vix queunt, prius tamen verbum h. l. sane magis poëticum est et ab antiquissimis cod. satis firmatur. — *tubaeque Aemula*] sono acuto et chori verba superante. — *tenuis*] „quod ad sonum spectat." — *foramine pauco*] „Varro ait in tertio Disciplinarum et ad Marcellum de lingua Latina, quattuor foraminum fuisse tibias apud antiquos, et se ipsum ait in templo Marsyae vidisse tibias quattuor foraminum. Quare quaterna tantum foramina antiquae tibiae habuerunt; alii dicunt, non plus quam tria." ACRO. — *spissa nimis - sedilia*] Cfr. v. 381: *spissae - coronae*. Ep. 1, 19, 41: *Spissis - theatris*. — *complere*] „adeo ut in theatro multo minore quam nostra nunc sunt, nondumque spectatoribus nimis referto, ab omnibus, quantum satis erat, exaudiri posset." — *sane*] „ut per se intellegitur." — *numerabilis*] Apud neminem ante Horatium hoc vocabulum nunc reperitur. Ipsene detorsit a Graeco *εὐαρίθμητος*? Theocr. 16, 87: *ἀριθμητοὺς ἀπὸ πολλῶν*. Post Horatium Ovidius Met. 5, 588: *per quas* (aquas) *numerabilis alte Calculus omnis erat*. — *castusque verecundusque* ideo etiam, quod ad Liberi patris cultum pertinebat *δρᾶμα*. V. autem *castus* refertur ad religionem. Cic. de leg. 2, 19: *Ad divos adeunto caste*.

208-213. *victor*] populus. Apud Graecos refertur ad tempora post *τὰ Περσικά*, cfr. ad Ep. 2, 1, 13 sqq.; apud Romanos post profligata bella Punica. — *urbis*] Recte se habet pluralis codicum antiquissimorum, cum de Graecis et Romanis communiter loquatur. — *Latior*] h. l., ut consentaneum est, significat: „spatiosior, amplior, quam initio fuerat;" neutiquam vero eo sensu, quo de Babylonis muro Hyginus F. 223: *latum pedes XXV*. — *vinoque diurno*]

Placari Genius festis impune diebus, 210
Accessit numerisque modisque licentia maior.
Indoctus quid enim saperet liberque laborum
Rusticus urbano confusus, turpis honesto?
Sic priscae motumque et luxuriem addidit arti
Tibicen traxitque vagus per pulpita vestem; 215
Sic etiam fidibus voces crevere severis,
Et tulit eloquium insolitum facundia praeceps,

„conviviis tempestivis; indulgebant enim Genio.“ Ep. 1, 19, 11: *Nocturno certare mero, putere diurno.* — *Placari Genius* cet.] Cfr. Ep. 2, 1, 144. — *impune*] „nec more iam nec lege id vetante;“ „sine metu alicuius et reverentia.“ COMM. CRUQ. — *numerisque modisque*] „rhythmis ac modulationibus.“ GLOSS. codicis T. Cfr. Ep. 2, 2, 144. — *Indoctus* cet.] „Quomodo enim,“ inquit, „indocta atque mire confusa haec multitudo verae ac simplicis musicae sensum ac iudicium retinuisset? Immo ingenti sono strepituque tibiarum gaudebat turba.“ — *liberque laborum*] „cum diebus festis ab opere rustico requiescens unice voluptatem et oculorum auriumque oblectationem quaereret indocta (ἀπαίδευτος) illa et permixta ex omnibus hominum generibus multitudo.“ Cfr. Od. 3, 17, 16: *Cum famulis operum solutis.* Sat. 2, 2, 119: *operum vacuo.* Ep. 2, 1, 140: *levantes tempore festo Corpus et ipsum animum.* V. *liber* cum genit. est constructio fere poëtica. Verg. Aen. 10, 154: *libera fati*, alii *fatis*, sed illud firmat Arusianus; Lucanus 6, 301: *libera legum Roma;* Silius 5, 212: *erepto metuendi libera caelo* (iuventus). — *turpis*] „infimae sortis homines.“

214. 215. *motum*] *κίνησιν*, numeros modosque celeriores et saltationem his accommodatam: ex parte etiam de tibicinum gesticulatione accipiendum videtur, ut colligere licet ex Aristotelis probl. 19, 49. — *luxuriem*] Plin. n. h. 16, 36, 66: *postquam varietas accessit et cantus quoque luxuria* cet. Haec sane referuntur etiam ad Romanorum musicam scenicam. Cfr. Cic. de leg. 2, 39: *Illa quidem* (theatra), *quae solebant quondam compleri severitate iucunda Livianis et Naevianis modis, nunc ut eadem exsultant, ut cervices oculosque pariter cum modorum flexionibus torquent!* — *vagus*] „modo dextrorsum, modo sinistrorsum, chorum praecedens.“ — *vestem*] „syrma tragicum.“ Cfr. Ep. 2, 1, 207. Sic Lucianus Nigr. 11 deridet histriones, ceteros ineptos, *χρυσίδας ἠμφιεσμένους*.

216—219. *fidibus*] „*Sic*, eadem necessitate, *fidibus* prius *severis* et habentibus gravem sonum *crevere voces* propter gravitatem, quia semitonium est inventum, ut acutae voces gravibus consonarent.“ SCHOL. Codicis Monac. Aristot. l. l.: *ἡ ὑποδωριστὶ ἦθος ἔχει μεγαλοπρεπὲς καὶ στάσιμον, διὸ καὶ κιθαρῳδικωτάτη ἐστὶ τῶν ἁρμονιῶν· ταῦτα δ' ἄμφω (ἡ ὑποδωριστὶ καὶ ἡ ὑποφρυγιστί) χορῷ μὲν ἀνάρμοστα, τοῖς δὲ ἀπὸ σκηνῆς οἰκειότερα κτλ.* — *Severis*, voc. plerumque de personis usurpatum, hic de arte musica. Cfr. v. 107. Od. 2, 1, 9: *severae Musa tragoediae.* — *tulit eloquium*] „Quo aemularetur musicam concitatio-

Utiliumque sagax rerum et divina futuri
Sortilegis non discrepuit sententia Delphis.
Carmine qui tragico vilem certavit ob hircum, 220
Mox etiam agrestis Satyros nudavit et asper

rem, poësis chorica ipsa quoque concitatior facta est et *tulit*, id est, creavit sibi (Sat. 2, 2, 93) atque assumpsit elocutionem a volgari consuetudine longe remotam, unde difficilior semper intellectu et oraculorum similis facta est, partim nobiles gravesque γνώμας proferens, partim, quasi ipse chorus futuri gnarus esset, occulte significans, quem fabula esset exitum habitura, cui personarum mors, cui victori fato destinata esset." — *facundia praeceps*] Sic etiam Graeci. Phot. Cod. 81: τροπαὶ ἀπότομοι, „tropi audaciores." Cic. pro Cael. 35: *mente nescio qua effrenata atque praecipiti.* Quintil. 12, 10, 73: *dicendi genus, quod--praecipitia pro sublimibus habet.* — *Sortilegis--Delphis*] Priscum morem Italicum (recordare Fortunarum Antiatium et Praenestinae) ad oraculum Delphicum transfert. Χρησμοὶ autem εὖ καὶ ποικίλως πως καὶ σοφῶς ἠνιγμένοι. Aristoph. Eq. 195 sq. Atque hoc versiculo simul significat chororum et sublimitatem et obscuritatem, qua interdum etiam antiquis quasi involuti videbantur.

Vv. 220-250 a tragoedia transit ad drama satyricum, cuius leges copiose exponuntur. „Cum non in eo versaretur poësis satyrica, ut graves personas risui et contemptui exponeret, sed ut servata earum dignitate satyrorum petulans lascivia hilaritatem excitaret, consentaneum erat, ut sermo in universum idem esset, qui in tragoedia, sed admitterentur verba loquendique formae ex quotidiano usu petitae, numerique versuum aliquid de severitate legum, quae tragoediis propriae sunt, remitterent." HERMANNUS in Praef. ad Eurip. Cycl. p. XIV. „Iam cum in his quoque dei atque heroes inducantur, praecipue demonstrandum est, quibus in rebus differant a tragoedia." Totus autem loci color eiusmodi est, ut dubitare vix queamus Horatium docere voluisse, quomodo ad Graecarum exemplum Latinae scribendae essent fabulae satyricae, si quis hoc in genere elaborare vellet; inceptum tamen hoc esse longe difficillimum et quod successum probabiliter non sit habiturum, quippe quod Romanorum indoli moribusque minus aptum sit.

220—224. *Carmine-tragico*] Sic Vergilius Ecl. 9, 33. Pollionis tragoedias *carmina* vocat. — *qui* cet.] Non dicit, Thespin invenisse drama satyricum, sed hoc: „non ita multo post inventam tragoediam illud quoque genus inventum esse," et quidem a Pratina, Aeschyli aequali. — *vilem-ob hircum*] Hinc ipsum nomen τραγῳδίας. De tragoediae origine cfr. ad v. 376. — *Mox etiam* cet.] „Inane erat negotium, quo critici Horatium in satyrici dramatis origine post tragoediam ponenda pugnare cum Aristotele (Poët. 4) demonstrarunt aut eum excusare conati sunt. Utrumque genus antiquissimum fuisse ait Horatius. Redde igitur *mox etiam* verbis *alsbald auch.*" HAND Turs. III. pg. 656. — *nudavit*] „primus nudos induxit in scenam," id est, „hoc fabularum genus invenit." — *asper*] Maxime in eis, quae Satyris tribuebantur, consulto rusticius ac minus polite iocabantur, quam solebat comoedia nova. —

Incolumi gravitate iocum temptavit eo, quod
Illecebris erat et grata novitate morandus
Spectator functusque sacris et potus et exlex.
Verum ita risores, ita commendare dicacis 225
Conveniet Satyros, ita vertere seria ludo,
Ne quicumque deus, quicumque adhibebitur heros,
Regali conspectus in auro nuper et ostro,
Migret in obscuras humili sermone tabernas,
Aut, dum vitat humum, nubis et inania captet. 230

Incolumi gravitate] deorum atque heroum, qui una cum Satyris inducebantur. — *novitate*] quae in ipso sita erat, quod Satyri in scena agebant. Ovid. Metam. 4, 284: *dulcique animos novitate tenebo.* — *morandus*] „retinendus in theatro post spectatam trilogiam tragicam ac grate delectandus.“ — *exlex*] „feriatus ac propter hanc summam hilaritatem iam non facile in ordinem cogendus, si forte interpellare vellet actores.“ „Qui spectator veniebat post sacrificia, iam pransus, iam potus.“ ACR.

225-230. *risores*] „ridicula dicta proferentes.“ Demetr. Phal. §. 169: *ὁ γέλως ἐχθρὸς τραγῳδίας· οὐδὲ γὰρ ἐπινοήσειεν ἄν τις τραγῳδίαν παίζουσαν, ἐπεὶ σάτυρον γράψει ἀντὶ τραγῳδίας.* Satyrici autem dramatis scriptores elegebant actiones, quarum participes fuisse aut spectatores saltem fingi possent Satyri, veluti Euripides Cyclopem, Autolycum, Sisyphum, Scironem, Sylcum. Rem persentisces ex Aeschyli Prometheo ignifero fragm. 216 H.: *Τοῦ δὲ Σατύρου τὸ πῦρ ὡς πρῶτον ἄφθη βουλομένου φιλῆσαι καὶ περιβαλεῖν, ὁ Προμηθεύς· Τράγος γένειον ἄρα πενθήσεις σύ γε.* — *commendare*] „efficere, ut a populo benevole spectentur.“ — *dicacis*] Quintil. 6, 3, 21: *Dicacitas sine dubio a dicendo, quod est omni generi commune, ducta est; proprie tamen significat sermonem cum risu aliquos incessentem.* Sat. 1, 4, 83: *Qui captat risus hominum famamque dicacis.* — *ita vertere seria ludo*] „tragoedorum res utiles et honestas, res tristes ac tragicas, rebus ludicris et satyricis, id est, ita tragoediae immiscere satyram (satyricum genus).“ COMM. CRUQ. *Rebus* tamen *tristibus* substitue potius *μύθους* tragicis affines. — *quicumque deus* cet.] „Sive deum in scenam produces sive heroëm sive utrosque simul.“ — *nuper*] Pro notione huius v. interpretandum est: „eidem dii atque heroës, qui in tragoediis saepe conspecti notissimi nobis sunt.“ — *Migret* cet.] „Ne persona tragica in fabula satyrica in scena comparens utatur sermone tam humili ac plebeio, quam solent homines, qui in tabernas popinasque confluunt, faex populi.“ *Migret* autem ex regia vel castris in locum se prorsus indignum. — *obscuras*] quia plerumque, ut meretricum cellae, sub terram depressae erant et fornicatae. — *humili sermone*] in quo quidem genere permultum sibi permiserunt Graeci, plerumque tamen in Satyrorum partibus. Nota sunt Aeschyli *ἀρουραῖος σμίνθος*, Sophoclis *Μαστιγίαι κέντρωνες, ἀλλοτριοφάγοι.* — *nubis et inania*] Persius 5, 7: *Grande locuturi nebulas Helicone tegunto!* „Rur-

Effutire levis indigna tragoedia versus,
Ut festis matrona moveri iussa diebus,
Intererit Satyris paulum pudibunda protervis.
Non ego inornata et dominantia nomina solum
Verbaque, Pisones, satyrorum scriptor amabo; 235
Nec sic enitar tragico differre colori,
Ut nihil intersit, Davusne loquatur et audax

237. *et audax* Blandinius antiquissimus, Bernenis antiquissimus, Monac. C, *an audax* ceteri.

sus in aliud vitium facile incidet satyricae fabulae scriptor, ut dum vitat genus humile turgidus fiat, dithyrambicis verbis atque tropis utens."

231—233. *Effutire*] „temere blaterare". — *levis*] quales personam comicam magis decent quam tragicam, ut est ille Aeschyleus in Sisypho δραπέτῃ fr. 241 H.: *Ἀλλ' ἀρουραῖός τις ἐστὶ σμίνθος ὧδ' ὑπερφυής.* — *indigna*] Vid. Ep. 1, 3, 35. — *tragoedia*] προσωποποιΐα, ut in Tabula Iliaca comparet Τραγῳδία dea; sine imagine, „partes deorum atque heroum in fabulis satyricis." — *matrona*] Cfr. Od. 3, 14, 5. „Ut matrona Romana pontificum iussu in supplicatione cum aliis *movetur* in numerum (cfr. Ep. 2, 2, 125), chorumque pudice ducit nec ut proterva mima gesticulatur, ita Tragoedia nativum suum decorem servans adiuvabit drama satyricum ad opus suum peragendum." „Sunt enim quaedam sacra, in quibus saltant matronae, sicut in sacris Matris deum. ACRO. Quo refertur locus Ovidii Trist. 2, 23: *Ipse quoque Ausonias Caesar matresque nurusque Carmina turrigerae dicere iussit Opi.* — *Satyris-protervis*] propter iocos agrestes et obscoenos. Hesiodi fr. 129, 2 Goettl.: *Καὶ γένος οὐτιδανῶν Σατύρων καὶ ἀμηχανοεργῶν.*

234—239. *Non ego* cet.] „Si umquam in mentem mihi veniret fabulas Satyricas scribere:" a quo proposito Horatius sane alienissimus erat, utpote qui natura sua a toto genere scenico abhorreret, neque ut opinor, umquam in hoc Satyrico genere elaborare voluisset. — *inornata* quae *pura* vocantur Sat. 1, 4, 54 sine tropis. — „*dominantia nomina* sunt, quae κυρίοις, id est, propriis vocabulis nuncupantur (nullis metaphoris immixtis), ut *liber, capsa, pagina.*" PORPH. — *nomina-Verbaque*] ut Graeci ante Aristotelem vocabulis ὀνόματα καὶ ῥήματα omnes orationis partes complectebantur. Conf. Sat. 1, 3, 103 sq. — *Satyrorum scriptor*] „fabularum Satyricarum scriptor." — *amabo*] „ἀγαπήσω, talibus contentus ero." Sic Iuven. 7, 9: *Nam si Pieria quadrans tibi nullus in umbra Ostendatur, ames omen victumque Machaerae.* — *Nec sic* cet.] „Neque si fabulam satyricam componere vellem, tantopere vitare studerem tragici sermonis magniloquentiam, ut cet." — *differre colori*] dativus a verbis discrepantiae aptus apud Horatium usitatissimus; cf. ad Od. 2, 2, 18. De voc. *color* conf. Ep. 1, 17, 23. — *Davus*] Cfr. Sat. 1, 10, 40. — *et audax*] „Ita (non *an audax*) est legendum; nam distinguuntur duo tantum genera." HAND Turs. I.

Pythias emuncto lucrata Simone talentum,
An custos famulusque dei Silenus alumni.
Ex noto fictum carmen sequar, ut sibi quivis 240
Speret idem, sudet multum frustraque laboret
Ausus idem: tantum series iuncturaque pollet,
Tantum de medio sumptis accedit honoris.

p. 303. — *Pythias*] persona comica in comoedia Lucilii, quae inducitur per astutias accipere argentum a Simone, domino suo, in dotem suae filiae." COMM. CRUQ. (Pro *Lucilii* malim *Caecilii*; cf. O. Ribbeck Com. Rom. fr. [2] pg. 81.) *Pythias* est persona comica etiam apud Phoenicidem in Meinekii Fr. Com. IV. p. 511, ubi Editor: „Pythias, quod alias honestarum feminarum nomen erat (v. Diog. L. 5, 53 et Stobaeus Floril. 31, 8), apud Phoenicidem aut lenae aut meretricis nomen fuisse videtur." Meretricis item nomen est apud Simonidem Anthol. Palat. I. p. 128 et apud Posidippum ibid. p. 146. — *emuncto*] Conf. Menandri M. p. 172: *γέρων ἀπεμέμυκτ' ἄθλιος λέμφος*. Plaut. Bacch. 698: *Emungam hercle hominem probe hodie.* Ib. 1098. Mostell. 1109. Terent. Phorm. 682: *Emunxi argento senes.* — *custos famulusque dei Silenus alumni*] Diodorus Sic. 4, 4: *φασὶ δὲ καὶ παιδαγωγὸν καὶ τροφέα συνέπεσθαι κατὰ τὰς στρατείας αὐτῷ (Διονύσῳ) Σειληνόν, εἰσηγητὴν καὶ διδάσκαλον γινόμενον τῶν καλλίστων ἐπιτηδευμάτων, καὶ μεγάλα συμβάλλεσθαι τῷ Διονύσῳ πρὸς ἀρετήν τε καὶ δόξαν.* Bacchi paedagogus est postea perpetuus comes, mire mixtus ex ebrietate et sapientia iocosa, *εἴρων* divinus, quem propterea non decet loqui eodem modo atque servulum comicum. Calpurn. Ecl. 10, 27: *Quin et Silenus parvum veneratus alumnum Aut gremio fovet aut resupinus sustinet ulnis.*

240—243. *Ex noto* cet.] Idem prorsus est ac v. 243 *de medio sumptis.* Tota autem sententiarum series inter praecedentia et sequentia (v. 244) nos haec quoque de elocutione sive stilo, non de argumento dramatis satyrici interpretari cogit. Est igitur: „Studebo, ut *noto* atque quotidiano sermone, omni elocutionis insolitae atque tragicae affectatione devitata, utar in satyrica fabula componenda." Hoc enim, nihil aliud, est *fictum*, „cum arte compositum," ut saepe apud Quintilianum. „Omnino sequamur in hoc genere leges, quas Graeci sapienter constituerunt, qui ab eo vitio imprimis sibi caverunt, ne deciderent in genus dicendi comicum atque humile, quamquam item tam simplex et nativum esse debet, ut facillimum quidem cuivis videatur, cum multum laborem multamque limam requirat. Pascal *Pensées* 1, 3: *Les meilleurs livres sont ceux que chaque lecteur croit, qu'il aurait pu faire.* — *series iuncturaque*] Cfr. vv. 46 sqq. — *de medio sumptis*] Opponuntur *exquisita.* Cic. Orat. 163: *Verba legenda sunt potissimum bene sonantia, sed ea non, ut poëtae exquisita ad sonum, sed sumpta de medio.* — *accedit*] „Bothius ex codicibus maluit *accedet*, quoniam poëta se aggressurum aliquando promittat. Sed haec verba in universum dicuntur, et *accedit* eodem iure quo *pollet* servandum est." IAHN. Atque ingratissimus iste ex uno in alterum tempus foret transitus. — *honoris*] „per genus dicendi

Silvis deducti caveant, me iudice, Fauni,
Ne velut innati triviis ac paene forenses 245
Aut nimium teneris iuvenentur versibus umquam,
Aut immunda crepent ignominiosaque dicta.
Offenduntur enim, quibus est equus et pater et res,
Nec, si quid fricti ciceris probat et nucis emptor,

244. *educti* duo codices Feae, ut coniecit Markland. — 249. *fricti* codicum maior pars, ed. fere omnes, *fracti* Graevianus, Vossianus, Bπ.

simplex ac verum, sed tamen studiose elaboratum, argumento etiam perquam noto novus accedit ornatus."

244-250. *Silvis deducti*] a poëta in scenam. Qui praeferunt *educti* explicant „educati," ut Verg. Aen. 6, 765: *Educet* (Silvium Lavinia) *silvis regum regumque parentem.* — *Fauni* proprie respondent Graecorum Paniscis, qui cum Sileno ac Satyris perpetui Bacchi comites sunt (cfr. Od. 3, 18, 1); hic autem manifesto iidem sunt atque Satyri. — *Ne velut innati triviis* cet.] „in urbe nati;" sed cum quodam contemptu dicitur de plebecula urbana; *paene forenses*, „continuo versantes in foro", *circumforanei* Ciceronis, *subrostrani* Caelii (Cic. ad Fam. 8, 1, 4), ἀγοραστικοὶ Platonis (Cratyl. p. 408 A). „Fauni, iidem atque Graecorum Satyri, quibus, ut Theocriteo generi, convenit *Musa rustica et pastoralis, quae non forum modo, verum ipsam etiam urbem reformidat* (Quintil. 10, 1, 55), duobus a vitiis sibi caveant, ne aut *iuvenentur*, id est, acuta et festiva dicta sectentur, praesertim in omnibus, quae agunt, verbis utantur nimis mollibus ac delicatis; aut rudis plebeculae instar ignominiose in alios atque spurce loquantur; in utrovis enim aeque aberunt ab agresti illa quidem, sed nativa simplicitate, quae eos unice decet." — *iuvenentur*] Nobis nunc ἅπαξ λεγόμενον formatum ad Graecorum νεανιεύεσθαι et μειρακιεύεσθαι, „nunc lascivo, nunc nimis tenero modo et cum nescio qua leporis perpetui affectatione inter se colloqui," ut faciebant Ciceronis illi barbatuli iuvenes, Caelius, Clodius, similes, cum forum et porticus perambulabant. — *immunda*] „obscoena et turpia, magis apta mimis quam satyris." ACRO. — *quibus est equus*] „equites Romani." His vv. designantur omnino cives, qui censu equestri erant minimum CCCC. mil. sestertiûm; a quorum igitur parentibus liberalem eis institutionem atque educationem procuratam esse iure exspectari poterat. — Viros senatorii ordinis una complectitur, quos singulatim memorare nihil attinebat. — *pater*] sine patre nati dicebantur servi ac liberti; significat igitur „ingenuos." — *res*] „patrimonium." His tribus autem modis significat homines cultos et politos. — *fricti ciceris* cet.] δῆμος κυαμοτρώξ Aristoph. Equit. 41, infimus popellus, qui per plateas talia emit iisque quotidie vescitur. Cfr. Sat. 1, 6, 115. *Nuces* complectuntur etiam avellanas et castaneas. Plaut. Poen. 322 sq.: *Nihil nisi laterculos, Sesanum papaveremque, triticum et frictas nuces.* Martial. 1, 104, 10: *Asse cicer tepidum*

Aequis accipiunt animis donantve corona. 250
Syllaba longa brevi subiecta vocatur iambus,
Pes citus; unde etiam trimetris accrescere iussit
Nomen iambeis, cum senos redderet ictus
Primus ad extremum similis sibi. Non ita pridem,
Tardior ut paullo graviorque veniret ad auris, 255

252. *accrescere* codices paene omnes, *accedere* pauci cod. ex glossemate; *iussit* codices, *iussum* L. Müller coniecit. — 253. *Nomen* codices, *Momen* O. Ribbeck.

(oleo frictum) *constat et asse venus.* Lectio *fracti ciceris* sensu destituta est. — *Aequis-animis*] Minus etiam accipiunt *animo gaudenti ac libenti,* quem *aequo* quodammodo opponit Cicero ad Att. 2, 4, 2.

251—254. *Syllaba* cet.] Loco maxime apto praecepta de versificatione tradit vv. 251—274 et quidem de iambo tantummodo; nam ceteros numeros tractare in hac epistula putidum fuisset. Verum cum de legibus iambi a poëtis Latinis neglegentius elaborati acturus esset, vafre inchoavit a primis elementis, tamquam merus ac simplex grammaticus. — *Pes citus*] Od. 1, 16, 24: *celeres iambos.* Terentianus Maurus v. 2182: *Adesto, iambe praepes, et tui tenax Vigoris adde concitum celer pedem:---- Vides, ut icta verba raptet impetus.* Cfr. supra v. 79 sqq. — *unde* cet.] „Quae celeritas effecit, ut, cum bini iambi in dipodiam coniungerentur, solitus dramatis versus *trimetri iambici* apud Graecos nomen acciperet, etsi sex ictus (ἄρσεις) habet, unde Latinis est *senarius.*“ — *accrescere iussit*] „fecit, ut adiungeretur; indidit.“ — *iambeis*] ἅπαξ λεγόμενον. Cfr. Od. 2, 6, 5. *Argeo. Primus ad extremum*] „Trimeter a primo usque ad sextum pedem iambis constans,“ ut Eurip. Herc. fur. 533: *Τί φῇς; τίν' ἐς ταραγμὸν ἥκομεν, πάτερ;* de cuiusmodi versu Terentianus 2185: *Sed ipse verus integerque sexiens.* Cf. epod. XVI.

254-268. *Non ita pridem*] Haec necessario iungenda sunt cum v. *recepit,* neque ab hoc divelli debebant. Verum quomodo explicabimus vv. *non ita pridem?* Nam et in antiquissimis trimetris Graecis (v. Archiloch. fr. 78 ed. Bgk.[4]: *Πολλὸν δὲ πίνων καὶ χαλίκρητον μέθυ* cet.) iam reperiuntur spondei; unde fuerunt, qui hoc de primis tragicis Latinis dictum opinarentur, non inspectis Livii Andronici et Naevii reliquiis neque attendentes ad v. 259, ubi propter spondei nimium usum reprehenditur cum Accio ipse pater Ennius. Verum enimvero in universum iambi ac Graeci potissimum historiam nobis tradit Horatius non ut grammaticus, sed ut poëta: „Quod ad θεωρίαν et legem huius versus attinet,“ ait, „esse debebat atque initio fortasse fuit senarius purus, ut *Πάτερ Λυκάμβα, ποῖον ἐφράσω τόδε;* sed paullatim, quo gravior evaderet, invaluit mos, ut sedibus imparibus reciperetur etiam spondeus.“ Vv. autem *non ita pridem,* ut saepe *nuper,* accipienda sunt de tempore infinito, quod ei, qui loquitur cum omni aevo comparatum propter qualemcumque rationem brevius quam fortasse alii videtur. Aequo certe iure hic locutus est Horatius atque Lucianus Pro imagg. c. 23: *τοῦτο (τὸ δημιούργημα)*

Spondeos stabilis in iura paterna recepit
Commodus et patiens, non ut de sede secunda
Cederet aut quarta socialiter. Hic et in Acci
Nobilibus trimetris apparet rarus et Enni
In scenam missos cum magno pondere versus 260
Aut operae celeris nimium curaque carentis
Aut ignoratae premit artis crimine turpi.

258. *Acci* codices Horatiani plerique; cf. ad epist. 2, 1, 56; multi edit. *Atti.* — 259. 260. *et Enni. In scenam missus* Marcilio auctore Bentleius repugnantibus cod. et edit.

τὴν οὐρανίαν Ἀφροδίτην, ὃ ἐποίησε Πραξιτέλης ἐν Κνίδῳ οὐ πάνυ πολλῶν ἐτῶν, id est, circiter DXX. Ipse Sat. 2, 2, 46 *haud ita pridem* usurpat de circiter LXXX annis. — *Spondeos stabilis*] Opponuntur spondei iambis motoriis atque celeribus. — *iura paterna*] Sunt iura singulorum filiorum in universum ius, quod pater vita defunctus tempore mortis habebat. „Spondeos consortes sibi fecit, quibuscum velut hereditatem paternam cerneret.“ — *Commodus*] „facilis ac benignus, non tamen ita, ut item de sedibus paribus cederet;“ quam legem numquam migrarunt Graeci. — *socialiter*] Pergit in prosopopoeia iambi: „Commode, quomodo bonus socius socio interdum de iure suo decedit, aliquid remittit. Vocabulum nunc est *ἅπαξ λεγόμενον*.

258-272. *Hic*] Plerique *hic* pro adverbio habent, sed manifesto est subiectum non solum verbi *apparet*, sed etiam verbi *premit*, ubi molestissime explicares: „hoc loco, in sede secunda et quarta, *premit crimine Ennii versus*. Est igitur: „*Hic* iambus (etiam in sede secunda et quarta) raro reperitur apud Ennium et Accium,“ cum tragici Latini persaepe id unum servarent, ut in sexta maneret iambus. Nam ut choliambos et miro casu simul hexametros facerent huic Enniano similes: *Cives Romani tunc facti sunt Campani* (Ann. 174 V.): eo usque licentiae progressi non sunt. Verba igitur vv. 258. 259 ita interpretor: „Iambus in Ennii atque Accii trimetris apparet rarus atque propterea utriusque poëtae trimetri merito in reprehensionem incurrunt.“ — *Acci--Enni*] Cfr. Ep. 2, 1, 50. 56. — *Nobilibus*] „quos nostri aequales tantopere admirari solent;“ non sine quadam ironia. — *missos*] veluti e balista. Nota huius versus (260) quinque spondeos, quibus egregie imitatur Ennii senarios propter huius ipsius pedis frequentiam nimis graves ac tardos. — *cum magno pondere*] „Minus scite codices *cum magno pondere*, inquit Bersmannus: non advertit scilicet et alias sic solere Nostrum (vide Serm. 1, 10, 49) et hic venerem quandam in ipsa pronuntatione studio quaesitam esse: *cum magno pondere;* quae dum profers, ipsum illud pondus et lente ambulantes spondeos voce et spiritu persentiscis.“ BENTL. In Marcilii et Bentleii coni. *missus-versus* verbum *premit* caret obiecto, quod dicunt; Bentleius quidem suo arbitratu dixit supplendum esse *scriptorem*. — *premit-crimine*] Sic Liv. 3, 13, 1: *Premebat reum praeter volgatam*

Non quivis ridet immodulata poëmata iudex,
Et data Romanis venia est indigna poëtis.
Idcircone vager scribamque licenter? an omnis 265
Visuros peccata putem mea, tutus et intra
Spem veniae cautus? Vitavi denique culpam,
Non laudem merui. Vos exemplaria Graeca
Nocturna versate manu, versate diurna.

265. *an* codices et editi libri paene omnes, *ut* perpauci prob. Bentleio, *at* c.

invidiam crimen unum. „Iambus ex sedibus suis expulsus velut accusator convincit Ennii versus“ cet. His autem tacite quodammodo opponuntur Augustei temporis tragicorum versus ad Graecorum normam accuratius directi et magis politi.

263. 264. *Non quivis* cet.] „Non quivis auditor tam accurate animadvertit rhythmi vitia, ut propter haec totam fabulam explodat; ideoque factum est, ut Latinis poëtis concederetur id, quod Atticis numquam condonatum est.“ Cfr. Ciceronem de Orat. 3, 195; et in Oratore 173: *In versu quidem theatra tota exclamant, si fuit una syllaba aut brevior aut longior; nec vero multitudo pedes novit nec ullos numeros tenet* cet., id est, singulis in vocibus syllabarum quantitas ut servetur, imperiose postulat etiam plebs; neutiquam vero metrorum leges accurate novit. Horatius vero propter hanc ipsam metrorum ignorationem a volgo Romano poëtis etiam manifesta vitia condonari aegre fert. — *indigna*] „quam meriti non erant.“

265—569. *Idcircone vager* cet.] „Hac venia ipse quoque abusus scribamne sine ullo certo consilio versus spretis accuratioribus legibus metricis? sperans videlicet non quemvis lectorem, immo paucissimos, id esse animadversuros? An fortasse, contrario errore actus, putem omnes quidem visuros esse mea peccata, sed nihilo minus a reprehensione tutum me arbitrer, dummodo caveam, ne versus nimis scabri vel etiam prorsus ἄμετροι mihi passim excidant? Verum equidem tantae neglegentiae numquam reus fiam; nam *denique* vitarem quidem reprehensionem, laudem vero, quam quaero, apud peritos iudices non invenirem. Hanc ipsam autem laudem unice appetiverunt summi Graecorum poëtae, omni neglegentia severe sibi interdicentes; quocirca vos, Pisones, hos mecum sequimini.“ — *tutus*] Cfr. v. 28. — *intra spem veniae cautus*] „omnem reprehensionem devitans usque ad eum finem, intra quem si mansero, veniam me facile impetraturum spero.“ Cic. ad Fam. 4, 4, 4: *modice faciam, aut etiam intra modum.* — *Vitavi d. culpam* cet.] Plaut. Trin. 1129: *Non videor meruisse laudem, culpa caruisse arbitror.* — *exemplaria*] „perfectos cuiusque generis scriptores Graecos;“ nam ut ad hos adspirarent, id summum erat, quod suis popularibus licere probe perspiciebat Horatius. — *Nocturna* cet.] Ad versiculi sonum cfr. Ep. 1. 19, 11: *Nocturno certare mero, putere diurno.*

At vestri proavi Plautinos et numeros et 270
Laudavere sales: nimium patienter utrumque,
Ne dicam stulte, mirati, si modo ego et vos
Scimus inurbanum lepido seponere dicto
Legitimumque sonum digitis callemus et aure.
Ignotum tragicae genus invenisse Camenae 275

270—274. *At* cet.] Est obiectio arte coniuncta cum responsione *nimium patienter* cet. „At," inquit, „maiores vestri magni fecere Plautum." „Utique," respondet poëta, „sed propter hoc ipsum, quod minus tunc exculti exemplaria Graeca non satis norant neque eximiam horum perfectionem perspexerant, praepostere iudicarunt de Plauti et versibus et facetiis." — *vestri*] Haec lectio praeferenda est alteri *nostri*, partim quia huic poëmati didascalico, ubicumque potest, epistulae inducit colorem (ut v. praecedente *Vos*, o Pisones: ita videlicet, ut simul omnibus lectoribus hoc idem dictum esset), partim quia haud nimis conveniebat, ut is, cuius pater sine patre fuerat, *proavos* suos creparet. — *Plautinos* cet.] Cfr. Ep. 2, 1, 170 sqq. — *Scimus* cet.] „si modo dicta scurrilia ac frigida distinguere nos scimus a vere lepidis et urbanis; quam quidem scientiam nemo profecto nobis abiudicabit." — *seponere*] „secernere, dinoscere." Cfr. Sat. 1, 3, 113: *iusto secernere iniquum.* Sat. 1, 6, 63: *turpi secernis honestum.* Ep. 1, 15, 29: *civem dinosceret hoste.* Ep. 2, 2, 44: *curvo dinoscere rectum.* — *Legitimumque sonum*] „Versum ad artis leges elaboratum." Cfr. Ep. 2, 2, 109. — *digitis*] quibus non tam simpliciter numerantur versuum pedes, quam pollicis ictu notantur ἄρσεις, ut in symphoniis, *ubi tempora etiam animo metiuntur et pedum et digitorum ictu intervalla signant quibusdam notis.* Quintil. 9, 4, 51. Terentianus 2253: *moram, Quam pollicis sonore vel plausu pedis Discriminare, qui docent artem, solent.* — Multum autem discrepat, ne dicam Sidonii Apollinaris notum illud 23, 148: *Graios, Plaute, sales lepore transis,* Ciceronis de Plauto iudicium de Offic. 1, 104: *Duplex est omnino iocandi genus: unum illiberale, petulans, flagitiosum, obscenum; alterum elegans, urbanum, ingeniosum, facetum; quo genere non modo Plautus noster et Atticorum antiqua comoedia, sed etiam philosophorum Socraticorum libri referti sunt.* Qua quidem in re minime obliviscendum est Horatium cum Plauto semper contulisse poëtas comoediae novae Atticos, unde facile in illo desiderare potuit urbanitatem ac leporem; a Cicerone, qui ipse ad dicta iacienda propensus erat, Plautum spectatum esse magis per semet ipsum, non comparatum cum Menandro et Philemone.

275—277. *Ignotum* cet.] Quia maxima epistulae pars versatur in poësis scenicae praeceptis, recte h. l. vv. 275—288 adumbrat historiam tragoediae et comoediae Graecae, quibus vel propter vv. 258-274 opponuntur Latinorum in his generibus fabulae, et quidem ex iusta meritorum utriusque nationis existimatione de iis iudicare videtur. In his omnibus videtur sequi grammatici vel historici alicuius Graeci opinionem, nisi ipse tragoediae et comoediae primordia confudit. Thespis pro inventore

Dicitur et plaustris vexisse poëmata Thespis,
Quae canerent agerentque peruncti faecibus ora.
Post hunc personae pallaeque repertor honestae
Aeschylus et modicis instravit pulpita tignis

277. *Quae* codices, *Qui* Bentleius coniecit. — *peruncti* cod. Hor., *infecti* Diomedes a. gr. pg. 487, 29 K. — *ora* codices plerique, *atris* BC.

tragoediae habebatur. Cfr. Suidas in h. v. Dioscorides Anth. Pal. I. p. 427 simili errore atque Horatius: *Θέσπις ὅδε, τραγικὴν ὃς ἀνέπλασε πρῶτος ἀοιδὴν Κωμήταις νεαρὰς καινοτομῶν χάριτας, Βάκχος ὅτε τριττυῖ κατάγοι χορόν, ᾧ τράγος αἴθων Χώττικὸς ἦν σύκων ἄῤῥιχος ἆθλον ἔτι.* Chron. Par. 58. p. 301. Boeckh.: *Ἀφ' οὗ Θέσπις ὁ ποιητὴς [ἐφάνη], πρῶτος ὃ ἐδίδαξε [δρ] ᾶ [μα ἐν ἄ] στ [ει καὶ ἐ] τέθη ὁ [τ] ράγος [ἆθλον] ἔτη ΗΗΙΙ [ΔΔ]-ἄρχοντος Ἀθ [ήνησι] . . . . ναίου τοῦ προτέρου.* „Quod ad annum attinet, consistendum sane in Olymp. 61 eiusque tribus prioribus annis.“ BOECKH. a. Chr. 536—534 sub Pisistrato. Thespidis merita optimi exposuit Aristoteles apud Themistium ei ita adversantem Or. 26. pg. 382 Dind.: *Ἀλλὰ καὶ ἡ σεμνὴ τραγῳδία μετὰ πάσης ὁμοῦ τῆς σκευῆς καὶ τοῦ χοροῦ καὶ τῶν ὑποκριτῶν παρελήλυθεν ἐς τὸ θέατρον· καὶ οὐ προσέχομεν Ἀριστοτέλει ὅτι τὸ μὲν πρῶτον ὁ χορὸς εἰσιὼν ᾖδεν εἰς τοὺς θεούς, Θέσπις δὲ πρόλογόν τε καὶ ῥῆσιν ἐξεῦρεν, Αἰσχύλος δὲ τρίτον ὑποκριτὴν* (praeter chorum et *πρωταγωνιστήν*) *καὶ ὀκρίβαντας, τὰ δὲ πλείω τούτων Σοφοκλέους ἀπελαύσαμεν καὶ Εὐριπίδου.* — *plaustris* cet.] Error hic ortus videtur ex confusione cum eis, quae *τὰ ἐκ τῶν ἁμαξῶν* vocabant. Plato leg. 1 p. 627 B. Suidas: *Τὰ ἐκ τῶν ἁμαξῶν· ἐπὶ τῶν ἀπαρακαλύπτως σκωπτόντων. Ἀθήνησι γὰρ ἐν τῇ τῶν Χοῶν ἑορτῇ οἱ κωμάζοντες ἐπὶ τῶν ἁμαξῶν τοὺς ἀπαντῶντας ἔσκωπτόν τε καὶ ἐλοιδόρουν. τὸ δ' αὐτὸ καὶ τοῖς Ληναίοις ὕστερον ἐποίουν.* Certe antiquissimum scenae genus erat non plaustrum, sed *ἐλεός, τράπεζα ἀρχαία, ἐφ' ἣν πρὸ Θέσπιδος εἴς τις ἀναβὰς τοῖς χορευταῖς ἀπεκρίνατο.* Pollux On. 4, 123. — *faecibus ora*] „ne cognoscerentur; nondum enim usus erat personarum.“ SCHOL. (ac similiter Tzetzes Cram. p. 335, 20: *τρυγὶ καταχρίσαντες αὐτῶν τὰς θέας ἀγνωστοφανῶς*), sed fortasse tantum ioci et lasciviae causa. Verum haec potius ad primas comoediae origines pertinent, nisi omnia ficta sunt ex v. *τρυγῳδία*.

278—280. *personae*] Hoc inventum nonnulli tribuebant iam Thespidi, teste Suida: *πρῶτον μὲν χρίσας τὸ πρόσωπον ψιμυθίῳ ἐτραγῴδησεν, εἶτα ἀνδράχνῃ ἐσκέπασεν ἐν τῷ ἐπιδείκνυσθαι, καὶ μετὰ ταῦτα εἰσήνεγκε καὶ τὴν τῶν προσωπείων χρῆσιν ἐν μόνῃ ὀθόνῃ κατασκευάσας.* Hanc personam perfecisse Aeschylus videtur, ut *χαρακτῆρας* deorum, heroum ceterorumque actorum accuratius exprimeret. — *pallaeque*] *σύρματος*. Pallam proprie dictam sic describit Isid. Origg. 19, 25, 2: *Palla est quadrum pallium muliebris vestis, deductum usque ad vestigia, quod affixis in ordinem gemmis micat.* Sed poëtae pallam etiam viris tribuunt; Ovid. Am. 2, 18, 15: *Risit Amor pallamque meam pictosque cothurnos.* — *honestae*] „decorae atque dignae, quae in scena tragica compareret.“ — *Aeschylus*]

Et docuit magnumque loqui nitique cothurno. 280
Successit vetus his comoedia, non sine multa
Laude; sed in vitium libertas excidit et vim
Dignam lege regi; lex est accepta chorusque
Turpiter obticuit sublato iure nocendi.
Nil intemptatum nostri liquere poëtae, 285
Nec minimum meruere decus, vestigia Graeca
Ausi deserere et celebrare domestica facta,

Philostratus V. Soph. 9, 1: *Εἰ γὰρ τὸν Αἰσχύλον ἐνθυμηθείημεν ὡς πολλὰ τῇ τραγῳδίᾳ ξυνεβάλετο, ἐσθῆτί τε αὐτὴν κατασκευάσας καὶ ὀκρίβαντι ὑψηλῷ καὶ ἡρῴων εἴδεσιν, ἀγγέλοις τε καὶ ἐξαγγέλοις καὶ οἷς ἐπὶ σκηνῆς τε καὶ ὑπὸ σκηνῆς χρὴ πράττειν, τοῦτο ἂν εἴη καὶ ὁ Γοργίας τοῖς ὁμοτέχνοις.* — *magnumque loqui*] Aristoph. Ran. 823 de Aeschylo: *βρυχώμενος. ἥσει Ῥήματα γομφοπαγῆ, πινακηδὸν ἀποσπῶν Γηγενεῖ φυσήματι.* Ad verba conf. Cic. Tusc. 2, 56: *exclamare maius.*

281—284. *Successit vetus his comoedia*] Thespidi atque Aeschylo ante Chr. 525—456. Cratinus (a Chr. 519—422), Eupolis (natus a. 446) huiusque aequalis Aristophanes; non *his* „Satyris atque tragoediae," ut enarrant Scholiastae. De *vetere comoedia* cfr. Sat. 1, 4, 1. — *libertas excidit*] „*παῤῥησία* impetu quodam suo delapsa est in petulantiam." Qua de re conqueritur Isocrates de Pace §. 14: *Οὐκ ἔστι παῤῥησία πλὴν ἐνθάδε μὲν (ἐν ἐκκλησίᾳ) τοῖς ἀφρονεστάτοις, ἐν δὲ τῷ θεάτρῳ τοῖς κωμῳδοδιδασκάλοις.* Cic. de Rep. 4, 33: *apud quos (Graecos antiquiores) fuit etiam lege concessum, ut quod vellet comoedia de quo vellet* (praeterquam de archonte: Schol. Aristoph. Nub. 31) *nominatim diceret. Quem illa non attigit, vel potius, quem non vexavit? cui pepercit?* — *vim*] ea prope significatione, qua utuntur ICti, quae non secus ac *vis hominibus armatis coactisve civi illata* lege coërceri debebat. Ac re vera eiusmodi *ψηφίσματα* lata sunt ab Antimacho et Syracosio; quorum tamen tempus incertum est: fluctuant enim chronologi inter Olymp. 90, 4 et Ol. 94, 1 (ante Chr. 417—404). Suidas in *Ἀντίμαχος· ἐδόκει οὗτος ψήφισμα πεποιηκέναι, μὴ δεῖν κωμῳδεῖν ἐξ ὀνόματος* (alibi *ὀνομαστί κωμῳδεῖν*), id est, „ne quis proprio suo nomine ut fabulae persona in scenam produceretur." — *Turpiter*] Iungi hoc verbum nequit, ut volunt nonnulli, cum v. *nocendi;* sed hoc dicit: „Turpe erat choro post tantam libertatem subito obmutescere." Sic iam inter Olymp. 85, 1—4 Cratini fabula *Ὀδυσσεῖς* sine choro et *παραβάσεσιν* edita est. Schol. Arist. Ran. 404: *ἐπὶ γοῦν τοῦ Καλλίου τούτου* (Ol. 93, 3 ante Chr. 405) *φησὶν Ἀριστοτέλης ὅτι σύνδυο ἔδοξε χορηγεῖν τὰ Διονύσια τοῖς τραγῳδοῖς καὶ κωμῳδοῖς· χρόνῳ δ' ὕστερον οὐ πολλῷ καθάπαξ περιεῖλε Κινησίας τὰς χορηγίας.* Simul significat transitum priscae comoediae per mediam in novam inde a XXX tyrannorum dominatione (ante Chr. 404).

285—288. *celebrare domestica facta*] Sane quidem tragici Latini admodum feliciter Romana argumenta tragoediae idonea delegerunt, veluti Brutum et Decium, aliis, ut videtur, etiam Ser.

Vel qui praetextas vel qui docuere togatas.
Nec virtute foret clarisve potentius armis
Quam lingua Latium, si non offenderet unum 290
Quemque poëtarum limae labor et mora. Vos, o
Pompilius sanguis, carmen reprehendite, quod non
Multa dies et multa litura coërcuit atque
Praesectum deciens non castigavit ad unguem.

294. *Praesectum* (vel *Presectum*) Blandinius antiquissimus cum alio cod. Blandinio, Bernensis antiquissimus, Monacensis C, prob. Bentley, Meineke, Haupt, Vahlen, L. Müller; *Perfectum* ceteri cod., Orelli, O. Keller.

Tullio, Lucretia, Virginia praetermissis. — *praetextas*] Haec forma pro solita *praetextatas* reperitur etiam bis apud Asinium Pollionem in Cic. ad Fam. 10, 32, 3 et 5, apud Festum et Suetonium in Vita Persii extr.; eamque formam praefert O. Müller ad Festum p. 223; contra fabulas *praetextatas* easdem appellant Grammatici prorsus ad analogiam palliatarum et togatarum. *Praetextatas* autem, id est, tragoedias Latinas Romani argumenti, ita nominatas, quia illustres viri toga praetexta induti in eis agebant, atque oppositas *crepidatis* argumenti Graeci, scripserunt imprimis Pacuvius *(Paulum)* et Accius *(Brutum* et *Decium)*. — *docuere*] ut Graeci de poëtis scenicis διδάσκειν usurpant, quia poëta reapse *docebat* histriones et chorum, antequam fabulam *daret, ederet*. Cic. Brut. 72: *Livius primus fabulam--docuit*. — *togatas* comoedias Romani argumenti, oppositas *palliatis*, argumenti Graeci. „Et togatas Aelius Lamia, Antonius Rufus, C. Melissus, (Titinius,) Afranius, (Novius,) Pomponius scripserunt.“ ACRO.

289—294. *Nec virtute* cet.] Iam enumerat vitia, in quae plerumque incurrere soleant poëtae Latini (vv. 289—308), et quidem primum esse ait limae taedium, nimiam contra opinionem de insito cuique ingenio, quod saepe ridiculis modis affectent ac suis popularibus ostentent. — *unum Quemque*] Malitiosâ ironiâ, dum reprehendit socordiam, qua saepe versus pangant Romani, ipse consulto neglegentior est in divellendo verbo *unumquemque*. Cfr. Ep. 2, 2, 188. Sat. 1, 2, 62. 1, 9, 51. — *Pompilius sanguis*] Honorifica allocutio; nominativus, quem pro vocativo positum volunt, non vocantis, sed declarantis esse videtur. Cfr. Sat. 2, 2, 107. Hinc Persius 1, 61: *Vos, o patricius sanguis*. „Quia Calpus (μυθικὸς) filius est Numae Pompilii, a quo Calpurnii Pisones traxerunt nomen.“ PORPH. Salei Bassi Panegyr. in C. Calpurnium Pisonem v. 14: *nam quid memorare necesse est, Ut domus a Calpo nomen Calpurnia ducat?* Atque in nummo apud Eckhel D. N. Vol. V p. 165: *CN. PISO PROQ.* Caput barbatum diademate cinctum, cui inscriptum: *NUMA*. Cfr. Festum in v. *Calpurnii*. „Plutarch. Num. 21 *Pomponios* dicit, *Pinarios, Calpurnios, Mamercios* ortos esse ad quattuor filiis Numae, quorum nomina fuerint *Pompo, Pinus, Calpus, Mamercus*.“ DILLENB. — *Multa--multa*] De eiusdem vocis repetitione cfr. Ep. 1, 1, 20. 1, 17, 40. — *coërcuit*] „omnia supervacanea et nimis turgida removit, ut fit in

Ingenium misera quia fortunatius arte 295
Credit et excludit sanos Helicone poëtas
Democritus, bona pars non unguis ponere curat,
Non barbam, secreta petit loca, balnea vitat.
Nanciscetur enim pretium nomenque poëtae,
Si tribus Anticyris caput insanabile numquam 300

vitium pampinis. Quintil. 9, 4, 5: *vites coërcemus manu.* Cfr. Ep. 2, 2, 122: *Luxuriantia compescet.* — *castigavit*] „expolivit;“ simili metaphora ut *coërcuit* desumpta ab arboribus. Theophr. C. Pl. 1: κολάζειν τὰ δένδρα. Pollux 6, 141: παρεσκευασμένα, κεκολασμένα, διεξεσμένα κτλ. — *ad unguem*] Vid. ad Sat. 1, 5, 32: *ad unguem Factus homo.* Sic Polycletus dicere solebat, χαλεπώτατον εἶναι τὸ ἔργον, ὅταν ἐν ὄνυχι ὁ πηλὸς γίγνηται. Dionys. Halic 6 pag. 994: ἐκμέμακται εἰς ὄνυχα.

295—301. *Ingenium* cet.] „Sed permulti poëmata sua ideo non elimant, quia Democriti auctoritate abusi ingenium atque ἐνθουσιασμόν, furorem poëticum, quem ipsi sibi tribuunt, longe anteponere solent arti, atque illi omnia licere contendunt, hanc *miseram* esse nimis laboriosam nec dignam, qua exercenda poëta ingeniosus sese frustra vexet.“ Vetus autem ea disceptatio inter Graecos. Epicharmus ap. Stob. 29, 54: Ἁ δὲ μελέτα φύσιος ἀγαθᾶς πλεῦνα δωρεῖται, φίλοι. Critias ibid. 10: Ἐκ μελέτης πλείους ἢ φύσεως ἀγαθοί. Aliter Pindarus Olymp. 2, 86 seqq. (V. ad v. 408.) — *Democritus*] Cfr. Ep. 1, 12, 12. Cic. de Divin. 1, 80: *Negat sine furore Democritus quemquam poëtam magnum esse posse: quod idem dicit Plato.* Scripsit autem ille περὶ ποιήσεως et περὶ Ὁμήρου. Diogen L. 9, 48. — *bona pars*] Cfr. Od. 4, 2, 46. Sat. 1, 1, 61. — *non unguis ponere curat*] „Quo videantur divino illo furore perciti, summam neglegentiam in corpore curando affectant.“ — *tribus Anticyris* cet.] „insania, cui ter tantum hellebori, quantum Anticyrae quotannis crescit, mederi non possit, id est, prorsus insanabilis.“ Cfr. ad Sat. 2, 3, 83. — *Licino*] *Licinus* fuit huius hominis cognomen, non *Licinius* nomen, ut scribitur persaepe in prosae orationis scriptoribus, quemadmodum e *Basilo* plerumque fecerunt *Basilium*, (V. Onomast. Tullianum.) „Nomen est tonsoris famosi, qui postea dicitur factus senator a Caesare, quod odisset Pompeium, de quo hoc scriptum est epitaphium: *Marmoreo tumulo Licinus iacet, at Cato nullo, Pompeius parvo: quis putet esse deos?*“ COMM. CRUQ. Quodsi Licinus hic Horatianus re vera idem est atque ille, qui auctore Dione Cassio 54, 21 origine Gallus erat, captusque a Romanis servus Iulii Caesaris fuerat et ab eo manumissus, ab Augusto Galliae procurator factus est a. u. c. 739, statuendum erat, eo tempore, quo Ars poëtica composita est, illum iam ex principis favore excidisse vel obisse; nam homini quamvis improbo, sed ab Augusto honoribus affecto, sic illudere vix poterat. Utique *Licini*, ut viri indigne praedivitis et praepotentis, nomen postea quasi in proverbii consuetudinem venit: Pers. l. l. Martial. 8, 3, 6. Iuven. 1, 109 et 14, 305 seqq. Sueton. Octav. 67.

Tonsori Licino commiserit. O ego laevus,
Qui purgor bilem sub verni temporis horam!
Non alius faceret meliora poëmata; verum
Nil tanti est. Ergo fungar vice cotis, acutum
Reddere quae ferrum valet, exsors ipsa secandi; 305
Munus et officium nil scribens ipse docebo,
Unde parentur opes, quid alat formetque poëtam;
Quid deceat, quid non; quo virtus, quo ferat error.
Scribendi recte sapere est et principium et fons.
Rem tibi Socraticae poterunt ostendere chartae, 310

301. 302. *O ego laevus*] Vergil. Ecl. 1, 16 et Aen. 2, 54: *Si mens non laeva fuisset.* „O me hominem praeposterum, qui magnos istos poëtas non imitatus remediis ad purgandam bilem aptis quotannis utor!“ Bili enim tribuebant μελαγχολίαν. — *purgor bilem*] in prosa orat. *bile.* Est accusativus Graecus: „quod ad bilem attinet.“ — *horam*] „anni tempus,“ ut Od. 3, 13, 9.

303—308. *Nil tanti est*] „Nihil tanti aestimo, nulla prorsus mihi causa est, cur magnus poëta ad illorum scilicet modulum fieri cupiam.“ — *Ergo* cet.] „Ergo quoniam hoc mihi negatum est, criticum saltem agam.“ — *fungar vice cotis* cet.] Isocrates aliquando interrogatus, cur cum alios artem dicendi doceret, ipse taceret, respondit: *Καὶ αἱ ἀκόναι αὐταὶ μὲν τεμεῖν οὐ δύνανται, τὸν δὲ σίδηρον ὀξέα καὶ τμητικὸν ποιοῦσιν.* LAMB. (Plut. Vit. X. Or. pag. 838 E.) — *nil scribens ipse*] „nullum poëma epicum aut dramaticum, sed sermones dumtaxat et lyrica quaedam.“ Inest tamen festiva ironia, qua propria carmina elevat. — *opes*] ingenii, quae constant *copia (rerum ac) verborum.* (Quintil. 10, 1, 15), iuncta cum felici inventione ceteraque facultate poëtica. — *quo* cet.] „Facultas poëtica,“ inquit, „efficit, ut ad perfectionem perveniamus, *error*, ut vel mediocres maneamus vel prorsus contemnamur.“ — *virtus*] „ars perfecta et κατορθώματα praeclaro ingenio debita.“

309—311. *Scribendi* cet.] „Verum unde tandem pendent omnia quae adhuc proposui praecepta inveniendi, componendi, cetera? Unice a *sapiendo.* Evolvenda atque exploranda est tota vita humana; nam ex hac una investigatione prodit veritas poëtica, praecipue in genere dramatico.“ Hoc praeceptum exponit vv. 310—322. — *sapere*] σοφία καὶ σύνεσις, „recte cogitare atque iudicare de omnibus rebus: cui hoc deest, quamvis magna sit praeditus phantasia et inveniendi facultate, numquam tamen evadet poëta hoc nomine dignus.“ — *principium et fons*] Dionys. Long. 8: Ἐπεὶ δὲ πέντε - - πηγαί τινές εἰσι τῆς ὑψηγορίας γονιμώταται, πρῶτον μὲν καὶ κράτιστον τὸ περὶ τὰς νοήσεις ἀδρεπήβολον. — *Rem* cet.] „Quomodo autem sapienter rectoque cum indicio quodlibet argumentum, ἠθικὸν praesertim, tractari debeat, huius artis prorsus egregia exempla praebent Socraticorum, imprimis Platonis, Xenophontis, Aeschinis, Antisthenis, scripta;“ hos enim fere aequiparabant grammatici et rhetores. Dio Chrysost. 18 pag. 480 R.:

Verbaque provisam rem non invita sequentur.
Qui didicit, patriae quid debeat et quid amicis,
Quo sit amore parens, quo frater amandus et hospes,
Quod sit conscripti, quod iudicis officium, quae
Partes in bellum missi ducis, ille profecto 315
Reddere personae scit convenientia cuique.
Respicere exemplar vitae morumque iubebo
Doctum imitatorem et vivas hinc ducere voces.

Τρέψομαι δὲ ἤδη ἐπὶ τοὺς Σωκρατικούς, οὓς δὴ ἀναγκαιοτάτους εἶναί φημι παντὶ ἀνδρὶ λόγων ἐφιεμένῳ. -- Ξενοφῶντα δὲ ἔγωγε ἡγοῦμαι ἀνδρὶ πολιτικῷ καὶ μόνον τῶν παλαιων ἐξαρκεῖν δύνασθαι, εἴτε ἐν πολέμῳ τις στρατηγῶν, εἴτε πόλεως ἀφηγούμενος, εἴτε ἐν δήμῳ λέγων, εἴτε ἐν βουλευτηρίῳ εἴτε καὶ ἐν δικαστηρίῳ -- ἐθέλοι -- τὰ τῷ τοιούτῳ προσήκοντα ἐν δίκῃ εἰπεῖν. Dionys. Long. 4: *Οἱ ἥρωες ἐκεῖνοι - Ξενοφῶντα λέγω καὶ Πλάτωνα - ἐκ τῆς Σωκράτους ὄντες παλαίστρας.* Cfr. Od. 1, 29, 14. Strenue autem Horatius ipse hoc suum exsequebatur praeceptum. Cfr. Sat. 2, 3, 11: *Quorsum pertinuit stipare Platona Menandro? — chartae*] Conf. Od. 4, 8, 21. — *Verbaque* cet.] „Ubi philosophiae ope penitus perspexeris res moresque hominum, quales et sint et esse debeant, tum demum facile eos poëtice exprimere atque imitari poteris; sine tali cognotione inanis eris et futilis scriptor.“ Porphyrio: „Asinius Pollio idem dixit: *Male hercule eveniat verbis, nisi rem sequantur!*“ Cic. de Or. 3, 194: *tantum hominis ingeniosi ac memoris* (*Antipatri Sidonii*) *valuit exercitatio, ut, cum se mente ac voluntate coniecisset in versum, verba sequerentur.* „Menander cum fabulam disposuisset, etiamsi nondum versibus adornasset, dicebat se tamen iam complesse.“ ACR. — *provisam rem* cet.] „tale argumentum cum successu a te inventum atque accurate pensitatum verba convenientia ultro tibi subministrabit.“

312—318. *Qui didicit p.* cet.] Per totum h. l. versatur imprimis circa *τὰ ἤθη*, quia in poësi scenica horum maxime ratio habenda est; *didicit* autem hanc artem partim a philosophis *ἠθικὴν* tractantibus, partim ipse varios hominum mores accurate explorans. — *conscripti*] „senatoris,“ ex formula *patres conscripti.* Singularis autem hac significatione uno fortasse hoc loco reperitur. — *Reddere*] „attribuere id, quod ei debetur.“ — *Respicere* cet.] Praeter philosophiam moralem etiam ipsam vitam humanam eiusque varios casus intueri iubet. — *exemplar vitae*] „vita, qualis nobis contemplantibus apparet.“ — *Doctum*] „qui arti satisfaciat.“ — *vivas -- voces*] „quae *τὰ ἤθη καὶ πάθη* recte atque dilucide exprimant, vere naturales.“ Alia quidem significatione, sed iisdem verbis Plato Phaedr. p. 276 A dixit *λόγον ζῶντα καὶ ἔμψυχον.* Cic. ad Att. 2, 12: *Ubi sunt, qui aiunt ζώσης φωνῆς?* Verum apud Horatium est *τὸ ἐμπαθές, τὸ ἐναργὲς* Graecorum; *veras*, quod alii praeferunt, non est nisi glossema, nec satis rectum; nam *verae voces* Lucretii 3, 57, *φωνὴ ἀληθὴς* Luciani Nigr. 29, sunt potius eae,

Interdum speciosa locis morataque recte
Fabula nullius veneris, sine pondere et arte, 320
Valdius oblectat populum meliusque moratur
Quam versus inopes rerum nugaeque canorae.
Grais ingenium, Grais dedit ore rotundo
Musa loqui, praeter laudem nullius avaris.

quae conspirant cum intimo alicuius sensu, alias occultato.

319—322. *Interdum* cet.] Monstrat vel maxime necessarium esse, ut personarum mores recte exprimantur, quia ab hac re potissimum pendeat fabulae successus spectatorumque plausus. — *speciosa locis*] „locis communibus (Cic. Brut. 46. Orat. 126), *ῥήσεσι*, quibus insunt *γνῶμαι* evidentia sua ac veritate allicientes et permulcentes auditorum animos.“ Cfr. Quintil. 7, 1, 41: *plerique--contenti sunt locis speciosis modo vel nihil ad probationem conferentibus.* — *morata*] in qua mores singularum personarum optime exprimuntur.“ ACRO. — *nullius veneris*] „ceterum destituta lepore illo Menandreo neque valde venusta.“ — *sine pondere*] „sine argumenti et generis dicendi gravitate.“ Cic. de Orat. 2, 73: *omnium sententiarum gravitate, omnium verborum ponderibus est utendum.* — *arte*] refertur maxime ad actionis implicationem et solutionem. — *oblectat*] *Oblectatio* semper actuosa est, ea significatione, qua Cicero n. d. 1, 110 *virtutem actuosam* dixit; *delectatio* iis, quae grata offeruntur, sine propria actione fruitur. Cfr. mox v. 333. — *moratur*] detinet ac facit, ut usque ad finem spectetur.“ Cfr. v. 223 Ep. 1, 13, 17. — *nugaeque canorae*] „versus leves, quod ad sententias pertinet, quantumvis numerosi ac sonori.“ Cfr. Ep. 2, 2, 76: *I nunc et versus tecum meditare canoros.*

323. 324. *Grais* cet.] „Verum,“ inquit, „maximo impedimento Latinae poësi est ipsa Romanorum educatio. Sane Graeci illi antiqui ab Homero usque ad Menandrum in omnibus iis, quae ad poësin spectant, longe nobis feliciores fuerunt, quippe quibus natura ipsa ingenium vere poëticum et facilitatem etiam reconditos animi sensus scite exprimendi largita sit. Neque vero illos ullius alius rei nisi verae gloriae cupidos fuisse videmus: nostra perversa educatio quaestus ante omnia et lucri studium animis instillans, vim poëticam debilitat atque infringit.“ Similis est locus Ep. 2, 1, 93 sqq. Menander apud Schol. Aristid. ed. Frommel p. 316: *Ἕλληνές εἰσιν ἄνδρες οὐκ ἀγνώμονες Καὶ μετὰ λογισμοῦ πάντα πράττουσίν τινος.* — *ore rotundo*] „*Τὸ στρογγύλον* rhetores Graeci in genere dixerunt, quidquid verbis et sententiis ita enuntiatum esset, ut in eorum forma concinnitas, elegantia et artificium appareret. Apud Dionys. Hal. de vi Demosth. c. 19 *τὰ στρογγύλα* opponuntur *τοῖς πλατέσιν* et *μακροῖς*.“ ERNESTI. Nec raro ita Latini, veluti Cic. Brut. 272 de C. Pisone: *erat verborum et delectus elegans et apta et quasi rotunda constructio.* — *praeter laudem n. avaris*] „unius laudis appetentibus;“ adiect. *avaris* ergo h. l. laudem, non reprehensionem continet. „In hac sola cupiditate promerebantur laudem, tamquam Protogenes ille, qui Ialysum finxit decem annis, vel Apelles, qui totidem pinxit annis Anadyomenen. Non enim ut ac-

Romani pueri longis rationibus assem 325
Discunt in partis centum diducere. 'Dicat
Filius Albini, si de quincunce remota est
Uncia, quid superat? Poteras dixisse.' 'Triens.' 'Eu!
Rem poteris servare tuam. Redit uncia, quid fit?'
'Semis.' An haec animos aerugo et cura peculi 330

326. *Dicat* codices, *Dicas* Bentleius coni. — 327. *Albini* codices plerique, *Albani* BCOb Dessauiensis. — 328. *superat* maior pars cod., *superest* 'unus et alter' Bentlei, γ var., *superet* cum Zülichemiano Bentley. — *Poteras* cod. plerique, *Poterat* Dessauiensis, OSby paucique alii. — *dixisse, Triens?* distinxit Bentley. — 330. *An* vetustissimus Blandinius cum duobus aliis Blandiniis, Bernensis antiquissimus paucique alii, recep. Bentley, Meineke, Haupt, Vahlen; *At* ceteri codices prob. Orelli, L. Müller, O. Keller.

ciperent festinabant, sed ut placerent morabantur." PORPH.

325—332. *longis rationibus*] de hoc loco conf. Marquardt de vita privata Roman. pg. 96. — *partis*] „fractiones." Ceterum *centum* h. l. ex duodenaria sive unciaria apud Romanos computandi ratione proprie accipi nequit, sed significat „vel minutissimas." Ultima quidem finis, ad quam in assis distributione progreditur L. Volusius Maecianus §. 39 haec est: *Dimidium scriptulum audio quosdam ratiocinatores SIMPLIUM vocare, quod erit totius assis quingentesima septuagesima sexta, quam et ipsam partem infinito separare possis.* Cave autem, ne Horatium loqui putes de usurarum computatione, sed usque ad v. 330 simplicia additionis, subtractionis, divisionis exempla proponit. — *Dicat* cet.] In ludum literarium nos deducit poëta, ubi ratiocinandi artem pro poësi docet magister. Ceterum quomodo in tertia persona offendere potuerit Bentleius, non video. Nonne enim probabile est praeceptores interdum hac ita usos esse, ut solent nostri? Atque sic est Od. 1, 27, 10 de homine praesente: *Dicat Opuntiae Frater Megillae.* — *Albini*] „nomen feneratoris avari (COMM. CRUQ.), cuius sane filius maxime aptus est, qui a magistro de re nummaria interrogetur." DILLENB. — *quincunce*] Cfr. L. Volusius Maecianus et Balbus de asse ed. Böcking. Bonnae 1831 12 p. 13: *divisio solidi, id est, librae, quod as vocatur: - - uncia* (duodecima pars) *sextans, quadrans, triens, quincunx, semissis* (sive, ut hic, *semis*), *septunx, bessis (s. bes), dodrans, dextans (s. decunx), deunx.* — *quid superat?*] Sane oratio recta efficacior est quam coniunctivus *superet*, qui exigua formatur codicum auctoritate. — *Poteras dixisse*] Verba haec sunt magistri, discipulum non tam corripientis, quod tardiuscule respondeat, quam cum leni ironia excitantis, cum certus sit magister puerum illico recte esse responsurum. — *Triens*] tertia pars assis, id est, quattuor unciae. — *Redit*] „contra si ad quincuncem additur uncia, fit semis, dimidia pars assis sive sex unciae." *Redit* autem dicere poterat, quia singulae unciae prius totum, id est, assem, constituentes, ab eo separatae, ubi aliis unciis adduntur, ad illum sensum velut postliminio *redire* videntur. — *At* cet.] Sic recte erumpit liberrima indig-

Cum semel imbuerit, speramus carmina fingi
Posse linenda cedro et levi servanda cupresso?
Aut prodesse volunt aut delectare poëtae,
Aut simul et iucunda et idonea dicere vitae.
Quidquid praecipies, esto brevis, ut cito dicta 335
Percipiant animi dociles teneantque fideles.
Omne supervacuum pleno de pectore manat.
Ficta voluptatis causa sint proxima veris,

331. *speramns* BCOSby, Dessauiensis, nonnulli cod. Bentlei, *speremus* Leidensis, Graevianus, Vossianus, Lipsiensis, Rφψλ. — 337. Hunc versum sibi suspectum seclusit Bentleius.

natio. *An* dubitantis est, sed nulla est causa; qui autem *ad haec* scripserunt, rati sunt eadem licentia hic usum esse Horatium atque Cic. pro Mil. 4, 10: *ad quam (legem) non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus.* — *aerugo*] „avaritia, quae rodit animos atque extenuat, ut aerugo aes.“ Aliâ metaphorâ Sat. 1, 4, 101. Seneca Epist. 7, 6: *Malignus comes quamvis candido et simplici rubiginem suam adfricuit.* — *peculi*] Hic usurpatur de omni pecunia propria industria ac parsimonia etiam a libero homine parta; proprie de servo Verg. Ecl. 1, 33: *Nec spes libertatis erat nec cura peculi.* — *speramus*] Indicativus clarius significat absurdam fore talem spem quam aliorum lectio *speremus.* — *cedro - - cupresso*] Dioscorid. 1, 106 cedrum τῶν νεκρῶν ζωὴν vocat, et κυπαριττίνας μνήμας memorat iam Plato leg. 5 p. 741. Martial. 5, 6, 14: *Quae cedro decorata purpuraque Nigris pagina crevit umbilicis.* Vitruv. 2, 9, 13: *Ex cedro oleum, quod cedrium dicitur, nascitur, quo reliquae res cum sunt unctae, uti etiam libri, a tineis et a carie non laeduntur.* Cfr. Plin. n. h. 16, 40, 78 sq. „Ex cupressino autem ligno confici solebant capsulae, in quibus reponebantur scripta poëtarum contra tineas.“ COMM. CRUQ.

333—337. *Aut prodesse* cet.] Dilucide monstrat triplex consilium sequi poëtas; „nam aut docere volunt, ut didactici, aut delectare, ut epigrammatum ludicrorum scriptores, aut utrumque, ut epici, dramatici, lyrici; si quis hoc tertium obtinet, perfectus est poëta.“ Simul et docendi et delectandi leges proponit, in docendo brevitatem, in delectando, ne aberretur a veritate poëtica, ne monstruosa φαντάσματα fingantur. (vv. 333-340.) — *Omne supervacuum* cet.] „Ut de vase iam pleno aqua insuper affusa defluit, ita animum praecepto aliquo iam impletum, omnia, quae praeterea adduntur, quippe *supervacanea*, id est, nimia ac verbosiora, quam necesse est, non tangunt, sed fastidio afficiunt.“ V. *manare* idem fere significat ac *defluere* apud Senecam de Benef. 1, 1, 8: *ita natura comparatum, ut altius iniuriae quam merita descendant et illa cito defluant, has tenax memoria custodiat.* Mirum autem fuit Bentlei de hoc versu iudicium: „Vereor, ne monacho potius quam Flacco versiculus debeatur.“

338—340. *Ficta*] „vel a te ipso vel in mythis iam antiquis repe-

Ne quodcumque volet, poscat sibi fabula credi,
Neu pransae Lamiae vivum puerum extrahat alvo. 340
Centuriae seniorum agitant expertia frugis,
Celsi praetereunt austera poëmata Ramnes:
Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci
Lectorem delectando pariterque monendo;
Hic meret aera liber Sosiis; hic et mare transit 345

339. *Ne* codices plerique, Bentley, Meineke, Haupt, Vahlen, L. Müller, O. Keller, *Nec* BCSb, Orelli. — *volet* Leidensis, Lipsiensis, Graevianus, Dessauiensis, RSbφψλ, *velit* BCOγ.

rienda." — *proxima veris*] „ne laedatur veritas poëtica." Aristot. Poët. 25, 7: *Προαιρεῖσθαι δεῖ ἀδύνατα εἰκότα μᾶλλον ἢ δυνατὰ ἀπίθανα.* — *pransae Lamiae*] „Lamia est monstrum superne habens speciem mulieris, inferne vero desinit in pedes asininos." COMM. CRUQ. Hae dicebantur pueros vel devorare vel eorum sanguinem exsugere; unde ut Empusa ac Mormo infantium terriculamenta erant.

341-346. *Centuriae seniorum* cet.] In classibus a Servio Tullio institutis omnes, qui annum aetatis XLV. egressi erant, seniorum centuriis adnumerabantur. „Viri iam maturi exagitant et reprehendunt poëmata nimis iocosa et parum sententiosa; contra Ramnes, equites iuniores (quos *Trossulos* vocat Persius 1, 82) non sine quodam fastu atque arrogantia per populum incedentes, ut faciunt iuvenes et validi et locupletes, spernunt poëmata nimis seria nulloque φαντασίας ornatu se commendantia." Atque *adulescentulos* vocat equites Romanos, proprie dictos, quibus equus publicus *assignatus* (Cic. de Rep. 2, 20, 36) erat, Q. Cicero de Petit. Cons. 8, 33: *Primum cognoscito equites; pauci enim sunt; deinde appetito; multo enim facilius illa adulescentulorum ad amicitiam aetas adiungitur.* — Vocabulo autem medio *celsi* h. l. subest ironia quaedam, ut apud Cic. de Orat. 1, 184: *Haec et horum similia iura suae civitatis ignorantem erectum et celsum alacri et prompto ore atque voltu huc atque illuc intuentem vagari - - toto foro - - nonne imprimis flagitiosum putandum est?* — *praetereunt*] „spernunt" Martial. 1, 25, 2: *profer opus, Quod nec Cecropiae damnent Pandionis arces, Nec sileant nostri praetereantque senes.* — Qui *Ramnes* proprie dicti ex communi opinione fuerint, disce ex Livio 1, 13: *Centuriae tres equitum conscriptae sunt. Ramnenses ab Romulo, ab T. Tatio Titienses appellati. Lucerum nominis et originis causa incerta est.* — *Omne tulit punctum*] Anthol. Lat. Meyeri N. 780, 3: *Suffragiorum puncta non tulit septem.* Conf. Ep. 2, 2, 99 et Epigramma in Rufum ad Sat. 2, 2, 50. Est igitur: „Omnes eum laudibus celebrant." — *utile*] Ut nostris temporibus, sic antiquitus, magna erat controversia, quatenus poësis non solum proprium et suum munus conficere, verum etiam sensu ἠθικῷ utilis esse deberet. — *meret aera*] proprie de militum stipendio atque operariorum mercede. — *Sosiis*] Cfr. Ep. 1, 20, 2. „Bibliopolis insignem quaestum affert poëma bonum." — *mare transit*]

Et longum noto scriptori prorogat aevum.
Sunt delicta tamen, quibus ignovisse velimus.
Nam neque chorda sonum reddit, quem volt manus et mens,
Poscentique gravem persaepe remittit acutum;
Nec semper feriet quodcumque minabitur arcus. 350
Verum ubi plura nitent in carmine, non ego paucis
Offendar maculis, quas aut incuria fudit
Aut humana parum cavit natura. Quid ergo est?
Ut scriptor si peccat idem librarius usque,
Quamvis est monitus, venia caret; ut citharoedus 355
Ridetur, chorda qui semper oberrat eadem:

356. *oberrat* cod. plerique, *oberret* OTbγ, Lipsiensis paucique alii.

Cfr. Ep. 1, 20, 13. — *longum prorogat aevum*] „prorogat, ut longum fiat:“ uti Soph. Trach. 679: *μείζον' ἐκτενῶ λόγον.*

347-352. *Sunt delicta* cet.] „Numquam tamen obliviscar ad illam perfectionis absolutae speciem, quam mente tantum videmus (*τὴν ἰδέαν τοῦ καλοῦ*), pervenire eamque exsequi mortalibus negatum esse; quocirca aequa et humana sint nostra iudicia de summorum poëtarum erroribus et delictis.“ Tota autem haec doctrina de modeste iudicandis scriptoribus primariis egregie exposita est a Dionysio Longino 33 p. 48 et 36 p. 52 Egger: *ἐκείνων τῶν ἀνδρῶν τῶν ἐν λόγοις μεγαλοφυῶν ἕκαστος ἅπαντα τὰ σφάλματα ἑνὶ ἐξωνεῖται πολλάκις κατορθώματι κτλ.* — *neque chorda* cet.] Proponit duplex exemplum erroris non consulto aut iudicii pravitate commissi, sed potius instrumentis minus perfectis aut alii casui tribuendi: similes autem etiam in carminibus pangendis accidere casus adversos significans, quibus mox adnumerat etiam incuriam aliquam excusabilem vel humanae naturae quamvis perfectissima quaeque affectantis infirmitatem. — *minabitur*] „minabitur ferire, quo eum sagittarii oculus manusque dirigit.“ At recte Madvigius advers. crit. I pg. 68: 'durissime auditur infinitivus, ut adiciatur etiam *se: quodcumque se percussurum esse minabitur;* id non scripsisse Hor. ostendunt codices, in quibus est *quocumque* i. e. *quoicumque.*“ — *Offendar*] Non est „modus coniecturalis,“ ut olim discipulos docuit quidam editor, sed simplex futurum. — *fudit*] Continuat metaphoram maculae, quae fortuita liquidi alicuius aspersione oritur. Simul optime convenit *incuriae.*

353—356. *Quid ergo est?*] „Verum, ut video,“ inquit, „iustissima hac excusatione abuti possunt etiam mali poëtae, quorum defensioni iamiam occurram. At, si futilis scriptor eadem purgatione usus erit, illico eum refutabimus atque venia prorsus indignum habebimus.“ — *scriptor--librarius*] „servus, qui libros describit vel domino litterato vel bibliopolae;“ de quorum neglegentia saepe scriptores conqueruntur. — *peccat idem*] pro volgari: „in eodem peccat,“ „idem peccatum semper committit.“ Sic etiam Cic. de d. n. 1, 31: *Xenophon--eadem fere peccat.* —

Sic mihi, qui multum cessat, fit Choerilus ille,
Quem bis terve bonum cum risu miror; et idem
Indignor, quandoque bonus dormitat Homerus.
Verum operi longo fas est obrepere somnum. 360
Ut pictura poësis: erit, quae, si propius stes,

357. *Choerilus* cod., *Choerilos* Bentley. Vide ad Ep. 2, 1, 232. — 358. *terve* B, regius Bentlei, prob. Bentl., Meineke, L. Müller, Haupt, Vahlen, *terque* codices plerique, rec. O. Keller. — 360. *operi longo* Blandinii in eisque antiquissimus, Leidensis, BCRScdφψλ aliique, pauci *opere in longo* vel *opere longo* —. *Ut pictura, poësis erit quae* distinguit Meineke.

oberrat] „qui in eadem chorda pollice tangenda eundem semper errorem committit.

357—360. *multum cessat*] „propter neglegentiam officio suo non satisfacit," ut Ep. 2, 2, 14: *Semel hic cessavit.* — *Choerilus*] Cfr. Ep. 2, 1, 232 seqq. „Choerilus, qui gesta Alexandri describens septem tantum versus laudabiles fecit; - - cui Alexander fertur dixisse, malle se Thersiten Homeri esse quam huius Achillem. Alexander autem pactus cum eo, ut, si bonum faceret versum, aureo numismate donaretur, si malum, colapho feriretur: qui saepius male scribendo colaphis necatus est." COMM. CRUQ. Sed de insulsis his Scholiastarum narratiunculis tu confer Naekii Choerilum pag. 36. 206. 207. Ceterum Choerilus a Grammaticis Homero tralaticio quasi exemplo oppositus esse videtur. Sic etiam Hermias ad Plat. Phaedr. p. 112: *Τί γὰρ ὅμοιον ἡ Χοιρίλου καὶ Καλλιμάχου ποίησις πρὸς τὴν Ὁμήρου καὶ Πινδάρου;* — *terve*] Quid intersit inter formulas *bis terve* et *bis terque*, facillime persentisces collato v. 440. Cfr. Epod. 5, 33. — *Indignor* cet.] Aegerrime item fero, quandocumque in Homero vitium aliquod animadverto, quia eum his prorsus exemptum cuperem. Cum hoc scripsit Horat. memor fuit loci Lucretiani 3, 1037: *Adde Heliconiadum comites, quorum unus Homerus Sceptra potitus eadem aliis sopitu' quietest.* Incredibile autem est, quae et qualia reprehenderint non solum grammatici, sed etiam philosophi in Homero, veluti Schol. volg. ad Od. λ 157—159: *Ὠκεανός, - - τὸν οὔπως ἔστι περῆσαι Πεζὸν ἐόντα· Ἀθετοῦνται τρεῖς· γέλοιον δὲ πεζὸν ἐόντα.*)

361-365. „Verum, ut iusti simus poëmatum existimatores, id quoque requiritur, ut non omnia eodem *modulo ac pede* metiamur, sed pro diverso genere et stilo diversa etiam de singulis iudicia faciamus." — *Ut pictura, poësis*] Antiqua est comparatio, saepe prave intellecta, maxime, ubi in *τέχναις ποιητικαῖς* divolso cum sequentibus nexu, sic interdum affertur: *Ut pictura, poësis erit.* At manifesto hoc dicit: „Ut in pictura, id est, tabulis pictis, accidit, ita etiam in poëmatis usu venire solet cet." Utique Plutarch. de gloria Athen. c. 3 pag. 346 F: *Ὁ Σιμωνίδης τὴν μὲν ζωγραφίαν ποίησιν σιωπῶσαν προσαγορεύει, τὴν δὲ ποίησιν ζωγραφίαν λαλοῦσαν.* Scr. ad Herenn. 4, 39: *Poëma loquens pictura, pictura tacitum poëma debet esse.* Sed hi ac similes loci (ut Tusc. 5, 114) ad internam, ut ita dicam, utriusque artis similitudinem

Te capiat magis, et quaedam, si longius abstes.
Haec amat obscurum, volet haec sub luce videri,
Iudicis argutum quae non formidat acumen;
Haec placuit semel, haec deciens repetita placebit. 365
O maior iuvenum, quamvis et voce paterna
Fingeris ad rectum et per te sapis, hoc tibi dictum
Tolle memor, certis medium et tolerabile rebus
Recte concedi. Consultus iuris et actor
Causarum mediocris abest virtute diserti 370
Messallae nec scit quantum Cascellius Aulus,

potius referentur; de externa loquitur Horatius, id docens, diversa utriusque artis opera diverso etiam modo spectari atque diiudicari a peritis oportere. — *abstes*] Verbum *abstare* videtur ἅπαξ λεγόμενον, unde corruptelae *adstes, absis;* formatum est ad analogiam v. ἀφίσταμαι, sed propter sonum asperiorem praeter h. l. raro aut numquam usurpatum, prorsus ut Vitruvii 9, 1, 11 subst. *abstantia.* Tota autem imago ad poëmata translata significat lectionem plus minusve accuratam atque acrius vel clementius iudicium, quod de quovis facere debeamus. — *Haec amat obscurum*] „quae virtutibus quidem non caret, sed tamen suo iure postulat partim, ne nimis diligenter investigentur loci minus expoliti, partim ut φαντασίᾳ potius et miti quodam humanitatis sensu eam amplectamur, quam subtili intellectus iudicio subiciamus."

366—373. *O maior*] Facta mentione poësis eius, quae propter perfectionem *deciens repetita placebit,* aptissime iuvenem amicum ac simul, ut fit talibus in allocutionibus, unumquemque lectorum obsecrat obtestaturque, ne ei hac ipsa fortasse excusatione *erit, quae --- obscurum* abutenti ad mediocritatem quandam pervenire sufficiat; nihil enim mediocri poëta esse detestabilius. Hinc potissimum epistulae χαρακτῆρα resumit. — *iuvenum*] id est, „filiorum." Conf. v. 24: *pater et iuvenes patre digni.* — *Tolle memor*] Excidunt loquenti verba; qui ea in mentem suam recipit, veluti *tollit.* Verg. Aen. 6, 377: *cape dicta memor.* — *certis*] „quibusdam," non: „definitis." Hoc dicit: „In disciplinis et artibus usui vitae quotidianae destinatis mediocritas tolerabilis est, praesertim ubi argumentum, quod tractare debent, ipsum tenuius est: sic in minoris momenti litibus et ICtus et causidicus mediocris et petitori et reo sufficiet. Aliter vero res se habet in artibus, quae pulchrum per se ipsum imitari student et *in quibus non utilitas quaeritur necessaria, sed animi libera quaedam oblectatio* (Cic. de Or. 1, 118), in poësi, in histrionum arte, in pictura et sculptura, ubi numquam in mediocritate adquiescimus, sed nostro iure perfectionem poscimus." — *Messallae*] Est notus ille M. Valerius Messalla Corvinus, Tibulli fautor. Vid. argumentum Od. 3, 21. Seneca Controv. 2, 12: *Fuit Messalla exactissimi ingenii in omnes quidem studiorum partes, Latini utique sermonis observator diligentissimus. -- Latro -- pro Pythodoro*

Sed tamen in pretio est: mediocribus esse poëtis
Non homines, non di, non concessere columnae.
Ut gratas inter mensas symphonia discors
Et crassum unguentum et Sardo cum melle papaver 375
Offendunt, poterat duci quia cena sine istis:
Sic animis natum inventumque poëma iuvandis,
Si paulum summo decessit, vergit ad imum.
Ludere qui nescit, campestribus abstinet armis,
Indoctusque pilae discive trochive quiescit, 380

Messallae orationem disertissimam recitavit. — *A. Cascellius*, clarissimus ICtus, homo dicax ac facetus (Macrob. Saturn. 2, 6) et clarus *Bene dictorum* libro, *vir iuris civilis scientia clarus* fuit iam triumvirorum tempore a. u. c. 712 teste Val. Max. 6, 2, 12, admodum igitur senex eo anno, quo hic liber scriptus est. Sed si vel octogenarius fuit, in vivis etiamtunc fuerit necesse est; nihil enim inconcinnius fuisset quam componere mortuum cum Messalla vivo, ut manifesto Horatii verba significant. De nominum inversione cfr. Od. 2, 11, 2. — *Non homines, non di*] Inversus ordo *Non di, non homines* ab eis inductus est, qui minus decere arbitrarentur homines dis praeponi ac praeferrent ordinem solitum, ut est apud Cic. ad Fam. 1, 9: *dis hominibusque approbantibus.* Liv. 3, 17. 40, 12; cui formulae παρὰ προσδοκίαν addit: *non concessere columnae*, eaedem, quae Sat. 1, 4, 71 vocantur *pilae*, ante bibliopolarum tabernas; quibus columnis librorum venalium indices affigebantur. „Etiam columnas illas inanimatas pudet mediocrium poëtarum et horum nomina sibi affigi indignantur non secus atque eis irati sunt di hominesque.“ (Nullos videlicet reperiunt emptores.)

374—378. *gratas*] „iucundas atque hilares.“ — *crassum unguentum*] „nimis spissum nec satis defaecatum.“ (Plin. n. h. 13, 1, 2: *Omnia unguenta acutiora fiunt costo, amomo--; crassiora myrrho suavioraque* cet. Ib. 3, 4: *Quosdam crassitudo maxime delectat, spissum appellantes, liniique iam, non solum perfundi unguentis gaudent.*) — *Sardo cum melle*] „Corsicum et Sardum mel pessimi saporis est.“ PORPHYR. Verg. Ecl. 7, 41: *ego Sardoniis videor tibi amarior herbis.* Optimum contra erat Hymettium et Hyblaeum. — *papaver*] Plin n. h. 19, 8, 53: *Papaveris candidi semen tostum in secunda mensa cum melle apud antiquos dabatur.* — *duci*] „poterat aeque hilariter produci cena sine istis παρέργοις, quae, cum praepostera sunt, molestia afficiunt convivas.“ — *decessit*] Rectior haec est lectio quam *discessit*, cum significet „a summo fastigio demittere se humum versus.“ — *vergit ad imum*] „haud procul iam est a pessimo poëta.“

379-384. *Ludere* cet.] „Quamvis haec (vv. 372—378) nemo negare audeat, tamen nescio qua insania acti, imperiti permulti poësin exercent.“ Similis sententia est Ep. 2, 1, 114 sqq. — *campestribus armis*] „quibus utuntur ludentes in Campo Martio,“ quorumque versu seq. nonnulla memorat. — *pilae discive*] Cfr. Sat. 2, 2, 11 sqq. — *trochive*] Cfr. Od. 3, 24, 57. —

Ne spissae risum tollant impune coronae:
Qui nescit versus tamen audet fingere. Quidni?
Liber et ingenuus, praesertim census equestrem
Summam nummorum vitioque remotus ab omni.
Tu nihil invita dices faciesve Minerva; 385
Id tibi iudicium est, ea mens. Si quid tamen olim
Scripseris, in Maeci descendat iudicis auris
Et patris et nostras, nonumque prematur in annum,
Membranis intus positis: delere licebit,

coronae] „spectatorum catervae," ut Ep. 1, 18, 53. — *Qui nescit* cet.] „Alii distinguunt *Qui nescit, versus tamen* cet., alii contra (ut Bentleius) *Qui nescit versus, tamen* cet. Rectius omni interductu abstinebis, quoniam sententia est: Qui nescit versus fingere, tamen audet versus fingere." DILLENB. — *Quidni?*] respondet unus ex isto malorum poëtarum grege: „Quis mihi interdicet versus pangere, cum sim liber, liberis parentibus natus et, quod maius etiam est, eques Romanus, sine ullo crimine (Ep. 1, 7, 56), numquam *censoriae severitatis nota inustus?*" (Cic. Cluent. 129.) — *ingenuus*] „generosis parentibus ortus." Videlicet etiam libertinus est *liber*, non item *ingenuus*. — *census equestrem* cet.] „cum census sim quadringentiens sestertium," senatorii census dimidiam partem. Conf. Ep. 1, 1, 58. De constructione verbi *censeri* cfr. Cic. p. Flacco 80: *Voluisti magnum agri modum censeri. -- Census es praeterea numeratae pecuniae centum triginta HS. milia.* Externa bona dum iste enumerat, ne verbo quidem tangit ingenium et litterarum studia, propter quae ad poëmata componenda aptus sit. Quocirca Horatius homini vano non respondet, sed rursus Pisonem alloquitur.

385—390. *Tu* cet.] „Tu vero noli istorum similis esse; primum explora te ipsum, utrum poëticam indolem tibi largita sit natura necne; tum consule amicos." — *invita -- Minerva*] Cic. de Offic. 1, 110: *invita, ut aiunt, Minerva, id est, adversante et repugnante natura.* Quae si non favet scriptoris incepto, necessario omni successu caret. — *dices faciesve*] V. *dices* refertur potissimum ad verba eorumque compositionem, *facies* ad totum opus, quod molitur scriptor. — *Id tibi* cet.] Frequentius per relativa: „quod tuum iudicium, quae tua mens est; pro tuo iudicio, probe mihi noto." — *olim*] i. e. aliquando, ut Sat. 1, 1, 25. 2, 5, 27. Cf. ad Od. 2, 10, 17. — *Maeci*] Rectam scripturam servavit Porphyrio Monac. et cod. Bern. antiquiss. Est enim Sp. Maecius Tarpa; de quo vide ad Sat. 1, 10, 38. — *et nostras*] „qui vere tibi sum amicus;" id quod sine ulla arrogantia dictum est. — *nonumque* cet.] „Noli poëmatis tui editionem praecipitare (Quintil. ep. ad Tryph. 2); sed per novem annos, id est sine imagine, tamdiu retineatur in scrinio, dum aliquantum remisso primo illo impetu, nimis fortasse fervido, tranquillo iam animo elimare poëma tuum possis." Philargyrius ad Verg. Ecl. 9, 35: „C. Helvius Cinna Zmyrnam scripsit, quam nonum post annum, ut Catullus carm. 95 ait, edidit. Id

Quod non edideris; nescit vox missa reverti. 390
Silvestris homines sacer interpresque deorum
Caedibus et victu foedo deterruit Orpheus,
Dictus ob hoc lenire tigris rabidosque leones;
Dictus et Amphion, Thebanae conditor urbis,
Saxa movere sono testudinis et prece blanda 395
Ducere quo vellet. Fuit haec sapientia quondam,
Publica privatis secernere, sacra profanis,
Concubitu prohibere vago, dare iura maritis,

393. *rabidosque* omnes codices Cruquii in eisque Blandinius antiquissimus, Bernensis antiquissimus, Sbd paucique alii, *rapidosque* Leidensis, Lipsiensis, Dessauiensis, Monacensis C, ORT$\gamma\varphi\psi\lambda$. — 394. *urbis* Blandinii, Bernensis antiquissimus multique alii, *arcis* Dessauiensis, quattuor Hochederi, OR; Bentley, Orelli, Haupt, Vahlen.

quod et Quintilianus ait. Unde etiam Horatium dicunt ad eum allusisse." — *nescit vox missa reverti*] Ep. 1, 18, 71: *Et semel emissum volat irrevocabile verbum.* Symmachus Ep. 1, 31: *Cum semel a te carmen profectum est, ius omne posuisti. Oratio publicata res libera est.*

391—396. Exposito poësis fine atque artificio omni, occultam *ἀντίθεσιν* faciens adversus infelices illos poëtas, veram eius dignitatem praedicat a religionibus ac legibus per sacros vates primum constitutis, quae simul est mythicae poësis historia fortasse ex Neoptolemo hausta. (vv. 391—401.) Cfr. Ep. 2, 1, 126 sqq. — *Silvestris homines*] „plerumque in silvis degentes ad glandes quaerendas et feras conficiendas." Cic. de Invent. 1, 2: *Fuit quoddam tempus, cum in agris homines passim bestiarum more vagabantur et sibi victu fero vitam propagabant.* Cfr. Sat. 1, 3, 99 sqq. — *sacer*] Puto non tam esse *θεῖον ἀοιδὸν* Homeri quam Orpheum *τὸν θεολόγον*, ut ab Aristotele appellatur, et Vergilio Aen. 6, 645 *Orpheus* est *Threicius sacerdos.* — *interpresque deorum*] Eurip. Rhesi v. 943: *Μυστηρίων δὲ τῶν ἀποῤῥήτων φανὰς Ἔδειξεν Ὀρφεύς.* Aristoph. Ran. 1032: *Ὀρφεὺς μὲν γὰρ τελετάς θ' ἡμῖν κατέδειξε φόνων τ' ἀπέχεσθαι.* Cfr. Plat. Io p. 534 E: *οἱ ποιηταὶ οὐδὲν ἄλλ' ἢ ἑρμηνεῖς εἰσί τῶν θεῶν.* — *victu foedo*] glandibus et ferina cruda; „instar ferarum." COMM. CRUQ. — *deterruit*] „a tali foeditate acriter dehortatus est, donec ab ea desuefacti essent." — *Orpheus*] a quo poësis primordia Graeci repetere solebant, etsi Linus praecessisse videbatur Orpheum. Prima eius mentio fieri videtur apud Ibycum Rel. 10. A ed. Bgk.[4]: *ὀνομακλυτὸς Ὀρφήν.* De Orpheo cfr. Od. 1, 12, 6 sqq. — *rabidosque*] Multo hoc voc., quod ad utrasque bestias pertinet, melius h. l. quam *rapidos*, vel propter v. *lenire*, ut recte animadvertit Gonod, simul afferens Ovid. A. A. 3, 8: *rabidae* (saevae) *tradis ovile lupae.* — *Amphion*] Od. 3, 11, 2: *Movit Amphion lapides canendo.* Cfr. Ep. 1, 18, 41. —

396—401. *Publica* cet.] In quattuor genera hoc versu memorata omnes res partiebantur Romani. — *Concubitu-vago*] „promiscuo";

Oppida moliri, leges incidere ligno.
Sic honor et nomen divinis vatibus atque 400
Carminibus venit. Post hos insignis Homerus
Tyrtaeusque maris animos in Martia bella
Versibus exacuit; dictae per carmina sortes,
Et vitae monstrata via est, et gratia regum
Pieriis temptata modis, ludusque repertus 405
Et longorum operum finis: ne forte pudori
Sit tibi Musa lyrae sollers et cantor Apollo.
Natura fieret laudabile carmen an arte,

sine conubio certo et stabili, unde *venerem incertam* vocat Sat. 1, 3, 109. — *dare iura maritis*] „et viro et mulieri; cum lex matrimonii stabilis constitueretur. — *leges incidere ligno*] „Aereis enim tabulis antiqui non sunt usi, sed roboreis. In has incidebant leges, unde adhuc Athenis legum tabulae ἄξονες (et κύρβεις) vocantur.“ PORPHYR. Gell. 2, 12, 1: *quae* (leges Solonis) *Athenis axibus ligneis incisae sunt.* Cfr. Plut. Sol. 25. — *Sic honor* cet.] „Posteritas beneficia a Lino, Orpheo, Musaeo ceterisque sacris illis deorum interpretibus accepta grato animo agnoscens eos immortalitati consecravit.“

401—407. *Post hos* cet.] A vatibus mythicis, quos di inspirarat, transit ad historiam poësis certae ac verae apud Graecos, sed poëticam, id quod interpretes quidam non satis perspexerunt; eam dico, quae liberiori poëmati didascalico unice conveniret. — *Tyrtaeus*] Notas de eo fabulas hic copiose narrant Scholiastae, quas repetere nihil attinet. Quintil. 10, 1, 56: *Quid? Horatius frustra Tyrtaeum Homero subiungit?* — *maris animos*] De Tyrtaeo Atheniensi, qui in secundo bello Messenio Spartanis dux missus est, Iustinus 3, 5, 9: *carmina exercitui pro contione recitavit; in quibus hortamenta virtutis, damnorum solacia, belli consilia conscripserat.* — *sortes*] „Oracula imprimis Delphica dicit.“ GLOSS. *Sortes* enim suas Fortunarum Praenestinarum atque Antiatium Romani ad Graecorum oracula transferentes haec ita interdum nuncupabant. Conf. v. 219. — *vitae monstrata via est*] poëmatis didascalicis et gnomicis; significat Hesiodum, Solonem, Theognidem. Phocylidem cet. — *gratia regum* cet.] Sic Pindarus, Simonides, Bacchylides, Hieronis, Theronis aliorumque principum virorum favorem carminibus adepti sunt. — *Pieriis*] Cfr. Od. 3, 4, 40. — *ludusque*] „remissio et oblectatio animorum per poësin scenicam in Dionysiis τοῖς κατ' ἀγροὺς mense Posideone (s. Decembri) celebratis, quae simul operum rusticorum finem faciebant.“ — *Et longorum* cet.] „in finem longorum operum.“ — *ne forte pudori* cet.] „Poësis,“ inquit, „ars est nobilissima; quocirca sine ullo pudore (quem affectasse etiamtunc videntur nobilium Romanorum nonnulli) eam exercere poteris.“ — *lyrae sollers*] quae callet artem carminis lyrici eique cum Apolline praeest s. patrocinium praebet. — *cantor Apollo*] qui in multis sculpturis et nummis citharoedi habitu exprimitur.

408—411. *Natura* cet.] Pindarus quidem naturae primas defert

Quaesitum est. Ego nec studium sine divite vena,
Nec rude quid possit video ingenium: alterius sic 410
Altera poscit opem res et coniurat amice.
Qui studet optatam cursu contingere metam,
Multa tulit fecitque puer, sudavit et alsit,
Abstinuit venere et vino; qui Pythia cantat
Tibicen, didicit prius extimuitque magistrum. 415
Nec satis est dixisse: 'Ego mira poëmata pango;

410. *prosit* codices plerique, *possit* S paucique alii. — 416. *Nec satis est* Sd paucique alii, Bentley, Meineke, Haupt, Vahlen, L. Müller; *Non* perpauci, *Nunc* plerique, *Num* cod. Melkensis saec. X.

Olymp. 2, 86: *σοφὸς ὁ πολλὰ εἰδὼς φυᾷ· μαθόντες δὲ λάβροι Παγγλωσσίᾳ κόρακες ὥς, ἄκραντα γαρύετον Διὸς πρὸς ὄρνιχα θεῖον.* Cum Horatio facit Plato in Phaedro pag. 269 D: *Εἰ μέν σοι ὑπάρχει φύσει ῥητορικῷ εἶναι, ἔσει ῥήτωρ ἐλλόγιμος, προσλαβὼν ἐπιστήμην καὶ μελέτην.* Item Cicero pro Archia 15: *Ego contendo, cum ad naturam eximiam atque illustrem accesserit ratio quaedam conformatioque doctrinae, tum illud nescio quid praeclarum ac singulare solere exsistere.* — *studium sine divite vena*] ut est tota Callimachi poësis. Desumpta est metaphora ab auri argentique venis in metallis. Opponitur *tenuis et angusta ingenii vena*, Quintil. 6, 2, 3. — *quid possit*] „quid magni ac duraturi possit efficere.“ Lect. *possit* pauci quidem codices ac deteriores exhibent; sed eam satis munit cum gravis auctoritas Ioannis Sarisberiensis Metal. 1, 8, ubi et editi et Mss. *possit*, tum sensus ipse, ut demonstravit Bentleius: „*Quid possit, τί δύναιτ' ἄν*, quid laudabile, quid egregium pariat. At *quid prosit, τί ἂν ὠφέλοι*, minus est humiliusque, quam quod poscit sententia. Nam et Choerilo, cum incultis versibus aureos Philippos abstulerat, *profuit* quidem rude ingenium; quantillum vero erat, quod *potuit*, vidit optima iudex Posteritas.“ Cfr. Od. 4, 4, 25 seqq. — *coniurat amice*] Frequentius hac significatione est v. *conspirare* ad intimam consensionem et coniunctionem exprimendam. In utroque autem verbo et *coniurat* et *amice* egregia prosopopoeia utitur, de *studio* et de *ingenio* quasi de personis locutus.

412—418. *Qui studet* cet.] Paucis verbis educat poëtam a teneris unguiculis, ut oratorem Quintilianus. „Accurata,“ inquit, „educatione ac praeparatione opus est futuro poëtae,“ quem cum cursore Olympico potius quam, ut volunt Scholiastae, cum athleta comparat. — *qui Pythia cantat*] certamina, „*Πυθαύλης*, is qui in Pythiis Apollinis certamen cum dracone Pythio tibia canit.“ — *Nec* cet.] Tametsi auctoritate praegravat lectio *Nunc*, tamen profecta videtur ab homine, qui satis intempestive loci *εἰρωνείαν* augere voluerit. Et in satira quidem fortasse esset apta; sed si h. l. accuratius inspexeris, videbis nihil sane potuisse rusticius dici in epistula: „Ergo quoniam nunc hoc dixisse sufficit, tu quoque, optime Piso, sic dicito.“ Atque, ut recte Bentleius significat, si antiquis temporibus sua opponere voluisset,

Occupet extremum scabies; mihi turpe relinqui est
Et quod non didici sane nescire fateri.'
Ut praeco, ad mercis turbam qui cogit emendas,
Assentatores iubet ad lucrum ire poëta 420
Dives agris, dives positis in fenore nummis.
Si vero est, unctum qui recte ponere possit
Et spondere levi pro paupere et eripere atris
Litibus implicitum, mirabor, si sciet inter
Noscere mendacem verumque beatus amicum. 425

423. *atris* codices fere omnes, *artis* cum perpaucis Bentley.

verbo saltem monere debuisset: „Olim qui arti studebat, - - multa ferebat puer: nunc contra est.“ Ceterum inanem arrogantiam multorum notat, qui semet ipsos pro eximiis poëtis habeant, quamvis artem minime didicerint; neutiquam vero certum aliquem suae aetatis poëtam vellicat. Cfr. Iacobs Lectt. Venus pag. 42. — *poëmata pango*] Cfr. Ep. 1, 18, 40. — *Occupet* cet,] Poëtarum aemulationem cum cursus certamine comparat. „Est imprecatio tracta a ludo puerili; qui enim praeest currentibus ad metam pueris, dicere solet: Qui primus ad metam venerit, is vicerit eumque in ulnas meas accipiam; qui vero erit ultimus, occupet eum scabies, eum respuam ut scabiosum.“ COMM. CRUQ. „*Scabies* ludus puerorum est, ut habes in Suetonio Tranquillo.“ ACRON. Puerilem ludi formulam singulari venustate sectatus est, ut Ep. 1, 1, 59: *Rex eris, aiunt, Si recte facies.* — *sane*] Non est: „more sani hominis et modeste,“ ut volunt; sed „utique“ ex oratione recta, „sane me nescire fateor,“ in obliquam deflexum.

419-425. *Ut* cet.] „Verum praeter permultorum levitatem et socordiam in studiis poëticis alterum quoque periculum minitantur poëtis imprimis locupletibus assentatorum atque adulatorum greges, qui patronos suos falsis laudibus decipiunt. A talibus tu, Piso, tibi caveto!“ — *ad mercis* cet.] „qui magno clamore merces suas commendando emptores congregat et allicit.“ — *iubet ad lucrum ire*] „vel tacitus invitat homines viles, ut apud ipsum, virum locupletem, lucellum aliquod quaerant, saltem mensam opipare paratam, etsi nondum sciunt, utrum largus ille sit necne.“ — *Dives agris*] Versum sibi iam olim placitum festive repetit ex Sat. 1, 2, 13, ut Sat. 1, 4, 92 ex Sat. 1, 2, 27 et Ep. 1, 1, 56 ex Sat. 1, 6, 74. — *Si vero* cet.] „Iam si noverunt assentatores divitem illum etiam munificum esse, veluti globo facto ad eum concurrunt.“ — *unctum* „cibum, lautum convivium et tersum.“ ACRO. Eandem h. l. significationem habet *unctus*, quam Ep. 1, 15, 44. Praeterea iunge *recte ponere*, „scite atque eleganter apponere fercula.“ — *levi*] „qui sine tali sponsore fide careret nec ab alio pecuniam mutuam sumere posset.“ — *atris*] usurpatur de rebus feralibus et de omnibus, quae tristia sunt atque ingrata. Dictum igitur est, ut *atrae curae* Od. 4, 11, 35, h. l. „eae, quae e litibus oriuntur, sollicitae igitur et tristes.“ — *mirabor si sciet*] Ep. 1, 17, 26: *Mirabor, - - si - decebit.* — *inter Noscere*] ut Sat. 1, 2, 62: *inter-Est.* — *beatus*] „prorsus fortunatum

Tu seu donaris seu quid donare voles cui,
Nolito aut versus tibi factos ducere plenum
Laetitiae; clamabit enim 'Pulchre! bene! recte!'
Pallescet super his, etiam stillabit amicis
Ex oculis rorem, saliet, tundet pede terram. 430
Ut, qui conducti plorant in funere, dicunt
Et faciunt prope plura dolentibus ex animo, sic
Derisor vero plus laudatore movetur.
Reges dicuntur multis urgere culullis
Et torquere mero, quem perspexisse laborant, 435

435. *prospexisse* codices perpauci.

se reputans et exultans laudibus, quibus adulator eum cumulat." Sic de Damocle Cic. Tusc. 5, 62: *ut impenderet* (gladius) *illius beati cervicibus.*

426-430. *tibi factos*] Cfr. Ep. 1, 16, 25. — *clamabit* -- *Pallescet super his* cet.] „Aliis tragoediae tuae locis splendidis et eloquentibus *pulchre! bene! recte!* acclamans vehementer plaudet; *super his*, id est, de aliis eiusdem locis φοβεροῖς, terrorem spirantibus, summam ἔκπληξιν finget atque pallescet; maestas querimonias audiens in simulatione eo usque procedet, ut lacrimas fundat; aliis in locis prae admiratione ex cathedra exsiliet; interdum affectum magis etiam excitatum simulans, prae laetitia saltabit," ut explicavit iam Lambinus. Cic. ad Att. 16, 6, 1: *Hac super re scribam ad te.* Verg. Aen. 1, 750: *Multa super Priamo rogitans, super Hectore multa.* — *stillabit* cet.] V. *stillare* cum accusativo iungitur, ut *rorare, sudare, manare poëtica mella* Ep. 1, 19, 44. — *Ex oculis rorem*] Ovid. Met. 14, 708: *madidas lacrimarum rore coronas.* — *tundet pede terram*] Cfr. Od. 3, 18, 15: *Gaudet invisam pepulisse fossor Ter pede terram.*

431—433. *qui conducti plorant*] Significantur praeficae, de quibus Festus: *Praeficae* dicuntur mulieres ad lamentandum mortuum conductae, quae dant ceteris modum plangendi, quasi in hoc ipsum *praefectae.* Naevius: *Haec quidem mehercle, opinor, praefica est, quae sic mortuum collaudat.* Similiter Acro et Nonius, qui affert verba Lucilii 27, 18: *mercede quae Conductae flent alieno in funere praeficae, Multo et capillos scindunt et clamant magis.* Ceterum praeficae iam post bella punica adhiberi desitae sunt — cf. Marquardt de vita Rom. privata pg. 341. Quo minus erat cum Kirchmanno et Marklando corrigendum *quae-plorant.*

433. *Derisor*] εἴρων, falsus laudator. Cfr. Ep. 1, 18, 11. — *movetur*] „simulatam animi commotionem externis signis exprimere conatur."

434—437. *Reges*] ut saepe, „locupletes." Cfr. Sat. 1, 2, 86. — *urgere culullis*] Vid. ad Od. 1, 31, 11. Timocles in Grotii Exc. pag. 693: *Πατάξω τ' ἴσον ἴσῳ ποτηρίοις Μεγάλοις ἅπασαν τὴν ἀλήθειαν φράσαι.* Grotius: *Potans par pari urgebo virum Magnis culullis, verum ut omne enuntiet.* — *torquere*] ut βασανίζειν, „explorare." Ep. 1, 13, 38: *et vino tortus et ira.* Lepidum exemplum praebet Sueton

An sit amicitia dignus: si carmina condes,
Numquam te fallant animi sub volpe latentes.
Quintilio si quid recitares, 'Corrige sodes
Hoc,' aiebat, 'et hoc;' melius te posse negares,
Bis terque expertum frustra, delere iubebat 440
Et male tornatos incudi reddere versus.

441. *tornatos*] *formatos* Guyetus, *ter natos* Bentleius coni. ab ipso recepta.

Tiber. 42: *Princeps in ipsa publicorum morum correctione cum Pomponio Flacco et L. Pisone noctem continuumque biduum epulando potandoque consumpsit; quorum alteri Syriam provinciam, alteri praefecturam Urbis confestim detulit, codicillis quoque iucundissimos et omnium horarum amicos professus. — perspexisse laborart*] „penitus nosse vehementer cupiunt." „Sic tu quoque," inquit, „diligenter explora, utrum cum simulatore tibi res sit, an cum animo sincero." De perfecto ἀορίστως posito conf. v. 98. — *An*] Cfr. v. 462. — *sub volpe latentes*] „dolosi ac duplices." Archilochus fr. 89 Bgk.[4]: *Τῷ (πιθήκῳ) δ' ἄρ' ἀλώπηξ κερδαλέη συνήντετο Πυκνὸν ἔχουσα νόον.* Cfr. Pers. 5, 116: *fronte politus, Astutam vapido servas sub pectore volpem.* Ruhnken. ad Timaei Lex. Plat. p. 214 Lips. (p. 1004 ed. Bait.): „*Τὴν ἀλωπεκῆν· τὴν πανουργίαν.* Notissimum est Lysandri dictum: *ὅπου ἡ λεοντῆ μὴ ἐφικνεῖται, προσραπτέον ἐκεῖ τὴν ἀλωπεκῆν. Ἀλώπηξ* autem dicitur pro pelle volpina, ut *λέων* pro pelle leonina" cet.

438—444. *Quintilio*] Assentatori nunc opponit imaginem sinceri critici (vv. 438-452) et ut talem laudat Quintilium Varum Cremonensem, cuius mortem luget Od. 1, 24 (a. u. c. 730); hic gratam amici memoriam renovat. — *negares*] Hic quoque coniunctivus pendet e praecedente *si*, quamquam et per se positus saepissime habet vim conditionalem. Conf. Ep. 1, 1, 28. — *Bis terque*] Conf. v. 358. — *frustra*] Junge cum v. *expertum*; male alii cum v. *negares*. — *delere*] „versus illos vitiosos," non, ut alii volunt, „totum tuum poëma." — *male tornatos*] Duas imagines hic agnoscamus necesse est diversas sane, sed *callida iunctura* artissime consociatas, non temere confusas, torni alteram, alteram incudis; haec ad primum versuum componendorum conatum pertinent, illa ad artem eosdem elaborandi, quae quidem cura frequentius cum lima comparatur. Iam si versus *tornati*, id est, non sine multa opera ac diligentia elaborati, iudice perito suadente nihilominus reiciendi sunt, nihil restat, nisi ut *deletis* prioribus (v. 440) versus prorsus novi componantur, quos utique tornus vel lima rursum manet; qua in sententia usus est imagine incudis, cui *alia* metalli massa imponatur; verbum *reddere* autem suo iure usurpare poterat, cum novi hi versus prioribus substituantur. (Sic tertia quasi haec est imago cum prioribus duabus iuncta.) Ceterum utraque illa metaphora frequens est. Versum numerosum Antipater Thessal. Anthol. Palat. I. p. 427 *στίχον Πιερίδων χαλκευτὸν ἐπ' ἄκμοσιν* dixit. Ovidius Trist. 1, 7, 29 de Metamorphoseon opere: *Ablatum mediis opus est incudibus illud, Defuit et scriptis ultima lima meis.* Plato Phaedr. p. 234 E: *σα-*

Si defendere delictum quam vertere malles,
Nullum ultra verbum aut operam insumebat inanem,
Quin sine rivali teque et tua solus amares.
Vir bonus et prudens versus reprehendet inertis, 445
Culpabit duros, incomptis adlinet atrum
Transverso calamo signum, ambitiosa recidet
Ornamenta, parum claris lucem dare coget,
Arguet ambigue dictum, mutanda notabit,
Fiet Aristarchus; non dicet: 'Cur ego amicum 450

450. *non* Graevianus, Lipsiensis, *φψλπ*, *nec* Dessauiensis, ORTbcγ.

φῇ καὶ στρογγύλα καὶ ἀκριβῶς ἕκαστα τῶν ὀνομάτων ἀποτετόρνευται. Propert. 3, 32, 43: *Incipe iam angusto versus includere torno.* Gell. 9, 8, 4: *sententia detornata.* Guyetus et Bentleius, falsas cum coniecturas excogitarent, non satis attenderunt ad v. illud proprium *delere*, quo poëta, ne diversarum imaginum oriretur confusio, de qua illi conquesti sunt, satis providit. Iam Britanni coniectura *natos* significaret rem prorsus fortuitam, et *ter natos* satis inconcinne dictum videtur. Perquam vero languet pedestremque orationem nimis redolet Guyeti *formatos*, quo verbo si Horatius usus esset, nemo umquam in *tornatos* mutasset. (Copiose autem Fea refutavit Bentleium contendentem *tornum* et *incudem* esse res diversas, quae coniungi non possint; neque vero vel unum apud veteres scriptores locum exstare, quo *tornus* metallis elaborandis adhibeatur. Fea affert Vitruv. 10, 12: *Emboli masculi ex aere, torno politi*, et instrumenta antiqua, ab ipso Romae visa.) — *vertere*] ab eo, quod dicebant *stilum vertere*] „mutare et corrigere.“ — *Quin -- amares*] Pendent haec ex notione prohibendi, quae inest in verbis *Nullum ultra verbum aut* cet. Sat. 2, 3, 42: *nil verbi, pereas quin fortiter, addam.* — *sine rivali*] „Sane quia malos versus composuisti, nemo rivalis tuus esse, tecum contendere volet; vanis autem hominibus placet sine aemulis esse.“ Cfr. Cic. ad Q. fratrem 3, 8, 4: *O dii, quam ineptus, quam se ipse amans sine rivali.*

445—452. *inertis*] „sine arte et gravitate factos.“ COMM. CRUQ. Imprimis significat otiosos, nihil dicentes, quod magnopere ad rem faciat. — *incomptis*] „minus elegantibus propter verba humilia et *ἄκυρα*, interdum vel propter sonum ingratum.“ — *incomptis* cet.] „obelo versus initio appositio (id quod inest in v. *adlinet* significabit versum esse delendum.“ Dicit autem *atrum* festiva dilogia; nam et colore *atram* erat signum et *nigrum* simul *theta* (Pers. 4, 13) versuum incomptorum. — *ambitiosa*] quibus quamvis supervacaneis et affectatis tu lectoris admirationem te moturum speraveras. — *recidet Ornamenta*] „Figuras elocutionis et imagines propter id tantummodo quaesitas, quo novitate et audacia placeant lectoribus, cum veritate careant, recidi iubebit.“ Ep. 2, 2, 122: *luxuriantia compescet.* — *Arguet* cet.] „Ipsa reprehensione clare demonstrabit huiusmodi amphibolias vitandas esse.“ — *mutanda*] Hoc refertur ad singula verba eorumque ordinem; de totis enim versibus corrigendis satis dixerat vv. 445-447. — *Fiet Aristarchus*]

Offendam in nugis?' Hae nugae seria ducent
In mala derisum semel exceptumque sinistre.
Ut mala quem scabies aut morbus regius urget
Aut fanaticus error et iracunda Diana,
Vesanum tetigisse timent fugiuntque poëtam, 455
Qui sapiunt; agitant pueri incautique sequuntur.
Hic dum sublimis versus ructatur et errat,

455. *fugiuntque* Graevianus, Leidensis, Dessauiensis, Lipsiensis, Rφψλ, *fugientque* Monacensis E, Oγu. — 457. *sublimis* Blandinii cum plerisque, *sublimes* pauci.

„Omnino erit alter Aristarchus," cuius ut summi critici nomen in proverbium abierat. Cic. ad Att. 1, 14, 3: *quarum* (*mearum orationum*) *tu Aristarchus es.* — *non dicet*] „Hoc, si aures consulis, plenius fortiusque exit, quin et sententiae quoque ponderis nonnihil gravitatisque addit." BENTL. Quin etiam rectior fit; nam in lectione *nec dicet* vv. *Aristarchum fieri* et *non dicere* ut eiusdem generis actiones perverse videntur coniungi. Contra *non dicet* hoc significat: „quocirca hic tam severus criticus numquam profecto dicet." — *in nugis*] „in rebus leviculis, ut est unus alterve versiculus reprehensione dignus." — *Hae nugae* cet.] „At vero hae ipsae nugae in causa erunt, ut amicus in eandem turpissimam famam incidat, quae persecuta est etiam apud posteritatem Choerilum, Bavium, Maevium; id quod merito *serium malum* dici debet." — *derisum*] „a popularibus suis explosum."

453—456. In epilogo, ut solet (cfr. ad Ep. 2, 1 extr.) ridiculam proponit imaginem poëtae prorsus vesani et ab omnibus derisi (vv. 453—476). Optime autem respondet exordio exitus, monstruosae figurae poëta furiosus. — *morbus regius*] morbus arquatus, ἴκτερος, *Gelbsucht.* Cels. 3, 24: *Per omne tempus utendum est lusu, ioco, ludis, lascivia, per quae mens exhilaretur; ob quae* regius morbus *dictus videtur.* — *fanaticus error*] Flor. 3, 19, 4: *fanaticus furor*, qualem imprimis a Cybele et Bellona ipsarum sacerdotibus immitti putabant; unde in Inscriptt. Or. n. 2317: *EX AEDE. BELLONAES. PVLVINESIS. FANATICVS.* Ulpian. l. l. §. pen. de Aedil.: *qui circa fana bacchantur et quasi dementes responsa reddunt.* Cfr. Sat. 2, 3, 223. Prima utique ac maxime propria significatione adi. *fanaticus* reperitur in Inscriptione Veronensi, *Bulletino dell' Inst. archeol.* 1836 *p.* 141: *FANORVM. CVRATORES. EX. PECVNIA. FANATICA.* (quae fanorum propria est) *FACIVNDVM. CVRAVERVNT.* — *iracunda Diana*] „quae quos ira sua persequitur lunaticos, σεληνιακούς, σεληνοβλήτους, reddit." — *Vesanum tetigisse* cet.] Talium aegrotorum contactum, ne ipsi eisdem morbis inficerentur, fugere solebant; pueri contra lascivi eos contumeliosis verbis lacessebant. Artemid. 3, 42: *καὶ παῖδες τοῖς μαινομένοις ἀκολουθοῦσιν.* — *incauti*] „alii, minus utique cauti homines adulti sequuntur illam lascivorum puerorum turbam, obliti a furiosis eos, qui pone eos incedunt, praesertim irrisores, lapidibus fustibusque abigi solere."

457—460. *sublimis*] „μετέωρος elato et retroverso capite circum-

Si veluti merulis intentus decidit auceps
In puteum foveamve, licet 'Succurrite' longum
Clamet 'Io cives!' non sit, qui tollere curet. 460
Si curet quis opem ferre et demittere funem,
'Quî scis, an prudens huc se proiecerit atque
Servari nolit?' dicam Siculique poëtae
Narrabo interitum. 'Deus immortalis haberi
Dum cupit Empedocles, ardentem frigidus Aetnam 465
Insiluit. Sit ius liceatque perire poëtis:

461. *demittere* Vossianus, Leidensis, Rλ, *dimittere* maior cod. pars. — 462. *proiecerit* Vossianus, Graevianus, Leidensis, Lipsiensis, Sbdφψλ, *deiecerit* Dessauiensis, Monacensis E, OTcγ.

cursans non sine arrogantia neque attentus ad ea, quae sub eius pedibus sunt." Alii pro accusativo plur. habuerunt, minus utique recte; nam esset *εἰρωνεία* subrustica, et caesurae vis obstat. — *versus ructatur*] „versus et inconditos et insanos identidem effutit." — *errat*] „furiosus per campos et colles vagatur." — *auceps*] Similis exstat narratiuncula de Thalete astrologo apud Platonem in Theaeteto p. 174 A. et Diog. Laërt. 1, 34. — *longum*] „magna voce." Cfr. Hom. Il. Γ 81: *μακρὸν ἄυσεν.* — *Io cives*] Similis formula opem invocandi est *Porro Quirites.* — *non sit, qui* cet.] „non succurrat quisquam!" „Coniunctivus pro futuro est positus." HAND Turs. IV. p. 266 Cfr. ad Sat. 2, 5, 91: *Non etiam sileas.* — *tollere*] Ep. 1, 17, 61: *crudeles, tollite claudum.*

461-467. *Quî scis, an* cet.] „Quomodo scis, consultone se praecipitem in puteum proiecerit? quod consilium impedire non licet." De hoc usu cf. ad Od. 2, 4, 13. Plaut. Most. 58: *Quî scis, an tibi istuc prius eveniat quam mihi?* ib. 770. — „Ideo hic praeferendum *proiecerit*, quia *proicere animam, proicere se*, quae in bonis scriptoribus saepe occurrunt, ubique habent significationem voluntarii discriminis deque eo dicuntur, qui servari aut nolit aut desperet." BENTL. — *Siculique* cet.] „Et quidem talis insaniae exemplum omnibus notum est, Empedoclis Agrigentini, inquam, poëtae philosophi, cuius interitum narrare placet." Cfr. Ep. 1, 12, 20. Inter multiplicem famam de illius exitu haec quoque fabula ab Hippoboto primum tradita est, addita narratiuncula, unam ex eius crepidis aereis vi flammae rursus eiectam esse ex Aetnae cratere. Diog. Laërt. 8, 69. Timaeus autem ibid. §. 71 claris verbis tradit *αὐτοῦ τὴν τελευτὴν ἄδηλον εἶναι.* — *Deus immortalis haberi*] Empedocles de se apud Philostr. Apollon. 1, 1: *Χαίρετ', ἐγὼ δ' ὔμμιν θεὸς ἄμβροτος, οὐκέτι θνητός.* — *frigidus*] Festivo hoc antitheto verbi *ardentem* illius stultitiam notat. Mire ad eius doctrinam hoc refert Commentator Cruquii: „Empedocles dicebat tarda ingenia frigido circum praecordia sanguine impediri." — *Sit ius*] *κατ' εἰρωνείαν.* „Quoniam insaniunt, hoc iure sane sint" cet. Gesnerus comparat Spartanorum decretum: *Κλαζομενίοις ἐξέστω*

Invitum qui servat, idem facit occidenti.
Nec semel hoc fecit, nec, si retractus erit, iam
Fiet homo et ponet famosae mortis amorem.
Nec satis apparet, cur versus factitet; utrum 470
Minxerit in patrios cineres, an triste bidental
Moverit incestus: certe furit ac velut ursus
Obiectus caveae valuit si frangere clatros,
Indoctum doctumque fugat recitator acerbus;

? obiectos

473. *clatros* omnes codices et inscriptiones, quibus cum O. Keller obsequimur, ceteri fere omnes *clathros*.

ἀσχημονεῖν. — *Invitum qui servat* cet.] Contraria est sententia Senecae de Benefic. 2, 14, 4: *pulcherrimum opus est etiam invitos nolentesque servare.* — *idem facit occidenti*] „Utrumque enim est vim inferre.“ *GRIFOLUS.* Seneca Phoen. 100: *Occidere est vetare cupientem mori.* Graeca constr. *ὁ ἄκοντα σώζων ταὐτὸν ποιεῖ τῷ ἀποκτείνοντι.* Lucret. 3, 1038: *eadem aliis sopitu' quietest* (Homerus). Ceterum unicus hic est hexameter spondiacus apud Horatium.

468. 469. *Nec semel hoc fecit*] „Nec semel mortem sibi consciscere conatus est, semper tamen retractus ab iis, qui invito succurrebant.“ — *iam*] i. e. continuo, statim. — *Fiet homo*] „ut sumus nos reliqui, ad sanam mentem rediens; immo in furore perseverans propter famae cupiditatem monstruoso aliquo modo, ut Empedocles, perire rursus volet.“

470—476. *Nec satis* cet.] „Quid, quod fortasse sceleris alicuius expiandi causa, deorum ira coactus, versus identidem facit?“ Hoc dicit in facetissima hyperbola semper progrediens. — *factitet*] Quod alii habent *dictitet*, h. l. Latinum non est; significaret enim „saepe dicat“, non „saepe dictet,“ nec „recitet,“ ut voluerunt Cuninghamius et Sanadonus. — *Minxerit* cet.] contumeliosus modus tumulos violandi, et quidem h. l. etiam patris. Cfr. Sat. 1, 8, 38. — *bidental*] locum de caelo tactum, qui caesis bidentibus et ara extructa expiabatur, posteaque circumsaeptus manebat, ne quis eum tangendo in piaculum incurreret. Persius 2, 26: *An quia non fibris ovium Ergennaque iubente Triste iaces lucis evitandumque bidental* cet. Artemidor. 2, 9 p. 143 Reiff: *ὁ κεραυνὸς τὰ μὲν ἄσημα τῶν χωρίων ἐπίσημα ποιεῖ διὰ τοὺς ἐνιδρυμένους βωμοὺς καὶ τὰς ἐν αὐτοῖς γινομένας θυσίας, τὰ δὲ πολυτελῆ χωρία ἔρημα καὶ ἄβατα ποιεῖ· οὐδεὶς γὰρ ἐν αὐτοῖς ἐνδιατρίβειν ἔτι θέλει.* Nota *bidentalis παράφρασιν* apud Lucanum 8, 864: *Inclusum Tusco venerantur caespite fulmen.* — *Moverit*] „tangendo violaverit.“ Cfr. Epod. 17, 3. — *incestus*] sanctimoniâ pollutâ. Cfr. Od. 3, 2, 30. — *valuit si* cet.] „si viribus suis id est assecutus, ut frangeret clatros (*κλῆθρα*), caveae virgas ligneas vel ferreas.“ — *Indoctum doctumque*] Ep. 2, 1, 117: *indocti doctique.* — *recitator acerbus*] „quam maxime molestus et doctis et indoctis.“ — *arripuit*] Perseverat in ursi imagine. — *occiditque legendo*] Epod.

Quem vero arripuit, tenet occiditque legendo, 475
Non missura cutem nisi plena cruoris hirudo.'

475. *vero*] *semel* d. Singularem hanc lectionem „ex Ms. in ora Ed. Aldi 1519 Bibl. Ang.“ Fea attulit: in nullo suorum repperit O. Keller.

14, 5: *occidis saepe rogando.* Cfr. Sat. 1, 3, 88: *amaras Porrecto iugulo historias captivus ut audit.* — *Non missura--hirudo*] Particulam comparationis, ut saepe, omittit. Conf. Epod. 1, 34.

EXCURSUS I.

Ad v. 6.

Qui fuerint Pisones a multis saepe quaesitum est. Porphyrio, ut supra pg. 463 attulimus, L. Pisonem, qui postea Urbis custos fuit, eiusque liberos dicit. Quod si recte se habet, pater erat L. Calpurnius Piso, cos. a. 739, eius Pisonis filius, qui cos. a. 696 Caesari Calpurniam filiam in matrimonium dederat. Hunc Pisonem Tacitus (ann. VI 10) a. 785 aetatis anno octogesimo decessisse narravit; natus igitur a. 706 annum tricesimum tertium agens consulatum adeptus est, id quod Augusti aetate non erat inauditum (Mommsen Röm. St. R. I² pg. 555). Pergit Tacitus ita: 'praecipua ex eo laus, quod praefectus urbi recens continuam potestatem et insolentia parendi graviorem mire temperavit.' Filios patre dignos iuvenes Horatius vix ante annum 745 vel 746 appellare poterat, quo tempore videri hanc de arte poëtica epistulam compositam esse supra dictum est. Nonnulli de annis superioribus cogitantes patrem esse statuerunt Cn. Calpurnium Pisonem, qui cum a. 731 consul suffectus fuisset, Horatio aetate paullum antecessit; cuius ex filiis maior Gnaeus, natus fere a. 714, cos. 747, postea accusatus est quod Germanicum veneno necavisset. (Tac. ann. II 43 sqq.), minor Lucius anno 753 consul fuit. Quae opinio quamquam multis nuper probata est, tamen certis argumentis non nititur.

EXCURSUS II.

Ad a. p. v. 21. 22.

Coepit institui. Legitima omnium scriptorum antiquorum consuetudo erat, ut cum infinitivis passivis verba incipiendi et desinendi passivo genere iungerentur; velut Caesar b. g. 2, 6: *lapides iaci coepti sunt.* Itaque apud Ciceronem Tusc. 1, 29 male Orelli ediderat *quae tractari coepissent,* codices habent *tractare c.*, emendatum est *quae tractari coepta sunt.* Ab eo usu primus discessit in verbo mediali, ut ita dicam, vi Cornif. ad Her. 4, 14: *ut in balneas venit, coepit, postquam perfusus est, defricari;* idemque cadit in Sallustii locum Catil. 51, 40: *alia huiuscemodi fieri coepere.* Audacius Horatius activam formam cum verbo passivo coniunxit, praeter hunc locum epist. 1, 15, 27: *urbanus coepit haberi;* epist. 2, 1, 49: *in rabiem coepit verti iocus.* Eumque secuti sunt Livius, Velleius, Plinius, Tacitus, alii.

EXCURSUS III.

Ad a. p. v. 220 sq.

Nulla umquam apud Romanos fuisse dramata Satyrica ex viris doctis arbitrati sunt Munk *de fab. Atellanis* pg. 76, Welcker de tragoediis Graecis pg. 1361. Clara de hac re exstant testimonia Diomedis a. gr. III pg. 482 K: *Poematos dramatici vel activi genera sunt quattuor, apud Graecos tragica comica satyrica mimica, apud Romanos praetextata tabernaria Atellana planipes.* Id. pg. 489 sq.: *tertia species est fabularum Latinarum quae a civitate Oscorum Atella, in qua primum coeptae, appellatae sunt Atellanae, argumentis dictisque iocularibus similes satyricis fabulis Graecis.* — Latina Atellana a Graeca satyrica differt, quod in satyrica fere Satyrorum personae inducuntur, aut si quae sunt ridiculae similes Satyris, Autolycus Busiris, in Atellana Oscae personae, ut Maccus. Ceterum O. Ribbeck (de tragoed. Roman. pg. 617 sqq.) Q. Ciceronem generi Satyrico operam dedisse accurate demonstravit. Conf. Teuffel hist. litt. Rom.[4] 9, 8.

EXCURSUS IV.

Ad a. p. vv. 225—233.

Dilucidum exemplum, quomodo in dramate satyrico Graeci *verterint seria ludo*, praebet Euripidis Syleus apud Philonem *περὶ τοῦ πάντα σπουδαῖον εἶναι ἐλεύθερον*. (Eurip. frag. ed. Nauck Lips. 1869 pg. 185 sq.) *Ἴδε γοῦν οἷα παρ' Εὐριπίδῃ φησὶν ὁ Ἡρακλῆς·*

Πίμπρη, κάταιθε σάρκας, ἐμπλήσθητί μου
Πίνων κελαινὸν αἷμα· πρόσθε γὰρ κάτω
Γῆς εἰσιν ἄστρα, γῆ δ' ἄνεισ' εἰς αἰθέρα,
Πρὶν ἐξ ἐμοῦ σοι θῶπ' ἀπαντῆσαι λόγον.

Πάλιν τὸν αὐτὸν σπουδαῖον οὐχ ὁρᾷς, ὅτι οὐδὲ πωλούμενος θεράπων εἶναι δοκεῖ, καταπλήττων τοὺς ὁρῶντας, ὡς οὐ μόνον ἐλεύθερος ὤν, ἀλλὰ καὶ δεσπότης ἐσόμενος τοῦ πριαμένου; Ὁ γοῦν Ἑρμῆς πυνθανομένῳ εἰ φαῦλός ἐστιν, ἀποκρίνεται·

Ἥκιστα φαῦλος, ἀλλὰ πᾶν τοὐναντίον,
Πρόσχημα σεμνὸς κοὐ ταπεινός, οὐδ' ἄγαν
Εὔογκος, ὡς ἂν δοῦλος, ἀλλὰ καὶ στολὴν
Ἰδόντι λαμπρὸς καὶ ξύλῳ δραστήριος.

εἶτα πάλιν·

Οὐδεὶς δ' ἐς οἴκους δεσπότας ἀμείνονας
Αὐτοῦ πρίασθαι βούλεται· σὲ δ' εἰσορῶν
Πᾶς τις δέδοικεν· ὄμμα γὰρ πυρὸς γέμεις,
Ταῦρος λέοντος ὡς βλέπων πρὸς ἐμβολήν.

Εἶτ' ἐπιλέγει τὸ ἦθος αὐτοῦ,

σοῦ κατηγορεῖ
Σιγῶντος, ὡς εἴης ἂν οὐχ ὑπήκοος,
Τάσσειν δὲ μᾶλλον ἢ 'πιτάσσεσθαι θέλοις.

Ἐπεὶ δὲ καὶ πριαμένου Συλέως εἰς ἀγρὸν ἐπέμφθη, διέδειξεν ἔργοις τὸ τῆς φύσεως ἀδούλωτον. Τὸν μὲν γὰρ ἄριστον τῶν ἐκεῖ ταύρων καταθύσας Διὶ πρόφασιν εὐωχεῖτο· πολὺν δ' οἶνον ἐμφορήσας ἀθρόον, εὖ μάλα κατακλιθεὶς ἠκρατίζετο. Συλεῖ δὲ ἀφικομένῳ καὶ δυσανασχετοῦντι ἐπί τε τῇ βλάβῃ καὶ τῇ τοῦ θεράποντος ῥᾳθυμίᾳ καὶ ἐπὶ τῇ περιττῇ καταφρονήσει, μηδὲν μήτε τῆς χρόας μήτε ὧν ἔπραττε μεταβαλὼν εὐτολμότατά φησι,

Κλίθητι καὶ πίωμεν· ἐν τούτῳ δέ μου
Τὴν πεῖραν εὐθὺς λάμβαν', εἰ κρείττων ἔσει.

Priora vides quam *τραγικώτατα* esse; argumentum contra a comico paullulum tantummodo distans inesse in tauro illo mactato, in prandio atque potatione Herculis humi strati, in eiusdem altercatione cum Syleo. Ex alio huius dramatis loco vel uno in verbo persentisces elementa sermonis comici:

Βαυβῶμεν εἰσελθόντες· ἀπόμορξαι σέθεν
Τὰ δάκρυα.

INDICES.

1. CARMINUM.

a. LYRICORUM.

Aeli vetusto nobilis Od. III. 17.
Aequam memento Od. II. 3.
Albi, ne doleas Od. I. 33.
Altera iam teritur Epod. 16.
Angustum amice Od. III. 2.
At, o deorum Epod. 5.
Audivere, Lyce, di Od. IV. 13.
Bacchum in remotis Od. II. 19.
Beatus ille qui Epod. 2.
Caelo supinas Od. III. 23.
Caelo tonantem Od. III. 5.
Cum tu, Lydia, Od. I. 13.
Cur me querellis Od. II. 17.
Delicta maiorum Od. III. 6.
Descende caelo Od. III. 4.
Dianam tenerae Od. I. 21.
Diffugere nives, Od. IV. 7.
Dive, quem proles Od. IV. 6.
Divis orte bonis, Od. IV. 5.
Donarem pateras Od. IV. 8.
Donec gratus Od. III. 9.
Eheu fugaces, Od. II. 14.
Est mihi nonum Od. IV. 11.
Et ture et fidibus Od. I. 36.
Exegi monumentum Od. III. 30.
Extremum Tanain Od. III. 10.
Faune Nympharum Od. III. 18.
Festo quid potius Od. III. 28.
Herculis ritu Od. III. 14.
Horrida tempestas Epod. 13.
Iam iam efficaci Epod. 17.
Iam pauca aratro Od. II. 15.
Iam satis terris nivis Od. I. 2.
Iam veris comites, Od. IV. 12.
Ibis Liburnis Epod. 1.
Icci, beatis nunc Arabum Od. I. 29.
Ille et nefasto te posuit Od. II. 13.
Impios parrae Od. III. 27.
Inclusam Danaën Od. III. 16.
Intactis opulentior Od. III. 24.
Integer vitae Od. I. 22.
Intermissa, Venus, Od. IV. 1.
Iustum et tenacem Od. III. 3.
Laudabunt alii Od. I. 7.
Lupis et agnis Epod. 4.
Lydia, dic, per omnis Od. I. 8.
Maecenas atavis Od. I. 1.
Mala soluta Epod. 10.
Martiis caelebs Od. III. 8.
Mater saeva cupidinum Od. I. 19.
Mercuri facunde Od. I. 10.
Mercuri, - nam te Od. III. 11.
Miserarum est Od. III. 12.
Mollis inertia Epod. 14.
Montium custos Od. III. 22.
Motum ex Metello Od. II. 1.
Musis amicus Od. I. 26.
Natis in usum Od. I. 27.
Ne forte credas Od. IV. 9.
Ne sit ancillae Od. II. 4.
Nolis longa ferae Od. II. 12.
Nondum subacta Od. II. 5.
Non ebur neque Od. II, 18.
Non semper imbres Od. II. 9.
Non usitata Od. II. 20.
Non vides, quanto Od. III. 20.
Nox erat et caelo Epod. 15.
Nullam, Vare, sacra Od. I. 18.
Nullus argento color Od. II. 2.
Nunc est bibendum, Od. I. 37.
O crudelis adhuc Od. IV. 10.
O Diva, gratum Od. I. 35.
O fons Bandusiae, Od. III. 13.
O matre pulchra Od. I. 16.
O nata mecum Od. III. 21.
O navis, referent Od. I. 14.
O saepe mecum Od. II. 7.
O Venus, regina Od. I. 30.
Odi profanum Od. III. 1.
Otium divos Od. II. 16.
Parcius iunctas Od. I. 25.
Parcus deorum Od. I. 34.
Parentis olim Epod. 3.
Pastor cum traheret Od. I. 15.

Persicos odi, puer, Od. I. 38.
Petti, nihil me Epod. 11.
Phoebe silvarumque Carm. saec.
Phoebus volentem Od. IV. 15.
Pindarum quisquis Od. IV. 2.
Poscimur. Si quid Od. I. 32.
Quae cura patrum Od. IV. 14.
Qualem ministrum Od. IV. 4.
Quando repostum Epod. 9.
Quantum distet Od. III. 19.
Quem tu, Melpomene, Od. IV. 3.
Quem virum aut Od. I. 12.
Quid bellicosus Od. II. 11.
Quid dedicatum Od. I. 31.
Quid fles, Asterie, Od. III. 7.
Quid immerentis Epod. 6.
Quid tibi vis, mulier Epod. 12.
Quis desiderio Od. I. 24.
Quis multa gracilis Od. I. 5.
Quo me, Bacche, Od. III. 25.
Quo, quo scelesti Epod. 7.
Rectius vives, Od. II. 10.
Rogare longo Epod. 8.
Scriberis Vario Od. I. 6.
Septimi, Gades Od. II. 6.
Sic te diva potens Od. I. 3.
Solvitur acris hiems Od. I. 4.
Te maris et terrae Od. I. 28.
Tu ne quaesieris, Od. I. 11.
Tyrrhena regum Od. III. 29.
Ulla si iuris Od. II. 8.
Uxor pauperis Od. III. 15.
Velox amoenum Od. I. 17.
Vides, ut alta stet Od. I. 9.
Vile potabis Od. I. 20.
Vitas inuleo-Chloë Od. I. 23.
Vixi puellis nuper Od. III. 26.

b. SATIRARUM.

Ambubaiarum collegia I. 2.
Egressum magna I. 5.
Eupolis atque Cratinus I. 4.
Hoc erat in votis II. 6.
Hoc quoque, Tiresia, II. 5.
Iamdudum ausculto II. 7.
Ibam forte via sacra I. 9.
Nempe incomposito I. 10.
Non quia, Maecenas, I. 6.
Olim truncus eram I. 8.
Omnibus hoc vitium I. 3.
Proscripti Regis Rupili I. 7.
Quae virtus et quanta, II. 2.
Qui fit, Maecenas, I. 1.
Si raro scribes, II. 3.
Sunt, quibus in satira II. 1.
Unde et quo Catius? II. 4.
Ut Nasidieni iuvit II. 8.

c. EPISTULARUM.

Albi, nostrorum I. 4.
Celso gaudere I. 8.
Cum tot sustineas II. 1.
Flore, bono claroque II. 2.
Fructibus Agrippae I. 12.
Humano capiti A. P.
Iuli Flore, quibus I. 3.
Ne perconteris, I. 16.
Nil admirari prope I. 6.
Prima dicte mihi, I. 1.
Prisco si credis, I. 19.
Quae sit hiems Veliae, I. 15.
Quamvis, Scaeva, satis I. 17.
Quid tibi visa Chios, I. 11.
Quinque dies tibi I. 7.
Septimius, Claudi, I. 9.
Si bene te novi, I. 18.
Si potes Archiacis I. 5.
Troiani belli scriptorem, I. 2.
Urbis amatorem I. 10.
Ut proficiscentem I. 13.
Vertumnum Ianumque, I. 20.
Vilice silvarum I. 14.

2. INDEX NOMINUM AC RERUM.

Ablativus abs., od. 1, 6, 1. sat. 2, 1, 84. 1, 6, 122.
abnormis sapiens, sat. 2, 2, 3.
absto ἅπαξ εἰρημένον a. p. 362.
ac i. q. *quam* post comparat., sat. 1, 1, 46. epod. 12, 14. sat. 1, 5, 5. 6, 130. 10, 34. 59· alibi.
Academus heros Atticus, epist. 2, 2, 45.
Accius, L. poëta tragicus, sat. 1, 10, 61. epist. 2, 1, 56. a. p. 258.
Achaemenes, antiquissimus Persarum rex, Od. 2, 12, 21.
Achaemenius i. e. Persicus vel Arabicus: *costum* od. 3, 1, 44; *nardum* epod. 13, 9.
Achaicus i. e. Graecus, od. 4, 3, 5. 1, 15, 35.
Acheron, flumen in inferis, od. 1, 3, 36. 3, 3, 16.
Acherontia, Apuliae oppidum, od. 3, 4, 14.
Achilles, od. 4, 6, 4. epist. 2, 2, 42. Achillei od. 1, 15, 34. epod. 17, 14. Achillem od. 2, 4, 4. 16, 29. sat. 1, 7, 12. a. p. 120. Achille sat. 2, 3, 193.
Achivus, od. 3, 3, 27. sat. 2, 3, 194. epist. 1, 2, 14. 2, 1, 33. *Achivis flammis*, od. 4, 6, 18.
Acrisius, Argivorum rex, pater Danaës, od. 3, 16, 5.
Acroceraunia promuntorium Epiri, od. 1, 3, 20.
Actia pugna, epist. 1, 18, 61.
adlaboro, od. 1, 38, 5. epod. 8, 20.
adorea, od. 4, 4, 41.
adsuo (ἅπ. εἰρ.), a. p. 16.
ἀδύνατον figura poëtica, epod. 16, 25 sq. od. 1, 29, 10. 33, 7.
Aeacus, od. 2, 13, 22. 3, 19, 3. 4, 8, 25.
aedes sing., od. 1, 30, 4.
Aefula colonia Romana Latii, od. 3, 29, 6.
Aegaeum mare, od. 2, 16, 2. 3, 29, 63. epist. 1, 11, 16.
Q. Aelius Lamia, od. 1, 26, 6. 36, 7. 3, 17. epist. 1, 14, 6.
Aemilius ludus, a. p. 32.
Aeneas, od. 4, 6, 23. 7, 15. c. saec. 42. sat. 2, 5, 63.
aëneus non trisyllabon, sat. 2, 3, 183.
Aeolides Sisyphus, od. 2, 14, 20.
Aeolium *carmen* i. e. Lesbium, od. 3, 30, 13. 4, 3, 12. *fides* 2, 13, 24. *puellae* 4, 9, 12.
aequa mens, od. 2, 3, 1.
aerugo, sat. 1, 4, 101. a. p. 330.
Aeschylus, poëta epist. 2, 1, 163. a. p. 279.
aesculetum, od. 1, 22, 14.
Aesopus tragoediarum actor epist. 2, 1, 82; eius filius sat. 2, 3, 239.
aeternare, od. 4, 14, 5.
Aethiops, od. 3, 6, 14.
Aetna, mons Siciliae, od. 3, 4, 76. epod. 17, 33. a. p. 465.
Afer, od. 2, 1, 26. 16, 35. 3, 3, 47. 4, 4, 42. epod. 2, 53 (Afra avis). sat. 2, 4, 58. 8, 95.
Afranius, poëta, epist. 2, 1, 57.
Africa, od. 2, 18, 5. 3, 16, 31. 4, 8, 18. sat. 2, 3, 87.
Africanus (Scipio Aemilianus), epod. 9, 25.
Agamemno, od. 4, 9, 25.
Agaue, sat. 2, 3, 304.
Agrippa, M. Vipsanius, od. 1, 6, 5. sat. 2, 3. 185. epist. 1, 6, 26. 12, 1. 26.
Agyieus Apollo, od. 4, 6, 28.
Aiax Telamonius, od. 2, 4, 5. sat. 2, 3, 187. 193. 201. 211. Oïl[illegible] filius od. 1, 15, 19. epod. 10, 14.
Albanus *lacus*, od. 3, 23, 11. 4, 1, 19. *mons* epist. 2, 1, 27. *uva* sat. 2, 4, 72. *secures* i. e. Romanorum c. saec. 54. *agri* epist. 1, 7, 10. Albanum (vinum) od. 4, 11, 2. sat. 2, 8, 16.
Albinovanus *Celsus*, Tiberii comes, epist. 1, 8, 1. 17. 3, 15.
Albinus faenerator, a. p. 327.
Albius Tibullus poëta, od. 1, 33. epist. 1, 4.
Albius, sat. 1, 4, 28. 109.
Albucius, sat. 2, 1, 48. 2, 2, 67.
Albunea nympha, od. 1, 7, 12.

Alcaeus, poëta Lesbius (od. 1, 32, 5), od. 2, 13, 27. 4, 9, 7. epist. 1, 19, 29. 2, 2, 99.
Alcides, Alcei nepos i. e. Hercules, od. 1, 12, 25.
Alcinous, Phaeacum rex, epist. 1, 2, 28.
Alcon servus, sat. 2, 8, 15.
Alexander magnus, ep. 2, 1, 232. 241.
Alexandrea, urbs Aegypti, od. 4, 14, 35.
Alfenus, sat. 1, 3, 130.
Alfius faenerator, epod. 2, 67.
Algidus mons, od. 1. 21, 6. 3, 23, 9. 4, 4, 58. c. saec. 69.
alius cum ablat. epist. 1, 16, 20. cf. sat. 2, 3, 208.
Allifanus, sat. 2, 8, 39.
Allobrox, epod. 16, 6.
Alpes, od. 4, 4, 17. 14, 12. epod. 1, 11. sat. 2, 5, 41.
Alpinus, i. e. M. Furius Bibaculus Cremonensis, sat. 1, 10, 36.
Alyattes, rex Lydiae, od. 3, 16, 41.
Amazonia securis, od. 4, 4, 20.
ambire, od. 1, 35, 5.
ambitiosus, od. 1, 36, 20.
ambubaiae, sat. 1, 2, 1.
ambustus, sat. 1, 10, 64.
ames, epod. 2, 33.
amice, adverb., od. 3, 2, 1.
Amphion, od. 3, 11, 2. epist. 1, 18, 41. 44. a. p. 394.
ampullari, epist. 1, 3, 14. a. p. 97.
amystis Threicia, od. 1, 36, 14.
an, od. 2, 4, 13. 4, 7, 17. a. p. 436. 462.
Anacreon, poëta Teïus, od. 4, 9, 9. epod. 14, 16. cf. Teïus.
Anchises, Aeneae pater, od. 4, 15, 31. c. saec. 50.
ancilia, od. 3, 5, 10.
Ancus Marcius, rex Romanorum, od. 4, 7, 15. epist. 1, 6, 27.
Andromeda, od. 3, 29, 17.
Anio flumen, od. 1, 7. 13,
Antenor Troianus, epist. 1, 2, 9.
antestari, sat. 1, 9, 76.
Anticyra, sat. 2, 3, 83. 166. a. p. 300.
Antilochus, Nestoris filius, od. 2, 9, 14.
Antiochus, Syriae rex, od. 3, 6, 36.
Antiphates rex, a. p. 145.
Antium oppidum, od. 1, 35, 1.
Antonius, *Marcus* triumvir, sat. 1, 5, 33. *Iulius*, Marci filius, od. 4, 2, 2. 26. *Musa* medicus, epist. 1, 15, 3.
Anxur, Latii oppidum, sat. 1, 5, 26.
Anytus, Atheniensis, sat. 2, 4, 3.
Apella, Iudaeus, sat. 1, 5, 100.
Apelles Cous, pictor, epist. 2, 1, 239.
Apenninus mons, epod. 16, 29.
apex, insigne flaminum et ornamentum regum, od. 1 34, 14. 3, 21, 20.
Apollo, v. Agyieus, Cynthius, Delius, Latous, Palatinus, Patareus, Phoebus, Pythius; od. 1, 2, 32. 7, 3. 28, 10, 12. 21, 10. 31, 1. 2, 10, 20. 3, 4, 64. 4, 6 (dive). c. saec. 34. epod. 15, 9. sat. 1, 9, 78. 2, 5, 60. epist. 1, 16, 59. 2, 1, 216. a. p. 407.
Apollinaris, laurea, od. 4, 2, 9.
apotheca, sat. 2, 5, 7. cf. ad od. 3, 8, 11.
Appia via, epod. 4, 14. sat. 1, 5, 6.
Appius, Claudius Caecus, sat. 1, 6, 21. forum Appi, sat. 1, 5, 3. via Appi, epist. 1, 6, 26.
Aprilis, od. 4, 11, 16.
Apulus, **Appulus**, **Apulia**, od. 1, 33, 7. 3, 4, 9. 10. 5, 9. 16, 26. 4, 14, 26. epod. 2, 42. 3, 16. sat. 1, 5, 77. 2, 1, 34. 38.
Aquarius, nomen stellae, sat. 1, 1, 36.
Aquilo ventus, od. 1, 3, 13. 2, 9, 6. 3, 10, 4. 30, 3. epod. 10, 7. 13, 3. sat. 2, 6, 25. 8, 56. a. p. 64.
Aquinas, ep. 1, 10, 27.
Arabs, od. 1, 29, 1. 35, 40. 2, 12, 24. 3, 24, 2. epist. 1, 6, 6. 7, 36.
Arbuscula, mima, sat. 1, 10, 77.
Arcadia, od. 4, 12, 12.
Archiacus, epist. 1, 5, 1.
Archilochus, poëta, sat. 2, 3, 12. epist. 1, 19, 25. 28. a. p. 79.
Archytas, philosophus, od. 1, 28, 3.
Arctos, od. 1, 26, 3. 2, 15, 16.
Arcturus, stella, od. 3, 1, 27.

ardeo, od. 3, 9, 6. 4, 9, 13.
Arellius, sat. 2, 6, 78.
Argonautae, epod. 3, 9.
Argos, aptum equis, od. 1, 7, 9. *Argi*, sat. 2, 3, 132. epist. 2, 2, 128. a. p. 118. *Ageus colonus*, od. 2, 6, 5. *Argivus augur*, od. 3, 16, 12. *Argivi* (*Homerici*) od. 3, 3, 67. *Argiva Thalia*, od. 4, 6, 25.
Argous, epod. 16, 58.
Aricia, oppidum, sat. 1, 5, 1. *Aricinus*, epist. 2, 2, 167.
Ariminensis, epod. 5, 42.
Aristarchus Alexandrinus, a. p. 450.
Aristippus, philosophus, sat. 2, 3, 100. epist. 1, 1, 18. 17, 14. 17. 23.
Aristius Fuscus, od. 1, 22, 4. sat. 1, 9, 61. 10, 83. epist. 1, 10, 1. 44.
Aristophanes, poëta, sat. 1, 4, 1.
Armenius, epist. 1, 12, 27. *orae* od. 2, 9, 4.
Arrius, sat. 2, 3, 86. 243.
arx, od. 2, 6, 22.
Asia, sat. 1, 7, 19. 24. epist. 1, 3, 5.
Asina, epist. 1, 13, 8.
Assaracus, epod. 13, 13.
Assyrius, od. 2, 11, 16. 3, 4, 32. a. p. 118.
Asterie, od. 3, 7, 1.
Atabulus, sat. 1, 5, 78.
Atacinus, sat. 1, 10, 46. v. Varro.
Athenae, sat. 1, 1, 64. 2, 7, 13. epist. 2, 1, 213. 2, 43. 81. (*Palladis urbs*, od. 1, 7, 5).
Atlas, od. 1, 10, 1. *Atlanteus finis*, od. 1, 34, 11. *Atlanticum aequor*, od. 1, 31, 14.
atque, postpositum, epod. 8, 11. 17, 4. sat. 1, 5, 4. 27. 6, 110. 130. 7, 12. 10, 28. 82.
Atreus, a. p. 186.
Atrida, **Atrides**, Agamemno, od. 2, 4, 7. sat. 2, 3, 187. epist. 1, 2, 12. Menelaus, epist. 1, 7, 43. *Atridae*, od. 1, 10, 13. sat. 2, 3, 203.
Atta, poëta, epist. 2, 1, 79.
Attalus, rex, od. 2, 18, 5. *Attalicus*, od. 1, 1, 12. epist. 1, 11, 5.
Atticus, od. 1, 3, 6. sat. 2, 8, 13.
Aufidius, sat. 1, 5, 34. alius quidam, sat. 2, 4, 24.
Aufidus, flumen, od. 3, 30, 10. 4, 9, 2. 14, 25. sat. 1, 1, 58.
Augustus, od. 2, 9, 19. 3, 3, 11. 5, 3. 4, 2, 43. 4, 27. 14, 3. epist. 1, 3, 2. 7. 13, 2. 16, 29. 2, 2, 48.
Aulis, urbs, sat. 2, 3, 119.
Aulon, od. 2, 6, 18.
Aulus Cascellius, a. p. 371. *Servii Oppidii* filius, sat. 2, 3, 171.
Ausonius i. q. Italus, od. 4, 4, 56.
Auster, ventus, od. 2, 14, 16. 3, 3, 4. 27, 22. 4, 14, 21. epod. 10, 4. sat. 1, 1, 6. 2, 2, 41. 6, 18. 8, 6. epist. 1, 11, 15.
autumnus, od. 2, 5, 11. 14, 15. 4, 7, 11. epod. 2, 18. sat. 2, 6, 19.
Aventinus, c. saec. 69. epist. 2, 2, 69.
Avernalis aqua, epod. 5, 26.
Avidienus, sat. 2, 2, 55.
axamenta, epist. 2, 1, 86.

Babylonius, od. 1, 11, 2.
Bacchae, od. 3, 25, 15. sat. 1, 3, 7.
Bacchius, gladiator, sat. 1, 7, 20.
Bacchus, v. Bassareus, Euhius, Lenaeus, Liber, Lyaeus, Thyoneus. od. 1, 7, 3. 18, 6. 27, 3. 2, 6, 19. 19, 1. 6. 3, 3, 13. 16, 34. 25, 1. sat. 1, 3, 7. epist. 2, 2, 78. (Baccheu, sat. 1, 3, 7).
Bactra, urbs; od. 3, 29, 28.
Baiae, od. 2, 18, 20. 3, 4, 24. epist. 1, 1, 83. 15, 2. 12. *Baianus*, sat. 2, 4, 32.
Baius, sat. 1, 4, 110.
Balatro, v. Servilius.
balatrones, sat. 1, 2, 2.
Balbinus, sat. 1, 3, 40.
Bandusia, od. 3, 13, 1.
Bantinus, od. 3, 4, 15.
barbarum, carmen, i. e. Phrygium, epod. 9, 6.
barbitos, od. 1, 1, 34. 32, 4.
Barine, od. 2, 8, 2.
Barium, oppidum Apuliae, sat. 1, 5, 97.
Barrus, sat. 1, 6, 30. 7, 8.
Bassareus, od. 1, 18, 11.

Bassus, od. 1, 36, 14.
Bathyllus, epod. 14, 9.
Bellerophontes, od. 3, 7, 15. 12, 3. 4, 11, 28.
Bellona, sat. 2, 3, 223.
Beneventum, sat. 1, 5, 71.
Berecyntius, od. 1, 18, 13. 3, 19, 18. 4, 1, 22.
Bestius, epist. 1, 15, 37.
bidens, od. 3, 23, 14.
bidental, a. p. 471.
Bibulus, od. 3, 28, 8.
Bioneus, epist. 2, 2, 60.
Birrius, sat. 1, 4, 69.
Bistonides, od. 2, 19, 20.
Bithus, sat. 1, 7, 20.
Bithynus, od. 1, 35, 7. epist. 1, 6, 33.
Boeoti, epist. 2, 1, 244.
Bolanus, sat. 1, 9, 11.
Boreas, od. 3, 24, 38.
Bosporus, od. 2, 13, 14. 20, 14. 3, 4, 30.
Breuni, od. 4, 14, 11.
Briseis, od. 2, 4, 3.
Britannus, od. 1, 21, 15. 35, 30. 3, 4, 33. 5, 3. 4, 14, 48. epod. 7, 7.
Brundisium, sat. 1, 5, 104. epist. 1, 17, 52. 18, 20.
Brutus, M. Iunius, od. 2, 7, 2. sat. 1, 7, 18. 23. 24. 33.
Bullatius, epist. 1, 11, 1.
Bupalus, pictor, epod. 6, 14.
Butra, epist. 1, 5, 26.
Byzantius, sat. 2, 4, 66.

Cadmus, a. p. 187. carnifex, sat. 1, 6, 39.
caducus, qui cadit, od. 2, 13, 11. 3, 4, 44.
Caecilius, poëta, epist. 2, 1, 59. a. p. 54.
Caecubum, vinum, od. 1, 20, 9. 37, 5. 2, 14, 25. 3, 28, 3. epod. 9, 1. 36. sat. 2, 8, 15.
Caelius, sat. 1, 4, 69.
caementa, od. 3, 1, 35. 24, 3.
Caeres (Caeritis cera), epist. 1, 6, 62.
Caesar, C. Iulius, dictator, od. 1, 2, 44. sat. 1, 9, 18.
Caesar Augustus, od. 1, 2, 52. 12, 51. 52. 21, 14. 35, 29. 37, 16, 2, 9, 20. 12, 10. 3, 4, 37. 14, 3. 16. 25, 4. 4, 2, 48. 5, 16. 27. 15, 4. 17. epod. 1, 3. 9, 2. 18. 37. sat. 1, 3, 4. 2, 1, 11. 19. 84. epist. 1, 5, 9. 12, 28. 13, 18. 2, 1, 4. 2, 48.
Calabria, od. 1, 31, 5.
Calaber, od. 1, 36, 16. 3, 16, 33. 4, 8, 20. epod. 1, 27. epist. 1, 7, 14. 2, 2, 177.
Calais, od. 3, 9, 14.
Calenus, od. 1, 20, 9. 31, 9.
Cales, oppidum Campaniae, od. 4, 12, 14.
Callimachus poëta, epist. 2, 2, 100. cf. sat. 1, 2, 105 sq.
Calliope, od. 3, 4, 2.
Calvus, sat. 1, 10, 19.
Camena, od. 1, 12, 39. 2, 16, 38. 3, 4, 21. 4, 6, 27. 9, 8. c. saec. 62. sat. 1, 10, 45. epist. 1, 1, 1. 18, 47. 19, 5. a. p. 275.
Camillus, od. 1, 12, 42. epist. 1, 1, 64.
Campanus, sat. 1, 5, 45. 62. 6, 118. 2, 3, 144. 8, 56.
Campus Martius, od. 1, 8, 4. 9, 18. 3, 1, 11. 7, 26. 4, 1, 39. sat. 1, 6, 126. 2, 6, 49. epist. 1, 6, 59. 7, 59. 11, 4. 18, 54. arma campestria a. p. 379.
Canicula, od. 1, 17, 17. 3, 13, 9. sat. 2, 5, 39. *canis* sat. 1, 7, 25. epist. 1, 10, 16.
Canidia (Gratidia?), epod. 3, 8, 5. 15. 48. 12, 1. 17, 6. sat. 1, 8, 24. 48. 2, 1, 48. 8, 95.
Cantaber, od. 2, 6, 2. 11, 1. 3, 8, 22. 4, 14. 41. epist. 1, 12, 26. *Cantabricus*, epist. 1, 18, 55.
Canusium, sat. 1, 5, 91. 2, 3, 168. Canusinus sat. 1, 10, 30.
Capito, Fonteius, sat. 1, 5, 32.
Capitolium, od. 1, 37, 6. 3, 3, 42. 24, 45. 30, 8. 4, 3, 9.
Capitolinus, Petilius, sat. 1, 4, 94. 96. 10, 26.
Coppadox, epist. 1, 6, 39.
Capra, od. 3, 7, 6.
Capricornus, od. 2, 17, 20.
Caprius, sat. 1, 4, 66. 70.
Capua, epod. 16, 5. sat. 1, 5, 47. epist. 1, 11, 11.
cardiacus, sat. 2, 3, 161.

Carinae, epist. 1, 7, 48.
Carpathium mare, od. 1, 35, 8. 4, 5, 10.
Carthago v. Karthago.
Cascellius v. Aulus.
Caspium mare, od. 2, 9, 2.
Cassius Etruscus, sat. 1, 10, 62. Parmensis, epist. 1, 4, 3.
Castalia, od. 3, 4, 61.
Castor, Iovis et Ledae filius, (v. od. 1, 12, 25), 4, 5, 35. epod. 17, 42. 43. sat. 2, 1, 26. epist. 2, 1, 5. — gladiator, epist. 1, 18, 19.
Catia, sat. 1, 2, 95.
Catienus, sat. 2, 3, 61.
Catilus, od. 1, 18, 2.
Catius, sat. 2, 4, 1. 88.
Cato cens., od. 2, 15, 11. 3, 21, 11. sat. 1, 2, 32. epist. 2, 2, 117. a. p. 56. Uticens., od. 1, 12, 35. 2, 1, 14. epist. 1, 19, 13. 14. Valerius gramm., sat. 1, 10, 1.
Catullus, poëta, sat. 1, 10, 19.
Caucasus, od. 1, 22, 7. epod. 1, 12.
Caudium, sat. 1, 5, 51.
cavĕ, epod. 6, 11. sat. 2, 3, 38. 177. 5, 75. epist. 1, 13, 19. cavē od. 1, 14, 16. 3, 7, 24. epist. 1, 6, 32.
Cecropius, od. 2, 1, 12. 4, 12, 6.
Celsus, epist. 1, 3, 15. 8, 1. 17. v. Albinovanus.
Censorinus, od. 4, 8, 2.
Centaurus, od. 4, 2, 15. epod. 13, 11. *Centaureus* od. 1, 18, 8.
Cerberus, od. 2, 19, 29. 3, 11, 17.
Ceres, od. 3, 2. 26. 24, 13. 4, 5, 18. c. saec. 30. epod. 16, 43. sat. 2, 2, 124. 8, 14.
Cerinthus, sat. 1, 2, 76.
Cervius sat. 2, 1, 47. alius quidam sat. 2, 6, 77.
cervix, ap. Horat. semper singulari numero, ad od. 3, 1, 18.
Cethegus, epist. 2, 2, 117.
Ceus, od. 2, 1, 38. 4, 9, 8.
Charybdis, od. 1, 27, 19. epist. a. p. 145.
cheragra, epist. 1, 1, 31. sat. 2, 7, 15.
Chimaera, od. 1, 27, 24. 2, 17, 13. 4, 2, 16.
Chia, od. 4, 13, 7.
Chios, ep. 1, 11, 1. 21. Chīus, od. 3, 19, 5. epod. 9, 34. sat. 1, 10, 24. 2, 3, 115. 8, 15. 48.
Chloe, od. 1, 23, 1. 3, 7, 10. 9. 6. 9.
Chloris, od. 2, 5, 18. 3, 15, 8.
Choerilus, poëta, epist. 2, 1, 233. a. p. 357.
Chremes, epod. 1, 33. sat. 1, 10, 40. a. p. 94.
Chrysippus, sat. 1, 3, 127. 2, 3, 44. 287. epist. 1, 2, 4.
ciboria, od. 2, 7, 22.
Chibyraticus, epist. 1, 6, 33.
Cicirrus, Messius, sat. 1, 5, 52. 65.
Cicuta, sat. 2, 3, 69. 175.
Cinara, od. 4, 1, 4. 13. epist. 1, 7, 28. 14, 33.
Circe, od. 1, 17, 20. epod. 17, 17. epist. 1, 2, 23. *Circaea moenia*, epod. 1, 30.
Circei, sat. 2, 4, 33.
circumvagus, epod. 16, 41.
Claudius, i. e. Tiberius Nero, Augusti privignus, od. 4, 14, 29. epist. 1, 3, 2. 9, 1. 12, 26. Claudiae manus, 4, 4, 73.
Clazomenae, sat. 1, 7, 5.
Clio, od. 1, 12, 2.
Clusinus, epist. 1, 15, 9.
Cnidos, od. 1, 30, 1. 3, 28, 13. *Cnidius*, od. 2, 5, 20.
Cnosius, od. 1, 15, 17.
Cocceius Nerva, sat. 1, 5, 28. 32. 50.
Cocytus, od. 2, 14, 18.
Codrus rex, od. 3, 19, 2.
Colchis (Medea), epod. 16, 58. *Colchus*, od. 2, 20, 17. 4, 4, 63. a. p. 118. *venena Colcha*, od. 2, 13, 8. *Colchicus*, epod. 5, 24. 17, 35.
Colophon, epist. 1, 11, 3.
columnae, a. p. 373.
Concanus, od. 3, 4, 34.
conscire, epist. 1, 1, 61.
Copia, c. saec. 60. epist. 1, 12, 23.
Coranus, sat. 2, 5, 57. 64.
Corinthus, od. 1, 7, 2. epist. 1, 17, 36. 2, 1, 193.
Corvinus, od. 3, 21, 7. sat. 1, 10, 29. v. Messalla.
Corybantes, od. 1, 16, 8.

Corycius, sat. 2, 4, 68.
Cotiso, od. 3, 8, 18.
Cotyttia, epod. 17, 56.
Cous, od. 4, 13, 13. epod. 12, 18. sat. 1, 2, 101. sat. 2, 4, 29. 8, 9.
Cragus, od. 1, 21, 8.
Crantor, epist. 1, 2, 4.
Crassus, od. 3, 5, 5.
Craterus, sat. 2, 3, 161.
Cratinus, poëta, sat. 1, 41. epist. 1, 19, 1.
Creon, epod. 5, 64.
Creta, od. 3, 27, 34. epod. 9, 29. *Creticus*, od. 1, 26, 2. *Cressa nota* od. 1, 36, 10.
Crispinus, sat. 1, 1, 120. 3, 139. 4, 14. 2, 7, 45.
Crispus (C. Sallustius), od. 2, 2, 3.
Croesus, epist. 1, 11, 2.
culullus, od. 1, 31, 11. a. p. 434.
Cumae, epist. 1, 15, 11.
Cupido, od. 1, 2, 34. 19, 1. 2, 8, 14. 4, 1, 5. 13, 5. epod. 17, 57.
Cupiennius, sat. 1, 2, 36.
cupressus, od. 2, 14, 23. epod. 5, 18.
Curius, od. 1, 12, 41. epist. 1, 1, 64.
Curtillus, sat. 2, 8, 52.
Cyclades, od. 1, 14, 20. 3, 28, 14.
Cyclius scriptor, a. p. 136.
Cyclops, sat. 1, 5, 63. epist. 2, 2, 125. a. p. 145. *Cyclopes*, od. 1, 4, 7.
Cydonius, od. 4, 9, 17.
Cyllenea, epod. 13, 9.
Cynthius Apollo, od. 1, 21, 2. *Cynthia* Diana, od. 3, 28, 12.
Cyprus, od. 1, 13, 1. 19, 10. 30, 2. 3, 26, 9. *Cyprius*, od. 1, 1, 13. 3, 29, 60.
Cyrus rex, od. 2, 2, 17. 3, 29, 27. Alius quidam, od. 1, 17, 25. 33, 6.
Cytherea (Venus), od. 1, 4, 5. 3, 12, 4.

Dacus, od. 1, 35, 9. 2, 20, 18. 3, 6, 14. 8, 18. sat. 2, 6, 53.
Daedalus, od. 1, 3, 34. *Daedaleus*, od. 2, 20, 13. 4, 2, 2.
Dama, sat. 1, 6, 38. 2, 5, 18. 101. 7, 54.
Damalis, od. 1, 36, 13. 17. 18.
Damasippus, sat. 2, 3, 16. 64. 65. 324.
Danae, od. 3, 16, 1.
Danaus, od. 2, 14, 18. 3, 11, 23.
Danuvius, od. 4, 15, 21.
Dardanus, od. 1, 15. 10. 4, 6, 7.
dativus cum verbis certandi et differendi coniunctus: ad od. 2, 2, 18.
Daunus, od. 3, 30, 11. 4, 14. 26. *Daunius*, od. 2, 1, 34. 4, 6, 27.
Daunias i. e. Apuliae pars 1, 22, 14.
Davus, sat. 1, 10, 40. 2, 5, 91. 7, 2. 46. 100. a. p. 114. 237.
December, od. 3, 18, 10. epod. 11, 7. sat. 2, 7, 4. epist. 1, 20, 27.
Decius, sat. 1, 6, 20.
dehinc, semper bisyllabum apud Hor., epod. 16, 65.
Deiphobus, od. 4, 9, 22.
Dellius, od. 2, 3, 4.
Delmaticus, od. 2, 1, 16.
Delos, od. 1, 21, 10. *Delius*, od. 3, 4, 64. 4, 6, 33. 4, 3, 6.
Delphi, od. 1, 7, 3. a. p. 219. *Delphicus*, od. 3, 30, 15.
Demetrius, epist. 1, 7, 52. sat. 1, 10, 79. 90.
Democritus, epist. 1, 12, 12. 2, 1, 194. a. p. 297.
Dĭana, od. 3, 4, 71. c. saec. 1. 75. epod. 5, 51. 17, 3. a. p. 16. 454. *Dīana*, od. 1, 21, 1. 2, 12, 20. 4, 7, 25. c. saec. 70.
Diespiter, od. 1, 34, 5. 3, 2, 29.
Digentia, epist. 1, 18, 104.
Dindymene, od. 1, 16, 5.
Diomedes, sat. 1, 5, 92. 7, 16. a. p. 146.
Dionaeus, od. 2, 1, 39.
Dionysius, sat. 1, 6, 38.
diota, od. 1, 9, 8.
Dircaeus, od. 4, 2, 25.
Dolichos, epist. 1, 18, 19.
Dorius, epod. 9, 6.
Dossennus, epist. 2, 1, 174.
Drusus, Augusti privignus, od. 4, 4, 18. 14, 10.
duellum, od. 3, 5, 38. 14, 18. 4, 15, 8. epist. 1, 2, 7. 2, 1, 254. 2, 98.

Ebrius fortuna, od. 1, 37, 12.
ebur epist. 2, 1, 96.
Echionius, od. 4, 4, 64.
edit, epod. 3, 3.
editior = superior, sat. 1, 3, 101.
Edoni, od. 2, 7, 27.
efferre ad caelum, epist. 1, 10, 9.
Egeria, sat. 1, 2, 126.
Electra, sat. 2, 3, 140.
elegi, od. 1, 33, 3. epist. 2, 2, 91. a. p. 77.
Elea palma, od. 4, 2, 17.
elisio, sat. 1, 9, 30.
Empedocles, epist. 1, 12, 20. a. p. 465.
Enceladus, od. 3, 4, 56.
Enipeus, od. 3, 7, 23.
Ennius, poeta, sat. 1, 10, 54. Epist. 1, 19, 7. 2. 1, 50. a. p. 56. 259. Calabrae Pierides od. 4, 8. 20.
Eous, od. 1, 35, 31. epod. 2, 51.
Ephesus, od. 1, 7, 2.
Ephialtes et **Otus** fratres, od. 3, 4, 51.
Epicharmus, epist. 2, 1, 58.
Epicurus, epist. 1, 4, 16.
Epidaurius, sat. 1, 3, 27.
equester census, a. p. 383. *equites R.* sat. 1, 10, 76. epist. 2, 1, 185. a. p. 248.
—ĕrunt, ēre, sat. 1, 10, 45. epist. 1, 4, 7. 2, 1, 59.
Erycina Venus, od. 1, 2, 33.
Erymanthus, od. 1, 21, 7.
Esquiliae, sat. 1, 8, 14. 2, 6, 33. *Esquilinus*, epod. 5, 100. 17, 58. Cf. od. 3, 29, 10.
et postpositum, ad od. 1, 37, 8.
Etruscus, od. 1, 2, 14. 3, 29, 35. c. saec, 38. epod. 16, 4. 40. sat. 1, 6, 1. 10, 61.
Euander, sat. 1, 3, 91.
Euhias, od. 3, 25, 9.
Euhius=Bacchus, od. 1, 18, 9. 2, 11, 17.
evincere, od. 2, 15, 4, sat. 2, 3, 250.
Eumenides, od. 2, 13, 36.
Eupolis, sat. 1, 4, 1. 2, 3, 12.
Europe, od. 3. 27, 25. 57.
Eurus, od. 1, 25, 20. 2, 16, 24. 3, 17, 11. 4, 4, 43. 6, 10. epod. 10, 5. 16, 54.
Euterpe, od. 1, 1, 33.
Eutrapelus, epist. 1, 18, 31.
excipere, venatorum: od. 3, 12, 12. epist. 1, 1, 79.

Fabius, sat. 1, 1, 14. 2, 134. *Fabia* (*tribus*) epist. 1, 6. 52.
Fabricius, C. Luscinius, od. 1, 12, 40. *pons F.* sat. 2, 3, 36.
faenum habere in cornu, sat. 1. 4. 34.
Falernus, (ager, vinum) od. 1, 20, 10. 27, 10. 2, 3, 8. 6, 19. 11, 19. 3, 1, 43. epod. 4, 13. sat. 1, 10, 24. 2, 2, 15. 3, 115. 4, 19. 24. 55. 8. 16. epist. 1, 14, 34. 18, 91.
fallax circus, sat. 1, 6, 113. od. 3, 7, 20.
fallere = latere, od. 3, 16, 32. epist. 1, 16, 61. 17, 10.
Fama, od. 2, 2, 8.
Fannius, poëta, sat. 1, 4, 21. 10, 80.
fasti vel **fastus**, od. 3, 17, 4. 4, 14, 4.
favere linguis, od. 3, 1, 2.
Faunus, od. 1, 4, 11. 17, 2. 2, 17, 28. 3, 18, 1. epist. 1, 19, 4. a. p. 244.
Fausta, sat. 1, 2, 64.
Faustitas, od. 4, 5, 18.
Favonius, od. 1, 4, 1. 3, 7, 2.
Ferentinum, epist. 1, 17, 8.
Feronia, sat. 1, 5, 24.
Fescenninus, epist. 2, 1, 145.
Fidenae, epist. 1, 11, 8.
Fides, od. 1, 18, 16. 24, 7. 35, 21. 4, 5, 20. c. saec. 57.
fingo, carmina, od. 4, 2, 32.
finis, destinata, od. 2, 18, 30. epod. 17, 36.
Flaccus (Q. Horatius) epod. 15, 12. sat. 2, 1, 18. cf. Quintus et Horatius.
Flavius, sat. 1, 6, 72.
Florus, epist. 1, 3, 1. epist. 2, 2, 1. cf. Iulius.
Folia, venefica, epod. 5, 42.
Fonteius, sat. 1, 5, 32. v. Capito.
Forentum, od. 3, 4, 16.
Formiae, od. 3, 17, 6. *Formianus*, od. 1, 20, 11.

Fors, od. 1, 9, 14. 28, 31. sat. 1, 6, 54. 2, 1, 59. 6, 10.
fortuitus, od. 2, 15, 17.
Fortuna, od. 1, 34, 15. 3, 29, 46. sat. 2, 6, 49. 8, 61. epist. 1, 11, 20. 12, 9.
Fufidius, sat. 1, 2, 12.
Fuflus, sat. 2, 3, 60.
fuga = exilium, od. 2, 13, 28.
Fundanius, sat. 1, 10, 42. 2, 18, 19.
Fundi, sat. 1, 5, 34.
Furia, od. 1, 28, 17. sat. 1, 8, 45. 2, 3, 135. 141.
Furius, poëta, sat. 2, 5, 41.
Furnius, sat. 1, 10, 86.
Fuscus od. 1, 22, 4. sat. 1, 9, 61. 10, 83. epist. 1, 10, 1. v. Aristius.

Gabii, epist. 1, 11, 7. 15, 9. 2, 1, 25. 2, 3.
Gades, od. 2, 2, 11. 6, 1.
Gaetulus, od. 1, 23, 10. 2, 10, 15. 3, 20, 2. epist. 2, 2, 181.
Galaesus, od. 2, 6, 10.
Galatea, od. 3, 27, 14.
Galba, sat. 1, 2, 46.
Galli, od, 1, 8, 6. 3, 16, 35. epod. 9, 18. sat. 1, 2, 121. 2, 1, 14.
Gallina, sat. 2, 6, 44.
Gallonius, sat. 2, 3, 47.
Ganymedes, od. 4, 4, 4.
Garganus, od. 2, 9, 7. epist. 2, 1, 202.
Gargilius, epist. 1. 6, 58.
Gargonius, sat. 1, 2, 27. 4, 92.
gaudet, c. particip. epod. 2, 19.
Geloni, od. 2, 9, 23. 20, 19. 3, 4, 35.
Genauni, od. 4, 14, 10.
genetivus qualitatis, od. 1, 36, 13. plural. in-*um pro orum*, od. 1, 36, 12. quintae decl., od. 3, 7, 4.
Genius, od. 3, 17, 14. epist. 1, 7, 94. 2, 1, 144. 2, 187. a. p. 210.
Germania, od. 4, 5, 26. epod. 16, 7.
Geryones. od. 2, 14, 8.
Getae, od. 3, 24, 11. 4, 15, 22.
Gigantes, od. 2, 19, 22. *Giganteus*, od. 3, 1, 7.
gladiatores, sat. 2, 6. 44.
Glaucus, sat. 1, 7, 17.
Glycera, od. 1, 19, 5. 30, 3. 33, 2. 3, 19, 28.
Glycon, epist. 1, 1, 30.
Gnatia, sat. 1. 5, 97.
Gracchus, epist. 2, 2, 89.
Graecia, od. 1, 15, 6. 4, 5, 35. epist. 1, 2, 7. 2, 1, 93. 156.
Graecus, sat. 1, 5, 3. 7, 32. 10. 35. 66. od. 1, 20, 2. 3, 24, 57. sat. 1, 10, 20. 31. epist. 2, 2. 7. a. p. 53. 268. 286.
Graius, od. 2, 4, 12. 16, 38. 4, 8. 4. epod. 10, 12. epist. 2, 1, 19. 28. 90. 161. 2, 42. a. p. 323.
Gratia, od. 1, 4, 6. 30, 6. 3, 19, 16. 21, 22. 4, 7, 5.
Grosphus, od. 2, 16, 7. epist. 1, 12, 22. 23. v. Pompeius.
Gyas, od. 2, 17, 14. 3, 4, 69.
Gyges, od. 2, 5, 20. 3, 7, 5.

Hadria, od. 1, 3, 15. 33, 15. 2, 11, 2. 14, 14. 3, 3, 5. 9, 23. 27, 19. epist. 1, 18, 63. *Hadrianus*, od. 1, 16, 4.
Haemonia, od. 1, 37, 20.
Haemus, od. 1, 12, 6.
Hagna, sat. 1, 3, 40.
Hannibal, od. 2, 12, 2. 3, 6, 36. 4, 4, 19. 8, 16. epod. 16, 8.
Harpyia, sat. 2, 2, 40.
Hasdrubal, od. 4. 4, 38. 72.
Hebrus, [od. 1, 25, 20] od. 3, 25, 10. epist. 1, 3, 3. 16, 13.
Hebrus Lipareus, adulescentulus, od. 3, 12, 2.
Hecate, sat. 1, 8, 33.
Hector, od. 2, 4, 10. 4, 9, 22. epod. 17, 12. sat. 1, 7, 12. *Hectoreus* od. 3, 3, 28.
hedera, od. 1, 1, 29.
Helicon, od. 1, 12, 5. epist. 2, 1, 218. a. p. 296.
Heliodorus, sat. 1, 5, 2.
Hellas, sat. 2, 3, 277.
Hercules, od. 3, 3, 9. 14, 1. 4, 4, 62. 5, 36. 8, 30. epod. 3, 17. 17, 31. sat. 2, 6, 13. epist. 1, 1, 5. (2, 1, 10). *Herculeus labor*, od. 1, 3, 36. *manus* od. 2, 12, 6.

Hermogenes, sat. 1, 3, 129. 4, 72. 9, 25. 10, 18. 80.
Herodes, epist. 2, 2, 184.
Hesperia, od. 3, 6, 8. 4, 5, 38, id quod Hispania: od. 1, 36, 4. *Hesperius* od. 1, 28, 26. 2, 1, 32. 2, 17, 20. 4, 15, 16.
hiatus in carminibus Horatii, ad od. 2, 20, 13.
Hiberia, od. 4, 5, 28. 14, 50. *Hiber*, od. 2, 20, 20. *Hiberus*, od. 1, 29, 15. sat. 2, 8, 46. *Hibericus*, epod. 4, 3.
Hiberia, regio Ponti, epod. 5, 21.
Hippolyte, od. 3, 7, 18.
Hippolytus, od. 4, 7, 26.
Hirpinus, od. 2, 11, 2.
Hispanus, od. 3, 6, 31. 8, 21. 14, 3.
Homerus, od. 4, 9, 6. sat. 1, 10, 52. epist. 1, 19, 6. 2, 1, 50. a. p. 74. 359. 401.
Horatius, od. 4, 6, 44. epist. 1, 14, 5. cf. Flaccus.
hornus, od. 3, 23, 3. epod. 2, 47. sat. 2, 6, 88.
horti, sat. 1, 8, 8 (Maecenatis in Esquiliis), sat. 1, 9, 18 Caesaris in Ianiculo.
hosticus, od. 3, 2, 6.
Hyades, od. 1, 3, 14.
Hydaspes, od. 1, 22, 8.
hydrops, od. 2, 2, 13. epist. 1, 2, 34.
Hylaeus, servi nomen, sat. 2, 8, 14.
Hymettus, od. 2, 6, 14. *Hymettius*, od. 2, 18, 3. sat. 2, 2, 15.
Hyperboreus, od. 2, 20, 16.
Hypsaea, sat. 1, 2, 91.

Iambi, od. 1, 16, 3. 24. epod. 14, 7. epist. 1, 19, 23. 2, 2, 59. a. p. 79.
Ianus, deus, sat. 2, 6, 20. epist. 1, 16, 59. *Iani Quirini templum*, od. 4, 15, 9. epist. 2, 1, 255. eius ad forum arcus sat. 2, 3, 18. epist. 1, 1, 54. 20, 1.
Iapetus, od. 1, 3, 27.
Iapyx, od. 1. 3, 4. 3, 27, 20.
Iarbita, epist. 1, 19, 15.
Iason, epod. 3, 12.
Ibycus, od. 3, 15, 1.
Icarus, od. 2, 20, 13. Icarius od. 1, 1, 15. 3, 7, 21.
Iccius, od. 1, 29, 1. epist. 1, 12, 1.
Ida, od. 3, 20, 16. *Idaeus*, od. 1, 15, 2.
Idomenus, od. 4, 9, 20.
Idus, epod. 2, 69. sat. 1, 6, 75.
Ilerda, epist. 1, 20, 13.
Ilia, od. 1. 2, 17. 3, 9, 8. 4, 8, 22. sat. 1, 2, 126.
Iliacus, od. 1, 15, 36. epist. 1, 2, 16. a. p. 129.
Ilion vel **Ilios**, od. 1, 10, 14. 15, 33. 3, 18, 37. 19, 4. 4, 4, 53. 9, 18. epod. 10, 13. 14, 14.
Iliona, sat. 3, 61.
Ilius, c. saec. 37. epod. 17, 11.
Ilithyia, c. saec. 14.
illacrimabilis, od. 2, 14, 6. 4, 9, 26.
Illyricus, od. 1, 28, 22.
imago, od. 1, 12, 4. 20. 8.
imbutus, epist. 2, 2, 7.
immersabilis, epist. 1, 2, 22.
impotens, od. 1, 37, 10.
Inachia, epod. 11, 6. 12, 14. 15.
Inachus, od. 2, 3, 21. 3, 10, 1.
incipit institui, sim. a. p. 22. v. excurs. II, vol. II. pg. 537.
India, od. 3, 24, 2. *Indus*, od. 1, 12, 56. 4, 14, 52. c. saec. 56. epist. 1, 1, 45. 6, 6. *Indicus*, od. 1, 31, 6.
infinitiv. pass. in *ier*, od. 4, 11, 8. sat. 1, 2, 35. 78. sat. 2, 8, 67. epist. 2, 1, 94. 2, 2, 148.
Ino, a. p. 123.
Io, a. p. 124.
Iocus, od. 1, 2, 34.
Iolcos, epod. 5, 21.
Ionicus, od. 3, 6, 21. epod. 2, 54. *Ionius sinus* = mare I. epod. 10, 19.
Ister, od. 4, 14, 46.
Isthmius, od. 4, 3. 3.
—*it* terminatio producta ante vocales, cf. ad od. 1, 13, 6.
Italia, od. 1, 37, 16. 3, 5, 40. 4, 14, 44. sat. 1, 6, 35. epist. 1, 12, 29. *Italus*, od. 2, 7, 4. 13, 18. 3, 30, 13. 4, 4, 42. 15, 13. sat. 1, 7, 32. 2, 6, 56. epist. 1, 18, 57.

Ithaca, sat. 2, 5, 4. epist. 1, 7, 41. *Ithacensis*, epist. 1. 6, 63.
Itys, od. 4, 12, 5.
Iuba, od. 1, 22, 15.
Iudaeus, sat. 1, 4, 143. 5, 100. 9, 70.
iudices selecti, sat. 1, 4, 123.
Iugurtha, od. 2, 1, 28. *Iugurthinus*, epod. 9, 28.
Iulius Florus, epist. 1, 3, 1. 2, 2, 1. alius: sat. 1, 8, 39.
Iulus, (si lectio certa) ad od. 4, 2, 2. v. *Antonius*.
Iuno, od. 1, 7, 8. 2, 1, 25. 3, 3, 18. 4, 59. sat. 1, 3, 11.
Iuppiter optimus maximus, od. 1, 12. 3, 1, 6 sq. 3, 4, 45. sqq. *sub Iove* vel *sub divo* od. 1, 1. 25. 2, 3, 23.
Iustitia, od. 1, 24, 6. 2, 17, 6.
iuvenari, ἅπαξ εἰρ. a. p. 246.
Iuventas, od. 1, 30, 7. 2, 11, 6. epod. 17, 21.
Ixion, od. 3, 11, 21. a. p. 124.

Karthago, od. 3, 5, 39. 4, 4, 69. 8, 17. epod. 7, 5. 9, 25. sat. 2, 1, 66.

Labeo, sat. 1, 3, 82.
Laberius, sat. 1, 10, 6.
laborare, od. 1, 27, 19.
Lacaena, od. 2, 11, 23. 3, 3, 25. 4, 9, 16.
Lacedaemon, od. 1, 7, 10. *Lacedaemonius*, 3, 5, 56.
Laco, od. 2, 6, 11. epod. 6, 5. *Laconicus*, od. 2, 18, 7.
Laelius, sat. 2, 1, 65. 72.
Laertiades, od. 1, 15, 21. sat. 2, 5, 59. cf. *Ulixes*.
Laestrygonius, od. 3, 16, 34.
Laevinus, sat. 1, 6, 12. 19.
Lalage, od. 1, 22, 10. 23. 2, 5, 16.
Lamia, od. 1, 26, 8. 36, 7. 3, 17, 2. epist. 1, 14, 6. v. Aelius.
Lamia, a. p. 340.
Lamus, od. 3, 17, 1.
Lanuvinus, od. 3, 27, 3.
Laomedon, od. 3, 3, 21.
Lapithae, od. 1, 18, 8. 2, 12, 5.
Lares, 3, 23, 4. 4, 5, 34. c. saec. 39. epod. 2, 66. 16, 19. sat. 1, 5, 66. 2, 3, 165. 5, 14. 6, 66. *lar* = domus, od. 1, 12, 44. epist. 1, 1, 13.
Larisa, od. 1, 7, 11.
Latium, od. 1, 12, 53. 35, 10. 4, 4. 40. c. saec. 66. epist. 1, 19, 24. 2, 1, 157. 2, 121. a. p. 290. *Latinus*, 1, 32, 3. 2, 1, 29. 4, 14, 7. 15, 13. epod. 7, 4. sat. 1, 10, 20. 27. epist. 1, 3, 12. (*Latinae* feriae, epist. 1, 7, 76.) 19, 32. 2, 2, 143.
Latona, od. 1, 21, 3. 3, 28, 12. 4, 6, 37. *Latous*, od. 1, 31, 18.
Laurens, epod. 5, 28. sat. 2, 4, 42.
Laverna, epist. 1, 16, 60.
Lebedus, epist. 1, 11, 7.
Leda, od. 1, 12, 25.
lemures nocturni, epist. 2, 2, 209.
Lenaeus, od. 3, 25, 19.
Leo, stella, od. 3, 29, 19. epist. 1, 10, 16.
Lepidus, epist. 1, 20, 28.
Lepos, sat. 2, 6, 72.
Lesbia, epod. 12, 17.
Lesbos, epist. 1, 11, 1. *Lesbius*, od. 1, 17, 21. 26, 11. 32, 5. 4, 6, 35. epod. 9, 34. Lesbous, od. 1, 1, 34.
Lethaeus, od. 4, 7, 27. epod. 14, 3.
Leuconoe, od. 1, 11, 2.
Liber = Bacchus, od. 1, 12, 22. 16, 7. 18, 7. 32, 9. 2, 19, 7. 3, 8, 7. 21, 21. 4, 8, 34. 12, 14. 15, 26. sat. 1, 4, 89. epist. 1, 19, 4. 2, 1, 5.
Libitina, od. 3, 30, 7. sat. 2, 6, 19. epist. 2, 1, 49.
Libo, epist. 1, 19, 8.
Libra, stella, od. 2. 17, 17.
Liburnae naves, od. 1, 37, 30. epod. 1, 1.
Libya, od. 2, 2, 10. sat. 2, 3, 101. *Libycus*, od. 1, 1, 10. epist. 1, 10, 19.
Licinius, od. 2, 10, 1. v. Murena.
Licinus a. p. 301.
Licymnia, od. 2, 12, 13. 23.
Ligurinus, od. 4, 1, 33. 10, 5.
Liparaeus, od. 3, 12, 6.
Liris, od. 1, 31, 7. 3, 17, 8.
litus et **ripa**, od. 2, 18, 22.

Livius, epist. 2, 1, 62. 69.
Lollius, od. 4, 9, 33. epist. 1, 2, 1. 18, 1. 20, 28.
Longarenus, sat. 1, 2, 67.
Lucania, sat. 2, 1, 38.
Lucanus, epod. 1, 28. sat. 2, 1, 34. 3, 234. 8, 6. epist. 1, 15, 21. 2, 2, 178.
Luceria, od. 3, 15, 14.
Lucilius, sat. 1, 4, 6. 57. 10, (1). 2. 53. 56. 64. 2, 1, 17. 29. 62. 75.
Lucina, c. saec. 15. epod. 5, 6.
Lucretilis, od. 1, 17, 1.
Lucrinus, od. 2, 15, 3. epod. 2, 49. sat. 2, 4, 32.
Lucullus, epist. 1, 6, 40. 2, 2, 26.
ludere, de carm. compon. od. 1, 32, 2. de chorea od. 2, 12, 19. de rebus venereis, od. 3, 15, 5. epist. 2, 2, 183. 214.
ludicra, epist. 1, 1, 10. 2, 1, 180.
ludus, Martius, od. 1, 2, 37. Fortunae, od. 2, 1, 3. ludum dare od. 3, 12, 1. ludum ludere, od. 3, 29, 50.
Luna, od. 2, 11, 10. 16, 3. 4, 2, 58. c. saec. 36.
lupata frena, od. 1, 8, 6.
Lupus, sat. 2, 1, 68.
Luscus, sat. 1, 5, 34. lupus piscis, sat. 2, 2, 31.
lustrum condere, claudere, od. 2, 4, 24.
Lyaeus, od. 1, 7, 22. 3, 21, 16. epod. 9, 38.
Lycaeus, od. 1, 17, 2.
Lycambes, epod. 6, 13. epist. 1, 19, 25.
Lyce, od. 3, 10, 1. 4, 13, 1. 2.
Lycia, od. 3, 4, 62. *Lycius*, od. 1, 8, 16.
Lycidas, od. 1, 4, 19.
Lyciscus, epod. 11, 24.
Lycoris, od. 1, 33, 5.
Lycurgus, od. 2, 19, 16.
Lycus, od. 1, 32, 11. 3, 19, 23. 24.
Lyde, od. 2, 11, 22. 3, 11, 7. 25. 28, 3.
Lydia, od. 1, 8, 1. 13, 1. 25, 8. 3. 9, 6. 7. 20.
Lydus, od. 4, 15, 30. sat. 1, 6, 1,
Lynceus, sat. 1, 2, 90. epist. 1, 1, 28.
lyra curva, od. 3, 28, 11. imbellis, od. 1, 15, 15. sollers a. p. 407.
lyrici vates, od. 1, 1, 35.
Lysippus, epist. 2, 1, 240.

Macedo, od. 3, 16, 14.
macellum, sat. 2, 3, 229. 4, 76. epist. 1, 15, 31.
Maecenas, C. (Cilnius)*), od. 1, 1. 20. 2, 12. 17. 20. 3, 8. 16, 20. 29. 4, 11, 19. epod. 1. 3. 9. 14. sat. 1, 1, 1. 3, 64. 5, 27. 31. 48. 6, 1. 47. 8, 7. 14. 9, 43. 10, 81. 2, 3, 312. 6, 31. 33. 41. 7, 33. 8, 16. epist. 1, 1, 3. 7, 5. 19, 1.
Maecius, a. p. 387. v. Tarpa.
Maenius, sat. 1, 1, 101. 3, 21. 23. epist. 1, 15, 26.
Maeonius, od. 1, 6, 2. 4, 9, 5.
Maevius, epod. 10. 2.
Magnessa, od. 3, 7, 18.
Maia, od. 1, 2, 43. sat. 2, 6, 5.
male adiect. adiunctum quid sit, ad od. 1, 9, 24.
Malthinus, sat. 1, 2, 25.
Mamurrae, sat. 1, 5, 37.
Mandela, epist. 1, 18, 105.
manere = pernoctare, ad od. 1, 1, 25.
Manes, od. 1, 4, 16. epod. 5, 94. sat. 1, 8, 29. epist. 2, 1, 138.
Manlius, od. 3, 21, 1. cf. Torquatus.
Marcellus, od. 1, 12, 46.
Marcoticus, od. 1, 37, 14.
Marica, od. 3. 17, 7.
Marius, sat. 2, 3, 277.
Mars, od. 1, 6, 13. 17, 23. 28, 17. 2, 14, 13. 3, 3, 16. 33. 5, 24. 34. 4, 14, 9.
Martius, (campus) od. 3, 7, 26. 4, 1, 39. 14, 17. a. p. 402. kalendae 3, 8, 1.
Martialis, od. 1, 17, 9.
Marsaeus, sat. 1, 2, 55.
Marsus, od. 1, 1, 28. 2, 20, 18.

*) De hoc nomine egit *E. Bormann* in Variis observat. Marburg 1883, demonstravitque Cilnium nomen a matre adoptatum esse.

3, 14, 18. epod. 5, 76. 16, 3. 17, 29.
Marsyas, sat. 1, 6, 120.
Massagetae, od. 1, 35, 40.
Massicus, od. 1, 1, 19. 2, 7, 21. 3, 21, 5. sat. 2, 4, 51.
Matinus, od. 1, 28, 3. 4, 2, 27. epod. 16, 28.
matrona Iuno, od. 3, 4, 59. Matronalia od. 3, 8.
Matutinus, sat. 2, 6, 20.
Mavors, od. 4, 8, 23.
Maurus, od. 1, 2, 39. 22, 2. 2, 6, 3. 3, 10, 18.
Maximus, od. 4, 1, 11.
Medea, epod. 3, 10. 5, 62. a. p. 123. 185.
mediastinus, epist. 1, 14, 14.
Medus, od. 1, 2, 51. 27, 5. 29, 4. 2, 1, 31. 9, 21. 16, 6. 3, 3, 44. 8, 19. 4, 14, 42. c. saec. 54.
Megilla, od. 1, 27, 11.
Meleager, a. p. 146.
Melpomene, od. 1, 24, 3. 3, 30, 16. 4, 3, 1.
Memnon, sat. 1, 10, 36.
Memphis, od. 3, 26, 10.
Mena, epist. 1, 7, 55.
Menander, sat. 2, 3, 11. epist. 2, 1, 57.
mendici, sat. 1, 2, 2.
Menelaus, sat. 2, 3, 198.
Menenius, a. p. 287.
mercari libra et aere, epist. 2, 2, 158.
Mercurius, od. 1, 10. 1, 24, 18. 2, 7, 13. 3, 11, 1. sat. 2, 3, 68.
Mercurialis, od. 2, 17, 29. sat. 2, 3, 25.
Meriones, od. 1, 6, 15. 15, 26.
Messalla, M. Valerius, Corvinus, od. 3, 21, 7. sat. 1, 6, 42. 10, 28. 85. a. p. 371.
Messius, sat. 1, 5, 52. 54. 88.
Metaurus, od. 4, 4, 38.
Metella, sat. 2, 3, 239.
Metellus, cos. a. 60, od. 2, 1, 1. Macedonicus, sat. 2, 1. 67.
Methymnaeus, sat. 2, 8, 50.
metuere cum infinit., ad od. 2, 2, 7. metuens = abstinens, od. 3, 24, 22.
Miletus, epist. 1, 17, 30.
Milonius, sat. 2, 1, 24.
Mimas, od. 3, 4, 53.
Mimnermus, epist. 1, 6, 65. 2, 2, 101.
Minae, od. 3, 1, 37.
mimus, epist. 1, 18, 14.
Minerva, od. 3, 3, 23. 12, 2. 4, 6, 13. sat. 2, 2, 3. a. p. 385.
Minos, od. 1, 28, 9. 4, 7, 21.
Minturnae, epist. 1, 5, 5.
Minuci via, epist. 1, 18, 20.
mirari ut, od. 3, 4, 17. epod. 16, 53. si, a. p. 424.
Misenum, sat. 2, 4, 33.
Molossus, epod. 6, 5. sat. 2, 6, 114.
Monaeses, od. 3, 6, 9.
monumenta regis, od. 1, 2, 15.
morbus regius, a. p. 453. morbus (animi), sat. 2, 3, 27. epist. 1, 1, 35.
Moschus, epist. 1, 5, 9.
motus = saltatio, od. 3, 6, 21.
Mucius, epist. 2, 2, 89.
Mulvius, sat. 2, 2, 34.
Munatius, epist. 1, 3, 31. cf. Plancus.
munus, od. 1, 28, 4. 2, 1, 11.
Murena, L. Licinius, od. 2, 10, 1. 19, 11. sat. 1, 5, 38.
Musa, od. 1, 6, 10. 17, 14. 26, 1. 32, 9. 2, 1, 9. 37. 10, 19. 12, 13. 3, 1, 3. 3, 70. 19, 15. 4, 8, 28. 29. 9, 21. sat. 1, 5, 53. 2, 3, 105. 6, 17. epist. 1, 3, 13. 8, 2. 19, 28. 2, 1, 27. 133. 243. 2, 92. a. p. 83. 141. 324. 407.
Musa, Antonius, medicus, epist. 1, 15, 3.
mutare = movitare, quid significet: ad od. 1, 17, 2. 2, 16, 19. 4, 7, 3.
Mutus, epist. 1, 6, 22.
Mycenae, od. 1, 7, 9.
Mygdonius, od. 2, 12, 22. 3, 16, 41.
Myrtale, od. 1, 33, 14.
myrteta, epist. 1, 15, 5.
myrtus, od. 1, 25, 18.
Myrtous, od. 1, 1, 14.
Mysus, epod. 17, 10.
Mystes, od. 2, 9, 10.
Mytilene, od. 1, 7, 1. epist. 1, 11, 17.

Naevius, sat. 2, 2, 68. poëta: epist. 2, 1, 53.
Naïas, od. 3, 25, 14.
nanctus, od. 3, 11, 41. epist. 1, 15, 38.
Nasidienus, sat. 2, 8, 1. 75. 84.
Natta, sat. 1, 6, 124.
—***ne*** particula transposita, vide ad od. 1, 30, 6.
Neaera, od. 3, 14, 21. epod. 15, 11.
Neapolis, epod. 5, 43.
Nearchus, od. 3, 20, 6.
Necessitas, od. 1, 35, 17. 3, 1, 14. 24, 6.
nenia, od. 2, 1, 38. 3, 28, 16. epod. 17, 29. epist. 1, 1, 63.
Neobule, od. 3, 12, 2.
nepos = luxuriosus, epod. 1, 34.
Neptunus, od. 1, 28, 29. 3, 28, 2. 10. epod. 7, 3. 17, 55. epist. 1, 11, 10. a. p. 64.
Neptunius dux, epod. 9, 7.
Nereis, od. 3, 28, 10.
Nereius nepos, epod. 17, 8.
Nereus, od. 1, 15, 5.
Nero, C. Claudius, od. 4, 4, 37.
Nessus, epod. 17, 32.
Nestor, od. 1, 15, 32. epist. 1, 2, 11.
nihil, nihilum, ad sat. 1, 5, 67,
Nilus, od. 3, 3, 48. 4, 14, 46.
Niobea proles, od. 4, 6, 1.
Niphates, od. 2, 9, 20.
Nireus, od. 3, 20, 15. epod. 15, 22.
Noctiluca, i. e. Diana, od. 4, 6, 38.
nomen gentile cognomini postpositum, od. 2, 2, 3. 11, 2.
nomenclator, epist. 1, 6, 50.
Nomentanus, sat. 1, 1, 102. 8, 11. 2, 1, 22. 3, 175. 224. 8, 23. 25. 60.
nominativus pro vocativo, sat. 2, 2, 107. a. p. 292.
nonum prematur in annum, a. p. 388.
Noricus, od. 1, 16, 9. epod. 17, 71.
noster = ego, sat. 2, 6, 48.
Nothus, od. 3, 15, 11.
Notus, od. 1, 3, 14. 7, 16. 28, 22. 3, 7, 5. 4, 5, 9. epod. 9, 31.
Novius, sat. 1, 3, 21. 6, 40. 121.
nugae, epist. 2, 2, 141. a. p. 322. 451.
Numa Pompilius, od. 1, 12, 34. epist. 1, 6, 27. 2, 1, 86.
Numantia, od. 2, 12, 1.
numerus, od. 4, 2, 11. epist. 1, 2, 27. a. p. 74.
Numicius, epist. 1, 6, 1.
Numida, od. 1, 36, 3.
Numidae, od. 3, 11, 47.
Nymphae, od. 1, 1, 31. 4, 6. 30, 6. 2, 8, 14. 19, 3. 3, 18, 1. 27, 30. 4, 7, 5.

O finale in verbis non correptum, sat. 1, 3, 140.
Oceanus, od. 1, 3, 22. 35, 32. 4, 5, 40. 14, 48. epod. 16, 41.
Octavius, sat. 1, 10, 82.
Ofellus, sat. 2, 2, 2. 53. 112. 133.
olim, ad od. 2, 10, 17.
Olympia, epist. 1, 1, 50. Olympicus, od. 1, 1, 3.
Olympus, od. 1, 12, 58. 3, 4, 52.
ὁμοιοτέλευτα, od. 1, 1, 6. 7. 8. 22, 12. epist. 1, 19, 11. a. p. 269.
operata, od. 3, 14, 6.
Opimius, sat. 2, 3, 142.
Oppidius, sat. 2, 3, 168. 171. 173.
Opuntius, od. 1, 27, 10.
Orbilius, epist. 2, 1, 71.
Orbius, epist. 2, 2, 160.
Orcus, od. 1, 28, 10. 2, 3, 24. 18, 30. 34. 3, 4, 75. 11, 29. 27, 50. 4, 2, 24. sat. 2, 5, 49. epist. 2, 2, 178.
Orestes, sat. 2, 3, 133. 137. a. p. 124.
Oricum, od. 3, 7, 5.
Origo, sat. 1, 2, 55.
Orion, od. 1, 28, 21. 2, 13, 39. 3, 4, 71. 27, 18. epod. 10, 10. 15, 7.
Ornytus, od. 3, 9, 14.
Orpheus, od. 1, 12, 8. 24, 13. a. p. 392.
Osci, sat. 1, 5. 54.
Osiris, epist. 1, 17, 60.
Otho, epod. 4, 16.
oxymoron, od. 1, 34, 2. 3, 7, 22. epist. 1, 12, 19.

Pacare, peccare, a. p. 197.
Pacideianus, sat. 2, 7, 97.
Pacorus, od. 3, 6, 9.

Pactolus, epod. 15, 20.
Pactumeius, epod. 17, 50.
Pacuvius, epist. 2, 1, 56.
Padus, epod. 16, 28.
paetus, sat. 1 3, 45.
Paeligni, od. 3, 19, 8. epod. 17, 60.
Palatinus, c. saec. 65. epist. 1, 3, 17. 2, 1, 216. 2, 2. 94.
Palinurus, od. 3, 4, 28.
Pallas, od. 1, 6, 15. 7, 5. 12, 20. 15, 11. 3, 4, 57. epod. 10, 13. vide Minerva.
palma (victoriae), od. 1, 1, 5. 3, 20, 12. 4, 2, 17. sat. 2, 4, 83. epist. 1, 1, 51. 2, 1, 181.
Panaetius, od. 1, 29, 14.
Panthoides, od. 1, 28, 10.
Pantilius, sat. 1, 10, 78.
Pantolabus, sat. 1, 8, 11. 2, 1, 22.
Paphus, od. 1, 30, 1. 3, 28, 14.
Parca, od. 2, 6, 9. 16, 39. 17, 16. c. saec. 25. epod. 13, 15. sorores tres, od. 2, 3, 15.
Paris, od. 3, 3, 40. epist. 1, 2, 6. 10. cf. etiam od. 1, 15. 3, 3, 19. 26. 4, 9, 13.
Pario marmore, od. 1, 19, 6. Parios iambos, epist. 1, 19, 23.
Parmensis, epist. 1, 4, 3. v. Cassius.
Parrhasius, od. 4, 8, 6.
Parthus, od. 1, 12, 53. 19, 12. 2, 13, 18. 3, 2, 3. 4, 5, 25. 15, 7. epod. 7, 9. sat. 2, 1, 15. 5, 62. epist. 1, 18, 56. 2, 1, 112. 256. cf. Persae, Medi.
Pastillus, sat. 1, 2, 27. 4, 92.
Patareus, od. 3, 4, 64.
pater, epist. 1, 6, 54. 7, 37. 2, 1, 81.
Paullus, od. 4, 1, 10. 15. sat. 1, 6, 41.
Pausiacus, sat. 2, 7, 95.
Pax, c. saec. 57.
Pedanus, epist. 1, 4, 2.
Pediatia, sat. 1, 8, 39.
Pedius, sat. 1, 10, 28. 85.
Pegasus, od. 1, 27, 24. 4, 11, 27.
Peleus, od. 3, 7, 17. a. p. 96. 104.
Pelides, od. 1, 6, 6. epist. 1, 2, 12.
Pelion, od. 3, 4, 52.
Pelops, od. 1, 6, 8. 28, 7. 2, 13, 37. epod. 17, 65.
Penates, od. 2, 4, 15. 3, 23, 19. 27, 49. sat. 2, 3, 176. epist. 1, 7, 94.
Penelope, od. 1. 17, 20. 3, 10, 11. sat. 2, 5, 76. 81.
Pentheus, od. 2, 19, 14. epist. 1, 16, 73. cf. sat. 2, 3, 304.
penus, epist. 1, 16, 72. (Cf. ad epist. 2, 2, 199).
perditur, ad sat. 2, 6, 59.
perfectum ἀορίστως, od. 1, 1, 2. 28, 20. 34, 16. 3, 23, 19. 29, 16. sat. 1, 2, 28. 9, 60. 10, 60. epist. 1, 1, 72. a. p. 455.
Pergama, od. 2, 4, 12. (Pergameus, v. lect. od. 1, 15, 36).
Perillus, sat. 2, 3, 69. 75. 175.
Persa, od. 1, 2, 22. 21, 15. 3, 5, 4. 9, 4. 15, 23. v. Medi. Parthi.
Persicus, od. 1, 38, 1.
Persius, sat. 1, 7, 2. 4. 19. 22.
Petillius, sat. 1, 4, 94. 10, 26.
Petrinus, epist. 1, 5, 5.
Pettius, epod. 11.
Phaeax, epist. 1, 15, 24.
Phaëthon, od. 4, 11, 25.
Phalanthus, od. 2, 6, 12.
Phidyle, od. 3, 23, 2.
Philippi, od. 2, 7, 9. 3, 4, 26. epist. 2, 2, 49.
Philippus, Macedonum rex, epist. 2, 1, 234. cf. od. 3, 16, 14.
Philippus (L. Marcius), epist. 1, 7, 46 sq.
Philodemus, sat. 1, 2, 121.
Phocaeus, epod. 16, 17.
Phoceus, od. 2, 4, 2. cf. Xanthias.
Phoebus, od. 1, 12, 24. 32, 13. 3, 3, 66. 4, 4. 21, 24. 4, 6, 26. 29. 15, 1. c. saec. 1. 62. 75.
Pholoë, od. 1, 33, 7. 9. 2, 5, 17. 3, 15, 7.
Phraates, od. 2, 2, 17. epist. 1, 12, 27.
Phrygia, od. 2, 12, 22. Phryges, od. 1, 15, 34. Phrygius, od. 2, 9, 16. 3, 1, 41. signif. epod. 9, 6 *barbarum carmen*.
Phryne, epod. 14, 16.
Phthius Achilles, od. 4, 6, 4.
Phyllis, od. 2, 4, 14. 4, 11.
Picenus, sat. 2, 3, 272. 4, 70.
Pieris, od. 4, 3, 18. 8, 20.
Pierius, od. 3, 4, 40. 10, 15. a. p. 405.

pila, sat. 1, 4, 71.
Pimplea, od. 1, 26, 9. v. l. Pimplei.
Pindarus, od. 4, 2, 1. Pindaricus, od. 4, 9, 6. epist. 1, 3, 10.
Pindus, od. 1, 12, 6.
Pirithous, od. 3, 4, 80. 4, 7, 28.
Pisones, a. p. 6. 235. 292. 366.
Pitholeon, sat. 1, 10, 22.
Placideianus, v. Pacideianus.
Plancus, od. 1, 7, 19. 3, 14, 28.
Plato, sat. 2, 3, 11. 4, 3.
Plautus, epist. 2, 1, 58. 170. a. p. 54. Plautinus, a. p. 270.
plecti, od. 1, 28, 27. epist. 1, 2, 14.
Pleiades, od. 4, 14, 21.
pleraque, epist. 2, 1, 66.
Plotius, sat. 1, 5, 40. 10, 81.
pluma, od. 4, 10, 2.
plumbum, epist. 1, 10, 20.
plus nimio, od. 1, 33, 1.
Pluto, od. 2, 14, 7. Plutonia domus, od. 1, 4, 17.
Poena, od. 3, 2, 32.
Poenus, od. 1, 12, 38. 2, 2, 11. 12, 3. 13, 15. 3, 5, 34. 4, 4, 47.
Polemon, sat. 2, 3, 254.
Pollio, C. Asinius, od. 2, 1, 14. sat. 1, 10, 42. 85.
Pollux, od. 3, 3, 9. 29, 64. epist. 2, 1, 5. Cf. od. 1, 12, 26.
Polyhymnia, od. 1, 1, 33.
polypus, epod. 12, 5. sat. 1, 3, 40.
Pompeius Grosphus, epist. 1, 12, 22. P. Varus, od. 2, 7, 5.
Pompilius sanguis, i. e. Pisones, a. p. 292. Vide Numa.
Pomponius, sat. 1, 4, 52.
Ponticus, od. 1, 14, 11.
Poplicola, sat. 1, 10, 28.
Porcius, sat. 2, 8, 23.
Porphyrion, od. 3, 4, 54.
Porsena, epod. 16, 4.
porticus Agrippae, epist. 1, 6, 26.
Postumus, od. 2, 14, 1.
praecanus, epist. 1, 20, 24.
Praeneste, od. 3, 4, 23. epist. 1, 2, 2. Praenestinus, sat. 1, 7, 28.
prece, singulari numero, ad od. 1, 2, 26.
Priamus, od. 1, 10, 14. 15, 8. 3, 3, 26. 40. 4, 6, 15. sat. 2, 3, 195. a. p. 137.
Priamides Hector, sat. 1, 7, 12.
Priapus, epod. 2, 21. sat. 1, 8, 2.
Priscus, sat. 2, 7, 9.
Procne, od. 4, 12, 6. a. p. 187.
Proculeius, od. 2, 2, 5.
Procyon, od. 3, 29, 18.
Proetus, od. 3, 7, 13.
Prometheus, od. 1. 3, 27. 16, 13. 2, 13, 37. 18, 35. epod. 17, 67.
Proserpina, od. 1, 28, 20. 2, 13, 21. epod. 17, 2. sat. 2, 5, 110.
Proteus, od. 1, 2, 7. sat. 2, 3, 71. epist. 1, 1. 90.
prout, monosyllabon, ad. sat. 2, 6, 67.
Publius, sat. 2, 5, 32.
Pudor, od. 1, 24, 6. c. saec. 57.
Punicus, od. 3, 5, 18. 6, 34. epod. 9, 27. epist. 2, 1, 162.
Pupius, epist. 1, 1, 67.
Pusilla, sat. 2, 3, 216.
puteal, sat. 2, 6, 35. epist. 1, 19, 8.
Pylades, sat. 2, 3, 139.
Pylius Nestor, od. 1, 15, 22. cf. Nestor.
Pyrrha, od. 1, 2, 6. 5, 3.
Pyrrhia, epist. 1, 13, 14.
Pyrrhus, od. 3, 6, 35. 20, 2.
Pythagoras, od. 1, 28, 10. epod. 15, 21. sat. 2, 4, 3. 6, 63. Pythagorea somnia, epist. 2, 1, 52.
Pythias, a. p. 238.
Pythius, od. 1, 16, 6. a. p. 414.

que part. transposita, ad od. 1, 30, 6.
Quinquatrus, epist. 2, 2, 197.
Quintilius*) Varus, od. 1, 18. 24. a. p. 438.
Quintius Hirpinus, od. 2, 11. epist. 1, 16.
Quintus, sat. 2, 5, 32.
Quirinus, od. 1, 2, 46. 3, 3, 15. 4, 15, 9. epod. 16, 13. sat. 1, 10, 32. epist. 2, 2, 68.
Quiris, od. 2, 7, 3. epist. 1, 6, 7. Quirites, od. 1, 1, 7. 3, 3, 57. 4, 14, 1.

*) Sic omnibus fere locis omnes codices, non recte Orelli *Quinctilius*.

quis, quando id quod *quibus*? od. 1, 26, 3.
quoad, monosyllabon, sat. 2, 3, 91. v. *prout*.

Raeti, od. 4, 4, 17. 14, 15.
Ramnes, a. p. 342.
regina i. e. Cleopatra, od. 1, 37, 7.
Regulus, od. 1, 12, 37. 3, 5, 13.
Remus, epod. 7, 15.
repostus, epod. 9, 1. v. syncope.
Rex, sat. 1, 7, 1.
Rhenus, sat. 1, 10, 37. a. p. 18.
Rhodanus, od. 2, 20, 20.
Rhode, od. 3, 19, 27.
Rhodope, od. 3, 25, 12.
Rhodos. od. 1, 7, 1. epist. 1, 11. 17. 21. Rhodius, sat. 1. 10, 22.
Rhoetus, od. 2, 19, 23. 3, 4, 55.
Roma, od. 3, 3, 38. 44. 5. 12. 29, 12. 4, 3, 13. 4, 37. 14, 44. c. saec. 11. 37. epod. 16, 2. sat. 1, 5. 1. 6, 76. 2. 1. 59. 6, 23. 7, 13. 28. epist. 1. 2. 2. 7, 44. 8. 12. 11. 11. 21. 14, 17. 16, 18. 20. 10. 2. 1. 61. 103. 256. 2. 41. 65. 87. Romani et Romanus passim.
Romulus. od. 1, 12, 33. 2. 15, 10. 4, 5, 1. 8, 24. c. saec. 47. epist. 2, 1, 5.
Roscius. sat. 2. 6, 35. epist. 1, 1, 62. 2, 1, 82.
Rubi, sat. 1, 5, 94.
Rufa, sat. 2, 3, 216.
Rufillus, sat. 1, 2. 27. 4, 92.
Rufus, sat. 2. 8. 58.
Rupilius, sat. 1, 7, 1.
Ruso, sat. 1, 3, 86.
Rutuba, sat. 2, 7, 96.

Sabaea, od. 1, 29, 3.
Sabellus, od. 3, 6, 38. epod. 17, 28. sat. 1, 9, 29. 2, 1, 36. epist. 1. 16, 49.
Sabinus, od. 1, 9, 7. 20, 1. 22, 9. 2, 18, 14. 3, 1, 47. 4, 22. epod. 2, 41. sat. 2, 7, 118. epist. 1, 7, 77. 2, 1, 55. Amicus Horatii, epist. 1, 5, 27.
Sagana, epod. 5, 25. sat. 1, 8, 25. 48.
sal niger, epist. 2, 2, 60.
Salamis, od. 1, 7, 21. 29. Salaminius Teucer, od. 1, 15, 23.
Salernum, epist. 1. 15, 1.
Salii, od. 1, 36, 12. 4, 1, 28. Saliaris, od. 1, 37, 2. epist. 2, 1, 86.
Sallustius, od. 2, 2. sat. 1, 2, 48.
Samnites, epist. 2, 2, 98.
Samos, epist. 1, 11, 2. 21. Samius, epod. 14, 9.
Sappho, od. 2, 13, 25. 4, 9, 12. epist. 1, 19, 28.
Sardinia, od. 1, 31, 4. *Sardus* sat. 1, 3, 3. a. p. 375.
Sardis, epist. 1, 11, 2.
Sarmentus, sat. 1, 5, 52.
satirici, sat. 1, 10. 7.
Satureianus sat. 1, 6, 59.
Saturnus, od. 1, 12, 50. 2, 12, 9. 17, 23. Saturnalia, sat. 2, 3, 5. 7, 4. Saturnius versus, epist. 2, 1. 158.
Satyri, od. 1. 1, 31. 2, 19, 4. epist. 1, 19, 4. 2, 2, 125. a. p. 221. 226. 233. 235.
Scaeva, sat. 2, 1, 53. epist. 1, 17, 1.
Scamander, epod. 13, 14.
Scaurus, od. 1, 12, 37.
Scetanus, sat. 1, 4, 112.
Scipiades, sat. 2, 1, 17. 72. cf. Africanus; sign. od. 4, 8, 18.
Scopas, od. 4, 8, 6.
Scorpios, od. 2, 17, 17.
Scylla, a. p. 145.
Scythes, od. 1, 19, 10. 35, 9. 2, 11, 1. 3, 8, 23. 24, 9. 4, 5, 25. 14, 42. c. saec. 55. Scythicus, od. 3, 4, 36.
selecti iudices, sat. 1. 4, 123.
Semele, od. 1, 19, 2. **Semeleius**, od. 1, 17, 22.
September, ep. 1, 16, 16.
Septicius, ep. 1, 5, 26.
Septimius, od. 2, 6, 1. epist. 1, 3, 9. 9, 1.
Seres, od. 1, 12, 56. 3, 29, 27. 4, 15, 23. Sericus, od. 1, 29, 9.
Servilius, sat. 2, 8, 21.
Servius. sat. 1, 10, 86. 2, 3, 168.
servus, i. e. Parmeno, sat. 2, 3, 265.
Sestius, od. 1, 4, 14.
Sextilis, epist. 1, 7, 2. 11, 9.
Sibyllini, c. saec. 5.

sic, in votis ac precibus, ad od. 1, 3, 1.
Sicanus, epod. 17, 32.
Siculus, od. 2, 12, 2. 16, 33. 3, 1, 18. 4, 28, 4, 4, 44. epist. 1, 2, 58. 12, 1. 2, 1, 58. a. p. 463.
Sidonius, epod. 16, 59. epist. 1, 10, 26.
Silenus, a. p. 239.
Silvanus, od. 3, 29, 23. epod. 2, 22. epist. 2, 1, 143.
Simo, a. p. 238.
Simois, epod. 13, 14.
Sinuessa, sat. 1, 5, 40. Sinuessanus, epist. 1, 5, 5.
Siren, sat. 2, 3, 14. epist. 1, 2, 23.
Sisenna, sat. 1, 7, 8.
Sisyphus, od. 2, 14, 20. epod. 17, 68. sat. 2, 3, 21. alius quidam, sat. 1, 3, 47.
Sithonius, od. 1, 18, 9. 3, 26, 10.
Smyrna, epist. 1, 11, 3.
Socraticus, od. 1, 29, 14. 3, 21, 9. a. p. 310.
Sophocles, epist. 2, 1, 163.
Soracte, od. 1, 9, 2.
Sosii, epist. 1, 20, 2. a. p. 345.
Spartacus, od. 3, 4, 19. epod. 16, 5.
Spes, od. 1, 35, 21. vox media, epist. 1, 6, 13.
Staberius, sat. 2, 3, 84. 89.
Stertinius, sat. 2, 3, 33. 89. 296. epist. 1, 12, 20.
Stesichorus, od. 4, 9, 8.
Sthenelus, od. 1. 15, 24. 4, 9, 20.
Stoicus, epod. 8, 15. sat. 2, 3, 160. 300.
Styx, od. 1, 34, 10. Stygia unda, od. 2, 20, 8. St. fluctus, od. 4, 8, 25.
Suadela, epist. 1, 6, 38.
Suburanus, epod. 5, 58.
Sulcius, sat. 1, 4, 65.
Sulla, sat. 1, 2, 64.
Sulpicius, od. 4, 12, 18.
Superbus, Tarquinius, sat. 1, 6, 12. superbi Tarquinii fasces, od. 1, 12, 34.
supervacuus, od. 2, 20, 24.
Surrentum, epist. 1, 17, 52. Surrentinus, sat. 2, 4, 55.
Sybaris, od. 1, 8, 2.
Sygambri, od. 4, 2, 36. 14, 51.
syllaba brevis producta, ad od. 1, 13, 6.
syncope, od. 2, 2, 2. 4, 13, 20. sat. 1, 5, 79. 9, 48. 2, 3, 169. epod. 2, 65. 9, 1.
synizesis, vel συνεκφώνησις sat. 2, 6, 67. cf. ad od. 3, 4, 41.
Syrius, od. 2, 7, 8.
Syrtes, od. 1, 22, 5. 2, 6, 3. 20, 15. epod. 9, 31.
Syrus, od. 1, 31, 12. sat. 1, 6, 38. 2, 6, 44.

Taenarus, od. 1, 34, 10.
Tanais, od. 3, 10, 1. 29, 28. 4, 15, 24. sat. 1, 1, 105.
Tantalus, od. 1, 28, 7. 2, 18, 37. epod. 17, 66. sat. 1, 1, 68. significatur od. 2, 13, 37.
Tarentum, od. 1, 28, 29. 3, 5, 56. sat. 1, 6, 105. 2, 4, 34. epist. 1, 7, 45. 16, 11. cf. od. 2, 6, 11. Tarentinus, epist. 2, 1, 207.
Tarpa, sat. 1, 10, 38. a. p. 387.
Tarquinius, od. 1, 12, 35. sat. 1, 6, 13. signif. sat. 1, 8, 15.
Tartarus, od. 3, 7, 17. Tartara, od. 1, 28, 10.
Taurus, epist. 1, 5, 4.
Teanum, epist. 1, 1, 86.
Tecmessa, od. 2, 4, 6.
Teius, od. 1, 17, 18. epod. 14, 10.
Telamon, od. 1, 7, 21. 2, 4. 5.
Telegonus, od. 3, 29, 8.
Telemachus, epist. 1, 7, 40.
Telephus heros, epod. 17, 8. a. p. 96. 104. adulescens, od. 1, 13, 1. 3, 19, 26. 4, 11, 21.
Tellus, od. 2, 12, 7. c. saec. 29. epist. 2, 1, 143.
Tempe, od. 1, 7, 4. 21, 9. 3, 1, 24.
Tempestates, epod. 10, 24.
Terentius, sat. 1, 2, 20. epist. 2, 1, 59. conf. sat. 2, 3, 262 sq.
Terminalia. epod. 2, 59.
Terra, od. 3, 4, 73.
Teucer, od. 1, 7. 21. 27. 15, 24. 4, 9, 17. sat. 2, 3, 204. Teucrus = Troicus, od. 4, 6, 12.
Thalia, musa, od. 4, 6, 25.
Thaliarchus, od. 1, 9. 8.

Thebae, od. 1, 7, 3. 4, 4, 64. sat. 2, 5, 84. epist. 1, 16, 74. 2, 1, 213. a. p. 118. significatur od. 3, 11, 2. **Thebanus**, od. 1, 19, 2. epist. 1, 3, 13. a. p. 394.
Theoninus, epist. 1, 18, 82.
Theseus, od. 4, 7, 27.
Thespis, epist. 2, 1, 163.
Thessalus, od. 1, 7, 4. 10, 15. 27, 21. 2, 4, 10. epod. 5, 45. epist. 2, 2, 209.
Thetis, od. 1, 8, 14. 4, 6, 6. epod. 13, 12. 16.
Thraca, epist. 1, 3, 3. 16, 13. **Thrace**, od. 2, 16, 5. 3, 25, 11. **Thraces**, od. 1, 27, 2. 2, 19, 16. epod. 5, 14. sat. 2, 6, 44. epist. 1, 18, 36. **Thracius**, od. 1, 25, 11. 4, 12, 2. **Threicius**, od. 1, 24, 13. 36, 14. epod. 13, 3. **Thressa**, od. 3, 9, 9.
Thurinus, od. 3, 9, 14. sat. 2, 8, 20.
Thyestes, od. 1, 16, 17. a. p. 91. **Thyesteus**, epod. 5, 86.
Thyias, od. 2, 19, 9. 3, 15, 10.
Thynus, od. 3, 7, 3.
Thyoneus, od. 1, 17, 23.
Tiberis, od. 1, 2, 13. 8, 8. 29, 12. 2, 3, 18. sat. 1, 9, 18. 2, 1, 8. 3, 2, 292. epist. 1, 11, 19.
Tiberinus, od. 3, 12, 7. sat. 2, 2, 31. epist. 1, 11, 4.
Tiberius, sat. 2, 3, 173. Cf. *Claudius*.
Tibur, od. 1, 7, 21. 18, 2. 2, 6, 5. 3, 4, 23. 29, 6. 4, 2, 31. 3, 10, epist. 1, 7, 45. 8, 12. 2, 2, 3.
Tiburs, adiect. sat. 1, 6, 108. 2, 4, 70.
Tiburnus, od. 1, 7, 13.
Tigellius, sat. 1, 2, 3. 3, 4. 4, 72. 10, 18. 80. 90.
Tigris, od. 4, 14, 46.
Tillius. sat. 1, 6, 24. 107.
Timagenes, epist. 1, 19, 15.
Timor, od. 3, 1, 37.
Tiresias, sat. 2, 5, 1.
Tiridates, od. 1, 26, 5.
Tisiphone, sat. 1, 8, 34.
Titanes, od. 3, 4, 43.
Tithonus, od. 1, 28, 8. 2, 2, 16, 30.
Titius, epist. 1, 3, 9.
Tityos, od. 2, 14, 8. 3, 4, 77. 11, 21. 4, 6, 2.
tmesis, od. 1, 6, 3. 2, 16, 11. 33. sat. 1, 1, 86. 9, 33. 2, 6, 95. epist. 1, 1, 32.
Torquatus, od. 4, 7, 13. epist. 1, 5, 3. conf. od. 3, 21, 1. epod. 13, 6.
Trausius, sat. 2, 2, 99.
Trebatius, sat. 2, 1, 4. 78.
Trebonius, sat. 1, 4, 114.
trigon lusus, sat. 1, 6, 126.
Triquetra tellus = Sicilia, sat. 2, 6, 55.
Trivicum, sat. 1, 5, 79.
Troia, od. 1, 8, 14. 10, 15. 3, 3, 60. 61. 4, 6, 3. 15, 31. c. saec. 41. sat. 2, 3, 191. 5, 18. epist. 1, 2, 49. 3, 141. **Troianus**, od. 1, 28, 11. epist. 1, 2, 1. a. p. 147. **Troicus**, od. 1, 6, 14. 3. 3, 32. **Troes**, 4, 6, 15.
Troilos, od. 2, 9, 6.
Tullius, sat. 1, 6, 9.
Tullus Hostilius rex, od. 4, 7, 15. Volcatius, od. 3, 8, 12.
Turbo, sat. 2, 3, 310.
Turius, sat. 2, 1, 49.
tus, omissa littera h, ad od. 1, 19, 14.
Tusculum, epod. 1, 29. signif. od. 3, 29, 8.
Tuscus, od. 3, 7, 28. 4, 4, 54. sat. 2, 2, 33. epist. 2, 1, 202. vicus T., sat. 2, 3, 228.
Tydides, od. 1, 6, 16. 15, 28.
Tyndaridae, od. 4, 8, 32. sat. 1, 1, 100.
Tyndaris, od. 1, 17, 10.
Thyphoeus, od. 3, 4, 53.
Tyrius, od. 3, 29, 60. epod. 12, 21. sat. 2, 4, 84. epist. 1, 6, 18.
Tyrrhenus, od. 1, 11, 6. 3, 10, 12. 24, 4. 29, 1. 4, 15, 3. epist. 2, 2, 180.
Tyrtaeus, a. p. 402.

Vacuna, epist. 1, 10, 49.
vacuus, od. 1, 6, 19. sat. 2, 3, 10.
vadari, sat. 1, 9, 36.
Vala, epist. 1, 15, 1.
valere c. inf., ad od. 1, 34, 12.
Valerius, sat. 1, 6, 12.

Valgius, od. 2, 9, 5. sat. 1, 10, 82.
Varia, epist. 1, 14, 3.
Varius, od. 1, 6, 1. sat. 1, 5, 40. 93. 6, 55. 9, 23. 10, 44. 81. 2, 8, 21. 63. epist. 2, 1, 247. a. p. 55.
Varro, sat. 1, 10, 46.
Varus, od. 1, 18, 1. epod. 5, 73. v. Quintilius.
Vaticanus, od. 1, 20, 7.
—*ve*, part. transposita, vide ad od. 1, 30, 6.
Veia, epod. 5, 29.
Veianius, epist. 1, 1, 4.
Veiens, epist. 2, 2, 167.
Veientanum, sat. 2, 3, 143.
Velabrum, sat. 2, 3, 229.
Velia, epist. 1, 15, 1.
Velina, epist. 1, 6, 52.
Venafrum, od. 2, 6, 16. sat. 2, 8, 45.
Venus, od. 1, 4, 5. alibi passim. iactus, od. 2, 7, 25.
Venusinus, od. 1, 28, 26. sat. 2, 1, 35.
Vergilius, od. 1, 3, 6. 24, 10. sat. 1, 5, 40. 48. 6, 55. 10, 45. 81. epist. 2, 1, 247. a. p. 55. alius quidam, od. 4, 12, 12. 13.
Vertumnus, sat. 2, 7, 14. epist. 1, 20, 1.
Vesper, od. 2, 9, 10. 3, 19, 26.
Vesta, od. 1, 2, 16. 28. 3, 5, 11. sat. 1, 9, 35. epist. 2, 2, 114.
Vibidius, sat. 2, 8, 22. 33. 40. 80.
Victoria, epist. 1, 18, 64.
Vindelici, od. 4, 4, 18. 14, 8.
Vinnius, epist. 1, 13, 2.
virgo, i. e. Cassandra, od. 2, 4, 8.
virgo, i. e. Vestalis, od. 1, 2, 27. 3, 30, 9.
Virtus, od. 2, 2, 19. 3. 2, 17. 21. c. saec. 58. epod. 9, 26.
Viscus, sat. 1, 9, 22. 10, 83. v. Thurinus.
Visellius, sat. 1, 1, 105.
Ulixes, od. 1, 6, 7. epod. 16, 60. 17, 16. sat. 2, 3, 197. 204. 5, 100. epist. 1, 2, 18. 6, 63. 7, 40.
Ulubrae, epist. 1, 11, 30.
Umber, sat. 2, 6, 40.
Umbrenus, sat. 2, 2, 133.
Ummidius, sat. 1, 1, 95.
unde, od. 1, 12, 17. 28, 28. 2, 12, 7. sat. 1, 6, 12. 2, 6, 21.
Volanerius, sat. 2, 7, 15.
Volcanus, od. 1, 4, 8. 3, 4, 59. sat. 1, 5, 74.
Volteius, epist. 1, 7, 55. 64. 91.
Voltur, od. 3, 4, 9.
Voranus, sat. 1, 8, 39.
Ustica, od. 1, 17, 11.
ut, vi locali, ad od. 3, 4, 29.
Utica, epist. 1, 20, 13.

Xanthias, od. 2, 4, 2.
Xanthus, od. 4, 6, 26.

Zephyrus, od. 3, 1, 24. 4, 7, 9. epist. 1, 7, 13.
Zethus, epist. 1, 18, 42.
zeugma, od. 2, 1, 21. sat. 1, 1, 3.
zona, epist. 2, 2, 40.

Typis Paetzianis Ottonis Hauthalii Numburgensis.

Verlag von S. Calvary & Co. in Berlin:

M. Tullii Ciceronis

Opera quae supersunt omnia
ex recensione
J. G. Orellii.
Editio altera emendatior.
Curaverunt
J. Gasp. Orellius, J. Georg Baiterus, Carolus Halmius.
8 volumina Lex. 8°. (87 M. 10 Pf.) 60 M.

A. Textus. 4 Bände in 6 Theilen. 2. Aufl. 1845—61. (48 M. 20 Pf.) 24 M. — vol. I. Libri rhetorici. Editio II. 1845. (8 M.) 6 M. — vol. II. (2 Partes.) Orationes ad Codices ex magna parte aut primum aut iterum collatos emendarunt **J. G. Baiterus** et **C. Halmius.** 2 voll. 1854—1857. (18 M. 80 Pf.) 16 M. Einzeln à 9 M. — vol. III. Epistolae. Accedit Historia critica epistolarum Ciceronis. Editio II. 1845. (8 M.) 7 M. — vol. IV. Libri qui ad Philosophiam et ad Rem Publicam spectant. Ex Libris Manuscriptis partim primum partim iterum excussis emendaverunt **J. G. Baiterus** et **Car. Halmius.** Accedunt Fragmenta **J. C. Orellii** secundis curis recognita. 1861. (13 M. 40 Pf.) 12 M.

B. Scholia. M. Tullii Ciceronis Scholiastae. C. Marius Victorinus, Rufinus, C. Julius Victor, Boethius, Favonius Eulogius, Asconius Pedianus, Scholia Bobiensia, Scholiasta Gronovianus ediderunt **Io. Casp. Orellius** et **Io. Georgius Baiterus.** 2 voll.

C. Onomasticon. Onomasticon Tullianum continens M. Tullii Ciceronis Vitam, Historiam Literarum, Indicem Geographicum et Historicum, Indicem Graecolatinum, Fastos Consulares. Curaverunt **I. C. Orellius** et **I. G. Baiterus.** 3 voll. (27 M.) 24 M.

Inscriptionum latinarum selectarum

amplissima collectio
ad illustrandam Romanae antiquitatis disciplinam accommodata
ac magnarum collectionum supplementa complura
emendationesque exhibens.
Cum ineditis **Jo. Casp. Hagenbuchii** suisque adnotationibus
edidit
Jo. Casp. Orellius.
Insunt lapides Helvetiae omnes.
Accedunt praeter **Faginii** Kalendaria antiqua
Hagenbuchii, Maffei, Ernestii, Reiskii, Seguierii, Steinbuechelii
epistolae aliquot epigraphicae
nunc primum editae.
2 voll. accedit vol. III.:
Collectionis Orellianae supplementa emendationesque exhibens
edidit
Guilielmus Henzen.
Accedunt indices rerum ac notarum, quae in tribus voluminibus inveniuntur.
3 voll. Lex. 8°. (37 M. 50 Pf.) 24 M.

G. Crispi Salustii

Catilina Jugurtha Historiarum Reliquiae.
Incertorum auctorum epistolae ad Caesarem invectivae,
declamatio in Catilinam.
Recensuit adnotatione critica instruxit
F. D. Gerlach.
Accedunt Historicorum vet. Romanorum reliquiae a
Car. Lud. Roth
collectae et dispositae.
Pracht-Ausgabe auf Schweizer Velinpapier. (15 M.) 12 M.

P. Cornelii Taciti

Opera quae supersunt
ad fidem Codicum Mediceorum
ab **Jo. Georgio Baitero** denuo excussorum
ceterorumque optimorum librorum
recensuit atque interpretatus est
Jo. Casp. Orellius.

Vol. I. Annalium ab excessu divi Augusti quae supersunt ad fidem codicum Mediceorum. 10 M. — Vol. II. Germania. Dialogus de claris oratoribus. Agricola. Historiae. Editionem alteram curaverunt H. Schweizer-Sidler, G. Andresen, C. Meiser.

Fasciculus primus: De situ ac populis Germaniae liber. Ad fidem Codicum Vaticanorum, Perizoniani, Neapolitani ceterorumque optimorum librorum denuo recensuit atque interpretatus est H. Schweizer-Sidler. 1877. 4 M. 50 Pf. — Fasciculus secundus: Dialogus de oratoribus ad fidem Codicum optimorum denuo recensuit atque interpretatus est Georgius Andresen. 1877. 3 M. — Fasciculus tertius: De vita et moribus Julii Agricolae liber ad fidem codicum Vaticanorum recensuit atque interpretatus est Georgius Andresen. 1880. 4 M. 50 Pf. — Fasciculus quartus: Historiae recensuit C. Meiser. Lib. I. 1881. 4 M. 50 Pf.